


HORAT. AVGENIVS. TIEOL. PHILOSOP. ET. MEDICVS PRÆSTANTISSIMVS. ANNO. SVÆ. ÆTATIS. LXIIII.
Est hæc certe hominis facies mortalis at ipsum
Diuinum ingenium est famæ imortalis et æui
M. Columbi,

HORATII AVGENII
A MONTE SANCT. MEDICI ET PHILOSOPHI PRÆSTANtissimi, nec non in Academiis, Taurinensi sc. & Patauina Professoris olim Primarii,

DE

FEBRIBVS, FEBRIVM SIGNIS, SYMptomatibus, & prognostico Libri septem ab ipso authore ab anno 1568. vsque ad 1572. singuli conscripti:

NVNC VERO POST EIVS OBITVM AB HILARIO AVGENIO AVTORIS FILIO IN LVCEM EMISSI, DVPLICIque Indice locupletati, quorum alter capita, alter vero res notatu & obseruatione dignas ostendit.

His septem Libris accesserunt postmodum alii tres eiusdem materia,

I. De curatione Symptomatum febrium pestilentium.
II. De febribus Pestilentibus.
III. De curatione Variolarum ac Morbillorum.





FRANCOFVRTI,
Impensis hæredum Andr. Wecheli, Claudii Marnii, & hæred. Ioan. Aubrii.
M. DC V.



ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. DOMINO DN. ALEXANDRO PERETTO S.R.E. CARDINALI A MONTE ALTO Vicecancellario, &c.

SI amplitudo dignitatis tuæ, Cardinalis Amplissime, esset eiusmodi quæ videretur posse aliquo libro qui eius nomini inscriberetur, augeri, sine dubio conquirendus esset is liber, qui omnium, qui vnquam editi fuissent, amplissimus iudicaretur. Sed cum in altissimo monte, quod & nomen tuum indicat, sit tua virtus & amplitudo sita, ita vt vix videatur ei posse quicquam addi, idipsum addidit mihi animum, vt ausus fuerim hunc ei librum, qui est de febribus, consecrare. Nam cum parens meus nuper vita functus Horatius Augenius eius auctor perpetuo te licet in altissima collocatum specula suspexerit, obseruauerit, & coluerit: eaque obseruantia, qua tua est in omnes, studium, & humanitas, tibi non fuerit ingrata, voluimus & nos filii eius & hæredes, & nostræ, quam persequi cupimus, obseruantiæ, vt & paternæ olim, aliquod existere testimonium, ac perpetuæ in te voluntatis nostræ monumentum, quod tibi non ingratum fore speramus, si respiciamus non facultatem nostram, sed voluntatem promptam tui perpetuo vt mereris obseruandi & colendi. Et quod patrem nostrum sine dubio nisi morte præreptus, facturum fuisse existimamus, id nos paternæ etiam voluntatis hæredes exequendum curauimus, vt nimirum Illustrissimo nomini tuo istum patris nostri librum inscriberemus, non quod existimemus, vt iam præmonuimus, posse ei vllam amplitudinis seu splendoris accessionem facere, sed potius vt ab eo aliquod lumen mutuetur, & vt omnibus constet nostræ in te, vt diximus, voluntatis vestigium, vt quod alia quidem re non possumus, hoc exiguo saltem munere contestemur. Speramus fore, vt quemadmodum Deus, licet altissimus, humilia respiciat; ita etiam Tu ex altissimo monte hoc exiguum mu-

nusculum nostrum respicias, quod proprium sit altissimarum mentium, etiam minima, quæ illis ex bona voluntate offeruntur non despicere. Illud saltem arbitramur fore, vt medicinæ artis tam studiosi, quam professores, quibus, vt existimamus, vt alia, opus non erit ingratum, sed expectatum, bene precentur tibi, & moueantur: quod nos quidem mercedis loco exoptamus, vt diligentius deinceps, quam vnquam fecerunt, in valetudinem tuam huius etiam libri adiuti opera & doctrina incumbant. Quam tantopere existimamus, pauperum subleuandæ inopiæ necessariam, qua vna quidem re, vt etiam omni alio splẽdore, si non superat, saltem adæquat Farnesii Cardinalis olim ante Vicecancellarii liberalitatem aut potius dicam benignitatem. Neque enim agnouerunt inopes illi atque egentes Farnesium sibi magno damnio ereptum, cum te viderunt Palatio Cancellariæ præfectum, maxime illi, qui circa illud incolunt & si Laurentii in Damaso sunt parochiæ, illo præsertim anno, cum tanta rerum omnium inopia laboraremus. Perpetuo enim idcirco tibi bene precabuntur & nobiscum Deum immortalem, vt & te, & facultates tuas amplissimas ad pauperum erigendam inopiam potissimum comparatas prosperet ac fortunet, & te ex altissimo monte cœlo proximo, quod nos etiam ex Monte Sancto, quem tibi cõmendamus vt Monti alto proximum traducat in Montes illos æternos, vt ibi benignitatis tuæ in pauperes præmio centuplicato perpetuo gaudere possis & frui. E Monte Sancto.

Illustriss. D. Tuæ

Seruus obsequentissimus

HILARIVS AVGENIVS.

INDEX

INDEX OMNIVM CAPITVM, QVÆ CONTINENTVR IN toto hoc opere, de Febrium natura, causis, differentiis, signis, symptomatis, prognostico & curatione.

INDEX CAPITVM LIBRI I.

CAP. I. *De proposito, & difficultate, vtilitateque tractationis huius.* fol. 1.

II. *Quid sit methodus, declarantur definitiones Græcorum & refellitur opinio Antonii Donati ab Altomari Medici Neapolitani.* 3

III *Quotuplex sit methodus: quod vniuscuiusque munus, quam proportionem inuicem habeant; cur quatuor & non plures: & expositio loci Galenici in arte medica ab omnibus perperam intellecti.* 7

IV. *Qua methodo & quo ordine in hisce nostris commentariis simus vsuri.* 11.

V. *De communi notione febris, & de vocabuli huius ratione.* 12

VI. *De aliorum erroribus in definiẽda febre.* 13

VII. *Quid sit febris.* 18

VIII. *Quod duplex calor in nobis consistat, quotue modis inuicem differant ex Galeni monumentis.* 20

IX. *Quid sit calidum innatum: quid calidum præternaturā: quod differat calidum præter naturam à calido acquisititio, & quotuplex calidum præternaturam.* 24

X. *Quomodo febris dicatur permutatio natiuæ caliditatis ad igneum: quod calor præternaturam nō sit morbus, sed morbi causa: sub qua specie qualitatis ponatur febris: & quæ sit intemperies.* 34

Lib. II. De Febris essentia, & natura, & temporibus morborum ac Febrium.

CAP. I. *De huiusce libri proposito.* 41

II. *Quod non affecto corde febris fieri non possit.* *ibi.*

III. *Quod non solum cor, sed etiam totum corpus subiectum febris dici possit.* 45

IV. *Subiectum febris esse solidam cordis substantiam & nunquam humores, ac spiritus contra recētiores omnes Medicos: quodque calidum innatum non sit subiectum febris, vt perperam Antonius* Donatus *ab Altomari opinatur* 94

V. De *causis tam proximis; quam remotis febrium, quæ fibres sunt* 56

VI. De *iis corporibus, quæ magis præparata sunt ad recipiendas febres* 60

VII. De *his, quæ à febrib. quaten⁹ febres*

sunt, proficiscuntur. 63

VIII. *De vtilitate tractationis temporum febrium, & quid sit morbi tempus.* 66

IX. *Quot sint in vniuersum morborum tempora.* 67

X. *Quot modis assumatur principium in morbis: quodve vsum afferat huic nostræ tractationi: & quid morbi incrementum dicendum sit.* 69

XI. *Quid vigor morbi: de necessitate cognoscēdi vigorem, quid morbi declinatio, & an contingat mori ægrotantem in ipsa vniuersali declinatione morbi.* 72

XII. *Quod nam ex quatuor morborum temporibus altero sit deterius.* 75

XIII. *Quot vniuersalia tempora vnusquisque morbus habeat.* 81

XIV. *De ratione cognoscendi vniuersalia morborum tempora.* 83

XV. *De particularibus temporibus morborum.* 84

XVI. *Dictorum Epilogus.* 85

Lib. III. De Febrium differentiis, de febribus ephemeris, hecticis, & principiis putrefactionis ex Aristotele.

CAP. I. *De quibus agendum hoc libro, & quo ordine.* 86

II. *Opinio Hippocratis de febrium differentiis.* ibid.

III. *An aliquid in proposita Hippocratis diuisione desiderari possit.* 90

IV. *De summis febrium differentiis, secundum Galeni principia.* 91

V. *De opinione Auicennæ circa diuisionem febris.* 92

VI. *Quid febris magna, & parua.* 94

VII. *Quid febris acuta, & quid morbus acutus.* 96

VIII. *De febriū differentiis secundum propria principia.* 99

IX. *Quid febris diaria, quæ illius differentiæ.* 100

X. *De febrib. diariis, quarū præsens est causa.* ibid.

XI. *De febribus diariis, quarum causa iam abest.* 102

XII. *De signis communibus, & propriis ephemerarum febrium.* ibid.

XIII. *De synochis febribus sine putredine.* 106

XIV. *De synocho biliosa.* 109

XV. *De febribus hecticis.* 110

XVI. *De hecticarum febrium differētiis.* 112

XVII. *De signis hecticarum febrium, horumque causis.* 114

XVIII. *De signis differentiarum hecticæ febris horumque causis.* 117

XIX. *Quod vrinæ pinguedo telis araneorum similis innatans, aut oleaginosa, proprium sit, atque inseparabile indicium hecticarū febrium secundi ordinis contra Altimarum.* 118

XX. *De Tabe, illius differentiis, causis, & signis.* 119

XXI. *De putredine iuxta Aristotelis principia.* 121

Lib. IV. De Febribus putridis.

CAP. I. *Quid putredo secundum Galenum.* 124

II. *De generibus, & differentiis putredinis ex Medicorū sentētia.* ib.

III. *De summis rerum Capitibus in quibus philosophi in tractatione putredi-*

putredinis à Medicis dissentiant, vel consentiant. 127
IV. *De causis putredinis ex Medicorum sententia.* ibid.
V. *Obstructionem non esse necessariam causam putredinis.* 128
VI. *Dictorum confirmatio, ex Galeni sentẽtiis, & dubitationum, quæ his dictis accidunt, explicatio.* 119
VII. *Quid sit febris putrida.* 130
VIII. *De differentiis, & generibus putridarum febrium.* 131
IX. *De signis & accidentibus putridæ febris horumque causis.* 132
X *Quid febris continua primaria, quæ causæ, & quæ signa.* 135
XI. *De primariarũ febrium differentiis.* 140
XII. *Quid synochus febris, quæ eius signa, quæ causæ, & quæ differẽtiæ.* 141
XIII. *De synocho biliosa, eius causis, & signis.* 142
XIV. *Quot modis nomen causi intelligendum sit.* 145
XV. *Dubitationum, quæ his dictis accidunt, solutio.* 146 (147
XVI. *De sanguinea febre disputatio.*
XVII. *Quid sanguinea synochus.* 148
XVIII. *Quod febris à sanguine putrido admittenda sit & quomodo à Galeno in biliosarum febrium numero collocetur.* ibid.
XIX. *Auicennæ rationes nihil contra Galenum conducere: quodque Auicennas minime sit propterea reprehendendus, dum Galenum refellit.* 153
XX. *De febribus continuis primariis, quæ circuitus habent: quæ harum causæ, quæ differentiæ, quæ indicia.* 155
XXI. *Quid continua Tertiana, quæ causæ, quæ signa, quodque ab ardente febre differat tertiana cõtinua, quodque ab vtraque differat leipyria.* 160
XXII. *De continuis phlegmaticis, & quartanis.* 162
XXIII. *De continuis febribus symptomaticis.* ibid.

Lib. V. De Febribus putridis intermittentibus, & compositis.

CAP. I. *Quid sit febris intermittens.* 166
II. *Disputatio de loco in quo humores putrescãt in febrib. intermittentibus.* 167
III. *Galeni sententia de intermittentibus febribus.* 168
IV. *Febrium intermittentium humores, tum in primis viis, tũ in corporis totius ambitu, tũ in ipsis venis aliquando contineri: ab hisq; locis per sensitiuas partes suo impetu deferri: contra omnium Medicorum sententiam.* 169
V. *Quæ communis opinio circa sedẽ intermittentium febriũ, & quid in ea non bene dictum fuerit.* 176
VI. *Opinionis Ioannis Fernelii impugnatio.* 177
VII. *Opinionis Antonii Donati ab Altomari: & Ioannis Argenterii, impugnatio.* 178
VIII. *De propriis symptomatis intermittentium febrium: quid rigor, quid horror, & quid extremarũ partium refrigeratio.* 181
IX. *De causis periodicationis febriũ, disputatio.* 185
X. *De longitudine, breuitate, & ordine accessionum, deq; earundem permutatione.* 193

XI. De differentiis intermittentium febrium 194

XII. Quid tertiana exquisita; quæ eius causæ, & quæ signa. 195

XIII. Quod tertiana exquisita non sit morbus acutus contra Donatum Antonium ab Altomari. 197

XIV. De tertianæ nothæ natura, signis, & causis. 204

XV. De quotidiana febre, eius causis, & signis. 208

XVI. De febribus quartanis, earũ causis, & signis. 211

XVII. De febribus compositis, & de hemitrithæo, harum causis, à signis demonstratiuis. 216

Lib. VI. De Febribus pestilentibus.

CAP. I. Quid actum sit superioribus libris, quidve in hoc agendum sit. 221

II. Quid sit febris pestilens. ibid.

III. Quid sit morbus communis: quodque febris pestilens in numero cõmunium morborum sit reponẽda 223

IV. De Morbis communibus, qui fiunt ab aere. 227

V. De communibus morbis, qui locorum, & regionum causa generantur. 227

VI. De morbis communibus ab anni temporibus, & quod febris pestilens in horum numero non sit reponenda. 229

VII. De morbis communibus factis à particulari cœli statu qui epidemii Græcis: Latinis vulgares dicuntur. 232

VIII. Quod pestilens febris sit in numero vulgarium morborum. 233

IX. Quod ad generationem pestilentiæ oporteat aerem immutari in tota illius substantia, & à quibus causis fiat hæc aeris permutatio, quodque pestilens febris sit ex numero morborum qui totam substantiam offendunt. 235

X. Dubitationum solutiones, quæ his dictis accidunt. 243

XI. Omnem pestilentem febrem putridam esse, quotque sint pestilentis febris differentiæ. 249

XII. Opinio Ioannis Fernelii de natura febris pestilentialis 253

XIII. Impugnatio opinionis Ioannis Fernelii, quodque à cœlo non fiat pestilentia. 255

XIV. Quid Hippocrates diuini nomine in morbis intelligat. 257

XV. Ioannis Baptistæ Montani: & Hieronymi Fracastorii opinionis impugnatio. 261

XVI. Impugnatio opinionis Nicolai Massæ. 263

XVII. De opinione Theologorum. ibid.

XVIII. De signis futuræ pestilentiæ. 264

XIX. De signis pestilẽtiæ præsentis: tam in genere quam sigillatim. 267

XX. Quid contagium, quæ illius differentiæ, quis afficiundi modus. 272

XXI. Quomodo febris pestilens ab vno in alterum transeat. 277

XXII. De variolarum, morbillorum, & petechiarum natura, & causis. 278

Lib. VII. De Febrium symptomatis, & prognosticis.

CAP. I. De quibus agẽdum hoc libro. 282

II. Summa omnium symptomatũ de quibus

quibus hic agendum. ibid.
III. De sitis causa in febribus. 283
IV. De linguae ariditate & scabritie. 284
V. De deglutiendi difficultate. 285
VI. De gustu deprauato. ibid.
VII. De cibi fastidio. ibid.
VIII. De vomitu, & nausea. 288
IX. De quocunq; alui profluuio. 289
X. De singultu. ibid.
XI. De syncope, animique defectione. 290
XII. De oppreßione. 291
XIII. De spirandi difficultate. ibid.
XIV. De corporis iactatione, & eius veluti contusione. 192
XV. De lumborum grauitate. ibid.
XVI. De Capitis dolore. ibid.
XVII. De vigiliis. 293
XVIII. De somni profunditate. 394
XIX. De delirio. ibid.
XX. De rigore & horrore. 295
XXI. De sudore febricitantium. ibid.
XXII. De fluxu sanguinis narium. 296
XXIII. De Cholera. 297
XXIV. De Fluxu hepatico. ibid.
XXV. De Tußi. 298
XXVI. De Sternutatione. ibid.
XXVII. De ventris dolore. 299
XXVIII. De Raucedine. ibid.
XXIX. De malo oris fœtore. ibid.
XXX. De dolore in cruribus superueniente. 300
XXXI. Quae de prognosticis hoc opere dicenda sint. ibid.
XXXII. Indicantia finem, quem morbus est habiturus, & quae indicia sint mortis circa iudiciũ futurae, quomodove mortis dies ac hora praegnoscenda sit. ibid.

Lib. VIII. De Curatione symptomatum Febrium pestilentium.


CAP. I. De quibus agendum hoc libro & quo ordine. 312
II. De modo generationis bubonis pestilentis. ibid.
III. De signis & prognosticis bubonis pestilentis. 315
IV. De curatione bubonis pestilentis. 317
V. Curatio bubonum statim exeuntium. 321
VI. De carbunculi pestilentis natura. 322
VII. De carbunculi signis & prognostico. 325
VIII. De curatione carbunculi. 326
IX. De purgantibus & repellentibus Pharmacis. 329
X. De medicamentis pro carbunculorum sanatione accommodatis. 331.
XI. Modus remouendi Escharam quam citißime. 336
XII. De colliquatiuis febribus. 338
XIII. De differentiis colliquatiuarum febrium. 339
XIV. Dubiorum quorundam enodatio. 343.
XV. De causis solidarum partium & signis. 344
XVI. De scopis curationis & materia medicinali in genere. 345
XVII. De ratione victus in febre colliquatiua. 346
XVIII. De potu frigidae in fluxu colliquatiuo. 349
XIX. De lactis vsu in febribus colliquatiuis. 351
XX. De variis medicamentis purgationibus. 353

Lib. IX. De febribus Pestilentibus.

CAP. I. *Transitio praecedentis libri, quid que hoc loco tractandum suscipiatur, deque variolarum ac morbillorum nomine* 357
II. *Quid sint variolae & morbilli iuxta autorem* 358
III. *Qui affectus praeter naturam sint variolae ac morbilli, & an febris necessario variolas praecedat.* 359
IV. *Quae febris sit quae variolas praecedit, & quomodo fiant variolae.* 362
V. *Variolas à natura fieri iudicante morbum.* 364
VI. *Quid sanguinis ebullientis nomine intelligendum.* 366
VII. *Quomodo à sanguine menstruo fiat variolae & morbilli ex Arabum sententia.* 367
VIII. *Dubitationes quae hisce dictis accidant* 369
IX. *De responsionibus ad rationes antiquorũ Fernelii & Michaelis Florini.* 371
X. *Quid differat generatio variolarum à generatione leprae.* 374
XI. *Variolas & morbillos graecis non fuisse incognitos* 378
XII. *Impugnatio opinionis Fernelii & Mercurialis de variolarum causa.* 382
XIII. *Opinio autoris de peste.* 386
XIV. *De Causis externis variolarum & morbillorum.* 389
XV. *De morbillorum natura* 390
XVI. *De differentiis variolarum & morbillorum.* 393
XVII. *De signis praecedentibus morbillorum euentum.* 395
XIIX. *De variolarum ac morbillorum tẽporibus.* 397
XIX. *An febris variolarum sit symptomatica.* 399
XX. *De signis prognosticis variolarũ & morbillorum.* 400

Lib. X. De curatione variolarum ac morbillorum.

CAP. I. *Num praeseruatio ab ipsis variolis fieri possit vel tentari debeat.* 404
II. *De remediis morbillorum & variolarũ generatim propositis.* 405
III. *De vacuatione plenitudinis.* 406
IV. *De ratione purgandi.* 412
V. *De materia pro purgatione accõmodata.* 414
VI. *Quibus alternantibus vtendum antequam variolae appareãt.* 416
VII. *Quae remedia conueniant variolis exeuntibus.* 419
VIII. *De remediis ad praeseruationem partium vtilissimis.* 419
IX. *In variolarum eruptione quando natura sit iuuanda, & quib. medicamentis.* 426
X. *An balneo aquae dulcis vtendum vt facilius variolae exeant.* 430
XI. *Quibus remediis vtendum si effrenis in expellendo videatur natura.* 431
XII. *An variolae maturandae sint ab arte.* 432
XIII. *De apertione variolarum & exsiccatione earundem.* 433
XIV. *De iis quae crustulas & squamas tollũt.* 436
XV. *Quomodo sint delendae cicatrices ex oculis & facie.* 437
XVI. *De ratione victus & primum de aere.* 438
XVII. *De cibo & potu* 439
XVIII. *De aliis ad victus rationem pertinentibus.* 442



HORATII AVGENII, PROFESSORIS OLIM IN CELEBERRIMO GYMNASIO PATAVINO, THEORICI Primarii.

DE MEDENDIS FEBRIBVS, LIBER PRIMVS

De proposito, & difficultate huius tractationis

CAPVT I.

INTER omnes medicinæ partes nulla propemodum est difficilior ea, quæ febrium tractationem explicat: Hæc enim tantis difficultatibus abundat; quod videatur fere impossibile quicquam inuenire, quod obscuritatem non habeat. Siquidem inprimis non parum controuersa res est, quomodo febris definiri debeat; quoniam diuersus à Galeno videtur Auicennas; & ab vtroq; diuersus Auerrhoes; nec defuere quidam ex recentioribus Medicis; qui tradiderint Galenum sibi ipsi contraria scripsisse.

Sed quocunq; modo definias, res etiam est ambigua; qualis videlicet calor sit febris; an naturalis, an additus naturali; quomodo inuicem differãt; quod proximum sit febris subiectum; an aliqua sit febris non affecto corde: quæ proximæ sint & substantiales febrium differentiæ? *Difficultates, quæ circa febrium naturam emergunt, maximæ.*

In his præterea explicandis non minor est difficultas: quid videlicet secundum Medicorũ Dogmata sit putredo; an diuerso quodam modo eam Philosophi inuestigent: an semper obstructio necessaria sit pro efficienda putredine: Deinde quomodo fiant intermittentes febres: quomodo continuæ, quæ synochæ nuncupantur; an idem sit synochus, quam febris à sanguine; an detur etiam synochus ex flaua bile; vtrum sanguis sub propria natura permanens possit computrescere, & febrem facere: qua ratione biliosa nuncupati debeat.

Verum vt alias omnes prætermittam, quæ in proposito negotio innumeræ sunt difficultates, de quibus sigillatim suo loco disputabimus, hoc vnũ apud omnes constat, nullam ex omnibus explicationẽ esse magis arduam, Tractatione de febribus pestilentibus: In quibus explicandis non solum recentiores Medici, quemadmodũ diligenter docebimus, sed etiam antiquiores omnes, excepto tamen admirabili Galeno, non mediocriter lapsi sunt.

Cæterum non solum hæ lites circa febrium naturam accidunt; sed etiam, atq; meo iudicio, non minores circa earundem curationem adueniunt. Num scilicet in omni febre putrida cõueniat missio sanguinis? An balneum omnibus febribus conueniat? An aliquando vsq; ad syncopen sanguinem mittere homini febricitanti conueniat? ac id genus alia, quæ hoc loco de industria breuitatis studio prætermittuntur. *Difficultates circa curationem febrium.*

Difficultas circa autores. *De Hippocrate.*

Auget postremo laboris propositi difficultatem, quod nullus de hac re diligenter pro eius dignitate conscripserit. Hippocrates quidem pauca de febribus docuit; nam quædam solum explicat, quæ ad prognosticum & curationem, & differentias pertinent; quod facit in Aphorismis, Prædictionibus, & libris de popularibus morbis admodum obscure. In diuino igitur hoc sene plura sunt, quæ desiderantur, quam quæ docuit.

Quid in Galeno desideretur. *Quod non uno volumine de febribus egerit.* *Quod quædam omiserit.*

Galenus autem quamuis illo suo vere admirabili ingenio, videatur omnia, quæ ad propositam tractationem pertinent, prosecutus; in eo tamen multa sunt etiam, quæ, vt libere dicam, desiderari possunt. Inprimis quidem illud mihi deesse videtur, quod de Febribus variis voluminibus disseruerit: necessarium enim fuerat, hanc præstantissimam totius medicinæ partem, vno volumine comprehendisse; nec tam sparsim explicasse: multa enim, quæ ad hanc methodum faciunt in prognosticis, nonnulla in epidemiis; plura in libris de febrium differentiis, & de crisibus & de præcognitione ex pulsibus: quæ vero ad curationem pertinent, cum in libris de curatione ad Glauconem, tum in Methodo medendi: in quibus commentariis nihil, aut admodum exiguum inuenies, quod ad febres pestilentes pertineat: Adde, quod in his libris, ex quibus eius opinio de febris essentia, causis, signis, & differentiis colligitur, multa prætermisit, plurimum alioquin necessaria, quemadmodum nos loco suo declarabimus.

Quod obscurus aliquando est.

Præterea in horum narratione adeo obscurus est aliquando; quod multis ea obscuritas errandi non mediocrem occasionem dederit.

Nostrorum temporum calamitas.

Valde igitur laboriosum est, & difficile in vnum quoddam corpus colligere, quæ Galenus sparsim. & diffuse multis libris prosequitur: addere vero quæ in Galeno desunt, difficilimum; potissimum nostris hisce temporibus; in quibus tanquam numen quoddam suspicitur; nihilque recte dictum putetur, nisi, quod illius verbis confirmatum fuerit, quasi quod is pro hominum consuetudine errare minime potuerit.

Deinde vero est etiam arduum, obscuras illius sententias interpretari.

De recentioribus Græcis.

Quid hic ego afferam recentiores Græcos: Oribasium, Paulum Aetium, Actuarium? qui etsi de febribus egerint, potius tamen videntur quædam compendia, quam tractationem de febribus conscripsisse? multaq; reliquisse; quorum explicatio non mediocrem vtilitatem afferebat.

De Sauonarola. *De Donato ab Altomaro.*

Recentiores autem latini rem satis laboriose prosecuti sunt, vt Michael Sauonarola, Medicus quidem minime contemnendus; & Antonius Donatus ab Altomari Medicus Neapolitanus, qui omniũ postremus commentationes de febribus edidit: Nihilominus ii non mediocriter aliquando lapsi sunt: ille sane, quod nulla methodo vsus fuerit, quod multa parum vtilia conscripserit, quod quædam necessaria prætermiserit; quodque tum in curandis febribus, tum in explicandis speciebus, non parum aliquando errauerit: hic vero, quamuis omnes alios superauerit, methodoque pro more maiorum negotium expresserit, tamen in primis statim foribus decipitur, atque in curandis febribus multoties pueriliter lapsus est: vt suo loco docebimus.

De Auicenna.

Quid igitur, inquies, satisfaciet ne Auicenna Arabum princeps; qui copiosissime de omnibus febribus conscripsit? Minime vero inquam, nam hic primũ pueriliter lapsus est, in omnibus iis, in quibus admirabili Galeno contradicit: deinde vero noxia præcepta tradidit in curatione quarundam febriũ, veluti ostendemus cum explicabimus curandi methodum. Præterea obscurus est aliquando, quod arbitrer, neq; sibi ipsi constare, quid dicat.

Vtilitas tractationis huius.

Verum quamuis hæc tractatio maximas habeat difficultates, non minores tamen vtilitates secum affert. Nam inter omnes morbos nullus est, qui magis mortales terreat, quam febris: quæ vt immanis quædam belua, non vnam solam partem, sed singulas indifferenter afficit. Atque multoties adeo sæua inducit symptomata, quod mori ægrotantibus horum causa sit neces-

necessarium: Hinc tantus fuit apud antiquiores Romanos huius ægritudinis timor; quod putantes Deam quandam esse febrem: Templum Romæ Februæ Deæ consecrarunt; in quo sani homines, ne febre arriperentur, ægrotantes autem, vt ab eadem liberarentur; viuebant? Apud omnes similiter nationes idem est timor; quibus ex causis factum est Medicos huius potissimum causa libenter accersiri, maximisq; præmiis donari. *Templum Deæ Februæ.*

Cum igitur hæc ego diligenter contemplarer, statim in animum induximeum commentarium de Febribus, atq; earum curationibus conscribere: non eo quidem consilio, quod putem aliis omnibus meliora me conscripsisse; aut quod aliorum labores, quos minime contemno, ex hominum manibus eripiendos arbitrarer: verum potius, vt nostrum hoc studium, qualecunque id sit, pro interpretatione eorum, quæ ab aliis tradita sunt, satisfaceret; ac potissimum dictorum Galeni; qui, vt supra dixi, rem cum ingenti difficultate non raro prosequitur: Deinde vero, vt ea hic adderem, quæ in aliis desiderari possent: atque postremo, vt hic labor nobis sufficeret pro reparatione memoriæ, quæ in simili ætate omnibus fere decidit. His addere est alteram causam, vt videlicet in hoc honestissimo negotio ingenium exercerem; quemadmodum continuo admonuisti. *Cur de febribus scripserit autor.*

Quamobrem scopus huius nostræ tractationis est docere methodum medendi febres: Verum quoniam nos mederi non possumus, non explorato prius febrium numero; prius videre oportebit, quot sint febrium species indiuiduæ, quæ scilicet amplius recipere sectionem non possint? at quia hoc distincte cognoscere est impossibile, nisi à supremo genere exordiamur, atque ab hoc per medias differentias ad species perueniamus, idcirco à summo genere febrium omnium, quod ipsa est febris, exordiri oportet, diuidendo vsq; ad species infimas; vt præcepit diuinus Plato. *Scopus huiusce tractationis.*

Sed quoniam neque hæc diuisio recte exerceri potest; nisi cognita prius natura eius, quod est diuidendum, propterea primum exordiri à definitione febris oportet.

Quapropter nos hanc nostrum methodum in partes duas diuidemus: in quarum altera docebimus omnia, quæ ad essentiam, naturam, causas, differentias, & accidentia febrium pertinent: in altera vero rationem curandi prosequemur: ac in horum explicatione methodum obseruabimus: Nam non obseruata methodo impossibile est, aliquid recte doceri. *Diuisio totius operis.*

Quid sit Methodus: Declarantur definitiones Græcorum: & refellitur opinio Antonii Donati ab Altomari. Cap. II.

Voniam vero nos methodum medēdi febres docere proposuimus operæprecium erit docere, quid Methodi ipsius nomine intelligamus, & quotuplex ea sit; atq; rursus, qua methodo in hac nostra tractatione simus vsuri: Sic enim nihil docebimus quod obscuritatem faciat.

Scire igitur oportet, duas esse philosophiæ partes, quæ proprios fines habent; altera speculatiua dicitur, altera vero practica. *Philosophiæ partes duæ.*

Speculatiuæ finis est veritas: Actiuæ autem bonum.

Verum quoniam multoties quod falsum est, sub veri specie apparēs, &c. contra malū sese offerēs sub effigie boni, errare Philosophos quamplurimos fecerunt; necessarium fuit instrumentum inuenire, quo duce bonum à malo, & verum à falso distingueretur: Hoc instrumentum fuerunt methodi logicæ: logicas methodos nuncupaui, quandoquidem nulla est facultas dialectica excepta, quæ harum tractationem edoceat.

Hic est itaque finis methodi: verum scilicet à falso, & bonum à malo distinguere, qui finis apud nos inseruiet loco differentiæ; siquidem finis & forma in idem concidunt. *Methodi logicæ pro instrumento philosophiæ supputantur.*

Genus autem erit doctrinæ modus: nam proprium methodi est docere; atq; vt recte doceamur, vt diximus, inuentæ sunt methodi.

Verum non est omnis doctrina methodus, sed ea solum, qua in horum finium distinctione vtimur.

Methodi definitio ex propria intentione.

Quamobrem nos definientes methodum, sic dicimus. *Methodus est doctrina modus, quo verum à falso, & bonum à malo distinguimus.*

Hæc definitio, quam nos proprio ingenio excogitauimus, perfectior videtur aliis omnibus, quæ afferri ab aliis consueuerũt: quod ego ne videar sine ratione docuisse, circa singulas definitiones inductione facta rem diligentius prosequar.

Methodus quid secundum Simplicium.

Simplicius maximus Aristotelis interpres, Alexandri autoritate sic definit: *Methodus est habitus speculatiuus eorum, quæ ad ipsum attinent cum ratione*, id est, cum causa.

secundum Io. Grammaticum.

Ioannes autem Grammaticus hoc modo. *Methodus est habitus, qui viam præstat cum ratione cuiq; ad aliquas artes, scientiasq; capessendas.*

q̃ a in Simplicio desiderentur.

Simplicius in hoc displicet mihi, quod methodum definierit habitum speculatiuum esse: nam si vera sunt, quę supra diximus, quemadmodum profecto sunt omnium consensu verissima, non minorem locum habet methodus in contemplatiuæ philosophiæ parte, quam in actiuæ; quamobrem non video, quomodo magis speculatiuus habitus dici debeat methodus, quam actiuus: hoc diligenter aduertisse Galenum puto, cum pro omnium artium constitutione ex Platonis sententia nos vti methodo debere, admonuit: si in artibus constituendis Methodo vtimur, quomodo contemplatiuus erit habitus?

9. method. cap. 17.

Definitionum vitia.

Præterea cum duo sint definitionum vitia, alterum sane cum ea prætermittit, quæ sunt necessaria: alterum cum ea addit, quæ sunt superflua; vtrunq; vitium habere videtur mihi proposita Simplicii definitio. Primum, quia non est magis contẽplatiuus, quàm actiuus habitus. Secundo, quoniam multa cum ratione, id est, cum causa in scientiis docentur, quæ tamen methodo non cognoscuntur, neque sub methodum cadunt: qualis est cognitio principiorum, quæ solo intellectu, & sola terminorum cognitione omnibus sunt manifesta: sunt enim vt dicebat lucidissimus Themistius, tanquam fores ædium, quas nemo ignorat.

Cognitio principiorum & terminorum non indiget methodo.

à methodo secluditur quod caret difficultate.

Cognitio quinetiam terminorum fit cum ratione, & causa, non tamen est methodus, nec aliqua methodo cognoscuntur: id enim solum cadit sub methodum, quod obscuritatem habet, siue in contemplatione veri, siue in inuestigatione boni: quod vero manifestum est, omniq; difficultate caret, id à methodo secluditur.

Io. Grammatici definitio refellitur.

Multo autem rectius definiuisse videtur Ioannes Grammaticus; nisi quod is vniuersalem, ac nimis communem definitionem tradidit. Nam viam esse quandam ad omnes artes, scientiasque capessendas, non videtur proprium esse ipsius methodi: Grammatices enim facultas eiuscemodi etiam viam præbet, sine qua nullæ artes, & nullæ scientiæ acquiri possunt: quæ tamen omnium iudicio non est methodus.

Defenduntur autores Græci, contra rationes Donati Antonii ab Altom.

Propter has causas mihi non satisfaciunt definitiones propositæ: Nam quæ contra celeberrimos istos homines Donatus Antonius attulit, hæc certe nihil concludunt; cùm hoc in illis refellendum arbitretur, methodum non esse habitum; quod is tribus rationibus facit.

1. de partibus animalium cap. 1.

Prima quod Aristoteles libris de partibus animalium, duos esse habitus dicat, in omni contemplandi genere, omniq; tum nobiliori, tum ignobiliori docendi via, & ratione; quorum alterum scientiam rei nuncupat; alterum autem peritiam. At neutrum eorum methodum esse: at meo iudicio recte Altimarus conclusisset, si neque sub scientia, neque sub peritia methodos redigi posse ostendisset: nam sub vtroque habitu optime referri possunt, peritia quidem nũcupabitur, quoniam, qui methodum habent, iudicare per-

re perspicienter possunt, quidnam recte, aut non recte, ab eo, qui docet, exponitur, quippe qui & hominem omnino peritum talem esse existimemus, & peritiam ipsam non nisi facultatem huius officii esse statuamus. Quinetiam recte sub altero genere habitus comprehenditur primum, quia methodi sunt instrumenta ad omnes scientias capessundas, itaque cum sit via ad scientiam, poterit vocari scientia: haud secus quam philosophi generationem naturam vocarunt, non quod re ipsa sit natura; sed quia via sit ad naturam: atque hac etiam ratione non erit absurdum, si sub arte collocabitur.

Ex Arist. ibid. & Galeno 2. de sanitate tuenda, capite 4.

Quomodo habitus possit comprehendi sub scientia.

Deinde cum omnis methodus quædam sit intellectualis ratio, & habitudo, qua verum à falso, & bonum à malo, vt dixi, distinguuntur; hæc sub genere scientiæ comprehenduntur, quod nomen satis late patet, vt norunt optimi Dialectici.

Nomen scientia latissimè patet.

Addit secundo loco Altimarus, non posse Methodum habitum quendam esse, cum non sit tanquam actio habentis & habiti; neque dispositio, secundum quam bene, vel male disponitur. Dispositum autem secundum se, aut ad aliud; neque pars talis dispositionis, præter quos nullus alius datur modus sumendi habitum, vt scriptum est ab Aristotele.

Responsio ad secundam rationem Altimari.

Sed vide quæso vir bone ne hac ratione id supponas, quod tibi fuerat comprobandum, ne id principium assumas quod fuerat concludendum, quomodo enim probas nullam methodo conuenire significationem habitus? ego sane nihil eiuscemodi inuenio: dicamus ea propter methodum dispositionem quandam intellectus existere; quam qui habuerit, optime dispositus dicetur, ad inueniendam veritatem & bonitatem; & ad distinguendam falsitatem, & malitiam.

lib. 2. methodi cap. 19.

Tertio ostendit Methodum nullam esse ex iis habitibus, quos Aristoteles refert *libro 6. Ethic.* qui videlicet sunt: scientia, sapientia, intellectus, prudentia, & ars: Scientiam non esse is probat quia non est habitus demonstratiuus: artem vero, quia non est habitus factiuus: nos autem putamus sub vtrumque referri posse; tanquam sub suum finem: nam finis methodi, est artium, atque scientiarum constitutio; at instrumenta referuntur ad eam facultatem, cuius sunt instrumenta. Aristoteles autem *eo loco* scientiam definiens vnam assumpsit significationem pro exemplo reliquis prætermissis: nam non est omnis scientia habitus per demonstrationem acquisitus: Siquidem definitio scientia est, & perfectior demonstratione, vt Aristot. *libr. 7. primæ philosophiæ* docuit; non tamen discursu, & ratiocinio perficitur; sed ipso potius intellectu.

lib. 6. Ethicorum c. 4.

Finis methodi est artium & scientiarū constitutio.

Non omnis scientia est habitus per demonstrationem acquisitus.

Altimarus itaq; ea parte, qua Græcorum sententias refellit, nihil concludit: atque sane multo minus cum probat Methodum rationem non esse. Quoniam quamuis Aristoteles dicat, omnem rationem, esse definitionem, aut demonstrationem; is tamen eo loco rationis nomine cognitionem scientificam intellexit: hoc sensu; duplex est omnis cognitio, qua nos aliquid scimus, vna, qua scimus substãtiam, hæc vocatur definitio altera, qua scimus proprii accidentis inhærentiam cum suo subiecto, quę nuncupatur demonstratio. Ex his tamen non est concludendum, quod methodus non sit quæ dam ratio: hoc enim nomen latissime patet, vt patet apud eos, qui in Græcorum voluminibus exercitati sunt.

Defensio pro Io. Grammatico. 1. lib. de anima comment. 48.

Rationis vocabulum latu commune.

Cum vero idem probat ex Galeno, dum ait *qui si per experientiam inuenit, obseruatur, & empyricus est nominandus, si ratione & methodo; logicus methodicus, & dogmaticus.* Si methodus esset ratio, frustra addidisset, *ratione, & methodo*; sed hic Donatus errauit dupliciter, primo, quia vniuersalior est significatio rationis, quam methodi: & multæ sunt doctrinæ, quæ rationales dicuntur, vt Aphoristicæ, quæ ratione innituntur; non tamen sunt methodicæ: nulla enim methodo vsus est Hippocrates in aphorismis, vt alias declarauimus. Verum quoniam in inuentione remediorum non solum oportet vti ratione, sed etiam aliqua ex methodis, idcirco Galenus ait *ratione, & methodo.*

3. methodi med. cap. 8.

Multa doctrina rationales, quæ non sunt methodica.

Deinde si idem esse diceremus rationem, & methodum; non tamen recte concludit, frustra alterum ex his duobus vno sufficiente additum fuisse: sed si verum Donatus concludit, nonne idem est logicus dogmaticus, & methodicus? & si idem, cur hisce synonimis vsus est? in Galeno (inquam ego) non est obseruanda hæc verborum (vt sic dicam) religio; cum is facilioris doctrinæ gratia vtatur synonimis, & longissimis sermonibus aliter atque in Aristotele accidat.

libro 1. methodi c. 4.

Deinde cum addit, Methodum non esse rationem, quia methodus innititur ratione, vt Galenus testatur: Putamus vtrumque verum esse, tum rationem esse methodum, tum inniti ratione.

Quomodo methodus sit ratio, & rationi innititur.

Ratio quidem est, quoniam est quædam cognitio intellectus (hoc enim recte intelligi potest rationis vocabulo) ratione autem innititur, quia is, qui methodo vtitur, nihil sine ratione, id est, sine causa docet: atque hoc modo non video quomodo hæc constare non possint.

Gal. primo meth. c. 3.

Nullius præterea momenti est, quod is postremo loco ex Galeni verbis in confirmationem propositæ opinionis affert: nam Galenus nihil habet amplius; quam methodum non esse rationem probabilem *non methodo* (inquit) *non demonstratione, non ratione aliqua probabili, &c.* quod etiam nos citra controuersiam admittimus: qui putamus, methodum esse rationem quandam, id est, cognitionem intellectus.

Excusatio.

Cæterum nos hoc genere vsi non sumus in definienda methodo, quoniam nimis videbatur commune.

1. de medendis febribus parte 4. c. 30.

Sed his prætermissis videmus; quomodo Donatus Antonius Methodum definiat. Is ex variis Galeni locis hoc modo definit: *Methodus est vniuersalis quædam via rationabilis & ordinata ad inquirendum seu inueniendum id, quod quæritur.*

Displicet mihi hæc definitio propter duas causas.

Non omnis via est methodus.

Prima, quia multæ sunt viæ, quibus peruenimus in notitiam eius quod quæritur, quæ tamen non sunt methodi: vt inductio, exemplum, quibus multoties vtimur in scientiis, & artibus; huc pertinent etiam rationes probabiles, quæ in omni facultate sunt frequentissimæ: hæc omnium iudicio non sunt methodi: Quinetiam Grammatica vniuersalis, & rationalis est via, & ordinata, qua vtimur ad eius inuentionem, quod in ea quæritur, tamen ridiculum est dicere, Grammaticam esse methodum.

Omnis via ordinem habet.

Gal. lib. 4. meth. c. 4.

Deinde frustra is videtur addere. Methodum esse ordinatam viam: Si enim via est, vt is docet, habet etiam necessarium ordinem; quia in omni via adest principium, medium, & finis: adest prius, atque posterius: atque vbi hæc adsunt, adest ordo: frustra igitur eam particulam addidit: multo quidem rectius fecisset, si Galenum, vt solet, imitatus dixisset, esse viam quandam vniuersalem; quæ omnium particularium est communis: dico autem particularium, quæ sub proprio genere continentur: nam Galenus, cum vbique ostendisset, omnem methodum inniti ordine; dixit viam esse; quoniam omnis via ordinem habet.

Galeni definitio non satisfacit.

Hæc tamen definitio mihi non satisfacit, quoniam alienis conuenire videtur ab ipsa methodo: vt manifestum est ex iis, quæ supra clarissime docuimus.

Verum hoc non est vitio vertendum Galeno, quandoquidem is eo loco non agit de methodis ex proposito, sed quantum pertinent ad artem medendi: in libris de demonstratione multo diligentius hoc negotium explicasse verisimile est; qui maximo nostro incommodo vetustate perierunt: ad eam siquidem contemplationem proprie pertinere videtur ea, quæ de Methodis est.

Quota-

Quotuplex sit Methodus; quod vniuscuiusq; munus: quam proportionem inuicem habeant: cur quatuor, & non plures? expositus Galeni locus in arte Medica ab omnibus perperam intellectus.

Cap. III.

Postquam hoc loco definitionem Methodi diligenter sum persecutus; reliquum est, vt de numero methodorum agam. In qua re mihi non satisfacit Donatus Antonius; qui cũ pollicitus esset, velle sese docere quotuplex methodus sit ex Galeni sententia, is tamen in afferendo numero non mediocriter decipitur. Primum, quia methodos prætermittit nõnullas, quæ omnium iudicio præcipuæ sunt: Deinde vero, quia inter methodos admittit, quæ methodi non sunt.

Donati Antonii opinio reprobata de methodorum numero.

Prætermittit demonstrationem, quæ, vt omnes homines vno ore confirmarunt, vna est ex potissimis, atq; principalibus methodis: hac enim vere scimus, quicquid scimus: Quoniam scire (inquit philosophus) est rem per demonstrationem cognoscere; & scientia nihil est aliud, eiusdem testimonio, quam habitus per demonstrationem acquisitus.

Prima ratio.

1 post. 5. 6. Eth 4.

Fortasse autem, inquiet Donatus, demonstrationem esse methodum secundum philosophos; non tamen secundum Galenum: sed hoc verum est diuerticulum; nam Galenus passim demonstratiuæ methodi meminit: & ne omnes eius locos afferam, duo sufficient nobis, alter in *2. capite noni de placitis Hippocratis & Plat.* alter vero *libro de ordine propriorum librorum.*

Deinde Methodum definitiuam prætermittit, quæ etiam in scientiis & artibus omnibus constituendis maximum vsum affert. Testis est idem Galenus *in arte medica in præfatione; & primo, & secundo methodi medendi*, & *quarto de pulsuum differentiis*: Quinimo, vt rectius dicam, non solum definitio est methodus, sed sine ea etiam nulla scientia & ars potest constitui. Omnis enim tractatio (inquit M. Cicero) à definitione exordiri debet, vt intelligatur, quid sit id, de quo disputatur.

Secunda ratio.

Tertio ne verbum quidem fecit Methodi resolutiuæ, quæ in artibus constituendis maximas vtilitates affert: qua methodo vtuntur Mathematici, naturales Philosophi, Medici, omnesque artifices. Perpulchrum habes huiusce methodi exemplum apud Galenum *libro 11. methodi medendi*, quo loco is curandi febrem putridam methodum edocet; quod facit methodo resolutiua.

Tertia ratio.

Cum igitur hæ methodi sint, cur harum non meminit? cum æque pro scientiis, & artibus constituendis necessariæ sint? & fortasse magis vtiles existant compositiua methodo: quam nos rectius ordinem quendam, quam methodum vocabimus. Quandoquidem ego nullum vnquam ex omnibus autoribus inueni, qui compositionem inter methodos reponat, quæ res infra clarius patebit. Atq; hic secundus est Altimari error, quod is, dum vult methodorum numerum recensere, solius diuisionis, & compositionis meminit: & ex Platonis sententia Galeniq; artes constitui non posse tradit sine crebra exercitatione diuisionis & compositionis.

Compositionem non esse methodum.

Præterea, quod Donatus numerum methodorum ex Galeni sententia non expresserit, eius verba manifestum faciunt in arte medica: dum ait: *Tres sunt omnes doctrinæ, quæ ordini inhærent: Prima quidem ex notione finis, quæ per resolutionem fit: secunda ex compositione constat eorum quæ per resolutionem fuerunt inuenta: tertia ex definitionis dissolutione, cui nunc incumbimus.* Ex his patet, resolutionem & definitionem doctrinam esse, cui incumbendum sit aliquando pro constitutione artium, quod Galenus *in artis medicæ constitutione* obseruauit, vsus methodo definitiua.

Conf. ex Galeno.

In arte medica cap. 1.

Sed dubitaret hic aliquis, qua ratione diximus, compositionem non esse methodum, cum hic Galenus inter doctrinas eius mentionem faciat?

Compositio propter quid non sit methodus.

Hic ego inquam, doctrinæ nomine, quantum ad præsentem tractationem pertinet, duo audiri posse, primum, methodum ipsam, & modum do-

Aliud est doctrinæ modus, aliud ordo doctrinæ.

ctrinæ, secundum autem ordinem doctrinalem, quo in scientiis, & artibus vtimur.

Doctrinarum modi sunt quatuor: ordines tamen doctrinarum sunt solummodo tres, neq; maiori, neque minori numero clauduntur: quam rem parum obseruarunt omnes nostrates Medici, sed prętermissa hominis huius opinione de numero Methodorum sic statuendum est.

Methodi omnes sunt quatuor.

Methodi omnes, quibus pro artium, & scientiarum constitutione vtimur, quatuor sunt numero: Diuisiua, definitiua, demõstratiua: & resolutiua.

Diuisiua methodi munus.

Diuisionis interest propositum genus in proprias differentias diuidere; hæcq; distinguendi est ratio. Animal in id, quod ratione vtitur; & quod rationis expers est, diducitur, verum non sic: Animal aliud est homo: equus aliud, & aliud hoc quippiam: nam illos, qui res distribuunt hoc modo, coquis male frusta secantibus, & obsonia membratim non distinguentibus, id est rudibus, imperitisq; hominibus, ac physicæ rationis ignaris similes esse, diuinus Plato confirmauit.

Definitiuæ methodi proprium munus. Io. Alex. in 1. q. nat. cap. 12. Aristot. 7. meth. & 2. post. 2.

Proprium definitiuæ est, vnicuique rei propriam definitionem dare: Hæc proprie naturam & essentiam explicat substantiarum, ac potissimum specierum specialissimarum; constantq; ex proximo genere, & constitutiuis differentiis; quæ rei naturam absoluunt, & complent: inter omnes methodos hæc sola facit scientiam omnium perfectissimam, vt puta, quæ substantiæ & essentiæ rei cognitionem edoceat.

Demonstratiuæ methodi munus. Ex Arist. 1. post. Demõstratio Platonis de anima immortalitate.

Demonstratiuæ proprium est, ex propria natura aliquod per se alteri inhærere, ratiocinari; non ea ratione, qua oratores assolent, apud quos cum rei dubiæ fidem faciunt, autoritas plurimum valet: sed quemadmodum Plato præstanti vir ingenio, qui cum animam nullo mortis fato perimi vellet demonstrare, id ex animæ propria natura, ac vi confirmauit. *Anima (inquit) à se mouetur: quod à se mouetur, semper mouetur, quod semper mouetur immortale est: Anima igitur immortalis est.* ita fit, vt qui demonstrare voluerit, hunc morem teneat necesse est: etenim demonstrationes veræ ex definitionibus fiunt; definitiones rei vim, & naturam patefaciunt: Constat enim demonstrationes ex rerum sumi vi, atque natura, non autem assumi foris; præsertim cum exteriora non necessario rem ipsam consequantur.

Resolutiuæ methodi finis.

Munus resolutionis est, composita in simplicia, ex quorum compositione sunt facta, dissoluere, vt Grammatici quoque solent facere: qui orationem in nomen & verbum hæc in syllabas, has in elementa deducunt: at philosophi naturæ interpretes de rebus agentes hoc modo hominẽ resoluunt, puta, in caput, manus, & pedes: hæc in ossa, carnem, & neruos: eadem in quatuor elementa: hæc demum in materiam, & formam dispertiunt.

Ex quatuor methodis, quænam sit principalior methodus.

Est autem dubitatione dignum exponere, nunquid omnes principales existant, & an definitiuam, & demonstratiuam reliquæ duæ veluti causæ constituant; siquidem per has definitiones inueniri videmus: vel non ita se res habet; sed hæ potius tanquam ministræ illis subiciuntur, eisdem quodammodo subseruientes, ac rationi scientia comite, illam, quæ rebus aduenit, ab illis specificationem præparantes. Si enim tanquam illarum causæ hasce præcederent: ipsæ per se ipsas perfectionem, & non relationem ad illas haberent: at nunc intueri licet ipsas, ad illas respicere, ac non aliter, quam arte secandi, & qua metalla effodiuntur, fabris lignariis, atque aurificibus habilem illis materiam perficere; siquidem genera sunt definitionum materiæ, quæ cum sint indeterminatæ, assumens diuisio differentiis distinguit, atque idonea ad definitionum formationem operatur. Demum ita elaborata genera suscipiens, & conuenientem ei ordinem, & compositionem adiungens, definitiones instituit. Eodem modo resolutiua ab indiuiduis ad specialissima ascendit, atque ab his ad superiora genera, ac semper subiectis communia perquirit, quæ demum inuenta definitiuæ suppeditat: quæ deinde ipsa definitiua suscipiens, ac conuenienti ordine iungens, ex his quidem

Diuisiua & resolutiua methodus definitiuæ inseruiunt.

dem, quæ sunt communia singularibus speciebus, conficit definitionem.

Quare si quis diuisiuæ, ac resolutiuæ eum auferat vsum, quem definitionibus præstant, atq; ab illarum respectu seiungat, imperfecte, aut nihil, aut parum vtilitatis afferre videbitur: hæc igitur ita se habent.

Definitiua methodus per se perfectior est.

At definitiua ipsa per se ipsam perfecta, ac rerum explicat substantias, ipsasq; demonstratiuam constituit, cum illi medium suppeditat, & causam, sine qua demonstrationem fieri est impossibile, subministrat: omnem siquidem vim ab illa demonstratio nanciscitur. Igitur post definitiuam methodum demonstratiua secundo loco statuenda est: Reliquæ duæ harum ministræ ac famulæ existunt: sed principaliter quidem definitiuæ; per hanc autem mediam etiam demonstratiuæ.

Definitiua methodus demonstratiuæ praeponitur.

Non absque ratione autem definitiua demonstratiuæ præponitur: illa siquidem rerum substantias explicat: Hæc rebus ipsis assequentiá demonstrat. Sicut autem se habet substantia, ad illa, quæ ipsam consequuntur, ita definitiua ad demonstratiuam.

De methodorum sufficientia.

His hoc modo expositis, doceamus, cur communes doctrinarum viæ, ac rationes sint tantummodo quatuor; neq; maiori numero, neque minori comprehendantur. Vel igitur substantiarum certam quærimus habere scientiam, aut eorum, quæ ipsas substantias consequuntur, ad substantiarum cognitionem vtimur definitiua: ex his autem, q̃ quodquid est, manifestant, in consequẽtium venientes notionem, ad eorum probationem vtimur demonstratiua. Quia vero definitiuæ necessaria est materia, eandem diuisio, ac resolutio suppeditant. Nam cum definitiones sint specierum specialissimarum; aut subalternarum, aut à superioribus, aut ab inferioribus istas inquirimus; & cum à prioribus rimari placuerit, vtimur diuisione, sicuti cum à posterioribus, resolutione: adeo quod principales methodi vere scientificæ duæ tantummodo sint; definitiua, & demonstratiua: ad quas diriguntur. Diuisiua & Resolutiua.

Epilogus.

Hactenus itaque docuimus, quot sint methodi, quod proprium sit cuiuscunq; munus: quam proportionem inuicem habeant, cur quatuor sint, neq; plures, neq; pauciores: Nunc obiter adnotemus nonnulla de ipsa resolutione, quæ fuerunt omnibus recentioribus Medicis incognita.

Locus Galeni in arte medica narratus præter aliorum sententiam.
Recentiorum medicorum dissensiones.

Locus est Galeni *in arte medica statim in principio*, in quo is de ordine resolutiuo sic scribit: *Prima quidem à notione finis, qua per resolutionem fit*, & parum infra de eadem sic loquitur: *nemine tamen ante nos eam, qua oritur à notione finis, scripsisse comperimus, ex qua omnes artes via quadam, atq; ordine constituuntur*. Recentiores Medici putant aliquam vnam esse methodum, quam ipsi resolutiuam vocant, ex qua omnes artes constituuntur non alia quidem ratione moti, quam Galeni verbis, male tamen ac perperã intellectis, vt clarissime ostendemus. Hinc maximas quæstiones ediderunt, in quibus omnes latini expositores digladiantur, conanturq; singuli pro sua hæresi ostendere, quæ nam sit ea methodus communis omnibus artibus, qua duce omnes constituãtur.

Sed iam tempestiuum est docere, non vnam communem esse pro artium constitutione methodum, sed vt diximus quatuor existere.

Omnes artes ex notione finis quomodo.

Omnes itaq; methodi, quæcunque pro constituendis artibus adhibentur, ex finis notione originem trahunt. Nullæ enim artes finem suum demonstrant, sed hoc supposito ea perquirunt, quæ ad finem conducunt: neq; enim Medicus sanitatem demonstrat, neque orator persuasionem, sed his præsuppositis ille, quomodo induci, aut conseruari sanitas: hic vero docet, quomodo persuadere debeat: & sic fine præcognito omnes artes constituuntur; hocq; verum est pro ipsarum constitutione principium. Rem exemplis confirmemus. Si quis in animo habet domum constituere: is primum concipit finem suum, vt sese tueatur ab imbribus, æstibus, & ab aliis iniuriis ambientis aeris: hoc fine concepto statim progreditur ad ea, quæ faciunt, pro huius finis consecutione: nam non possumus defendi ab eiusce modi in-

Exemplum.

iuriis,

iuriis, nisi primum fiat tectum: tectum vero fieri nequit, non factis parietibus. parietes nequeunt constitui non factis fundamentis: & hęc, vt fiant, postulant effossionem terræ: atque sic finis adest ipsius resolutionis: à quo fine incipit actio, & compositio: quod enim vltimum locum in inuentione tenet, id sane primum locum habet in executione, & in actione. Habetur præterea exemplum huius constiturionis à fine præcognito apud Aristotelem *libr. 7. primæ philosophiæ*; vbi scribuntur hæc verba: *Fit autem sanum ita cogitante Medico: quoniam sanitas est tale quid, necesse est, si sanum futurum sit, vt hoc adsit, scilicet, æqualitas; & si hoc caliditas, & ita semper ratiocinatur donec reduxerit ad hoc, quod ipse efficere potest.*

Confutatio ex Aristotele.

Huius etiam procedendi ordinis à fine præcognito mentionem facit Simplicius *in libr. 2. physicæ auscultationis*, vbi Aristoteles conatur ostendere, quo pacto eodem fere modo in mathematicis & in his, quæ à natura fiant, inueniatur necessitas: Hæc sunt verba Simplicii locum illum exponentis. *Habere autem consecutio similitudinem, si quis finem tanquam natura primum considerauerit; quoniam & propter hunc, & materia est. Hoc autem & ipse Aristoteles confirmat ex artibus, quispiam enim statim ab initio concipiens vsum domus, atq; vtilitatem; atq; prius figuram animo fingens sic apponit materiam: est enim finis notio, principium speculationis, sed non actionis. Duplex enim principium; alterum speculationis, alterum actionis: & notio quidem finis est speculationis principium: quia egemus defensione; ideo & tectum facere oportet: igitur & parietes, & fundamenta; finis vero speculationis est principium actionis.* Idem Simplicius edocuit *in magnis commentariis in librum prædicamentorum*: idem Ammonius Hermeas *in eiusdem libri expositionibus*: & *in primo libri* [illegible] Ioannes Grammaticus, & Alexander Aphrodisæus *in primo libro priorum analyticorum*: atque, vt ego hic sexcentos locos prætermittam, Galenus noster, *in 10. libr. methodi medendi* rem diligenter prosequitur his verbis, *his igitur, qui febrem sanare conantur, necessarium est putredinem amouere; quare duæ fiunt indicationes; altera à febre; altera à putredine: vt quod quiddam febris factum iam est, curetur; quod vero iam fit, prohibeatur: sed rursus aliæ duæ indicationes subo iuntur: & iam factam putredinem auferre, & eam, quæ iam fit prohibere. Hæc autem quæ iam fit, causam habet carentiam transpirationis: quare, & ab hac duæ aliæ rursus erant indicationes: & quod iam retentum est euacuantibus, & quod futurum est, vt retineatur, prohibentibus: prohibebitur autem sanantibus nobis obstructionem: cuius & ipsius id, quod factum est sanantibus, quod vero futurum. prohibere oportet: sanabitur autem id, quod factum est, ab aperientibus, prohibetur vero futurum, si humorum influxum, qui obstructionem faciunt, coerceamus, quod igitur vltimum inuentum est, secundum methodum resolutiuam hoc primum facere oportet in curatione.*

Confutatio ex Simplicio.

Ex Ammonio.

Ex Io. Grammatico.

Ex Alex. Aphro. l.

Ex Galeno.

Method. medendi putredinem qualis Gal.

Epilogus.

Hactenus ego videor explicasse omnem artem, scientiamq; suam habere constitutionem à fine præcognito, siue, quod idem est, à notione finis: Nunc propius ad Galenum accedentes, sciendum est longe diuersum esse, aliquid docere secundum methodum resolutiuam (si veram hanc methodum intelligamus) & à notione finis secundum resolutionem artem constituere. Illud enim proprium est vnius methodi, & fit tripliciter: vel enim fit resolutio totius in partes, ex quibus componitur, quæ naturalis vocatur resolutio, vel syllogismum in propriam figuram resoluimus, quæ dicitur logica resolutio. Fit tertio resolutio quædam apud mathematicos; quando accipitur id, quod quęritur, tanquam concessum, atq; ab eodem progredimur; donec ad aliquid omnium opinione confessum perueniamus. ex quo postmodum propositum adstruitur. *Hoc autem commune est in omnibus artibus*, secundum quamcunq; methodum: siue quis demonstratiua, siue definitiua, siue resolutiua, siue diuisiua vtatur. Omnes enim proprium finem concipiunt; ac supposito fine, inquirunt ea, quæ ad illius finis consecutionem faciunt: Hic ordo procedendi abusiue poterit nuncupari methodus resolutiua: sed rectius nuncuparemus, (vt facit Galenus) doctrinam resolutiuam: quo nomine is non intelligit modum doctrinæ, aut methodum; sed ordinem; quem admo-

Quomodo procedamus per resolutiuam methodum.

Res à notione finis docere proprium est vniuscuiusq; artis nota.

admodum supra commonefecimus: deductumq; mihi nomen videtur à peregrinantibus, cum in propriam patriam reducuntur. Nam isti concepto fine, iter parantes ad illius consecutionem, resoluere dicuntur. Quando igitur Galenus inquit, doctrinam aliquam esse resolutiuam, quæ fit à notione finis de hac doctrina intelligit, quæ communis est in constituendis omnibus artibus: & proprie nűcupatur ordo resolutiuus: atq; rursus cum is paulo post inquit, *neminem tamen ante nos, eam, quæ oritur à notione finis, scripsisse comperimus; ex qua omnes artes via quadam, atq; ordine constituuntur.* Non intelligit vnam quandam esse communem methodum, quæ omnes artes constituat, vt perperam recentiores Latini asseruere, qui magnis quæstionibus, à quibus nequeunt extricari, quærunt, quæ sit ista communis methodus, pro constitutione omnium artium; cum alii demonstrationem esse propter quid, alii vero demonstrationem, quia, tradiderunt; sed magno vtriq; errore vt diximus: quoniam ordinem à notione finis eum esse admirabilis Galenus tradidit, à quo omnes artes constituuntur: & hoc sane merito: quoniam à fine vnumquodque specificari iustum est: potissimum quidem scientiæ à subiecto fine specificantur: vt idem autor optime *in libello, an ars tuendæ sanitatis pertineat ad medicinam, an ad gymnasticam*; demonstrauit: quod sane confirmatur; quia hoc relatiuum *qua* si regulas Grammaticæ artis insequimur, referri debet ad id, quod est proximius, vt ad notionem finis; non ad distantius: sed hæc satis circa propositum negotium.

Vnde nomen resolutionis deductum.

Galeni explicatio.

Scientiæ à fine specificantur.

Qua methodo, quo ordine in hisce nostris commentariis simus vsuri.

CAP. IV.



NVnc vero doceamus, qua methodo ex illis quatuor; quoue doctrinarum ordine, in hisce nostris lucubrationibus vsuri simus: hoc enim ad eorum, quæ nos posthac dicturi sumus, intelligentiam non mediocriter conducet.

Sciendum est itaque, nos duabus potissimum methodis vsuros: Definitiua, inquam, & diuisiua: illa quidem præcipue: secundo autem loco diuisiua. Ponemus enim primum definitionem eius, quod inquiritur; qua demum dissoluta in singulas partes, ex quibus constituitur; earum diligentem tractationem docebimus. Hac methodo vniuersam medicinam, veluti per quædam capita edocuit Galenus *in Artis medices volumine*; quemadmodum eius verba *in primo capite* testantur.

Vtendum methodo definitiua, & diuisiua.

Verum quoniam in medendi methodo satis non est cognouisse vniuersalia theoremata; nisi etiam ad particularia perueniamus; ad quæ, cum peruentum fuerit; nullus detur aditus ad vlteriora; propterea aliqua indigemus methodo, qua numerű horum particularium possimus consequi. Hæc via, & methodus est diuisio: quæ genera per differentias substantiales in suas proprias species discriminat: atq; has in alias; donec ad id fuerit peruentum, quod amplius diuidi non possit: Est autem hæc maximi vsus in omnibus artibus, atq; scientiis constituendis; veluti admonuit diuinus Plato; & post hunc admirabilis Galenus locis fere sexcentis exposuit: Nos igitur hisce potissimis methodis vtemur: Nam duæ reliquæ methodi exiguum, aut nullum vsum præstant: Demonstratio enim in artium constitutione nihil facit; quamuis plurimum possit ad scientias adipiscendas, imo sit demőstratio, vel primum scientiarum instrumentum; vel certe inter prima cőnumerandum. At Methodus resolutiua, (si hoc nomen proprie intelligatur) in proposita tractatione parum vtilitatis affert: quamuis, si ordinem resolutiuum intelligas, de quo nos parum infra dicemus, qui videlicet fit à notione finis, vt ex Galeno prædiximus, hæc primum locum tenet. Quamobrem duabus methodis vtemur; definitiua, & diuisiua.

In scientiis non esse in vniuersalibus standum.

Diuisionis præstantia in artium constitutione.

Ordine resolutiuo procedendum.

Quantum vero ad ordinem pertinet, eum insequemur, qui à notione finis exorditur: quam rem nunc exponemus.

Scopus ac finis totius tractationis propositus.

Nostri huius negotii propositum est, inuenire remedia, quibus singulas febres curare valeamus: Verum quoniam inueniri remedia non possunt, nisi prius curatiuas indicationes cognoscamus; de indicationibus primum agendum est: Cæterum indicationes originem habent à natura; & essentia rei illius, à qua profluunt; necessarium est volenti indicationes cognoscere, quod prius essentiam omnium particularium febrium, quarũ quæritur curatio, sciat; Cuiuscemodi autem essentiæ nequeunt percipi, non perceptis differentiis, atq; genere illarum; quoniam essentiæ ab his duobus principiis depédent. Anteaquam ergo definitiones particularium febrium prosequamur, inprimis docendum veniet, quæ sint differentiæ propositarũ febrium, quæue earundem genera: non solum proxima, sed etiam remota. Nam satis non est cognouisse, quod in hac febre (vt puta tertiana) humores putrescant; quodq; febris putrida dicatur, nisi primum notum fuerit nobis, quid febris fuerit putrida; & quoniam impossibilis est huius cognitio, nisi etiam cognouerimus, quid febris in vniuersali existat; propterea de his primum dicere oportet. Hic finis est ordinis resolutorii; à quo tandem ipsa compositio, & executio originem habet: id enim quod inuentu vltimum est, id profecto primum docendum venit.

Propositi finis resolutio.

Primum docendum est, quod vltimo loco inuentum est.

Primo igitur loco docebimus, quid sit febris: deinde quot sint differentiæ febrium, & quid earum singulæ; quæ omnium causæ, tam propriæ, quam communes. His omnibus addemus indicia, quibus singulæ febres cognoscantur; atq; postremo loco de indicationibus, & curatiua methodo loquemur. Quibus expositis, nihil amplius reliquum videbitur, quod pro totius operis suscepti absolutione facere videatur. Ad quem terminum, vt Deus optimus maximus nos deducat, etiam atq; etiam oro.

De communi notione febris; & de ratione huius vocabuli.

CAP. V.

Cicero primo officiorum libro.



HAnc itaque medendi methodum aggressuri primo loco doceamus, quid sit febris; Omnis enim, quæ cum ratione suscipitur de aliqua re disputatio, à definitione exordiri debet, vt intelligatur, quid sit id, de quo disputatur.

Duplex definitionum natura.

4. de pulsuũ differentiis cap. 2.

Quoniam vero definitionum duo sunt prima genera; alterum, quod plane rei notionem explicat, quam qui ponunt, nominis tantum notitiam habent; alterum est, quod rei naturam, & essentiam docet: Virtus est suæ cuiq; definitioni; illi, quæ notionem explicat, vt omnibus sit testata, qui eadem viuntur lingua; atq; rei essentiam nó declaret: huic vero, quod rei naturã & formam doceat, consentiatq; ei, quę notioné explicat, cum illa tamen eadem non sit: vtraq; aũt omnibus in confesso esse debet; alioquin principium minime diceretur: quod enim ab omnibus admittitur, id profecto principium statuendum est. Nos igitur definituri febrem, prius notionem febris explicabimus; postea illius naturam diligenter tradituri.

Communis notio, quã omnes de febre concipiunt.

Febris vnde dicta.

Licet aliqui à feritate morbi dictam velint, sed à feruore melius.

Nullam febrem frigidam esse.

Ergo quænam est communis illa notio, quam omnes de febre concipiunt? Eam videlicet existere feruidam quandam caliditatem, qualem ignis possidet. Talem namq; habere naturam videtur ipsa febris, quemadmodum Galenus docuit, qualem ignis habet. Quam rem cum animaduerteret diuinus Hippocrates, ardentissimam febrem ignis nomine nuncupauit: alii vero Græci scriptores πυρεξίαν, quasi dixeris, dispositionem quandam igneam, vocarunt. Latini vero febrem; ab ipsa efferuescentia: quod febris videatur, quædam totius corporis immoderata efferuescentia, & caliditas: Hæc est communis illa notio, quam omnes de febre concipiunt: & quæ omnibus in confesso est. Ex qua illud inprimis concludendum est; quod omnis febris calida quædam affectio: quodq; perperam nonnulli tradiderint febrem aliquam frigidam esse: id namque nulla ratione conuenit febri; nisi dicamus,

aliquan-

aliquando totum corpus febrientis hominis refrigerari; atque propterea velimus febrem aliquam esse frigidam; sed frustra sic concluditur; quandoquidem id non accidit ratione febris qua febris est, verum propter alias causas, quæ cum febre connectuntur: de quibus nos infra diligenter disseremus.

Deinde vero concludendum, nõ quemlibet calidum affectum febrem nuncupari, sed eum duntaxat, qui maxime calidus existat, quique proxime naturam ipsius ignis attingat. Non ea quidem ratione, quod sit vere ignis, sed potius, quoniam participat multo magis igneam, quam aeream caliditatem. Verum satis de communi notione febris, deque ratione vocabuli huius, hucusq; docuimus.

De aliorum erroribus in definienda febre.

Cap. VI.

Nunc vero febris definitionem, quæ veram illius essentiam explicet, doceamus: verum quia multi perperam febrem definiuere; anteaquam nos veram definitionem afferamus; docere primum constituimus, quid bene, & quid non bene ab aliis dicatur: Sic enim facilior patebit aditus, ad ea, quæ posthac à nobis dicentur.

Ergo circa definitionem febris tres inuenio præcipuas definitiones: prima est Auerrhois; altera Auicennæ, tertia Galeni.

Auerrhoes hoc modo definit. *Febris est calor compositus ex calore naturali, & extraneo misso à corde ad totum corpus, & lædit omnes actiones, & passiones.* Definit febrem calorem esse, quoniam re ipsa omnes conueniunt in hoc, quod febris in genere caloris contineatur; Siquidem calor est contentiua causa, vt suo loco enarrabimus vniuscuiusq; febris. *Auerrhois opinio lib. 3. colliget c. 3.*

Cæterum, compositum dixit, ex naturali, & extraneo, quoniam in febriente homine calor adest, qui concoquit humores, eosdem expellit; distribuit bonos, apponit, assimilat: quæ actiones nulla ratione fieri possunt, nisi à calore naturali: propterea in febre necessarium est calorem naturalem adesse: & hunc solum non esse, quia homo minime febricitaret, nec aliquando ex febre moreretur. Ex altera rursus parte, opus est extraneum calorem non adesse solum; cum propter eam rationem, quam diximus; tum etiam quia corpus febrientis, non esset absimile corporibus cadauerum, in quibus adest calor extraneus, sine aliqua permistione naturalis caloris. *Declaratio definitionis Auerrhois.*

Alia etiam ratione propositam definitionem confirmat: ea vero desumuntur à proximo, & vero subiecto febris, quod est cor: à quo effluit calor, qui omnes actiones membrorum omnium perficit, hæc autem cum lædantur, statuere oportet, eum calorem non esse solummodo naturalem (nunquam enim actiones impediuntur ab eo calore, qui est secundum naturam) sed compositũ, vt ipse inquit, ex naturali, & extraneo; hæc summa est Auerrhois opinio.

Verum hæc definitio mihi parum satisfacit, quandoquidem absurdum videatur asserere, febrem compositum calorem esse: quam rem hisce rationibus ostendimus. *Impugnatio pluribus rationibus opinionis Auerrhois.*

Primum supponere oportet ex omnium communi consensu, quod febris quidam sit morbus similarium partium; & ea ratione, qua morbus est, nihil aliud indicare, quam sui ablationem, & curationem adhibito cõtrario: hoc supposito concludendum est contra Auerrhoem, solum extraneum calorem esse morbum, & febrem; quia illi soli debetur curatio, & hunc solum Medicus desiderat expellere. Quoniam igitur ille calor est febris, & morbus, qui curationem postulat, & à Medico expellitur. Talis vero nõ est compositus; quoniam naturalem calorem conseruare semper nititur Medicus: relinquitur calorem præternaturalem esse febrem. *Prima ratio contra Auerrhoë.*

2. ratio. Præterea ille calor statuendus est continere febris essentiam, qui actiones lædit: quia naturalis est ille, qui actiones custodit, & perficit. At is calor, qui actiones lædit, est calor præternaturalis, & (vt loquar cum Auerrhoe) extraneus: is igitur solus est febris.

Actionum læsio conuenit ei, quod est præter naturam. Neq; affirmare possumus, ex composito actiones lædi: quoniam actionum læsio per se conuenit ei, quod est præter naturam: ex accidēti aūt composito: verum quod inest alteri secundum accidens, id ingredi nō debet definitionem, in qua solum ingrediuntur ea, quæ per se prædicantur. Sic itaq; insternus. Actionum læsio vel ad calorem naturalem tāquam ad causam refertur; quod est omnino impossibile, eiusdem etiam Auerrhois testimonio: vel refertur ad solum calorem præternaturalem, quod nos admittimus: vel ad compositum, vt inquit commentator: sed hoc absurdum est; quoniam causa

Effectus præternaturā causa est præter naturam. eius, quod est præter naturam, vt est actionum læsio, est omnino præter naturam: deinde vero opus est causam remouere, ergo nobis curantibus febrem, necessarium esset auferre calorē naturalem & præternaturalem simul: quod, quid aliud esset, quam simul cum morbo, auferre etiam & vitam ipsam.

Tertia ratio contra Auerrhoë. Amplius, si febris est calor compositus ex vtroque, igitur actiones, quæ adueniunt in febricitante corpore, quatenus febricitat, ad vtrumque referri debent: quamobrem omnium operationum, & passionum læsio (vt idem ait) ad compositum illum calorem referretur, quod est absurdum: quoniam

Permixtarum causarum actiones permixtæ sunt. permixtarum causarum actiones sunt permixtæ, partim videlicet, vnius, partim alterius causæ naturam referentes: sed actionum læsio nulla ex parte naturam comitatur caloris naturalis, sed est totus calor præter naturam; qui eas facit. Naturalis caloris munus est vitam tueri, & actiones perficere: illius lædere, & vitam perimere. Cur itaque sola actionum læsio in definitione febris ponitur? Necessarium quidem esset ponere etiam actionum conseruationem; vt definitio suo generi corresponderet, & esset bona definitio.

4. ratio. Similis est ratio de affectionibus frigidis, atque calidis; supponatur hominem nunc sanum, spatio tamen, vt puta, mensis vnius, in frigidum affectum incidere, hæc frigiditas addita actiones lædens morbus erit: cuius signum esset, quod scopus Medici esset, eam solam frigiditatem remouere: & præexistentem calorem conseruare: Nullus equidem in proposita casus historia diceret, morbum esse frigiditatem illam simul cum caliditate naturali, quæ prius existebat in eo corpore. Ex his, aliisque plurimis, quæ breuitatis studio prætermittuntur, patet Auerrhois opinionem falsam esse.

Epilogus. Neq; etiam illius rationes, quicquam concludunt: nam etsi in febricitantibus appareat actio vtriusq; caloris: non est propterea affirmandum febrem esse compositū calorem: nos.n. admittentes vtrumq; calorem in febriente corpore, eum, qui præter naturam est, febris essentiam, & substantiam, vt Galenus ait, continere arbitramur: veluti posthac copiosius docebimus.

Opinio Auicennæ libro 4. fen prima. Auicenna sic febrem definit. *Febris est calor extraneus accensus in corde, & transmissus ab eo mediante spiritu, & sanguine per venas, & arterias in vniuersum corpus; & inflammatur in eo inflammatione, quæ nocet operationibus naturalibus, non sicut caliditas iræ, & laboris, cum non vltimatur: & impedit operationes, ita vt retineantur,* hæc ille.

Impugnatur opinio huius pluribus rationibus. Prima ratio contra Auicennā ex lo. Fernelio lib. 4. par. c. 2. Quamuis hæc definitio inter omnes, quæ ab antiquiorib. traditæ sunt, omnium iudicio primas partes teneat: nonnulla tamen continet, quæ mihi parum satisfaciunt. Atque horum primum est, quod dixerit febrem esse calorem accensum in corde: quod semper habere veritatem non potest: nam febres primariæ, & cōtinentes fortasse habent calorem igneum accensum in corde: quæ vero primariæ nō sunt, vt intermittentes, & ex visceris alicuius obstructione, siue duris tumoribus obortæ, hæ non habent calorem accensum in corde, sed in aliis partibus accensus calor, in illisq; tanquam in

proprio

proprio fomite locatus, cordi communicetur; à quo demum facta per vniuersum corpus translatione hominem febricitare contingit.

Duplex vitium in definitione propositum ab Auicenna.

Deinde cum duo sunt vitia definitionum, vt prænotauimus, alterum cum plus ponat, quam definitum contineat, vel id contineat, quod falsum est: alterum cum id prætermittit, quod est necessarium: vtrumq; vitium habere videtur mihi proposita definitio, nam primum superflua est definitio in iis verbis, in quibus ait, *& inflammatur inflammatione, quæ nocet operationibus naturalibus*, vsq; ad finem. Actionum enim læsio in febris definitione afferri non debet, cum sit communis quidam effectus morbi, quatenus morbus est: quæ vero communia sunt, nulla ratione ingredi definitionem debent: nam definitiones, quæ vere sunt tales, constant ex prædicatis proptiis, & primis, quæ sunt secundũ quod ipsum, vt Aristoteles tradidit.

Præterea supetflua est, quoniam definitio est oratio quædam breuis explicans rei essentiam & naturam: frustra enim per plura fieret, quod potest fieri per pauciora, & æque bene; vt concludit philosophus in topicis: Hæc autem definitio nimis videtur mihi longa; cum potuisset per breuiores particulas definiri.

Non semper calor febrilis transmittitur per totũ corpus. In quibus febribus calor nunquã transmittatur per totum corpus.

Alterum etiam vitium continet, quia non est semper verum, quod calor febrilis transmittatur per totum corpus; quamuis hoc secundum plurimum accidat; quandoquidem nonnullæ sunt species febrium, in quibus nunquam calor transmittitur per vniuersum corpus, vt sunt febres lypiriæ, & malignæ: in quibus interiores partes vruntur, exteriores vero admodum frigescunt: Debet autem definitio æqualiter conuenire omnibus speciebus, neq; vni magis, quam alteri: non enim vniuoce definitio definitis; sed vel æquiuoce, vel analogice prædicaretur; quod admodum absurdum est: species quidem febris est leipyria, huic nunquam conuenit ea pars definitionis; sequitur igitur alterum ex his duobus; primum, quod definitio sit falsa: vel quod febris leipyria non sit febris.

Dubitationis solutio ex Auicenna.

Dubitationem vidit Auicennas, qui tamen perperam satisfacit: afferamus hic eius verba: quæ sic habent: *& habet aliquis, vt dicat, quomodo erit febris, & non procedit in ea caliditas ex corde in totum corpus: illud namq; quod narratur, est de genere eius, in quo non procedit caliditas ex corde in totum corpus: Responsio itaq; est, quod in terminis harum rerum attendatur vna conditio, vt non sit, quod prohibeat: sicut definimus aquam frigidam, & humidam, quando disposita est secundum naturam suam, & non fuerit, quod prohibeat: & definimus graue, quod est illud, quod tendit inferius, quando demissum fuerit cum natura sua: & in omnibus istis caliditas peruenit ad cor, & procedit in arterias, & spargitur: at vero accidit prohibitio illius in quibusdam locis, sicut accidit ei, super quem ponuntur pruinæ, nocumentum vero harum necessarium est esse actu.* Ex his Auicennæ verbis colligere est, definitionem positam indicare aptitudinem, non actum. & cum inquit; *Spargitur calor per totum corpus*, intelligendum est habere aptitudinem, & potentiam, vt per totum corpus transmittatur: quæ tamen aptitudo ad actum deducitur, nisi aliquod impedierit.

Impugnatio solutionis ab Auicenna posita.

Sed certe hæc opinio constare non potest. Quoniam cui essentialiter repugnat aliquis actus; eidem essentialiter repugnat aptitudo ad illũ actum: Verum leipytię febri essentialiter repugnat actualis calefactio extremorum: ergo eidem repugnat aptitudo ad eiuscemodi calefactionem.

Præterea febri leipyriæ inest essentialiter actus refrigerationis, extremarum partium, & aptitudo ad eam: ergo eidem repugnat actus calefactionis earundem partium, & aptitudo ad eam calefactionem sibi contrariam: nam si res aliter haberet, sequeretur duo contradictoria simul verificari de eadem subiecta re: Quamobtem falsum est, quod talem aptitudinẽ habeat.

Amplius hæc aptitudo, quam in definienda febre intelligit Auicennas, vel est naturalis aptitudo: vel logica. Si naturalis, igitur aliquando reducetur ad actum: sed nunquam in febre leipyria calot per vniuersum cor-

pus actu distribuitur, vt manifestum posthac à nobis fiet. Verum si hoc intelligendum veniet de potentia logica; dicamus primum vanam, & frustratoriam esse illam potentiam, quæ non deducitur ad actum.

Rationum ex Auicennæ exemplis confirmatio.

Deinde vero exempla, quæ ab Auicenna proferuntur, in explicationem suæ sententiæ non concludere de potentia logica, sed de naturali: Aqua enim semper frigida est & humida, quia talem potentiam habet: & si aliquando incalescat, potest ad suam naturam redire, & propriam refrigerationem acquirere; sic etiam de graui, cuius exemplum similiter affert, dicendum est: verum in proposito casu, nunquam ad actum potest deduci caliditas per vniuersum corpus. Quamobrem concludendum est, exempla quibus is vtitur, nihil prorsus facere; quinimo totum contrarium concludere.

Gal. lib. 6. epidemiorũ sect. 1. com. 29.

Quod itaq; Auicennas in febris definitione inquit, calorem febrilem per vniuersum corpus distribui, id quamuis veritatem vt in pluribus habeat; nihilominus semper verum non est. Quam rem vt in præsentiarum omittam, recte videtur mihi confirmasse Galenus noster *in libro sexto de morbis vulgaribus*. cum ait: *essentia vero febrium est, non secundum Hippocratem modo, atq; præclarissimos Medicos, sed etiam secundum communem omnium hominum consensum præter naturam caliditas, maxime quidem in totum corpus effusa, sin minus, at omnino, vel in plurimis partibus, vel in nobilioribus accensa. sæpius namq; vniuersa cutis, nullam euidentem præter naturam caliditatem, neq; nobis exterius tangentibus, neq; ipsis laborantibus præ se ferre videtur: sed in profundo corpore ipsi ægrotantes sentiunt; visceraq; sibi incendio flagrare aiunt: nonnulli præterea, & fastidio afficiuntur; & siticulosi sunt, atq; peruigiles.*

Colligendum est ex his Galeni verbis, non oportere febrilem caliditatem per vniuersum corpus distributam esse; sed vel in maximis, & principalibus partibus contineri; vel certe per totum corpus distribui: quæ Auicennæ definitionem funditus diruunt.

Opinio Galeni.

Verum quia satis de Auicenna diximus; nunc breuiter doceamus, quid de admirabili Galeno sentiendum putemus. Is igitur *primo aphorismorum* sic definit;

com. aph. 14. & 16. primi libri.

Febris est conuersio natiuæ caliditatis ad igneam. & *primo libro de ratione victus in morbis acutis* inquit.

com. 18.

Febris vero ortus est, conuersio natiui caloris ad igneum. In *libro* autem *secundo de causis morborum* aliter definit hisce verbis; *quod si in totum extenditur corpus calor, tunc eiuscemodi affectus febris nuncupatur: quæ est veluti quædam totius corporis immoderata caliditas.* & *in libro methodi medendi* ait; *Sane vnusquisq; morborum est, quot intemperies creat, & febris vtiq; cum adeo immodice auctus est calor, vt & hominem offendat, & actionem lædat: quando si neutrum adhuc efficiat, quantumuis sit homo nunc, quam ante calidior, nondum tamen eum febricitare monstrauimus.* At *in libro de medicis definitionibus* aliter definit, cum videlicet ait;

cap. 2.

lib. 8. meth. med. cap. 1.

Febris est innati caloris declinatio ad statum, qui præter naturam fit. & aliam definitionem addit his verbis; *vel febris est cordis, arteriarumq; caliditas præter naturam vitalem firmitatem lædens.* & in alio opere:

8. meth. med.

Febris natura communis est, vt sit calor adeo auctus, vt eius occasione corpus laboret, nec probe perfungi actionibus possit. tot definitiones ex Galeno colliguntur.

Impugnatio definitionum Galeni.

Modus generationis, & essentia plurimum differunt.

Verum, si libere (pro nostra consuetudine) scribendum est, quicquid sentimus, non posse nos propositas definitiones laudare, affirmabimus: nam ea, quæ is dicit, febrem esse conuersionem natiuæ caliditatis ad igneam; non videtur mihi naturam; & essentiam febris docere: quoniam non est febris ipsa conuersio, sed potius modus, quo febris generatur; quemadmodum idem seipsum exponens ait *in primo libro de ratione victus*; cuius verba paulo supra retulimus: plurimum autem differt modus generationis, & essentia: hæc enim post generationem resultat; illa vero semper essentiam præcedit;

cum

cum sit quædam via ad formam, & naturam, vt philosophus docuit.

Deinde vero alia ratione febris essentiam non continet: quia non omnis calor, qui in igneam qualitatem permutatur, est febris; sed is duntaxat, qui è corde per vniuersum corpus distribuitur, aut certe in maximis, & principalibus partibus continetur, vt supra ex Galeno commonefecimus.

Aliæ vero definitiones easdem pati videntur difficultates, quas proposita patitur Auicennæ definitio: non enim satis est pro constituenda febris essentia, calorem naturalem nimium adauctum esse; aut calorem præter naturā per vniuersum corpus distribui: & actiones lædere: sed alia etiam quamplurima desiderantur, de quibus nos infra sigillatim dicemus.

Verum hoc loco animaduertere oportet, quod quamuis propositæ definitiones Galeni mihi parum satisfaciant, non esse tamen Galenum ipsum reprehensione dignum: quandoquidem vbique locorum, in quibus febres definit, id quidem facit aliud agens; & fere extra propositum illius negotii quod is primum intendebat: vt facile videre est in definitionibus, quas supra attulimus: propter quam causam mirum non est, si is accuratam, omnibusque numeris absolutam definitionem febris non tradiderit: quam certe vir admirabilis si huic præcipuum scopum habuisset, perfectissime tradidisset: quæ etiam causa fuit: quod multi ex recentioribus Medicis cum in Galeno tantam varietatem respicerent, putauerint Galenum sibi ipsi aduersari, neq; suis principiis respondere: sed quanto errore id putent, alibi copiosius demonstrabimus.

Galenus excusatur.

Cæterum nunc tempestiuum esset finem dicendi facere, nisi nos Donatus Antonius remoraretur: Cuius opinio, cum extra aliorum sententiam videatur, postulat, vt hoc loco à nobis diligenter excutiatur. Is itaq; putat definitiones horum hominum optimas esse; atque inter sese nihil differre: secus atque alii omnes hactenus putarint: Galenum quidem dixisse febrem esse mutationem natiuæ caliditatis ad igneam; qua permutatione is amplius naturalis non est, sed præter naturam fit: hoc autem non dicitur ab eo, quod Galenus alibi dixerit, febris essentiam, & substantiam contineri in calore præter naturam; & aliquando hunc calorem acquisititium vocauit, & aliquando non naturalem.

Opinio Donati Antonii.

1. de febr. diff. cap. 1. & 2. quid. fol. 4. & 10.

Qua ratione putat, neque etiam reprobandam esse definitionem Auicennæ, qua dicit, febrem esse calorem extraneum; quoniam febrilis calor naturali comparatus à natura alienus est.

Deinde vero putat admittendam insuper Auerrhois definitionem esse, qui voluit febrem esse calorem compositum ex calore naturali; & extraneo putredinali. Cum enim conuentio sit naturalis caliditatis ad igneam ex Galeni sententia: hac conuersione, neque omnino naturalis, neq; præter naturam in vniuersum calor existit: sed ex vtrisque quodammodo compositus; in via & mutatione existens; & non in termino, & propterea de vtroque participans. Hæc summa est opinionis Donati Antonii.

Verum quantum pertinet ad opinionem Galeni, & Auicennæ, quia supra satis multa diximus; hisce prætermissis; ostendemus Auerrhois definitionem nunquam conuenire cum principiis Galeni, quemadmodum Donatus arbitratur.

Impugnatur opinio Donati Antonii.

Primum itaq; Galenus *libro sexto de popularibus morbis* asseruit, totam essentiam & naturam febris consistere in calore præternaturali: quod etiam *in primo de febr. differentiis* edocuit. Quamobrem si essentia est calor præter naturam, sequitur non esse calorem compositum ex naturali, & extraneo.

Com. 29.

Deinde si verum esset, quod ait commentator, nō esset vera Galeni expositio *in 4. lib. aphorismorum*, dum causam explicat huius aphorismi. *Frigidi sudores cum acuta quidem febre mortem, cum mitiori autem longitudinē morbi significant.* Nam idcirco in acutis febribus sudores frigidos aduenire significauit; quia

Aph. 37.

 calor

calor naturalis aut extinguitur omnino: aut proximus est extinctioni: quo tempore caliditas febrilis est vehementissima: sed quomodo febrilis caliditas potest vehemens existere, & naturalis extincta; si febris est calor comparatus ex naturali & extraneo? Oportet enim esse, vtramq; caliditatem vehementem: aut si vtraque non est vehemens, opus est, febrem esse calorem præternaturalem solum; vt Galenus sexcentis in locis admonuit.

Amplius duos calores in febricitantibus adesse, alterum secundum naturam habens, in spiritu sanguineaq; substantia residens; quod halituosum, & suaue est: alterum vero acre & mordax, & igneũ: cuius natura febris est, ex Hippocratis sententia passim demonstrauit: & nos infra copiosiori sermone prosequemur: hæc si vera sunt, vt putantur, sequitur omnino febrilem caliditatem non esse compositam ex vtraque caliditate, tam scilicet naturali, quam extranea: quia calor non esset mordax, non igneus; sed modo quodam medio sese haberet: quod apud Galenum nunquam reperiri potest.

1. de nat. hum. c. 38.

Postremo, sequeretur, quod accidentia, quę febrientibus, quatenus febricitant, fierent à composito calore, tanquam ab essentiali causa: quod sane adeo est absurdum, vt fere nihil magis.

Donati rationes reprobata.

Quod autem Donatus inquit, idcirco febrem esse calorem compositum: quia febris est conuersio natiuæ caliditatis ad igneam: qua conuersione non est omnino naturalis, nec omnino præter naturam, est meo quidem iudicio, ridiculum: Nam calor naturalis in quadam consistit mediocritate, citra quam si paululum fiat progressus, is calor amplius naturalis dicẽdus non est; sed totus præter naturam; tum quia, vt iam diximus, calor naturalis in mediocritate consistit; ille vero mediocritatem iam egressus est: tum secundo, quia iustum est vnum quodq; à fine denominari, vt Aristoteles docuit: finis autem huius conuersionis est calor præter naturam; ab hoc igitur fieri debet denominatio: & non à termino, à quo incipit eiusce modi conuersio.

Error Latinorum interpretum Galeni.

Hic autem obiter animaduertito, errorem latinorum interpretũ, qui dixerunt, febrem esse calorem mutatum in igneum: nam re ipsa non est calor in igneum mutatus; sed est permutatio ipsa, & conuersio natiuæ caliditatis ad qualitatem igneam, alioquin esset ignis, & ignis actiones faceret. Sed hæc hactenus.

Quid sit Febris. CAP. VII.

Ex quo principio sit deducenda definitio febris.

EX eo communi principio, quod omnes homines admittunt, quodq; nos supra, dum tradebamus notionem febris, profecuti sumus, facile deducitur febris essentia & natura. Hoc enim omnes concipiunt, contineri febrem sub caloris genere, & febrem esse quandam excedentis caliditatis speciem: quoniam caliditatis hæc quiddam habet secundum naturã, hæc vero præter naturam: in hoc postremo genere continetur febris.

Verba Galeni 1. epidem. sect. 4. c. 30.

Calor præternaturalis, quomodo à naturali differat.

Est itaque febris substantia calor præter naturam: Hic calor qualitas est elementaria, non simplex, aut impermista: qualis in solis elementis repetitur, sed ex contrariis composita, sic tamen, vt extremi naturam proxime attingat; igneaque dicatur qualitas, quod propter caliditatis excessum ignis naturam referat: in qua re (vt alias differentias prætermittam, quæ alio loco diligentissime explicabuntur) à naturali calore differre potissimum videtur: qui, aut vere temperata est qualitas, aut certe parum ab æquali temperie deflectens, non ignis, sed aeris potius, & aquæ naturam refert, vt ex Galeni monumentis infra docebimus.

2. aph. c. 14.

Proximum genus febris.

Quamobrem proximum genus febris est calor præter naturam.

Verum quia rerum essentiæ, & naturæ nõ constant ex solo genere proximo: sed etiam formas exigunt, quarum causa ab aliis distinguantur, vt perfectam

fectam febris definitionem afferamus, specificam febris differentiam, veramq; formam perquiramus. Hoc autem sit inuẽtionis huiusce nostræ principium, quod etiam omnes homines confitentur, in febricitãtibus calorem igneũ, vel per vniuersum corpus effusum esse; vel certe in plurimis aut principalioribus partibus contineri: ita quidem omnes obseruãt, cum febris adest, vel in se ipsis, vel in aliis, & hac de causa Medicos pro curatione vocãt, quando scilicet immoderatam caliditatem aut in toto corpore, aut in plurimis, & nobilioribus partibus senserint. Ex hoc principio concludendum est, febrem nullam fieri posse, corde ipso non affecto: quoniã transmitti calor febrilis sine illius affectione breuissimo tẽporis momento per vniuersũ corpus non potest. Omnes enim actiones, quemadmodum posthac docebimus, cũ à febre lædantur, tam videlicet animales, quam vitales, & naturales, necessarium est illam partẽ læsam esse, sine cuius sanitate actiones illæ fieri non possunt. Omnes quidem à calore perfectionem adipiscuntur, & absq; calore nõ fiunt; quia vero duplex est calor, alter insitus in singulis partibus: alter vero influens: ille ceu materia existens: hic tanquã actus; qui è corde proficiscens motu suo perenni (semper enim est mobilis ab intrinseco principio) omnes actiones perficit: cum insitus ille calor haudquaquam possit, sine influente ad actum deduci. Itaque si omnes in febriente actiones læduntur, oportet in eo principio affectionem adesse, quod causa est, vt omnes recte fiant: hoc principium est cor, ex quo influens calor emanat, & proficiscitur.

Nulla febris fieri potest non affecto corde.

Calor duplex.

Deinde vero cum ipsa experientia constet, caliditatem febrilem affatim, ab breuissimo temporis momento per vniuersum corpus distribui, necessarium est in aliquo subiecto residere illam, quod celerrime totum corpus peruadat: nihil autem aptius excogitari potuit calore influente, qui celeritate maxima totum corpus peruadit, quod equidem fieri tanta celeritate, vel ab hepate, vel cerebro, vel alia quauis parte non potest: Quamobrem febrilis calor è corde, tanquam è subiecto cum influente calido, & spiritibus proficiscitur: hæcq; altera est febris constitutiua differẽtia: nam in accidentium definitione, subiectum pro differentia ponitur.

Ex his, quæ nos hucusq; diximus, febrem in hunc modum definiri posse arbitramur. FEBRIS EST CALOR PRÆTER NATVRAM *è corde in vniuersum corpus effusus, vel in principalioribus partibus contentus.* Genus quidem est *calor præter naturam*, differentia autem & forma febris, quod sit calor *præter naturam cordis*, quodq; effundatur in vniuersum corpus, vel in plurimis, & principalioribus partibus detineatur: vt plurimum quidem contingit per vniuersum corpus febrilem caliditatem distribui; quod aliquando animaduertens Galenus, febrem nuncupauit calorem in toto corpore nimium adauctum. Aliquando autem, vt omnes sub suo genere particulares febres complecteretur reliquam particulam addidit.

Prima definitio febris quæ.

6. method.

6. epid. sect. 1. c. 29.

Verum si perfectiorem definitionem desideras, quæ videlicet vno, & eodem examine non solum quid res sit, sed etiam propter quam causam sit, explicet: quales definitiones omnibus numeris absolutæ sunt, & sola positione à demonstratione diuersas esse Aristot. tradidit, in hunc modũ definito. FEBRIS EST CALIDA ET SICCA *intemperies cordis, ob calorem extraneum è corde in vniuersum corpus effusum, aut in præcipuis partibus contentum.* Siquidem febris morbus est quidam similarium partium in calida intemperie consistens non quidem simplici; sed cum siccitate connexa, si enim talem naturam, qualem ignis, habere videtur, febris calida, & sicca erit passio, igni videlicet proportione correspondens: nam quemadmodũ ignis primo calidus, demum vero siccus dicitur: sic febris quamuis calidus, & siccus morbus sit, primo tamen calidus, secundo autem siccus est: nam ei propius accedit calor, quam siccitas. Hinc victus omnibus febricitantibus, qua tamen febricitant, frigidus, & humidus competit: frigidus tamen magis quam humidus. Omnis

lib. 1. post. 1. 2. & 2. post. 10. Gal. 2. method. ... de ratio. vict. ... 4. aph. ... Arist. ... Hippocr. aphor. ... Gal. ... meth.

igitur febris passio est non solum calida, sed etiam sicca. Si autem cum febre aliquando humiditas connectitur, non est id de ratione febris, quatenus febris est; verum ex humoris conditione, in quo ille præternaturalis calor pabulatur, vt suo loco declarabimus, proficiscitur: hæc est forma febris, & quidditas.

Quæ febris quidditas & causa contineatur. Lipyriæ febres malignæ.

Causa vero, propter quã fit, est calor ille igneus: hic.n. totam essentiam & substantiam febris continet: satis est autem pro illius essentia, q. per vniuersum corpus è corde distribuatur; aut certe in nobilissimis, & præcipuis partibus contineatur: sunt enim continuæ quædam febres lipyriæ, seu valde malignæ dictæ, in quibus fortis quædam partium extremarum refrigeratio semper aduenit ob maximam inflammationẽ in ipsis visceribus ortam.

Quod duplex calor in nobis consistat; quotue modis inuicem differant, ex Galeni monumentis?

CAP. IIX.

Galeni defensio.

HIc vero pro eorum, quæ supra diximus, confirmatione, docendum est, quot in nobis calores consistant; & sub quo, tanquam sub suo genere febris ipsa contineatur: Deinde vero quomodo hi calores differant? in quibus explicandis nos Galenum interpretantes, quem perperam intellexerunt recentiores Medici, nonnulla explicabimus præter communem aliorum fere omnium sententiam.

Quid per calorem intelligamus. Non est idem Calor, & Calidum.

Illud itaq; inprimis dicamus, febrem calorem esse; qua voce nos intelligimus qualitatem & accidens, non substantiam; est enim febris accidentaria quædam forma. Diuersas namq; significationes habent calor; & calidum; siue calor naturalis, & calidum innatum; illius siquidem nomine nihil aliud audimus, quam substantiam calidam; quam Galenus aliquando aeream & aqueam esse tradidit; essen namq; in sanguine, sanguineisq; visceribus repositam habere: Huius autem vocabuli, qualitatem, & accidens intelligimus.

Duplex calidum in humano corpore inuenitur.

6. epid. sect. 4. t. 21.

Igitur hoc supposito, quod nullam difficultatem habet; animaduertendum est in humano corpore duplex calidum reperiri: quorum alterum natiuum, & innatum, & naturale: alterum autem acquisititium, non naturale, & præter naturam nuncupatur; Rem hoc modo habere Hippocratis primum, & Galeni testimonio demonstremus. Hæc habet Galenus *libro sexto de popularibus morbis; quod geminum in animalium corpore calidum agnouit Hippocrates: alterum quidem, quod ipse ingenitum vocat essentiam in sanguine, sanguineisq; visceribus repositam habens: alterum vero acre, mordax, & igneum, sub quo genere & febris est in multis quidem ipsius voluminibus declaratum fuit.* Et parũ infra addit: *At Hippocraticos viros saltem non decebat Hippocratis decreta improbare; ea perinde interpretantes, ac si vnum genere calor in animalibus existeret.* & in alio opere sic ait; *alioquin febricitantes dicere*

Gal. aph. 14.

mus plurimum habere calorem innatum: qui nedum plus, neq; priori habent æqualem: Bene enim temperata est caloris innati substantia: Ignea aũt aduentitii: & qui caloris aduentitii sunt per totum corpus efflauxus; fumei, fuliginosi, aridiq;, & acres: Contra vaporosi, suaues, & bene temperati caloris natiui: & tu hæc potes tactu discernere. Nam sanorum calor vaporosus est, atq; suauis ex tactu conueniens; nihil triste, nihil asperum, nihil mordax præ se ferens: earum non qui febricitant, & præcipue hecticas febres, aut eas, quæ ex putredine humorum ortum habent, acris est, & insuauis, ac mordax. & nostrum corrodens tactum. De vtroq; calore sic locutus est Hippocrates; de naturali. *qui crescunt, plurimũ habent calidi innati.* & in altero aphorismo. *ventres hyeme, & vere calidissimi sunt,* & de extraneo autem hisce verbis: *Ventres calidi, carnes autem frigidæ.* De naturali alio quodam loco Galenus sic loquitur: *ille alimẽta probe coquit in ventre, & venis, & partibus singulis.* de altero autem hæc habet; *ascititius vero corrumpit in qualitatem, frigida quidem alimenta, acidam: calida vero indurulentam: & transspirationem efficit calidam, & mordentem quæcute adstricta statim febrem efficiat, cum*

1. aph. 14. & 15. 6. epid. sect. 4. com. 12.

Gal. lib. 12. 1. de fob. diff. cap. 4. & 2. meth.

illa

ille transpirationem efficiat suauem, & morsus expertem, & densata cute non febrem, sed tantum pletoram faciat. Et alibi, *quicquid in rebus subsistit, augetur, roboratur, sanum est, dum proprio & naturali calore regitur; quem in animalium corde seruat respiratio, & per cutim transpiratio: alter alienus, ac præter naturam in corporibus excitatus, primum quidem succos, ob humiditatem putrefacit, & corrumpit, tandem vero adipem & carnem. lib. de difficultate respirationis cap. 12.* sic ait; *duplicem semper intelligere iuxta genus calorem oportet: alterum genuinum, & corpori innatum: alterum vero acquisititium, & spurium.* & *in Tractatione de tremore, rigore, & palpitatione,* de vtroq; calore meminit; sed multo distinctius *libro tertio de caussis pulsuum* hisce verbis; *neq; enim ille absolute dixit* (de Hippocrate loquitur) *quæ augentur, plurimum habent calidi; sed innatũ addidit, vt qui alterum sciret calidum acquisititium esse, quod plurimum iuuenibus suppeditat: nam temperatus est natiuus calor, acquisititius autem intemperatus, & quasi igneus.* & subdit; *sic enim carnes vere & hyeme calidissimi sunt: imo ne ii quidem calidissimi absolute, sed calore natino: æstate paucissimum hunc habent, abundant vero aduentitio calore, & squalido: vnde marcescit potius, quam nutritur corpus: præterea functiones tantum abest, vt meliores reddas, vt illæ ne æquent quidem illas, quæ in moderato obeunt.* Præterea Galenus exponens eum aphorismum. *frigidi sudores, cum acuta quidem febre mortem, cum mitiore autem longitudinem morbi significant.* Duos calores consistere in nobis, alterum præter naturam: alterum vero insitum & naturalem; eosq; inuicem differre manifestissime significauit: dum idcirco in acuta febre sudores frigidos aduenire tradidit, quia calor natiuus vel extinctus sit, vel certe proximus extinctioni: alter autem febrilis vehementissimus existat: illiusque causa fieri sudores frigidos: huius vero acutam febrem, quo nihil (meo quidem iudicio) clarius in proposito negotio, inueniri, aut excogitari potuit: Alter etiam est eiusdem Galeni locus *in libro tertio de morbis popularibus*: quo loco sic inquit: *Calorem febrilem ob succos putrescentes accensum, in febre acuta primo die euaporasse: relictum vero natiuum solum, ita imbecillum, vt iam extingueretur, priusquam calor febrilis rursus accenderetur: ob id secundo die extrema refrigerata, & magis manum, & caput, & ægrum mutui, euasisse, affirmat Hippocrates.* Verum si omnes Galeni locos prosequerer, quibus is, duos nostris in corporibus calores admittit, ego profecto nimia prolixitate vterer, quamobrem his contentus, ad reliqua non minoris difficultatis dilucidanda, nunc accedendum est.

cap. 6.

Galen. 3. de caus. puls. cap. 6.

4. apoph. com. 37.

Gal. lib. 3. epid. sect. 3. com.

Itaque supposito Hippocratem, & Galenum duos in nobis calores admittere, doceamus an isti calores idem re ipsa sint, an autem differant?

Nos quidem illos inuicem differre, & non mediocriter, arbitramur. Nam quorum actiones inuicem differunt, illorum etiam substantiæ, à quibus actiones prodeunt, diuersæ sunt: at naturalis caloris actiones plurimum differunt, ab actionibus caloris præternaturalis: nam illius potissima actio est vitæ custodia; huius autem vitæ abolitio: ille humores concoquit; apponit, assimilat; hic inflammat, ac putrefacit: ille omnes actiones in sanis corporibus efficit; hic vero omnes, vt vno dicam verbo, labefactat: Quamobrem inuicem differre supponamus, atq; hoc loco inquiramus quænam sit inter eos differentia: quodcunque enim differre ab altero dicitur, id altero ex tribus modis differre vel scilicet genere, vel specie, vel numero: sic quæ eadem dicuntur; ea talia sunt vel genere, vel specie, vel numero. Quomodo itaque inuicem differant hi duo calores, non facile est docere, quandoquidem maximæ sunt inter omnes neotericos scriptores controuersiæ de horum calorum differentia: horum tamen maior pars affirmare videtur, non differre neq; genere, neque etiam specie; sed solo numero; verum in quanto errore versentur, ex iis manifestum fiet, quæ nos posthac diligenter docebimus: sed primo loco doceamus, duos istos calores contrarios esse.

Quod calores illi duo sint differentes.

Idem, ac diuersum tripliciter. Ex Arist. in topic.

Errores neotericorum.

Illa sunt contraria, quorum vnum, alterius corruptiuum est: hæc enim vera est contrariorum natura, quod se inuicem perimant, nec simul perma-

Contraria.

nere

nere longo tempore queant, vt omnes philosophi docuere. Duo isti calores talem vim habent, quod vnum positum, alterum interimit.

Calorē naturalem & extraneum contrarios existere.

Calorem quidem præternaturalem, & extraneum, natiuum, & insitum extinguere, ac perimere, tum ex iis patet, quæ supra ex Galeno, & Hippocrate tradidimus, cum ex Aristotele *libro quarto metheorologicorum*, qui definiens putredinem, dixit esse corruptionē natiui calidi, à calido externo: & omnem corruptionem à suo contrario fieri tradidit: veluti nos in sequentibus libris, cum de putridis febribus tractabimus, & edocebimus.

Secunda ratio.

Hoc etiam alia ratione confirmari potest: *illa sunt contraria, quorum actiones inuicem contraria sunt: at caloris naturalis, et illius, qui est præter naturam actiones non solum diuersæ, sed etiam contrariæ sunt; quamobrem recte contraria sunt.*

Contrariorum duplex doctrina.

Verum hoc loco animaduertere oportet, duas esse contrariorum differentias: quædam enim contraria dicuntur extrema: de quibus dictum est ab Aristotele: contraria sunt, quæ sub eodem genere posita, maximè distant: vt album, & nigrum; calidum, frigidum, atq; alia id generis: alia vero contraria sunt, non extrema; sed medium vnum, alterum extremum: quandoquidem media suis extremis collata dicuntur contraria; vt optime sentit Auerrhoes hisce verbis. *Medium est contrarium extremo, per id, quod habet in se de alio extremo.* neq; tamen ita contraria sunt media extremis, quemadmodum extrema extremis: quoniam horum contrarietas multo maior est quam illorum: atq; propterea in alio loco idem Auerrhoes dicebat; *media quæ sunt inter contraria, non simpliciter sunt contraria extremis*; sed cur *non simpliciter* dixit? quia extrema multo maiorem contrarietatem habent: media vero contraria sunt extremis, quatenus altero extremo participant. Diximus autem, *quatenus altero extremo participant*, quia media sub duplici differentia inueniuntur: quædam enim vera sunt media, & secundum prius dicta, & sunt media inter duo contraria, cuius esse consistit in complexione duarum extremitatum; & est secundum quidditatem diuersa ab extremis; alia vero dicuntur media, secundum similitudinem, & secundum posterius, & sunt media inter duo cōtraria secundum quantitatem tantum: hæc sane non differunt specie ab extremis: neq; etiam contrariantur extremis.

Quòd media contraria sunt extremis, ex Auerrhoe.
2. meth. 52.
1. ph. 47.
1. de cælo 2.
1. de gen. 5.
3. phys. 42.
3. de cælo 42.
3. metheororum 21.

His hoc modo suppositis; ostendamus, quomodo calor naturalis sit contrarius calori præternaturali. Pro cuius rei explicatione scite oportet, quod calor naturalis sit quædam qualitas temperata ex contrariorum permistione: ita tamen temperata est, quod calida elementa frigida euincunt; non multo tamen interuallo: alioquin in ipsa elementorū permistione minime simul cum frigiditate permaneret, atque contemperaretur calidum: ita quidem communis est omnium Medicorum sententia: at calor præter naturam, extraneus, ac igneus non est qualitas ex extremis composita; sed ipsum potius extremum; ignea scilicet qualitas, nullam permistionem cum frigidis qualitatibus habens: quoniam itaq; id, quod vere medium existit, secundum extremorum compositionem; contrarium putatur ei, quod extremum est; recte quidem concludi posse arbitramur, naturalem calorē igneo contrarium esse: qui extremæ cuiusdam qualitatis naturam sapiat. Atq; hac ratione, vt supra admonuimus, Aristoteles, calidum ambientis contrariari insito significauit, postquam docuit omnem corruptionem fieri à contrario, putredinem vero esse quandam corruptionem à calido ambientis.

Gal. 1. aph. 14.
Calor naturalis est qualitas temperata.
Arist. libr. 4. metheor.

Videor hactenus exposuisse modum, quo putem ego recte concludi posse duos istos calores esse contrarios: nunc doceamus, quomodo inuicem differant.

Quomodo naturalis calor ab eo qui est præter naturā, differat.

Primum itaq; apud omnes homines constat, duos istos calores numero diuersos esse: hoc enim nullam habere difficultatem potest.

Cæterum, meo quidem iudicio, differunt etiam specie: quoniam extrema specie differunt ab illis mediis, quæ constant ex permistione extremorum,

morum, vt supra ex Auerrhoe demonstrauimus: Genere autem tum iidem, tum etiam diuersi dici possunt.

Iidem quidem, quoniam in hoc conueniunt, quod sint calores, & qualitates quædam elementariæ; quæ omnes referri debent sub vnum prædicamentum qualitatis.

Diuersi vero genere statuendi sunt hi calores, non genere logico, sed medico.

Quod autem ego hic dicere volo, est hoc. Calor naturalis à Medicis refertur sub genus eorum, quæ se habent secundum naturam; alter vero in genus affectuum præter naturam: Tres enim sunt partes præcipuæ medicæ facultatis; altera, quæ de rebus naturalibus transigit: altera res non naturales prosequitur: tertia vero res præter naturam contemplatur: genus quidem illius est, res naturalis: at genus caloris extranei, res præter naturam.

Habet autem hoc loco dubitationem minime contemnendam, quæ plurimum omnes nostri temporis Medicos, ac etiam vetustiores agitauit, quod nos dixerimus, hosce duos calores specie inter se diuersos esse: non enim recte videretur Aristoteles Peripateticorum princeps venatum fuisse elementorum numerum ex numero primarum qualitatum; cum enim illæ tantum sint quatuor; ex horum complexione quatuor elementa resultasse scribit: sed certe is non recte (inquam ego) concludit, quoniam quinq; sunt primæ qualitates: frigidum, humidum, siccum, & calores duo. *Ardua dubitatio.*

Hæc autem quæstio secundum nostra principia hoc modo soluitur. Vna est caliditas, quæ prima est qualitas: calor naturalis, & calor præternaturalis, quatenus calores sunt, inuicem conueniunt, & idem sunt genere, vt supra diximus: verum quatenus naturalis est vnus: alter vero est præter naturam, eatenus dicuntur diuersi. At natiuus calor non est prima qualitas: sed est quoddam commistum ex omnibus primis qualitatibus superante tamen calido. Quamobrem non recte concluditur duas esse primas qualitates caliditas, ex eo, quod duo calores, naturalis, atque præter naturam inuicem specie differant, sintque contrarii. Hoc si nostrates Medici diligenter animaduertissent, vt profecto debuerant, nihil fuisset, quod tantum in huius difficultatis explicatione laborassent. *Solutio.*

Rursus autem habet secundo loco difficultatem, quomodo, cum contrariæ sint formæ, naturalis, & extraneus calor, in eodem subiecto possint consistere: nam contrariorum natura est, quod permanere in eodem subiecto non possunt. *2. difficultas.*

Deinde vero impossibile videtur plures formas in eodem subiecto seruari posse: quoniam rei vnius vna est forma.

Difficultati respondet Donatus Antonius; nihil referre (inquiens) in Aristotelis & Galeni doctrina, plures tum formas, cum qualitates, ac facultates, etiam contrarias in mixtis seruari posse, eo magis cum vna se habeat vt substantia; reliqua vt accidens. Non inconuenit ergo, quod in eadem substantia calidi innati eodemque subiecto formæ adsit, & qualitas ipsius propria, & ea, quæ febris est, cum forma, tum qualitas, tumque accidens: nam idem Galenus 3 & 4. *de simplicium medicamentorum facultatibus* nonnullas in mixtis inesse tum facultates, tum qualitates per se, non diuersas duntaxat, sed contrarias, scriptum reliquit: quemadmodum etiam pro absurdo haudquaquam habemus geminum semper in animalium corporibus reperiri calidũ, quorum alterum ab altero nomine, substantia, qualitate, & operatione dissentire fatemur. Hæc summa est Altimari sententia. Quæ tamen, quamuis habeat veritatem (me tamen iudice) difficultatem non soluit. Namque nullam aliquando controuersiam habuit, quod in mixtis contraria seruari possint: sic enim ex elementorum permistione, quorum tamen qualitates contrariæ sunt, vnumquodque corpus generatur; sic ex quatuor humoribus, qui *Altimari solutio. lib. 2. c. 10.* *3. simpl. c. 14. & 4. simpl. 19.* *Impugnatio operationis Altimari.*

elemen-

elementis proportione correspondent, humanum corpus nutritur: nec id quidem mirum; nam ex eisdem nutrimur, ex quibus constamus; vt Aristoteles docuit. De hac igitur re nulla est quæstio; verum an post mistionem duo contraria in eodem subiecto possint conseruari: quemadmodum videmus in febrili calore, & naturali; qui contrarietatem habent, vt supra comprobauimus.

2. de anima.

Propria opinio.

Nos itaque putamus difficultati esse hoc modo respondendum. Contraria suis viribus prædita diu simul manere non posse: quoniam ex illa mutua actione & passione, quam semper habent, alterū debet euincere, & corrumpere; vel ambo contraria delitescere oportet. Possunt nihilominus aliquo tempore conseruari, dum videlicet agunt & patiuntur: tunc enim simul stant in eodem subiecto: quoniam contraria, teste Aristotele nata sunt fieri circa idem subiectum: dum ergo fiunt simul esse necesse est; atq; alterum in alterum agere: hoc modo putamus nos calorem naturalem; & eum, qui est præter naturam, in eadem substantia caloris innati permanere; donec scilicet inuicem agentes, alterum, alterius corruptionem quætit. Hæc certe vera est huiusce quæstionis solutio.

In posterioribus prædicamentis cap. de oppositionib.

Quid sit calidum innatum: quid calidum præter naturam: quomodo differat calidum præter naturam à calido acquisititio: & quotuplex calidum præter naturam.

Cap. IX.

QVoniam nos in superioribus de calido innato meminimus, & posthac nonnulla dicturi sumus; vt hæc obscuritatem non faciant, decreuimus hoc loco de calido innato breuiter disputare, atque simul patefacere, quid sit calidum præter naturam, in quibus à calido acquisititio differat; & quotuplex sit: in quibus enarrandis nos errores quorundam recentiorū, potissimum vero Donati Antonii detegemus. Sed inprimis animaduertere oportet, tractationē de innato calido ad aliam facultatem, quam ad præsentem, in qua de febribus agimus, pertinere: propter quam causam hic breuissime, quantum scilicet huic negotio necessarium videbitur, de calido innato disputantes, ea præsupponere oportebit; quæ alibi sunt à nobis diligentius demonstrata.

Calidū innatum est natura & temperamentū corporis animati.

Quamobrem scire oportet, calorem innatum nihil aliud esse apud præclarissimos Medicos, & philosophos, quam corporis viuentis naturam & temperamentum. *Nihil enim* (inquit Galenus) *aliud quicquam est connatum calidum apud Hippocratem, quam temperatura corporis animati*; & Hippocrates *libro de hominis natura*, temperiem ipsam vocauit animati corporis naturam, sic enim ait; *nempe talis est tum animantium, tum cæterarum rerum omnium natura.* & Galenus *libro primo aphorismorum* inquit: *Calor natiuus est natura nostra.* & alibi; *calor natiuus est illa natura, quæ solida regit corpora.* ac rursus: *Calor innatus est facultas, gubernans corpora nostra.* & *libro de tremore, rigore, & palpitatione: calor innatus, est generationis principium; &, est nostra natura.* & *8. de Plac. Hippocratis & Platonis* ait; *calorem natiuum, omnium naturalium operum autorem esse Hippocrates ait, Plato non calorem, sed ignem nominat.*

Com. 14.

Confutatio ex Alexandro Aphrodisæo.

Alexandet autem Aphrodisæus rem videtur mihi diligentissime declarasse, dum *in libro de febribus* sic inquit; *Omne namq; instrumentum proportionale cum eo, cuius est instrumentum, esse necesse est: quod si secus fuerit, frustra assignatur instrumentum; oportet igitur connatum calorem esse simplicem, indissolubilemq; complexionem, ad hoc, vt sit animæ instrumentum. Ipsa namq; vndiq; moderata, & temperata crasis, & ad animæ potentias comparata, & ad earundem opera relata semper est proportionalis, & quodammodo similis. Hæc profecto temperies & naturalis, & insita caliditas, æqualiter nuncupatur. Naturalis; & insita dicitur, quoniam ex primis insitis naturæ principiis est*

exorta; calida vero nominatur, quoniam calor in ipsarum qualitatum temperie cæteras qualitates superat; idq́; iure euenit, quando omnium qualitatum caliditas est efficacissima, hæc Alexander.

Ex his itaq; satis arbitror manifestum, temperiem corporis, naturam, & innatum calidum, idem significare, tum apud medicos, tum philosophos. *Calidum innatũ cur dicatur.* Temperies quidem nuncupatur, quoniam primæ facultates optime inter se contemperatæ, & moderatæ sunt. *Temperies.*

Calor autem dicitur, quoniam in ipsa elementorum permistione calor omnibus præfertur: hic enim cæteris collatis sese habet, vt agens, & vt forma; reliqua vero vt materia, & vt patiens: nam proprium caloris est componere, & congregare homogenea, alienaq; ab eis separare. Hoc quidem pacto necesse est, vt fiat mixtorum corporum generatio, vt scil. vi agentis ea in vnum componantur, quæ naturæ mixti conueniant; aliena non abiiciantur. *Calor.*

Est etiam, vt diximus, veluti forma aliorum elementorum, quæ ad mistionem veniunt: nam vi caloris continentur in vnum ea, quæ sunt inuicem composita, & commista.

Porro insitus dicitur, & connatus calor, quoniam à primis generationis principiis inseritur in corpore. Prima vero principia sunt tum elementa, tum quæ hæc continent sanguis menstruus, & genitale semen. *Insitus.*

At vero natura etiam dicitur, quia is calor est omniũ naturalium operum effector, & nostræ generationis principium: Nihil autem est ipsa natura, quam causa rerũ naturalium, & principium motus, & quietis, eius in quo est, primo, ac per se, & non secundum accidens, vt Aristoteles definit *libro physicæ auscultationis secundo.* *Natura.*

Itaq; ex his, quæ diximus, colligendum est innatum calidum, temperiem corporis, & naturam, idem apud Galenum significare: nihilq́; aliud esse, quam animæ instrumentum, quo iure omnes suas operationes efficit. *Animæ instrumentũ.*

Verum quoniam duplex est instrumentorum natura: quoddam enim solummodo præparans, & disponens instrumentum dicitur: alterum autem eo, quod res perficit, ac absoluit, perficiens, absoluensq́; instrumentum appellatur; scire oportet innatum hoc calidum, secundum suam naturam acceptum, ea scilicet ratione, qua à spirituum substantia distinguitur, instrumentum esse ex eorum numero, quæ solum alterant, ac disponunt, non autem rem ipsam absolutam, ac perfectam reddunt. Ipsum namque est præparans animæ organum, pro quacunque perfectione, & fine in animante corpore consequendo. *Quodnam instrumentum sit calidum innatum.*

Sed si innatum calidum ea ratione desumamus, qua cũ spiritibus connexum est, tum dici organum debet, non solum alterans, & disponens, verum etiam absoluens: atque hac sane ratione interpretari oportet Galeni sententias, quibus is annuere videtur temperamentum esse perfectum instrumentum animæ: hoc quidem intelligitur, veluti diximus, de innato calore, quatenus est id suis spiritibus tam influentibus, quam insitis cõnexum; & quatenus ad agendum semper sunt simul calor, & spiritus. Hoc profecto significauit Galenus *primo aphorismorum* his verbis. *Verum ipsius prima nostra natura, seu temperamenti tria sunt, quæ substantiam complent: Spiritus scilicet, sanguis, & seminalis humiditas ex libro vndecimo methodi medendi* confirmat, naturam ex tribus partibus constare, ex spiritu videlicet, ex solidarum partium substantia, quæ partes ex genitali semine conditæ sunt, & tertio ex carnosa substantia, quæ ex sanguine gignitur: sic vtique Galenus tam partium natiuam temperiem, quam musculorum totius corporis, suis debitis spiritibus præditam perfectam dicit esse animantis naturam, & absolutum animæ instrumentum pro omnium operationum perfectione. *Quomodo temperamentum sit animæ perfectum instrumentũ.* *cap. 14.*

Habet autem hoc loco dubitationem ea distinctio, quam nos attulimus, dum calidum innatum aliquando alterans & disponens tantummodo *Dubitatio difficilis.*

 instru-

instrumentū animæ; aliquando vero etiam perficiens nuncupauimus: quoniam antiquiores nullam huiusce rei facere distinctionem videntur: quinimo omnes admittunt, calorem hunc naturalem esse perfectum animæ instrumentum.

Ex Aristotele. Sic enim Aristoteles inquit *in libello de iuuentute ac senectute. Omnes autem partes, & vniuersum animalium corpus connatam habet caliditatem; quapropter dum viuunt quidem, apparent calida, omnia namq; conficiunt, & alimentum concoquunt naturali calido, idq; inprimis, quod præcipuum est cor, vel quod illi proportione respondet.* Idem *in libro de respiratione* affirmans ait: *quoniam autem dictum est prius, quod viuere, & ipsius animæ habitus non nisi cum quadam est caliditate concoctio, namq; per quam alimentum animalibus præparatur sine anima, & calore non conficitur; igne namq; omnia operantur.*

Ex Alexandro Aphrodisæo. Alexander Aphrodisæus maximus post Aristotelē philosophus idē confirmans inquit; *neq; enim possibile est animam citra eiuscemodi calorem in aliquod agendi munus descendere.* idemq; in plurimis locis Galenum confirmasse legimus,

Ex Galeno. *primo* enim *aphorismorum* inquit; *hic namq; calor solus animal ab initio efformauit, postea auxit, & vsq; ad mortē enutriuit, & vt paucis finiam, hic calor est causa omnium operum naturalium, nec aliud quicquam est natura animalium, quā hoc calidum innatū secundum Hippocratis opinionem.* Et *libro secundo ad Glauconem* *natiuus calor fortasse substantia virtutum existit, aut si non hoc saltem primum, & maxime necessarium ipsarum instrumentum.* Et *in libro octauo de placit. Hippocratis, & Platonis* scribit: *Hippocrates vero semper innatum calidum omnium naturalium operum esse autorem testatur.* *In libro de tremore & rigore* sic ait: *Calidum innatum, quod & naturale & primarium insitumq; vocamus, & præter ipsum natura, atq; anima nihil est, vt essentiam seipsam mouentem, semperq; mobilem existimans, nihil erres.* Hæc & alia quam plurima eiusdem argumenti passim apud Galenum leguntur, quæ suprapositam distinctionem suspectam reddunt.

Solutio. Pro horum igitur omnium clara dilucidatione primum dicimus, quod calor & spiritus fere semper simul insint, nec vnquam inuicem disiungantur, quando perpetuo mutuo se fouent, & conseruant; quod tum ipsorum instrumenta attestantur, arteriæ scilicet, & venæ, quibus ipsi reconduntur, quæ per animantium corpora, quasi semper simul incedunt, & raro inuicem separantur.

Innatū calorem, ac spiritum nunquam à se inuicē disiungi. Tum etiam eorundem functiones fidem faciunt, quæ naturali quodam ordine se consequuntur. Nam quantum calor naturaliter alterando præparat: tantundem spiritus rem absoluendo, perficit: & hac profecto ratione, quod mutuo se alant, & vna semper sunt calor & spiritus ad opus perficiendum, effectum est, vt ambo vno communi nomine vt plurimum à Medicis, & à philosophis sint nuncupati. Quare modo sub calidi, modo sub naturæ, modo sub temperiei nuncupatione significentur: &, vt nomine isti abutuntur, ita & earundem operationes confundunt: nam sæpissime, quæ spiritus, aut quæ vtriusq; sunt functiones, soli calori attribuunt, aliquando & spiritui, nullo habito ipsorum discrimine.

Quamobrem concludimus, quod ob prædictas rationes isti sub nomine innati calidi, & temperiei, ac naturæ quasi semper calidum & spiritum simul intelligunt. Simulque etiam eorundem diuersas actiones, vnam esse dicunt. Et sub hac significatione Galenus *libro quinto de simplic. medicamentorum facultatibus* calorem insitum explicauit, dum dixit: *Verum nihil prohibet sanguineam substantiam, simulq; aeream vna cum spiritu calidum iuuandire innatum.*

Differentia conclusio. At vero nos rei naturam insequentes, putamus calidum innatum, atq; spiritum inuicem re ipsa distingui, quemadmodum alio in opere diligentissime sumus prosecuti.

Cæterum hoc loco, anteaquam huic disputationi finem imponam, explicare oportet, quid hac in re diuinus Plato senserit: & quid Aristoteles Peripateticorum princeps, ostendendumque est à nobis, duos istos præclarissimos autores à Medicorum sententiis minime dissentire, quemadmodum perperam sentit Donatus Antonius Medicus Neapolitanus.

Plato

Opinio Platonis de calido innato.

Plato igitur *in Thimæo* inquit: *Omne animal in sanguine, & venis calorem, quasi ignis quendam fontem habet.* Ac rursus *eodem libro; quod igitur* (ait) *ex ignis excessu ægrotat corpus, manifestum.*

Ex his, atque aliis quam plurimis huius diuini hominis monumentis videre est, Platonem calorem naturalem ignis nomine nuncupasse, quod meo quidem iudicio non est perperam factum; nam ignis, & naturalis calor eisdem facultatibus præditi sunt, quod videlicet sursum & deorsum naturaliter ferantur, & quod perpetuo quodam fomento indigeant, quo præseruentur. Ignis namque cum rarissimus & leuissimus sit, ac statim ad superiores auras euolet; rarissima etiam, atque paucissima materia præditus est; cuius causa maxime corruptioni obnoxius est; exigua namque, & rara eius materia existens, ob raritatem suam facile dispergitur, ac totam se exponit viribus agentis: quod non faceret, si in se ipsa constipata esset, & collecta; quare facile vincitur, & corrumpitur vi corporis alieni.

Ignis substantia.

Cur ignis indiget alimento.

Hac profecto ratione videmus, quemadmodum ignis apud nos existens, neutiquam ipse per se consistere possit, sicuti aliorum elementorum particulæ consistunt, & propterea continuo indiget nutrimento ex quo possit continuato tenore generari, atque fluere veluti à quodam fonte, ex quo in sublime velut fluuius quidam feratur, paululumq; post ad imum alimenti appetens, trahatur.

Sursum itaque atque deorsum ignis naturaliter fertur; sursum propria leuitate, deorsum, alimenti appetitu, vt alatur, ac sustentetur.

Alimentū ignis familiare.

Familiare autem ignis alimentum est vapor aeris, præsertim si immistus fuerit terrestri siccitati, seu terræ exhalationi: vi ergo ignis à combustibili corpore resoluitur vapor istiusmodi, qui statim correptus ab igne flamma efficitur: hæc namq; ab eo fonte, vbi vapor ille resoluitur, fluit cōtinuato lapsu ad superna, & ne confestim intercidat, ad alimentum mox se cōuertit.

Caloris innati cum igne similitudo.

Æquali plane fortuna (ait Galenus) in animantium corporibus calor innatus se continet: nam *in libello de rigore, tremore, ac conuulsione calidi innati* essentiam ex Hippocratis doctrina explicans inquit: *Vniuersum animantiū corpus confluxibile, & transpirabile existit.*

Calorem autem non acquisititium, vel animalis generatione posteriorem; verum ipsum primum, primogenitum, & insitum; ac natura & anima nihil aliud, quam hic existat, vt essentiam se ipsam mouentem semperq; mobilem existimans non erres.

Qua enim semper mobilis est insitus calor, non intra tantum extrave mouetur, sed aliud alium motum semper excipit: nam intra firmus, immobilis ocius euaderet; extrorsum dissiparetur & periret: modice autem extinctus, ac modice adauctus, (vt Heraclito placuit) perpetuo mouetur: succenditur quidem ad ima lapsus; quo alatur appetens; at auctus, & vndequaq; expansus, extinguitur: quod autem extrorsum exeat, & efferatur (ac vt sic dicat aliquis) explicetur à principio proprio; quia calidum natura est, obtinuit: intro autem fertur, & deorsum (hoc est ad proprium principium viam init) & vt alimento fouatur; & quoniam frigidi aliquatenus particeps est; quippe ex calido, & frigido temperatum. Prima sane calidi ratione sua sponte mouetur, atque hac potissimum ad actiones indiget: magnum tamen ipsi vsum, & frigidum exhibet. Solet enim calidum in sublime attolli, & cum eo alimentum adducere: si autem frigidum non obstaret, etiam longissime procederet, fit autem frigidum huiusmodi caloris motui impedimentum ne dispersus aboleatur; quippe periculum est, ne ipse præ leuitate, & impetu sursum à corporibus discedat, sed frigidum retinet impeditq; & vehementiam nimii huiusce motus tollit. Hæc Galenus.

Ex quibus manifestissime colligere possumus, nisi meum me fallit iudicium, maximam cum igne affinitatem; & similitudinem habere innatum calidum; atque à diuino Platone recte factum fuisse, cum ignis nomine hoc insitum calidum nuncupauit: non eà tamen ratione, quod re ipsa sit ignis, sed quoniam quo ad motum, & quo ad nutrimentum videtur esse eiusdem naturæ cum igne.

lib. 8. de placitis c. 7.

Verum Altimarus Platonem refellit quibusdam Galeni verbis, quæ in hunc modum habent; *Melius tamen erat, non ignis, sed insiti caloris fontem dicere in corporibus nostris esse, vt Hippocrates vbique appellauit. Nam si ab igne ciborum concoctio, digestio, sanguificatio, & nutritio fieret, melius, & citius hac in febrientibus conspicerentur absolui: sed insitus calor temperatus cum sit substantia quidem in sanguine, & pituita subsistit maxime: qualitate est congrue ex qualitate, & frigiditate contemperatus.*

cap. 14.

Hanc eandem Platonis sententiam idem Galenus impugnare videtur *primo aphorismorum* dum ait; *cum igitur magis terrestre afficitur animalis corpus (tale enim quotidie efficitur dum augetur) tunc licet vehementer valde calidum existant, & igneum, substantiam tamen insiti caloris paucissimam habent; alioquin diceremus febricitantes plurimum habere calorem innatum, cui non modo plus, sed ne priori quidem habent æquale.*

Hæ præstantissimæ sunt, si Diis placet, Donati Antonii rationes, quibus putat refelli posse opinionem Platonis.

Nos autem pro nostra consuetudine videamus, quem exitum habere possunt.

Defensio Platonis contra Altimarum.

Duo hic adnotanda sunt; quorum alterum ad Galenum, alterum vero ad Platonem pertinet.

Galenus quidem non videtur mihi refellere opinionem Platonis; sed eam cum Hippocratis sententia conferens dixit, meliorem esse opinionem huius viri, quam *Platonis*; qui insitum calidum vocauit, naturam, & temperiem corporis: nam hoc calidum cum sit cum ipsa frigiditate contemperatum, non potest recte ignis nominari, qui caliditatem summam habet, nulli frigiditati permistam; quamobrem rectius à dominante qualitate insitum calidum, quam ignis nuncupabitur. Non tamen, quod etiam à Platone recte factum fuerit, qui ignem nuncupauerit: Qua voce is potest tria intelligere; vel ignem hunc materialem, qualis est carbo; vel flammam: vel ignem æthereum: is certe non intellexit materialem ignem, vt qui sciret, calorem nostrum ex contrariis vere temperatum esse; ignemque hanc moderationem non habere, sed ignem æthereum intellexit; qui in nobis cõtinuo operatur; quasi quod hisce verbis voluerit significare nobis calorem quendam in animatis corporibus consistere citra elementorum conditionem. Hic ignis non adurit, sed salutaris existens proxima est causa, vt alibi diximus, vitæ vniuscuiusq; animalis.

Galeni exemplo.

Quid Plato per ignem intelligat.

Optima explicatio verborum Galeni.

Galenus vero, ne quis putaret illa voce intellexisse Platonem ignem materialem, ostendere voluit illis rationibus, non recte insitum calidum ignis nomine appellandum esse: non quod ignoraret, qualem in hac re sententiam habuerit Plato: atque hac ratione nihil concludunt hæ rationes contra sententiam Platonis, verum potius contra homines male diuini huius hominis opinionem interpretantes.

Explicatio Platonis.

Quantum vero ad Platonem pertinet, sciendum est hunc non dixisse insitum calidum esse *ignem*, sed *quasi ignem*, vt eius verba manifestum faciunt, ex quibus colligere est, cognouisse illum, calorem non esse vere ignem; igni tamen quo ad perpetuum nutrimentum, & motum, quam simillimum existere: ac idcirco non dixit *ignem*, sed *quasi ignem*. Deinde vero etiam si ignem dixisset, dupliciter posset eius opinio sustineri; primo si diceremus intelligere de igne æthereo & diuino; non materiali; qua appellatione is frequentissime vsus est, vt *in Thimæo* legere est. Altero vero modo, vt dicamus ignem nuncupasse calorem innatum propter excellentiam caliditatis; quæ omnes alias qualitates superat: cum vero caliditas propria sit ignis, non est mirum, si ignis nomine appellauerit; nam hæc est apud priscos fere omnes consuetudo, calidi nomine ignem significare, vt videre possumus apud Hippocratem *primo de humana natura*, & Aristotelem *libro de generatione & interitu, & libro quarto metheorologicorum*. Igitur si calidi nomine intelligimus ignem; cur

Cur Plato calidum innatum vocauerit ignem.

cur vice versa ignis nomine non possumus caliditatem omnes alias qualitates in mixto superantem?

Deinde vero Aristoteles etiam aliquando insitam hanc caliditatem ignem nuncupauit. libro enim *de respiratione* sic ait loquens de caliditate insita: *concoctio namque per quam alimentum animalibus praeparatur, sine anima, & calore non conficitur; igne namque omnia operantur.* hæc Aristoteles: ex quibus ego satis videor docuisse, qualis fuerit opinio Platonis, quodque nihil concludant Donati Antonii rationes. Nunc videamus, quæ idem addat circa Aristotelis opinionem. *Confutatio ex Aristotele.*

Putat bonus hic vir Aristotelem diuersam habuisse opinionem de calido innato, ab ea, quam supra ex decretis Medicorum attulimus: quod ipse comprobat ex eiusdem verbis *libro secundo de generatione animalium cap. 3.* quæ sic habent: *inest enim in semine omnium, quod facit, vt fœcunda sint semina, videlicet quod calor vocatur, id quod ignis non talis facultas aliqua est, sed spiritus, qui in semine, spumosoque corpore continetur, & natura, quæ in eo spiritu est proportione respondens elemento stellarum; quamobrem ignis nullum animal generat.* & paulo post subdit, *cæterum calorem in animalibus contentum, nec ignem esse, neque ab igne originem ducere, apertum ex his est;* ex quibus verbis colligit, opinionem Aristotelis oppositam esse Platoni: illumque dissentire ab Hippocrate circa originem caloris huius. *Opinio Aristotelis de calido innato.*

Nos vero putamus hominem hunc non recte concludere; quandoquidem Aristotelis verba, quæ nos in medium attulimus, non intelliguntur de insita caliditate, verum de spiritibus, vt is manifeste docuit, qui ab innato calido distinctam naturam habent; vt alio loco diligentius docebimus, multo melius dicito, non esse calidum innatum simpliciter ex elementis: sed esse diuinum, ac cœlestem. *Impugnatio Antonii.*

Interim vero, quoniam satis de innato calido, quantum præsens tractatio postulabat, transegisse videor, docere oportet, quotuplex sit calidum præter naturam: quid calidum acquisititium, & quomodo à calido præternaturali differat.

Calidum præter naturam est qualitas quædam calida proxime ad ignis naturam accedens. Calidam qualitatem nuncupauimus, quoniam omnis calor, quatenus calor est, idem est genere; quemadmodum supra demonstrauimus: quatenus autem est aliquis ex contrariorum mixtione contemperatus, alius sine hac temperatione inuenitur, inuicem differre calores dicuntur. Naturalis enim est optime contemperatus, ex permistione non solum humidi, ac sicci; sed etiam frigidi: quod maximum vsum conferre in conseruatione innati calidi, Galenus non semel testatum reliquit: qui ergo huic calori naturali contrarius est, calor præter naturam, ab hac symetria, & commoderatione declinabit. Quamobrem recte conclusimus (nisi meum me fallit iudicium) calorem præter naturam qualitatem extremam esse, quæ proxime ad ignis naturam accedit. *Calidum præter naturam.*

Verum quia causæ proximæ effectrices caloris huius tres numero sunt; triplex etiam est calor præter naturam.

Fit enim aliquando, quod calor elementarius assiduo incremento de temperie, & mediocritate discedens, plus nimio exsuperat: & qui naturalis fuerat, sensim non naturalis euadit, vitiosus proinde, & naturæ iam infensus: hic profecto inter calores maxime simplex existit, qui recte tum exsuperantia solius caloris, tum etiam calor naturalis mutatus in igneum, nuncupari poterit. *Primus calor præter naturam ex [illegible]*

Alter autem est calor ex putrescente materia prognatus, qui etiamsi non admodum sit ardens, quoniam tamen eius, de qua prodit, materiæ conditionem redolet; præter naturam est, & insito calore grauis. *2. calor.*

Tertius est malignus, & perniciosus, quem pestilens venenataque materia fundit non simplicis illius qualitatis exsuperantia, non putredine, sed to- *Tertia caloris differentia.*

Ex Hugone Senensi in p. 4.

tius substantiæ dissidio, vitali insitoque calori aduersus. Cæterum hi tres calores, quamuis inuicem, vt diximus, non parum differant, omnes tamen in hoc conueniunt, quod ignei dicuntur. Quandoquidem omnes actiones de se promunt igni maxime familiares. Sunt hæc calefacere, adurere, liquare, corrumpere, calidi innati symmetriam euertere, atque id genus alia, quæ nos posthac diligentius explicabimus. Sed de calore præternaturali hæc satis, nunc de calido acquisititio dicendum.

Donati Antonii opinio de calore acquisititio.

Si quid sentiant alii, primum docebimus. Donatus Antonius ab Altimari hæc summatim tradit, de calido acquisititio: quod scilicet id ab innato nomine, substantia, qualitate, ac operatione dissentiat.

Nomine quidem inuicem differre est omnibus manifestum.

Acquisititium calidum quid.

Quod vero substantia differunt, is Galeni autoritatibus probat, supponens primum ex eiusdem sententia calidum acquisititium nihil esse aliud, quam id, quod temporis progressu, & ætatis permutatione acquiritur; hoc supposito differentiam substantiarum hoc modo probat.

com. 14.

Primum, quia Galenus *primo aphorismorum* inquit, corpora, quæ continuo augentur, euadere continuo magis terrestria, habereq; copiosam caliditatem igneam; at vero paucissimam substantiam innati calidi possidere. Atque eodem commentario, bene temperatam esse tradidit calidi innati substantiam, igneam vero aduentitii. Et *post pauca* addit; *puerorum vero corpus tale existit, plus humida & aerea substantia obtinet: non sicut iuuenum, & declinantium, & senum sicca, atq; terrestres.*

Acquisititium calidum cur dictum ex Ant. Don.

Ex his, & id genus aliis colligit, calidũ acquisititium differre ab innato substantiâ: quia substantia illius est ignea, & terrestris; huius vero aerea, & aquea à dominantibus elementis: acquisititium autem idcirco dictum, quia temporum progressu, ætatumque permutatione sensim dissoluta aerea in aquea substantia ignis, & terra, quæ primogenitis infantibus, ab humidis elementis veluti victa, delitebant, præualent aeri, & aquæ; quod fit solius ætatis mutatione.

Quod differat qualitate.

libr. 2 de placitis, c. 2.

Deinde vero qualitate differunt, quoniam acris, mordax, ignea, aridaque est calidi acquisititii caliditas: Halituosa vero, suauis, mitis, ac temperata innati calidi, quod quidem qualitate est congrue ex caliditate, & frigiditate contemperatum: vt Galenus testatur. Quod etiam ipso tactu discernere possumus; nam fumosi, fuliginosi, aridi, & acres per totum corpus nostrum effluxus calorem acquisititium consequuntur. Suaues, halituosi, humidi, vaporosi, atque temperati, natiuum: Neque hoc mirum videri debet: oportet enim (inquit Galenus) similem esse defluxum subiectæ substantiæ, vt quando humida, & aerea substantia existit, tunc, quod ab ea defluit, vaporosum est, atque suaue. Cum vero terrestris, atque arida, tunc etiam, quod defluit, fuliginosum est, & acre: quæ res etiam in exterioribus euenit. Nam quæ ex aqua dulci, & calida euaporant, bona sunt, & vaporosa: sed quæ ex aliquo corpore solido, & exusto, fumea sunt, & acria.

Gal. ibid.

Quomodo innatum ab acquisititio differat operationibus.

libr. 2. de natur. fac. cap. 2.

Tertio loco declarat operationes horum calidorum inuicem differre: quoniam calidum innatum omnium naturalium operum causa est, neque aliud præter ipsum quicquam animal ab initio efformauit, sicuti neq; rursus adauxit, & vsque ad mortem enutriuit, vt supra diximus. Neque aliud quicquam est natura animalium præter hoc calidum secũdum Hippocratis opinionem; quod etiam Galenus confirmabat his verbis; *quippe natura illa, quæ particulas effingit, & sensim adauget, omnino per eas totas est extensa, vtq; totas eas per totas non tantum extrinsecus effingat, nutriat, atq; augeat.* Ipsius vero acquisititii calidi munus tale non est: nam si ab igne ciborum digestio, concoctio, sanguificatioque, & nutritio fieret, melius, inquit Galenus, etiam in febrientibus, & citius viderentur absolui. Quinimo eius operatio contraria est operationi calidi innati; cum illud minuat, destruat, corrumpatque; hoc perficiat, for-

met,

met, & adaugeat: Digerit quin ẽt, apponit, vnit, assimilat, vt *ex libro de marasmo* patet. A principio namque ortus ad finem vsque vllo non tempore siccius corpus reddere ignea caliditas desinit; quoad vltra siccatum non macilentius modo, sed etiam rugosum efficiatur. Quæ affectio senium appellatur: & deinceps omnino genitũ corpus corrumpat, ac interimat. Quam etiam sententiam confirmauit Aristoteles, dum docuit, ab ignis natura & substantia nullo modo fieri augmentum & nutritionem corporis, tanquam à causa primaria; sed vt à concausa. *lib. 2. de anima.*

Ex his tandem concludit calidum innatum ab acquisititio, nomine, substantia, qualitate, & operatione differre, & postremo addit, febrem esse in genere caloris acquisititii: & quibus nos vltimo loco deducimus, quantum ad huius hominis opinionem pertinet: calidum acquisititium nõ esse aliud, quam calidum præter naturam: quandoquidem is, nullam penitus distinctionem efficit huius calidi ab acquisititio calido; hæc Donatus. *Conclusio.*

Nos autem hoc loco ostendamus, quantum hic vir aberret, tam quidem in ipsius Galeni doctrina, quam in rei veritate. Atq; primum ex hac opinione proposita sequitur, pueros nunquam caloribus præter naturam, ac, vt breuiter dicam, febribus affici: quandoquidem necessarium est, vt hic concludit, febrem omnem esse in genere caloris acquisititii: pueri vero nullum habent calorem acquisititium; quamobrem nunquam febricitabunt. Quod autem non habeant calorem acquisititium, ex eo patet, quod ille calor acquiritur successione temporis, atque ætatis permutatione: at pueri nullam sunt adhuc experti ætatis permutationem; itaque minime febricitabunt: quæ res tamen est omnium iudicio falsissima. *Impugnatio opinionis Donati Antonii.* *1. ratio.*

His accedit, quod semper calor acquisititius erit secundum naturam: quoniam id naturale dicitur, & secundum naturam, quod consequitur ætates. Nam quemadmodum ætas est secundum naturam, sic etiam, quodcunq; sequitur per se ætates ipsas, erit secundum naturam, at vero calor acquisititius fit ætatis decursu; quamobrem is esse præter naturam non potest: quod si non est præter naturam, opus est in eo, tanquam in genere febrem minime collocari. *2. ratio.* *Quid secundum naturam.*

Præterea si supponamus ex huiusce hominis opinione, hunc calorem esse præter naturam, adhuc sequitur, iuuenes, ac senes, &, qui medio quodam ordine sunt constituti, cum cõtinuo habeant calorem acquisititium, vt Donatus concludit, semper habere calorem extraneum: atq; in illis ab hoc calore nutritionem, concoctionem, aliaque omnia naturæ opera fieri; quod quam parum conueniat, nemo est meo quidem iudicio, vel etiam parum in Galeni doctrina exercitatus, qui nesciat. *3. ratio.*

Amplius: Natiuus calor, vt Galenus mille locis docuit, est omnium naturalium operum autor, & non solum ab ipsius generationis principiis, sed etiam ad finem vsq; vitæ omnes naturales operationes efficit. Hic itaq; calor vel est naturalis, vel acquisititius: si naturalis, iuuenes ac senes calorem habent acquisitum ætatum permutatione, qui secundum naturam inest; si vero est calor acquisititius; hic non poterit autor esse omnium operum naturalium: quoniam hoc solum conuenit innato calori, non autem calori præter naturam, siue acquisititio. *4. ratio.*

Ex his autem videre est, quam falso concludat, calorem acquisititium differre ab innato calore operationibus: quandoquidem operatio caloris acquisititius in iuuenibus, ac senibus est, eodem Donato teste, corrumpere, alterare, interimere; verum hoc non potest consistere, quia calor in his ætatibus nihil horum efficit; sed potius contra perficit omnes naturales actiones. Nam si harum nõ esset actionum autor, sed illarũ, vtiq; semper hæ ætates essent præter naturam; cũ ab illis actiones fiant præter naturã: quorum enim sunt effectus præter naturam, illorum etiam causæ sunt in eodem genere. *Corollaria.* *Primum.*

igitur febris passio est non solum calida, sed etiam sicca. Si autem cum febre aliquando humiditas connectitur, non est id de ratione febris, quatenus febris est; verum ex humoris conditione, in quo ille præternaturalis calor pabulatur, vt suo loco declarabimus, proficiscitur: hæc est forma febris, & quidditas.

Qua febris quidditas & causa continentur. Lipyriæ febres malignæ.

Causa vero, propter quā fit, est calor ille igneus: hic.n. totam essentiam & substantiam febris continet: satis est autem pro illius essentia, q̃ per vniuersum corpus è corde distribuatur: aut certe in nobilissimis, & præcipuis partibus contineatur: sunt enim continuæ quædam febres lipyriæ, seu valde malignæ dictæ, in quibus fortis quædam partium extremarum refrigeratio semper aduenit ob maximam inflammationē in ipsis visceribus ortam.

Quod duplex calor in nobis consistat; quotue modis inuicem differant, ex Galeni monumentis?

CAP. IIX.

Galeni defensio.

Hic vero pro eorum, quæ supra diximus, confirmatione, docendum est, quot in nobis calores consistant: & sub quo, tanquam sub suo genere febris ipsa contineatur: Deinde vero quomodo hi calores differant: in quibus explicandis nos Galenum interpretantes, quem perperam intellexerunt recentiores Medici, nonnulla explicabimus præter communem aliorum fere omnium sententiam.

Quid per calorem intelligamus. Non est idē Calor, & Calidum.

Illud itaq; inprimis dicamus, febrem calorem esse; qua voce nos intelligimus qualitatem & accidens, non substantiam: est enim febris accidentaria quædam forma. Diuersas namq; significationes habent calor, & calidum: siue calor naturalis, & calidum innatum: illius siquidem nomine nihil aliud audimus, quam substantiam calidam: quam Galenus aliquando aeream & aqueam esse tradidit, essentiamq; in sanguine, sanguineisq; visceribus repositam habere. Huius autem vocabuli, qualitatem, & accidens intelligimus.

Duplex calidum in humano corpore inuenitur.

6. epid. sect. 4. c. 21.

Gal. in aph. 14.

Igitur hoc supposito, quod nullam difficultatem habet: animaduertendum est in humano corpore duplex calidum reperiri: quorum alterum natiuum, & innatum, & naturale: alterum autem acquisititium, non naturale, & præter naturam nuncupatur. Rem hoc modo habere Hippocratis primum, & Galeni testimonio demonstremus. Hæc habet Galenus *libro sexto de popularibus morbis; quod geminum in animalium corpore calidum agnouit Hippocrates: alterum quidem, quod ipse ingenitum vocat essentiam in sanguine, sanguineisq; visceribus repositam habens: alterum vero acre, mordax, & igneum, sub quo genere & febris est in multis quidem ipsius voluminibus declaratum fuit.* Et parū infra addit: *At Hippocraticos viros saltem non decebat Hippocratis decreta improbare; ea perinde interpretantes, ac si vnius generis calor in animalibus existeret.* & in alio opere sic ait: *alioquin febricitantes dicere mus plurimum habere calorem innatum: qui nedum plus, neq; priori habent æqualem: Bene enim temperatæ est caloris innati substantia: Ignea aūt aduentitii: & qui caloris aduentitii sunt per totum corpus effluxus: fumei, fuliginosi, aridiq; & acres: Contra vaporosi, suaues, & bene temperati caloris natiui: & tu hæc potes tactu discernere. Nam sanorum calor vaporosus est, atq; suauis ex tactu conueniens, nihil triste, nihil asperum, nihil mordax præ se ferens: eorum non qui febricitant, & præcipue hecticas febres, aut eas, quæ ex putredine humorum ortum habent, acris est, & insuauis, ac mordax. & nostrum corrodens tactum.*

1. aph. 14. & 15. 6. epid. sect. 4. c. [illegible]

Gal. lib. 12. c. defect. [illegible] cap. 4. & 2. meth.

De vtroq; calore sic locutus est Hippocrates; de naturali. *qui crescunt, plurimū habent calidi innati.* & in altero aphorismo. *ventres hyeme, & vere calidissimi sunt, &c.* de extraneo autem hisce verbis: *Vētres calidi, carnes autem frigidæ.* De naturali alio quodam loco Galenus sic loquitur: *ille alimēta probe coquit in ventre, & venis, & partibus singulis.* de altero autem hæc habet; *ascititius vero corrumpit in qualitatem, frigida quidem alimenta, acidam: calida vero indurulentam: & transpirationem efficit calidam, & mordentem qua cute adstricta statim febrem efficiat, cum* ille

ille transpirationem efficiat suauem, & morsus expertem, & densata cute non febrem, sed tantum pletoram faciat. Et alibi, *quicquid in rebus subsistit, augetur, roboratur, sanum est, dum proprio & naturali calore regitur; quem in animalium corde seruat respiratio, & per cutim transpiratio: alter alienus, ac præter naturam in corporibus excitatus, primum quidem succos, ob humiditatem putrefacit, & corrumpit, tandem vero adipem & carnem. lib. de difficultate respirationis cap. 12.* sic ait; *duplicem semper intelligere iuxta genus calorem oportet: alterum genuinum, & corpori innatum: alterum vero acquisititium, & spurium.* & *in Tractatione de tremore, rigore, & palpitatione,* de vtroq; calore meminit; sed multo distinctius *libro tertio de causis pulsuum* hisce verbis; *neq; enim ille absolute dixit* (de Hippocrate loquitur) *quæ augentur, plurimum habent calidi; sed innatũ addidit, vt qui alterum sciret calidum acquisititium esse, quod plurimum iuuenibus suppeditat: nam temperatus est natiuus calor, acquisititius autem intemperatus, & quasi igneus.* & subdit; *sic enim carnes vere & hyeme calidissimi sunt: imo ne ii quidem calidissimi absolute, sed calore natiuo: æstate paucissimum hunc habent, abundant vero aduentitio calore, & squalido: vnde marcescit potius, quam nutritur corpus: præterea functiones tantum abest, vt meliores reddat, vt illæ ne æquent quidem illas, quæ in moderato obeunt.* Præterea Galenus exponens eum aphorismum. *frigidi sudores, cum acuta quidem febre mortem, cum mitiore autem longitudinem morbi significant.* Duos calores consistere in nobis, alterum præter naturam: alterum vero insitum & naturalem; eosq; inuicem differre manifestissime significauit: dum idcirco in acuta febre sudores frigidos aduenire tradidit, quia calor natiuus vel extinctus sit, vel certe proximus extinctioni: alter autem febrilis vehementissimus existat: illiusque causa fieri sudores frigidos: huius vero acutam febrem, quo nihil (meo quidem iudicio) clarius in proposito negotio, inueniri, aut excogitari potuit: Alter etiam est eiusdem Galeni locus *in libro tertio de morbis popularibus:* quo loco sic inquit: *Calorem febrilem ob succos putrescentes accensum, in febre acuta primo die euaporasse: relictum vero natiuum solum, ita imbecillum, vt iam extingueretur, priusquam calor febrilis rursus accenderetur: ob id secundo die extrema refrigerata, & magis manum, & caput, & ægrum mutum, euasisse, affirmat Hippocrates.* Verum si omnes Galeni locos prosequerer, quibus is, duos nostris in corporibus calores admittit, ego profecto nimia prolixitate vterer, quamobrem his contentus, ad reliqua non minoris difficultatis dilucidanda, nunc accedendum est.

cap. 6.

Galen. 3. de caus. puls. cap. 6.

4. apoph. com. 37.

Gal. lib. 3. epid. sect. 3. com.

Itaque supposito Hippocratem, & Galenum duos in nobis calores admittere, doceamus an isti calores idem re ipsa sint, an autem differant?

Nos quidem illos inuicem differre, & non mediocriter, arbitramur. Nam quorum actiones inuicem differunt, illorum etiam substantiæ, à quibus actiones prodeunt, diuersæ sunt: at naturalis caloris actiones plurimum differunt, ab actionibus caloris præternaturalis: nam illius potissima actio est vitæ custodia; huius autem vitæ abolitio: ille humores concoquit; apponit, assimilat; hic inflammat, ac putrefacit: ille omnes actiones in sanis corporibus efficit; hic vero omnes, vt vno dicam verbo, labefactat: Quamobrem inuicem differre supponamus, atq; hoc loco inquiramus quænam sit inter eos differentia: quodcunque enim differre ab altero dicitur, id altero ex tribus modis differre vel scilicet genere, vel specie, vel numero: sic quæ eadem dicuntur; ea talia sunt vel genere, vel specie, vel numero. Quomodo itaque inuicem differant hi duo calores, non facile est docere, quandoquidem maximæ sunt inter omnes neotericos scriptores controuersiæ de horum calorum differentia: horum tamen maior pars affirmare videtur, non differre neq; genere, neque etiam specie; sed solo numero; verum in quanto errore versentur, ex iis manifestum fiet, quæ nos posthac diligenter docebimus: sed primo loco doceamus, duos istos calores contrarios esse.

Quod calores illi duo sint differentes.

Idem, ac diuersum tripliciter. Ex Arist. in topic.

Errores neotericorũ.

Illa sunt contraria, quorum vnum, alterius corruptiuum est: hæc enim vera est contrariorum natura, quod se inuicem perimant, nec simul perma-

Contraria.

nere

nere longo tempore queant, vt omnes philosophi docuere. Duo isti calores talem vim habent, quod vnum positum, alterum interimit.

Calorē naturalem & extraneum contrarios existere.

Calorem quidem præternaturalem, & extraneum, natiuum, & insitum extinguere, ac perimere, tum ex iis patet, quæ supra ex Galeno, & Hippocrate tradidimus, cum ex Aristotele *libro quarto metheorologicorum*, qui definiens putredinem, dixit esse corruptionē natiui calidi, à calido externo: & omnem corruptionem à suo contrario fieri tradidit; veluti nos in sequentibus libris, cum de putridis febribus tractabimus, & edocebimus.

Secunda ratio.

Hoc etiam alia ratione confirmari potest: *illa sunt contraria, quorum actiones inuicem contraria sunt: at caloris naturalis, at illius, qui est præter naturam actiones non solum diuersæ, sed etiam contrariæ sunt; quamobrem recte contraria sunt.*

Contrariorum duplex doctrina.

Verum hoc loco animaduertere oportet, duas esse contrariorum differentias: quædam enim contraria dicuntur extrema: de quibus dictum est ab Aristotele: contraria sunt, quæ sub eodem genere posita, maximè distant, vt album, & nigrum; calidum, frigidum, atq; alia id generis: alia vero contraria sunt, non extrema; sed medium vnum, alterum extremum: quandoquidem media suis extremis collata dicuntur contraria; vt optime sentit Auerrhoes hisce verbis. *Medium est contrarium extremo, per id, quod habet in se de alio extremo.* neq; tamen ita contraria sunt media extremis, quemadmodum extrema extremis: quoniam horum contrarietas multo maior est quam illorum: atq; propterea in alio loco idem Auerrhoes dicebat; *media quæ sunt inter contraria, non simpliciter sunt contraria extremis*; sed cur *non simpliciter* dixit? quia extrema multo maiorem contrarietatem habent: media vero contraria sunt extremis, quatenus altero extremo participant. Diximus autem, *quatenus altero extremo participant*, quia media sub duplici differentia inueniuntur: quædam enim vera sunt media, & secundum prius dicta, & sunt media inter duo contraria, cuius esse consistit in complexione duarum extremitatum; & est secundum quidditatem diuersa ab extremis; alia vero dicuntur media, secundum similitudinem, & secundum posterius, & sunt media inter duo contraria secundum quantitatem tantum: hæc sane non differunt specie ab extremis: neq; etiam contrariantur extremis.

Quod media contraria sunt extremis, ex Auerrhoe.
2. meth. 52.
1. ph. 47.
1. de cœlo 2.
1. de gen. 5.
3. phys. 42.
3. de cœlo 42.
3. metheororum 2.

His hoc modo suppositis; ostendamus, quomodo calor naturalis sit contrarius calori præternaturali. Pro cuius rei explicatione scire oportet, quod calor naturalis sit quædam qualitas temperata ex contrariorum permistione: ita tamen temperata est, quod calida elementa frigida euineunt; non multo tamen interuallo: alioquin in ipsa elementorū permistione minime simul cum frigiditate permaneret, atque contemperaretur calidum; ita quidem communis est omnium Medicorum sententia: at calor præter naturam, extraneus, ac igneus non est qualitas ex extremis composita; sed ipsum potius extremum; ignea scilicet qualitas, nullam permistionem cum frigidis qualitatibus habens: quoniam itaq; id, quod vere medium existit, secundum extremorum compositionem; contrarium putatur ei, quod extremum est; recte quidem concludi posse arbitramur, naturalem calorē igneo contrarium esse: qui extremæ cuiusdam qualitatis naturam sapiat. Atq; hac ratione, vt supra admonuimus, Aristoteles, calidum ambientis contrariari insito significauit, postquam docuit omnem corruptionem fieri à contrario, putredinem vero esse quandam corruptionem à calido ambientis.

Gal. 1. aph. 14.
Calor naturalis est qualitas temperata.
Arist. libr. 4. metheor.

Videor hactenus exposuisse modum, quo putem ego recte concludi posse duos istos calores esse contrarios: nunc doceamus, quomodo inuicem differant.

Quomodo naturalis calor ab eo qui est præter naturā, differat.

Primum itaq; apud omnes homines constat, duos istos calores numero diuersos esse: hoc enim nullam habere difficultatem potest.

Cæterum, meo quidem iudicio, differunt etiam specie: quoniam extrema specie differunt ab illis mediis, quæ constant ex permistione extremorum,

morum, vt supra ex Auerrhoe demonstrauimus. Genere autem tum iidem, tum etiam diuersi dici possunt.

Iidem quidem, quoniam in hoc conueniunt, quod sint calores, & qualitates quædam elementariæ; quæ omnes referri debent sub vnum prædicamentum qualitatis.

Diuersi vero genere statuendi sunt hi calores, non genere logico, sed medico.

Quod autem ego hic dicere volo, est hoc. Calor naturalis à Medicis refertur sub genus eorum, quæ se habent secundum naturam: alter vero in genus affectuum præter naturam: Tres enim sunt partes præcipuæ medicæ facultatis; altera, quæ de rebus naturalibus transigit: altera res non naturales prosequitur: tertia vero res præter naturam contemplatur: genus quidem illius est, res naturalis: at genus caloris extranei, res præter naturam.

Habet autem hoc loco dubitationem minime contemnendam, quæ plurimum omnes nostri temporis Medicos, ac etiam vetustiores agitauit, quod nos diximus, hosce duos calores specie inter se diuersos esse: non enim recte videretur Aristoteles Peripateticorum princeps venatum fuisse elementorum numerum ex numero primarum qualitatum; cum enim illæ tantum sint quatuor; ex horum complexione quatuor elementa resultasse scribit: sed certe is non recte (inquam ego) concludit, quoniam quinq; sunt primæ qualitates: frigidum, humidum, siccum, & calores duo. *Ardua dubitatio.*

Hæc autem quæstio secundum nostra principia hoc modo soluitur. Vna est caliditas, quæ prima est qualitas: calor naturalis, & calor præternaturalis, quatenus calores sunt, inuicem conueniunt, & idem sunt genere, vt supra diximus: verum quatenus naturalis est vnus: alter vero est præter naturam, eatenus dicuntur diuersi. At natiuus calor non est prima qualitas: sed est quoddam commistum ex omnibus primis qualitatibus superante tamen calido. Quamobrem non recte concluditur duas esse primas qualitates caliditas, ex eo, quod duo calores, naturalis, atque præter naturam inuicem specie differant, sintque contrarii. Hoc si nostrates Medici diligenter animaduertissent, vt profecto debuerant, nihil fuisset, quod tantum in huius difficultatis explicatione laborassent. *Solutio.*

Rursus autem habet secundo loco difficultatem, quomodo, cum contrariæ sint formæ, naturalis, & extraneus calor, in eodem subiecto possint consistere: nam contrariorum natura est, quod permanere in eodem subiecto non possunt. *2. difficultas.*

Deinde vero impossibile videtur plures formas in eodem subiecto seruari posse: quoniam rei vnius vna est forma.

Difficultati respondet Donatus Antonius; nihil referre (inquiens) in Aristotelis & Galeni doctrina, plures tum formas, tum qualitates, ac facultates, etiam contrarias in mixtis seruari posse, eo magis cum vna se habeat vt substantia, reliqua vt accidens. Non inconuenit ergo, quod in eadem substantia calidi innati eodemque subiecto formæ adsit, & qualitas ipsius propria, & ea, quæ febris est, cum forma, tum qualitas, tumque accidens: nam idem Galenus *5. & 4. de simplicium medicamentorum facultatibus* nonnullas in mixtis inesse tum facultates, tum qualitates per se, non diuersas duntaxat, sed contrarias, scriptum reliquit: quemadmodum etiam pro absurdo haudquaquam habemus geminum semper in animalium corporibus reperiri calidū, quorum alterum ab altero nomine, substantia, qualitate, & operatione dissentire fatemur. Hæc summa est Altimari sententia. Quæ tamen, quamuis habeat veritatem (me tamen iudice) difficultatem non soluit. Namque nullam aliquando controuersiam habuit, quod in mixtis contraria seruari possint: sic enim ex elementorum permistione, quorum tamen qualitates contrariæ sunt, vnumquodque corpus generatur: sic ex quatuor humoribus, qui elemen- *Altimari solutio. lib. 1. c. 10.* *5. simpl. c. 14. & 4. simpl. c. 2.* *Inexpugnatio opere tamen Altimari.*

clementis proportione correſpondent, humanum corpus nutritur: nec id quidem mirum; nam ex eiſdem nutrimur, ex quibus conſtamus; vt Ariſto- *2. de anima.* teles docuit. De hac igitur re nulla eſt quæſtio; verum an poſt miſtionem duo contraria in eodem ſubiecto poſſint conſeruari: quemadmodum videmus in febrili calore, & naturali; qui contrarietatem habent, vt ſupra comprobauimus.

Propria opinio. Nos itaque putamus difficultati eſſe hoc modo reſpondendum. Contraria ſuis viribus prædita diu ſimul manere non poſſe: quoniam ex illa mutua actione & paſſione, quam ſemper habent, alterũ debet euincere, & corrumpere; vel ambo contraria delitеſcere oportet. Poſſunt nihilominus aliquo tempore conſeruari, dum videlicet agunt & patiuntur: tunc enim ſimul *In poſterioribus præcedentis cap. de oppoſitionib.* ſtant in eodem ſubiecto; quoniam contraria, teſte Ariſtotele nata ſunt fieri circa idem ſubiectum: dum ergo fiunt ſimul eſſe neceſſe eſt; atq; alterum in alterum agere: hoc modo putamus nos calorem naturalem; & eum, qui eſt præter naturam, in eadem ſubſtantia caloris innati permanere; donec ſcilicet inuicem agentes, alterum, alterius corruptionem quærit. Hæc certe vera eſt huiuſce quæſtionis ſolutio.

Quid ſit calidum innatum: quid calidum præter naturam: quomodo differat calidum præter naturam à calido acquiſititio: & quotuplex calidum præter naturam.

Cap. IX.



QVoniam nos in ſuperioribus de calido innato meminimus, & poſthac nonnulla dicturi ſumus; vt hæc obſcuritatem non faciant, decreuimus hoc loco de calido innato breuiter diſputare, atque ſimul patefacere, quid ſit calidum præter naturam, in quibus à calido acquiſititio differat; & quotuplex ſit: in quibus enarrandis nos errores quorundam recentiorũ, potiſſimum vero Donati Antonii detegemus. Sed inprimis animaduertere oportet, tractationẽ de innato calido ad aliam facultatem, quam ad præſentem, in qua de febribus agimus, pertinere: propter quam cauſam hic breuiſſime, quantum ſcilicet huic negotio neceſſarium videbitur, de calido innato diſputantes, ea præſupponere oportebit; quæ alibi ſunt à nobis diligentius demonſtrata.

Calidũ innatum eſt natura & temperamentũ corporis animati. Quamobrem ſcire oportet, calorem innatum nihil aliud eſſe apud præclariſſimos Medicos, & philoſophos, quam corporis viuentis naturam & temperamentum. *Nihil enim* (inquit Galenus) *aliud quicquam eſt connatum calidum apud Hippocratem, quam temperatura corporis animati*; & Hippocrates *libro de hominis natura*, temperiem ipſam vocauit animati corporis naturam, ſic enim ait; *nempe talis eſt tum animantium, tum cæterarum rerum omnium natura.* & Gale- *Com. 14.* nus *libro primo aphoriſmorum* inquit: *Calor natiuus eſt natura noſtra.* & alibi; *calor natiuus eſt illa natura, quæ ſolida regit corpora.* ac rurſus: *Calor innatus eſt facultas, gubernans corpora noſtra.* & *libro de tremore, rigore, & palpitatione*; *calor innatus, eſt generationis principium*; &, *eſt noſtra natura.* & *8. de Plac. Hippocratis & Platonis* ait; *calorem natiuum, omnium naturalium operum autorem eſſe Hippocrates ait, Plato non calorem, ſed ignem nominat.*

Confutatio ex Alexandro Aphrodiſæo. Alexander autem Aphrodiſæus rem videtur mihi diligentiſſime declaraſſe, dum *in libro de febribus* ſic inquit; *Omne namq; inſtrumentum proportionale cum eo, cuius eſt inſtrumentum, eſſe neceſſe eſt: quod ſi ſecus fuerit, fruſtra aſsignatur inſtrumentum; oportet igitur connatum calorem eſſe ſimplicem, indiſſolubilemq; complexionem, ad hoc, vt ſit animæ inſtrumentum. Ipſa namq; vndiq; moderata, & temperata craſis, & ad animæ potentias comparata, & ad earundem opera relata ſemper eſt proportionalis, & quodammodo ſimilis. Hæc profecto temperies & naturalis, & inſita caliditas æqualiter nuncupatur. Naturalis; & inſita dicitur, quoniam ex primis inſitis naturæ principiis eſt*

exorta;

exorta; calida vero nominatur, quoniam calor in ipsarum qualitatum temperie cæteras qualitates superat; idq; iure euenit, quando omnium qualitatum caliditas est efficacissima, hæc Alexander.

Calidum innatũ quid dicatur.

Ex his itaq; satis arbitror manifestum, temperiem corporis, naturam, & innatum calidum, idem significare, tum apud medicos, tum philosophos.

Temperies.

Temperies quidem nuncupatur, quoniam primæ facultates optime inter se contemperatæ, & moderatæ sunt.

Calor.

Calor autem dicitur, quoniam in ipsa elementorum permistione calor omnibus præfertur: hic enim cæteris collatis sese habet, vt agens, & vt forma; reliqua vero vt materia, & vt patiens: nam proprium caloris est componere, & congregare homogenea, alienaq; ab eis separare. Hoc quidem pacto necesse est, vt fiat mixtorum corporum generatio, vt scil. vi agentis ea in vnum componantur, quæ naturæ mixti conueniant; aliena non abiiciantur.

Est etiam, vt diximus, veluti forma aliorum elementorum, quæ ad mistionem veniunt: nam vi caloris continentur in vnum ea, quæ sunt inuicem composita, & commista.

Insitus.

Porro insitus dicitur, & connatus calor, quoniam à primis generationis principiis inseritur in corpore. Prima vero principia sunt tum elementa, tum quæ hæc continent sanguis menstruus, & genitale semen.

Natura.

At vero natura etiam dicitur, quia is calor est omniũ naturalium operum effector, & nostræ generationis principium: Nihil autem est ipsa natura, quam causa rerũ naturalium, & principium motus, & quietis, eius in quo est, primo, ac per se, & non secundum accidens, vt Aristoteles definit *libro physicæ auscultationis secundo.*

Animæ instrumentũ.

Itaq; ex his, quæ diximus, colligendum est innatum calidum, temperiem corporis; & naturam, idem apud Galenum significare: nihilq; aliud esse, quam animæ instrumentum, quo iure omnes suas operationes efficit.

Quodnam instrumentum sit calidum innatum.

Verum quoniam duplex est instrumentorum natura: quoddam enim solummodo præparans, & disponens instrumentum dicitur: alterum autem eo, quod res perficit, ac absoluit, perficiens, absoluensq; instrumentum appellatur; scire oportet innatum hoc calidum, secundum suam naturam acceptum, ea scilicet ratione, qua à spirituum substantia distinguitur, instrumentum esse ex eorum numero, quæ solum alterant, ac disponunt, non autem rem ipsam absolutam, ac perfectam reddunt. Ipsum namque est præparans animæ organum, pro quacunque perfectione, & fine in animante corpore consequendo.

Quomodo temperamentum sit animæ perfectum instrumentũ.

Sed si innatum calidum ea ratione desumamus, qua cũ spiritibus connexum est, tum dici organum debet, non solum alterans, & disponens, verum etiam absoluens: atque hac sane ratione interpretari oportet Galeni sententias, quibus is annuere videtur temperamentum esse perfectum instrumentum animæ: hoc quidem intelligitur, veluti diximus, de innato calore, quatenus est id suis spiritibus tam influentibus, quam insitis cõnexum; & quatenus ad agendum semper sunt simul calor, & spiritus. Hoc profecto significauit Galenus *primo aphorismorum* his verbis. *Verum ipsius primæ nostræ naturæ, seu temperamenti tria sunt, quæ substantiam complent: Spiritus scilicet, sanguis, & seminalis humiditas ex libro vndecimo methodi medendi* confirmat, naturam ex tribus partibus constare, ex spiritu videlicet, ex solidarum partium substantia, quæ partes ex genitali semine conditæ sunt, & tertio ex carnosa substantia, quæ ex sanguine gignitur: sic vtique Galenus tam partium natiuam temperiem, quam musculorum totius corporis, suis debitis spiritibus præditam perfectam dicit esse animantis naturam, & absolutum animæ instrumentum pro omnium operationum perfectione. *cap. 14.*

Dubitatio difficilis.

Habet autem hoc loco dubitationem ea distinctio, quam nos attulimus, dum calidum innatum aliquando alterans & disponens tantummodo

C instru-

instrumentũ animæ; aliquando vero etiam perficiens nuncupauimus: quoniam antiquiores nullam huiusce rei facere distinctionem videntur; quinimo omnes admittunt, calorem hunc naturalem esse perfectum animæ instrumentum. Sic enim Aristoteles inquit *in libello de iuuentute ac senectute*. *Omnes autem partes, & vniuersum animalium corpus connatam habet caliditatem; quapropter dum viuunt quidem, apparent calida, omnia namq; conficiunt, & alimentum concoquunt naturali calido, idq; inprimis, quod præcipuum est cor, vel quod illi proportione respondet.* Idem *in libro de respiratione* affirmans ait: *quoniam autem dictum est prius, quod viuere, & ipsius animæ habitus non nisi cum quadam est caliditate concoctio, namq; per quam alimentum animalibus præparatur sine anima, & calore non conficitur; igne namq; omnia operantur.* Alexander Aphrodisæus maximus post Aristotelẽ philosophus idẽ confirmans inquit; *neq; enim possibile est animam citra eiusce modi calorem in aliquod agendi munus descendere.* idemq; in plurimis locis Galenum confirmasse legimus, primo enim *aphorismorum* inquit; *hic namq; calor solus animal ab initio efformauit, postea auxit, & vsq; ad mortẽ enutriuit. & vt paucis finiam, hic calor est causa omnium operum naturalium, nec aliud quicquam est natura animalium, quã hoc calidum innatũ secundum Hippocratis opinionem.* Ex libro *secundo ad Glauconem: natiuus calor fortasse substantia virtutum existit, aut si non hoc saltem primum, & maxime necessarium ipsarum instrumentum.* & *in libro octauo de placit. Hippocratis, & Platonis* scribit: *Hippocrates vero semper innatum calidum omnium naturalium operum esse autorem testatur. In libro de tremore & rigore* sic ait: *Calidum innatum, quod & naturale & primarium insitumq; vocamus, & præter ipsum natura, atq; anima nihil est, vt essentiam seipsam mouentem, semperq; mobilem existimans, nihil erres.* Hæc & alia quam plurima eiusdem argumenti passim apud Galenum leguntur, quæ suprapositam distinctionem suspectam reddunt.

Ex Aristotele. *Ex Alexandro Aphrodiseo.* *Ex Galeno.*

Solutio.

Pro horum igitur omnium clara dilucidatione primum dicimus, quod calor & spiritus fere semper simul insint, nec vnquam inuicem disiungantur, quando perpetuo mutuo se fouent, & conseruant: quod tum ipsorum instrumenta attestantur, arteriæ scilicet, & venæ, quibus ipsi reconduntur, quæ per animantium corpora, quasi semper simul incedunt, & raro inuicem separantur. Tum etiam eorundem functiones fidem faciunt, quæ naturali quodam ordine se consequuntur. Nam quantum calor naturaliter alterando præparat; tantundem spiritus rem absoluendo, perficit: & hac profecto ratione, quod mutuo se alunt, & vna semper sunt calor & spiritus ad opus perficiendum, effectum est, vt ambo vno communi nomine vt plurimum à Medicis, & à philosophis sint nuncupati. Quare modo sub calidi, modo sub naturæ, modo sub temperiei nuncupatione significentur: &, vt nomine isti abutuntur, ita & earundem operationes confundunt: nam sæpissime, quæ spiritus, aut quæ vtriusq; sunt functiones, soli calori attribuunt, aliquando & spiritui, nullo habito ipsorum discrimine.

Quod calor, et spiritus nunquam à se inuicem disiungi.

Quamobrem concludimus, quod ob prædictas rationes isti sub nomine innati calidi, & temperiei, ac naturæ quasi semper calidum & spiritum simul intelligunt. Simulque etiam eorundem diuersas actiones, vnam esse dicunt. Et sub hac significatione Galenus *libro quinto de simplic. medicamentorum facultatibus* calorem insitum explicauit, dum dixit: *Verum nihil prohibet sanguineam substantiam, simulq; aeream vna cum spiritu calidum inaudire innatum.*

Dictorum conclusio.

At vero nos rei naturam insequentes, putamus calidum innatum, atq; spiritum inuicem re ipsa distingui, quemadmodum alio in opere diligentissime sumus prosecuti.

Cæterum hoc loco, anteaquam huic disputationi finem imponam, explicare oportet, quid hac in re diuinus Plato senserit: & quid Aristoteles Peripateticorum princeps, ostendendumque est à nobis, duos istos præclarissimos autores à Medicorum sententiis minime dissentire, quemadmodum perperam sentit Donatus Antonius Medicus Neapolitanus.

Opinio Platonis de calido innato.

Plato igitur *in Thimæo* inquit: *Omne animal in sanguine, & venis calorem, quasi ignis quendam fontem habet.* Ac rursus *eodem libro; quod igitur* (ait) *ex ignis excessu ægrotat corpus manifestum.*

Ex his, atque aliis quam plurimis huius diuini hominis monumentis videre est, Platonem calorem naturalem ignis nomine nuncupasse, quod meo quidem iudicio non est perperam factum; nam ignis, & naturalis calor eisdem facultatibus præditi sunt, quod videlicet sursum & deorsum naturaliter ferantur, & quod perpetuo quodam fomento indigeant, quo præseruentur. Ignis namque cum rarissimus & leuissimus sit, ac statim ad superiores auras euolet; rarissima etiam, atque paucissima materia præditus est; cuius causa maxime corruptioni obnoxius est; exigua namque, & rara eius materia existens, ob raritatem suam facile dispergitur, ac totam se exponit viribus agentis; quod non faceret, si in se ipsa constipata esset, & collecta; quare facile vincitur, & corrumpitur vi corporis alieni.

Ignis substantia.

Cur ignis indiget alimento.

Hac profecto ratione videmus, quemadmodum ignis apud nos existens, neutiquam ipse per se consistere possit, sicuti aliorum elementorum particulæ consistunt, & propterea continuo indiget nutrimento ex quo possit continuato tenore generari, atque fluere veluti à quodam fonte, ex quo in sublime velut fluuius quidam feratur, paululumq; post ad imum alimenti appetens, trahatur.

Sursum itaque atque deorsum ignis naturaliter fertur; sursum propria leuitate, deorsum, alimenti appetitu, vt alatur, ac sustentetur.

Alimentũ ignis familiare.

Familiare autem ignis alimentum est vapor aeris, præsertim si immistus fuerit terrestri siccitati, seu terræ exhalationi: vi ergo ignis à combustibili corpore resoluitur vapor istiusmodi, qui statim correptus ab igne flamma efficitur: hæc namq; ab eo fonte, vbi vapor ille resoluitur, fluit cõtinuato lapsu ad superna; & ne confestim intercidat, ad alimentum mox se cõuertit.

Caloris innati cum igne similitudo.

Æquali plane fortuna (ait Galenus) in animantium corporibus calor innatus se continet: nam *in libello de rigore, tremore, ac conuulsione calidi innati* essentiam ex Hippocratis doctrina explicans inquit: *Vniuersum animantiũ corpus confluxibile, & transpirabile existit.*

Calorem autem non acquisititium, vel animalis generatione posteriorem; verum ipsum primum, primogenitum, & insitum; ac natura & anima nihil aliud, quam hic existit, vt essentiam se ipsam mouentem semperq; mobilem existimans non erres.

Qua enim semper mobilis est insitus calor, non intra tantum extra'ue mouetur, sed aliud alium motum semper excipit: nam intra firmus, immobilis ocius euaderet; extrorsum dissiparetur & periret: modice autem extinctus, ac modice adauctus, (vt Heraclito placuit) perpetuo mouetur: succenditur quidem ad ima lapsus, quo alatur appetens: at auctus, & vndequaq; expansus, extinguitur: quod autem extrorsum exeat, & efferatur (ac vt sic dicat aliquis) explicetur à principio proprio; quia calidum natura est, obtinuit: intro autem fertur, & deorsum (hoc est ad proprium principium viam init) & vt alimento foueatur: & quoniam frigidi aliquatenus particeps est; quippe ex calido, & frigido temperatus. Prima sane calidi ratione sua sponte mouetur, atque hac potissimum ad actiones indiget: magnum tamen ipsi vsum. & frigidum exhibet. Solet enim calidum in sublime attolli. & cum eo alimentum adducere: si autem frigidum non obstaret, etiam longissime procederet, sit autem frigidum huiusmodi caloris motui impedimentum ne dispersus aboleatur; quippe periculum est, ne ipse præ leuitate, & impetu sursum à corporibus discedat, sed frigidum retinet, impeditq; & vehementiam nimii huiusce motus tollit. Hæc Galenus.

Ex quibus manifestissime colligere possumus, nisi meum me fallit iudicium, maximam cum igne affinitatem; & similitudinem habere innatum calidum; atque à diuino Platone recte factum fuisse, cum ignis nomine hoc insitum calidum nuncupauit: non eà tamen ratione, quod re ipsa sit ignis, sed quoniam quo ad motum, & quo ad nutrimentum videtur esse eiusdem naturæ cum igne.

lib. 8. de placitis c. 7. Verum Altimarus Platonem refellit quibusdam Galeni verbis, quæ in hunc modum habent; *Melius tamen erat, non ignis, sed insiti caloris fontem dicere in corporibus nostris esse, vt Hippocrates vbique appellauit. Nam si ab igne ciborum concoctio, digestio, sanguificatio, & nutritio fieret, melius, & citius hæc in febrientibus conspicerentur absolui: sed insitus calor temperatus cum sit substantia quidem in sanguine, & pituita subsistit maxime: qualitate est congrue ex qualitate, & frigiditate contemperatus.*

cap. 14. Hanc eandem Platonis sententiam idem Galenus impugnare videtur *primo aphorismorum* dum ait; *cum igitur magis terrestre efficitur animalis corpus (tale enim quotidie efficitur dum augetur) tunc licet vehementer valde calidum existant, & igneum, substantiam tamen insiti caloris paucissimam habent; alioquin diceremus febricitantes plurimum habere calorem innatum, cui non modo plus, sed ne priori quidem habent æquale.*

Hæ præstantissimæ sunt, si Diis placet, Donati Antonii rationes, quibus putat refelli posse opinionem Platonis.

Nos autem pro nostra consuetudine videamus, quem exitum habere possunt.

Defensio Platonis contra Altimarum. Duo hic adnotanda sunt; quorum alterum ad Galenum, alterum vero ad Platonem pertinet.

Galenus quidem non videtur mihi refellere opinionem Platonis; sed eam cum Hippocratis sententia conferens dixit, meliorem esse opinionem huius viri, quam *Platonis*; qui insitum calidum vocauit, naturam, & temperiem corporis: *Galeni exempla.* nam hoc calidum cum sit cum ipsa frigiditate contemperatum, non potest recte ignis nominari, qui caliditatem summam habet, nulli frigiditati permistam; quamobrem rectius à dominante qualitate insitum calidum, quam ignis nuncupabitur. Non tamen, quod etiam à Platone recte factum fuerit, qui ignem nuncupauerit: Qua voce is potest tria intelligere; *Quid Plato per ignem intelligat.* vel ignem hunc materialem, qualis est carbo; vel flammam: vel ignem æthereum: is certe non intellexit materialem ignem; vt qui sciret, calorem nostrum ex contrariis vere temperatum esse; ignemque hanc moderationem non habere, sed ignem æthereum intellexit; qui in nobis cõtinuo operatur; quasi quod hisce verbis voluerit significare nobis calorem quendam in animatis corporibus consistere citra elementorum conditionem. Hic ignis non adurit, sed salutaris existens proxima est causa, vt alibi diximus, vitæ vniuscuiusq; animalis.

Optima explicatio verborum Galeni. Galenus vero, ne quis putaret illa voce intellexisse Platonem ignem materialem, ostendere voluit illis rationibus, non recte insitum calidum ignis nomine appellandum esse: non quod ignoraret, qualem in hac re sententiam habuerit Plato: atque hac ratione nihil concludunt hæ rationes contra sententiam Platonis, verum potius contra homines male diuini huius hominis opinionem interpretantes.

Explicatio Platonis. Quantum vero ad Platonem pertinet, sciendum est hunc non dixisse insitum calidum esse *ignem*, sed *quasi ignem*, vt eius verba manifestum faciunt, ex quibus colligere est, cognouisse illum, calorem non esse vere ignem; igni tamen quo ad perpetuum nutrimentum, & motum, quam simillimum existere: ac idcirco non dixit *ignem*, sed *quasi ignem*. Deinde vero etiam si ignem dixisset, dupliciter posset eius opinio sustineri; primo si diceremus intelligere de igne æthereo & diuino; non materiali; qua appellatione is frequentissime vsus est, vt *in Thimæo* legere est. *Cur Plato calidum innatum vocauerit ignem.* Altero vero modo, vt dicamus ignem nuncupasse calorem innatum propter excellentiam caliditatis; quæ omnes alias qualitates superat: cum vero caliditas propria sit ignis, non est mirum, si ignis nomine appellauerit; nam hæc est apud priscos fere omnes consuetudo, calidi nomine ignem significare, vt videre possumus apud Hippocratem *primo de humana natura*, & Aristotelem *libro de generatione & interitu, & libro quarto metheorologicorum.* Igitur si calidi nomine intelligimus ignem; cur

cur vice versa ignis nomine non possumus caliditatem omnes alias qualitates in mixto superantem?

Confirmatio ex Aristotele.

Deinde vero Aristoteles etiam aliquando insitam hanc caliditatem ignem nuncupauit. *libro* enim *de respiratione* sic ait loquens de caliditate insita: *concoctio namq; per quam alimentum animalibus praeparatur, sine anima, & calore non conficitur; igne namq; omnia operantur.* hæc Aristoteles: ex quibus ego satis videor docuisse, qualis fuerit opinio Platonis, quodq; nihil concludant Donati Antonii rationes. Nunc videamus, quæ idem addat circa Aristotelis opinionem.

Opinio Aristotelis de calido innato.

Putat bonus hic vir Aristotelem diuersam habuisse opinionem de calido innato, ab ea, quam supra ex decretis Medicorum attulimus: quod ipse comprobat ex eiusdem verbis *libro secundo de generatione animalium cap. 3.* quæ sic habent. *inest enim in semine omnium, quod facit, vt fœcunda sint semina, videlicet quod calor vocatur, id quod ignis non talis facultas aliqua est, sed spiritus, qui in semine, spumosoq; corpore continetur, & natura, quæ in eo spiritu est proportione respondens elemento stellarum; quamobrem ignis nullum animal generat.* & *paulo post* subdit, *cæterum calorem in animalibus contentum, nec ignem esse, neque ab igne originem ducere, apertum ex his est,* ex quibus verbis colligit, opinionem Aristotelis oppositam esse Platoni: illumq; dissentire ab Hippocrate circa originem caloris huius.

Impugnatio Altimari.

Nos vero putamus hominem hunc non recte concludere, quandoquidem Aristotelis verba, quæ nos in medium attulimus, non intelliguntur de insita caliditate, verum de spiritibus, vt is manifeste docuit, qui ab innato calido distinctam naturam habent; vt alio loco diligentius docebimus, multo melius dicito, non esse calidum innatum simpliciter ex elementis: sed esse diuinum, ac cœlestem.

Interim vero, quoniam satis de innato calido, quantum præsens tractatio postulabat, transegisse videor, docere oportet, quotuplex sit calidum præter naturam: quid calidum acquisititium, & quomodo a calido præternaturali differat.

Calidum præter naturam.

Calidum præter naturam est qualitas quædam calida proxime ad ignis naturam accedens. Calidam qualitatem nuncupauimus, quoniam omnis calor, quatenus calor est, idem est genere: quemadmodum supra demonstrauimus: quatenus autem est aliquis ex contrariorum mixtione contemperatus, alius sine hac temperatione inuenitur, inuicem differre calores dicuntur. Naturalis enim est optime contemperatus, ex permistione non solum humidi, ac sicci; sed etiam frigidi: quod maximum vsum conferre in conseruatione innati calidi, Galenus non semel testatum reliquit: qui ergo huic calori naturali contrarius est, calor præter naturam, ab hac symetria, & commoderatione declinabit. Quamobrem recte conclusimus (nisi meum me fallit iudicium) calorem præter naturam qualitatem extremam esse, quæ proxime ad ignis naturam accedit.

Verum quia causæ proximæ effectrices caloris huius tres numero sunt; triplex etiam est calor præter naturam.

Primus calor præter naturam ex elementaris.

Fit enim aliquando, quod calor elementarius assiduo incremento de temperie, & mediocritate discedens, plus nimio exsuperat: & qui naturalis fuerat, sensim non naturalis euadit, vitiosus proinde, & naturæ iam infensus: hic profecto inter calores maxime simplex existit, qui recte tum exsuperantia solius caloris, tum etiam calor naturalis mutatus in igneum, nuncupari poterit.

2. calor.

Alter autem est calor ex putrescente materia prognatus, qui etiamsi non admodum sit ardens, quoniam tamen eius, de qua prodit, materiæ conditionem redolet; præter naturam est, & insito calore grauis.

Tertia caloris differentia.

Tertius est malignus, & perniciosus, quem pestilens venenataq; materia fundit non simplicis illius qualitatis exsuperantia, non putredine, sed to-

met, & adaugeat: Digerit quin etiam, apponit, vnit, assimilat, vt *ex libro de marasmo* patet. A principio namque ortus ad finem vsque vllo non tempore ficcius corpus reddere ignea caliditas desinit; quoad vltra siccatum non macilentius modo, sed etiam rugosum efficiatur. Quæ affectio senium appellatur: & deinceps omnino genitū corpus corrumpat, ac interimat. Quam etiam sententiam confirmauit Aristoteles, dum docuit, ab ignis natura & substantia *lib. 2. de anima.* nullo modo fieri augmentum & nutritionem corporis, tanquam à causa primaria; sed vt à concausa.

Ex his tandem concludit calidum innatum ab acquisititio, nomine, substantia, qualitate, & operatione differre, & postremo addit, febrem esse in *Conclusio.* genere caloris acquisititii: & quibus nos vltimo loco deducimus, quantum ad huius hominis opinionem pertinet: calidum acquisititium nō esse aliud, quam calidum præter naturam: quandoquidem is, nullam penitus distinctionem efficit huius calidi ab acquisititio calido; hæc Donatus.

Nos autem hoc loco ostendamus, quantum hic vir aberret, tam quidem in ipsius Galeni doctrina, quam in rei veritate. Atq; primum ex hac opinione proposita sequitur, pueros nunquam caloribus præter naturam, ac, vt breuiter dicam, febribus affici: quandoquidem necessarium est, vt hic concludit, febrem omnem esse in genere caloris acquisititii: pueri vero nullum habent calorem acquisititium; quamobrem nunquam febricitabunt. Quod autem non habeant calorem acquisititium, ex eo patet, quod ille calor acquiritur successione temporis, atque ætatis permutatione: at pueri nullam sunt adhuc experti ætatis permutationem; itaque minime febricitabunt: quæ res tamen est omnium iudicio falsissima. *Impugnatio opinionis Donati Antonii.* *1. ratio.*

His accedit, quod semper calor acquisititius erit secundum naturam: *2. ratio.* quoniam id naturale dicitur, & secundum naturam, quod consequitur ætates. Nam quemadmodum ætas est secundum naturam, sic etiam, quodcunq; *Quid secundū naturam.* sequitur per se ætates ipsas, erit secundum naturam, at vero calor acquisititius fit ætatis decursu; quamobrem is esse præter naturam non potest: quod si non est præter naturam, opus est in eo, tanquam in genere febrem minime collocari.

Præterea si supponamus ex huiusce hominis opinione, hunc calorem *3. ratio.* esse præter naturam, adhuc sequitur, iuuenes, ac senes, &, qui medio quodam ordine sunt constituti, cum cōtinuo habeant calorem acquisititium, vt Donatus concludit, semper habere calorem extraneum: atq; in illis ab hoc calore nutritionem, concoctionem, aliaque omnia naturæ opera fieri; quod quam parum conueniat, nemo est meo quidem iudicio, vel etiam parum in Galeni doctrina exercitatus, qui nesciat.

Amplius: Natiuus calor, vt Galenus mille locis docuit, est omnium na- *4. ratio.* turalium operum autor, & non solum ab ipsius generationis principiis, sed etiam ad finem vsq; vitæ omnes naturales operationes efficit. Hic itaq; calor vel est naturalis, vel acquisititius: si naturalis, iuuenes ac senes calorem habent acquisitum ætatum permutatione, qui secundum naturam inest; si vero est calor acquisititius; hic non poterit autor esse omnium operum naturalium: quoniam hoc solum conuenit innato calori, non autem calori præter naturam, siue acquisititio.

Ex his autem videre est, quam falso concludat, calorem acquisititium *Corollaria.* differre ab innato calore operationibus: quandoquidem operatio caloris acquisititius in iuuenibus, ac senibus est, eodem Donato teste, corrumpere, *Primum.* alterare, interimere; verum hoc non potest consistere, quia calor in his ætatibus nihil horum efficit; sed potius contra perficit omnes naturales actiones. Nam si harum nō esset actionum autor, sed illarū, vtiq; semper hæ ætates essent præter naturam; cū ab illis actiones fiant præter naturā: quorum enim sunt effectus præter naturam, illorum etiam causæ sunt in eodem genere.

Secundum corollarium.

Sequitur etiam & alterum; quod calor acquisititius, qui videlicet ætatis decursu acquiritur, is profecto non est acer, non mordax, non pungitiuus: sed potius suauis, halituosus, ac mitis: quando actiones ab hoc fiunt naturales, ab illo autem minime; quod si is respectu puerorum illorum calorem dicat mordacem fuisse, non videtur mihi, quamuis verum dicat, recte tamen concludere; quoniam calor iuuenum, collatione facta ad eos, qui febricitant, non est acris, non fuliginosus, non mordax; sed benignus, suauis, halituosus: atq; hac ratione recte conferre oportet hosce calores, nã quamuis in comparatione ad pueritiam, calori iuuenum sit mordax, vt Galenus testatur *primo aphorismorum*; ea tamen ratione, quatenus naturalis est, & febrili collatus calori, nulla participat acrimonia.

Tertium corollarium.

Ex his tertio sequitur, calorem acquisititium substantia non esse semper diuersum ab innato calore: *semper*, quidem in oratione addidi, quia, vt infra explicabimus, duplex est acquisititii caloris differentia, alius enim secundum naturam inest, alius autem præter naturam: qui secundum naturam est, hic eandem substantiam habet cũ calore innato puerorum. Quinimo caliditas horum, ac iuuenum non differt, si Galeno credimus, nisi sola qualitate: quod scilicet puerorum calor substantiam habeat magis humidam: iuuenum autem magis aridam.

1. aphor. com. 14.

Cæterum quo hæc, quæ nos contra hunc hominem diximus, multo clarius appareant; præstat nostram hac de re opinionem afferre, atq; Galeni dictis comprobare.

Opinio propria de calido acquisititio.

Nos itaq; dicimus, calorem acquisititium esse illum, qui post animalis generationem acquiritur: ac idcirco desumptum est nomen acquisititii. Genito autem animante siue statim, siue temporis progressione dupliciter calidum hoc potest acquiri; vno quidem modo à naturalibus causis; alio modo ab iis, quæ animanti præter naturæ ordinem insunt.

Naturales causæ, si quod faciunt calidum, hoc sane erit secundum naturam; à naturali enim nihil fit, nisi naturale.

Calor naturalis acquisititius quibus modis acquisitis.

Porro naturales causæ, quibus hoc acquiritur calidum, aliæ non sunt, nisi ætates; harum enim successione, quemadmodum ipsum animal permutatur; sic etiam & innatus illius calor continuo mutatur: Permutatio autem hæc fit in substantiam insiti calidi: quæ substantia statim genito animante humida est, & aerea, à prædominantibus elementis; dum vero augetur, & quotidie in omnibus succedentibus ætatibus, illa substantia humida dissoluitur, & sicca; ignea quidem primum, demũ vero terrea præualet: & quemadmodum puerorum substantia humidum calorem, & halituosum affert; sic iuuenum calor, & aliorum, qui sunt post iuuenes, existit igneus, & mordax: non quod talis esse possit, relatione ad febricantes habita, sed potius relatione ad pueros facta: hic est calor naturalis acquisititius; de quo Galenus hoc modo locutus est; *cum quatuor sint elementa, ex quibus omnia corpora sunt temperata, puerile quidem corpus multum in seipso continet aerea, atq; aquosa substantia, minimum terrestris. Contra vero eorum, qui in ætatis vigore consistunt à terrestri siccitate obtinentur, deficit autem aquosa, & aerea substantia.* & paulum infra. *Cum puerorũ quidem substantia humida sit; eorum vero, qui in ætatis vigore consistunt sicca: humida siquidem est maxime innati caloris affinis, quia ex humido nostra est generatio: sicca vero aduentitii caloris est propria.*

Confirmatio ex Galeno.

1. aphor. com. 14.

Ex his quidem videre est, calorem aduentitium nobis inesse secundum naturam; cum fiat naturaliter permutatione ætatum; & in sanis hominibus, vt puta, in iuuenibus adesse, atq; in senibus, & in iis, qui ætate vigent: est autem omnium iuuenum calor, qua ratione sani sunt, suauis, halituosus, & temperatus, vt Galenus his verbis ait; *nam sanorum calor vaporosus est, atq; suauis, & tactu conueniens nihil triste, nihil asperum præ se ferens.* Ergo si sana corpora calorem eiusmodi habent; hic idem in iuuenibus, & senibus aderit; quamobrem falsum

Galenus eodem com.

falsum est,& ab omni veritate alienum putare iuuenum calorem, cum sit acquisititius, mordacem, & acrem existere: hoc enim veritatem fortasse habet in collatione ad corpora puerorum: at simpliciter falsitatem continet, potissimum si collationem fecerimus sanorum corporum, cum iis, quæ febricitant.

Huius etiam acquisititii caloris, qui secundum naturam inest, ibidem meminit,dum qualis sit calor iuuenum exposuit quando ait: *Salubris vero eius qualitas in pueris exquisita habetur: sicut plures eorum,qui in ætatis vigore consistunt,euenire contingit calorem habentes mordacem, & non amplius humidum, vaporosum,atq; aereum.* hæc ille.

Gal. ibid.

Ex his profecto Galeni locis colligimus aliquem in nobis calorem inesse acquisititium, qui tamen insit secundum naturam: qui collatus cum calore puerorum, acris, & mordax dicitur: in se tamen consideratus, qua scilicet ratione in sanis inest,vel etiam collatione facta ad febricitantes, suauis,& halituosus est.

Aliud est præterea acquisititium calidum, præter naturam: cum id scilicet acquiritur à causis,quæ sunt præter naturam; aut certe cum non acquiritur ætatis permutatione: Vt calidum ex putrescentibus humoribus genitum, vel ex phlegmone aliqua, aut erysipelate cordi,totique corpori communicatum; omne quidem eiusce modi calidum præter naturam est,acquisititium tamen dicitur, quia iam genito animali in qualibet ætate potest præter naturam acquiri. Hoc sane calido plurimum abundant pueri cum febricitant; qui tamen maximam habent copiam calidi innati; vt Hippocrates docuit.

Calidū acquisititium præter naturam.

Huius equidem caloris meminit Galenus *in primo aphorismorum* dum inquit; *bene enim temperata est caloris innati substantia: ignea autem aduentitii: & qui caloris aduentitii sunt per totum corpus efflauxus, fumei, fuliginosi, aridiq;, & acres; contra vaporosi, suaues, & bene temperati caloris natiui*, qui *paulo post* explicans, qualis sit calor natiuus, rem sanorum exemplo explicauit; & qualis existat calor aduentitius, febricitantium exemplo vsus est hisce verbis; *nam sanorum calor vaporosus est, atq; suauis, & tactui conueniens, nihil triste, nihil mordax, nihil asperum præ se ferens: eorum vero qui febricitant, & præcipue hecticas febres, aut eas, quæ ex putredine humorum ortum habent, acris est, & insuauis, & mordax, & nostrum corrodens tactum.* & *in libro primo de difficultate respirationis* ait; *Duplicem autem intelligere iuxta genus oportet calorem; alterum genuinum, & corpori innatum; alterum vero acquisititium ac spurium.* & *in libro sexto epidemiorum*, febrem contineri in genere caloris aequisititii testatur, eius verba sic habent; *est etenim in genere caloris acquisititii & febris ipsa.*

1. aph. 14. Confirmatio ex Galeno. Eodē com. 14. 1. sect. aphor. cap. 21.

Ex his Galeni monumentis colligere est: calidum præter naturam non esse idem cum calore aequisititio, nisi genere: quoniam omnes eiuscemodi calores in solo genere conueniunt, quod videlicet sint acquisititii: differunt autem specie, quoniam alterum esse præter naturam; alterum vero secundum naturam potest.

sect. prima com. 19.

Quamobrem verissima est hæc prædicatio. Omnis febris est calor acquisititius cordis. Hæc tamen falsa. Omnis calor acquisititius est febris, quia, vt prædiximus, calor acquisititius aliquando est secundum naturam, vt in iuuenibus,& ætate prouectis: aliquando vero præter naturam, vt in febricitantibus: quapropter est multo cōmunior aequisititii caloris ratio, quam caloris præter naturam. & quamuis febris in genere caloris acquisititii recte reponi debeat, multo tamen conuenientius, & proximius dicemus, genus esse calorem præter naturam; & in calore hoc totam febris substantiam, essentiam, & naturam collocatam esse, vt Galenus testatum reliquit, tum *in libro primo de febrium differentiis*, tum *in libro sexto de morbis vulgaribus*. Multo enim propinquius naturam febris hac dicendi ratione exprimimus.

Dictorum conclusio. cap. 1. sect. 8. com. 19.

Quomodo

Quomodo febris dicatur permutatio natiuæ caliditatis ad igneam: quod calor præter naturam non sit morbus, sed morbi causa: sub quâ specie qualitatis ponatur febris: & quæ sit intemperies?

Cap. X.

Difficultatum explicandarum propositio.

CÆterum, vt ea, quæ de febris natura explicare proposuimus, omni difficultate careant; locus hic postulat, vt doceam, an febris rectè dicatur permutatio natiuæ caliditatis ad igneam; quemadmodum videtur mihi Galenus *primo aphorismorum libro* definiisse.

Deinde vero quoniam esse calorem præter naturam febrem ipsam definiuimus, docendum venit, qualis sit hæc definitio, in qua rei definitæ genus non ponitur, sed pro genere contentiua causa.

Hincque altera succedet contemplatio; non minoris me hercle difficultatis, cum febris quædam sit qualitas; sub qua specie qualitatis annumerari debeat.

Atq; postremo, quoniam tradidimus, verum genus febris esse calidam intemperiem, duo sunt declaranda, primum an sit simplex intemperies calida, an composita; deinde vero an æqualis; vel inæqualis; hæc quidem maximæ sunt circa præsentem tractationem difficultates; quarũ explicationem si non docuissemus, nos in re plurimum necessaria defuisse videremur.

Primæ quæstionis explicatio. Gal. 1. aph. 16 & 1. de rat. vict. in acut. c. 16.

Itaque si hæc, quæ supra diximus, vera sunt, quemadmodum putantur verissima; doceamus primo loco, quomodo febris sit permutatio natiuæ caliditatis ad igneam: nam hoc maximam controuersiam habet. Si enim permutatio est, morbus non videbitur febris, sed symptoma: nam permutatio suam habet essentiam in motu, atque in ipso, quod aiunt fieri, qualem naturam habere potissimum symptomata dicuntur: morbus autem permanentem naturam habet; & quatenus factum est, eatenus morbus dicitur.

Gal. lib. de sympt. cap. 1. & lib. de morb. diff.

Deinde vero nulla febris erit intemperies æqualis, atque ex toto facta: æqualis enim esse non potest, si febris est permutatio natiuæ caliditatis ad igneam: Omnes tamen febres in habitu, quas Græci hecticas vocant, ex toto factæ sunt, & æquales intemperies nuncupantur.

Gal. lib. de inæq. intemp. cap. 1 & 2. de diff. feb. c.

Postremo, dum natiua caliditas permutatur, adhuc quidem natiua caliditas permanet: dum vero permutationem subterfugit, & terminum acquisiuit, non est natiua, sed ignea, & præter naturam. Essentia igitur & natura febris non erit caliditas præter naturam, non consistet in calida intemperie, non in genere caloris acquisititii, quemadmodum nos superiori capite demonstrauimus.

Galen. 1. de febr. diff. c. 3. 6. epid. sect. 1. c. 19.

Quamobrem pro solutione harum difficultatum, scire oportet; hanc definitionem non vere naturam, & formam febris exprimere; sed potius modum generationis, siue rationem, qua fit febris, vt idem Galenus testatur *libro de ratione victus acutorum*. Et quamuis hæc perfecta definitio non sit, non est tamen propterea refellenda, cum hisce etiam definiendi rationibus præclarissimi philosophi vsi fuerint.

lib. 1. comment. 18.

Sunt enim duo definitionum genera, quantum ad præsentem tractationem pertinet. Alterum quod propriam rei formam, & essentiam explicat. Alterum vero quod rei definitæ substantiam docet, per contentiuã causam. Quod genus proprie à philosophis materiale nuncupari consueuit: vtriusque definitionis exemplum sit, iræ definitio, nam ira si formam illius, & essentiam respicias, est affectus quidam animæ concupiscibilis, quo vindictam appetimus & idcirco sic optime definitur. Ira est appetitus vindictæ. Verum quoniam illius causa est feruor sanguinis circa cor, sine quo nunquam fit ira, propterea hanc iræ substantiam per efferuescentiam sanguinis exprimimus. Ille igitur sanguinis feruor; ille motus, non est iræ forma, sed causa proxima.

Exempla.

Aliud exemplum. Eclipsis secundum propriam formam est priuatio luminis in luna; at secundum causam continentem est interpositio terræ inter solem ac lunam, vt Aristoteles docuit *libro secundo posteriorum*.

Sic profecto res habet in nostro proposito: Febris enim propria forma, & essentia, est calida intemperies è corde in vniuersum corpus effusa: continens vero causa, calor præter naturam: continens etiam causa, permutatio illius natiuæ caliditatis ad igneam: nam idem est calor extraneus, atque permutatio natiuæ caliditatis ad igneam. In hac enim permutatione duplex adest caliditas: prima naturalis, halituosa, & benigna, tanquam pars quædam, à qua incipit permutatio: altera vero extranea, & præter naturam, vt terminus ad quem motus appellit. Quoniam vero à termino ad quem, & à fine vnumquodque denominari debet, merito hic calor dum permutatur, præter naturam dicitur: ac ea ratione, quatenus præter naturam est, febris dicitur: non autem quatenus naturalem caliditatem in motu adesse, necessarium est, morbus dicitur: namque propterea actiones lædit, atque sui ablationem postulat: quo fit, vt nulla ratione statuere debeamus febrem caliditatem quandam esse compositam ex naturali, & extranea, quia nunquam est febris, quæ ablationẽ non inducat, quæue actiones non lædat, quod illi ratione caloris naturalis contingere non potest. Hæc igitur per se conueniunt calori præter naturam, ex accidenti autem composito: nihil vero quod ex accidenti conueniat definito, ingredi definitionem debet: vt alibi demonstrauimus. Nunc accedamus ad explicationem eorum, quæ proposuimus.

Galen. 1. meth. c. [illegible] — *Arist. lib. 5 physic.* — *Opinio* [illegible] *morbis* [illegible] — *Arist. lib.* [illegible] *metaphysic.*

Febris quatenus morbus est, intemperies: si vero permutationem dicamus naturalis caliditatis ad igneam, non est hac ratione morbus, sed proxima morbi causa: quoniam ad hanc permutationem proxime sequitur calida intemperies: hæc igitur definitio modum, vt diximus, generationis explicat, essentiam autem illius minime: quemadmodum etiam neque altera, de qua parum post loquemur, qua definientes febrem dicimus, esse calorem præter naturam.

Quomodo quæstionis explicatio.

Quod autem secundo loco obiicitur, sic persoluitur. Hectica febris est intemperies æqualis, & facta: non tamen in omnibus partibus æqualis, aut facta. Nam solidæ partes non oẽs æqualiter inflammantur, sed successiue vna post alteram caliditatem habitũ recipit. Absurdum est. n. omnes solidas partes natiuam humiditatem amisisse, atque, vt sic dicam, contabuisse, vita superstite. namque hi duo calores, quos adesse semper in febricitantibus diximus, cum sint contrarii homini viuenti, inuicem continuo agunt, & patiuntur, quod nos non solum in febribus hecticis confitemur, sed etiam in tabidis admittimus. Satis est itaq; vt febris hectica dicatur, aliquam partem ex solidarum numero, potissimum cordis caliditatem in habitu contraxisse: aut etiam plures: quod autem omnes necessarium non sit, Galenus *libro de marasmo* clarissime docuit. Quamobrem in omnibus febribus verum est dicere, adesse calidiatis natiuæ permutationem ad ignem, atq; hæc sane vera est huiusce difficultatis explicatio.

Contra [illegible] *dicta.*

Quod enim Donatus Antonius affert, non esse inconueniens in febre hectica partes solidas æqualiter calefactas esse: ipsam vero earũ partium innatam caliditatem adhuc conuerti ad igneum; & non omnino conuersam esse, meo quidem iudicio non consistit.

Opinio Donati Antonius libro [illegible] *de febr. cap.* [illegible]

Nam si facilius calefiunt spiritus, quam humores, & si promptius incalescunt, quam solidæ partes: qui fieri potest hasce partes æqualiter calefactas esse, quod sane à Donato admittitur, natiuam autem caliditatem adhuc calefieri, non calefactam esse? adhuc mutari, non mutatam esse? multo enim facilius, vt diximus, in caliditate natiua, (quæ maxima facilitate alteratur) hoc continget, quam in solidis partibus. Impossibile est igitur natiuam caliditatem adhuc permutari, & omnes partes solidas permutatas esse. Rectius

Gal. lib. [illegible] *de febr. differ. cap.* [illegible]

quidem

quidem si dicamus, non omnes solidas partes calefactas esse, sed vnam, duas, aut plures: calefieri autem reliquas, quod sane pauci animaduerterunt.

Postrema difficultatis explicatio.

Postremum vero in hac permutatione caloris naturalis ad igneum, vterq; calor adest: naturalis, & præter naturam. Ille tanquam terminus à quo, hic vt terminus ad quem: ille tanquam principium: hic tanquam finis: à quo, quemadmodum diximus, fit denominatio caloris huius.

An autem hæc in omnibus febribus conueniant, dubitationem habet: quoniam febres pestilentes non videntur hanc igneam qualitatem habere: sed tamen in his etiam veritatem habet proposita definitio, dummodo considerentur, quà sunt febres, non autem qua pestilentes: hac enim causa ab aliis differre videntur, vt suo loco explicabimus.

Quod calor præter naturam non sit morbus, nec febris formaliter; contra recentiores Medicos. Quid sanitas, & quid morbus.

Verum quoniam supra diximus, calorem præter naturam continentem esse causam febris, atque intemperaturæ calidæ, morbum autem non esse, neque febrem dicendum esse secundum propriam formam & naturam, id profecto nunc diligentius explicandum venit. Huius autem explanationis principium sit rei natura. Sanitas & morbus cõtrarii sunt affectus, quamobrem habent definitiones contrarias. Est enim sanitas partium secundum naturã constitutio, vt Galenus definit *initio libri de morborum differentiis*; quamobrem morbus erit constitutio partium præter naturam. Ex hac definitione concluditur calorem præter naturam non esse morbum: quandoquidem is non est compositio, aut constitutio corporis; sed potius constitutionis, atq; compositionis causa. Vt enim domus non sunt ligna, lapides, tecta, & fundamenta; verum quod ex illis componitur, atque resultat; sic profecto sanitas similarium partiũ temperies est ex iusta proportione inter se mixtis, & temperatis qualitatibus prouenien, estq; ea non calor, aut frigus, sed certa corporis compositio, & forma ex illis resultans. Sic sane morbus præter naturam constitutio est, quæ excessu, aut defectu cõponentium fit, veluti intemperies, quæ caloris, vel frigoris, aut alterius qualitatis exuperantia nascitur.

Confirmatio ex Galeno.

Quapropter calor præter naturam proxima est febris causa, non ipsa febris forma. Nam si calor ipse morbus est, quid erit ipsa intemperies, quę ob calorem exsuperantem committitur?

Galeni explicatio.

Quod si aliquando Galenus calorem pręter naturam esse morbum admittere videtur; is intelligendus est, non quod re vera sit morbus, sed quod eius nomine ostendatur, quale sit vitium in compositione ipsarum partium, qualisue existat proxima, & continentiua causa: sic igitur cum is dicit febrem esse calorem præter naturam, intelligere oportet, febrem esse calidam intemperiem factam propter excessum caloris, quam rem idem apertissime ostẽdit, cum *in octauo & nono methodi medendi* naturam & propriam essentiam febris circumscribens, definiuit eam esse intemperiem ab exuperantia caloris factam: quod etiam ostendit *in libris de temperamentis, ac passim alibi*, vbi scribit ex calido, frigido, humido, & sicco, & ex illorum permistione fieri temperamentum partium: adeo vt stupidi sint, qui credant, has qualitates esse ipsum temperamentum, aut illorum excessum esse morbum. Nec non idem docet, cum morbum inæqualitatem, calidi, frigidi, humidi, ac sicci, alibi vocari statuit: & *in libro de causis morborum*; similarium partium morbum intemperiem vocat. Ex dictis igitur concludendum est, calorem præter naturam non esse intemperiem, neq; morbum similarium partium, atque etiam neq; formaliter esse febrem.

Dubitatio.

Sed habet hoc loco dubitationem minime contemnendam quod nos diximus, quomodo febris per calorem pręter naturam definiatur. Nam non videtur hac ratione recte definiri posse, quia genus febris non est calor, sed intemperies: veræ autem definitiones sunt, quæ genere constant: cum itaq; hæc definitio proprio careat genere approbari non posse verisimile est.

Solutio.

Res tamen alio modo habet; nam pro genere in multis definitionibus

ponitur

ponitur contentiua causa: qua consueuerunt clarissimi philosophi ac Medici proximum genus circumscribere. Sic definiunt iram esse sanguinis efferuescentiam circa cor. Sic ecclypsin esse interpositionem terræ inter solem, & lunam: cum tamen illius forma non sit ipse sanguinis feruor; sed affectus animi, quo vindictam appetimus: huius vero forma non est interpositio; verum priuatio luminis in luna: quæ tamen optime, vt diximus, per proximam causam circumscribitur.

Cur febris per calorem definiatur.

Sic res habet in nostro proposito; calor præter naturam est proxima causa, & contentiua febris: huius autem vera forma, verumque genus est intemperies calida, & sicca è corde in vniuersum corpus effusa. Quamobrem recte potest vtroque modo definiri, quæ tamen definitiones si inuicem connectantur, definitionem vnam faciunt absolutissimam, qualis ea est, quæ positione sola à demonstratione differt: & omnium definitionum est præstantissima. Vt si diceremus iram definientes. Ira est appetitio vindictæ propter inflammationem sanguinis circa cor. Hæc enim definitio, vno, atque eodem examine non solum quid sit res ipsa, sed etiam explicat propter quam causam existat. Idem autem dicimus circa definitionē febris, vt si dicamus: Febris est calida & sicca intemperies propter calorem præter naturam è corde in vniuersum corpus effusum, aut in principalioribus partibus cōtentum. Nihil enim in hac definitione desiderari posset, ex iis conditionibus, quas bonæ definitiones postulant. Sed hæc hactenus; nunc vero doceamus quoniam febris omnium iudicio quædam est qualitas; sub qua specie qualitatis reponenda sit.

Sub qua specie qualitatis sit febris.

Cæterum hoc nulla difficultate inuenietur, si compertum à nobis fuerit, sub qua specie morbus collocetur, quoniam febris quidam est morbus similarium partium, vt Galenus *lib. 8. methodi medendi* testatur: nam sub eodem genere febris comprehendetur, sub quo morbus.

Galeni opinio.

Galenus itaque morbum inquit esse διάθεσιν, id est dispositionem quandam præter naturam, in qua re maximam difficultatē habet, quomodo morbus dispositio quædam sit: nam si est dispositio, omnis morbus erit qualitas quæ poterit à subiecto facile remoueri; sic enim Aristoteles nomen dispositionis intelligit in prædicamētis; verum hoc absurdū esse, & contra omnem experientiam satis arbitror manifestum, vel etiam iis, qui in rebus medicis parum exercitati sunt, quibus notum est nonnullos esse morbos diu permanentes, atque stabiles: alios vero contrarios.

Dubitationes contra opinionem Galeni.

Quod si quis hoc loco Galeni partes suscipiens dixerit διάθεσιν nomine, non intelligere dispositionem, sed affectum quendam præter naturā, quo significetur alteratio quædam stabilis, ac permanens; videat is, ne antiquam verbi huius, διάθεσιν significationem corrūpat: quandoquidē vt Aristoteles aperte ostendit, contrarium omnino significat, nempe qualitatem, quæ à subiecto facile dimoueri potest, diuersam ab ea, quæ habitus dicitur.

His adde etiam quod absurdum videtur dicere; morbum esse affectum stabilem & permanentem, quia multæ sunt morborum differentiæ, quibus non conueniret proposita definitio: vti sunt omnes febres ephemeræ, quædam putridæ, aliique id genus affectus; qui nulla ratione stabiles ac permanentes dici possunt.

Opinio Ioannis Argent. lib. 1. de mor. gener. cap. 1.

Hæ sane dubitationes tantum potuerunt apud præclarissimos quosdam Medicos, vt ii putauerint Galenum non recte definiuisse morbum, aliudque genus illius perquirendum esse. Verum in quanto errore versentur, quamuis nos alio in opere diligentius docuimus, hic nihilominus breuiter repetendum, quantum ad præsentem tractationem pertinet.

Ex Ioanne Fern. lib. 1. pathol. c. 1.

Sciendum est itaque morbum esse διάθεσιν præter naturam corporibus insidentem. διάθεσιν autem nomine nos nihil aliud intelligimus, quam affectum corporis: nos enim hac voce non audimus eam præcisam, & argutam

διάθεσις quid.

significationem, quam Aristoteles in prædicamentis vsurpauit, sed potius ampla, & multiplici verbi significatione vsi, omnem intelligimus corporis constitutionem siue in substantia, siue in qualitate, ac temperamento, siue in conformatione & figura, siue in magnitudine, siue in numero ea consistat. Affectus autem omnis mutatione quadam, motuque facto induci, gignique solet: cumque causa præter naturam efficiens, obiectum corpus immutat, eique vim infert, aliquid ea quidem efficit; hicq; eius motus, effectio dicitur, Græcis ἐνέργεια.

ἐνέργεια quid. πάθος. πάθημα.

Obiectum vero corpus patitur, & afficitur, hicq; eius motus affectio est, atque perpessio, Græcis πάθος vel πάθημα sic ex affectione tandem proficiscitur affectus, qui Græcis est διάθεσις; quasi dixeris impressum, affectionis vestigium: sublata causa protinus omnis eius cessat effectio: cessat & patientis corporis affectio. At genitus affectus interdum manet, ac persistit manifeste ab affectione seiunctus: eiusmodi est vlcus à candente ferro corpori inustum, aut vulnus inflictum gladio.

Affectionē ab affectu esse seiungendam.

Interdum minimum subsistit, nec certe permanet, sed seiuncta causa, aut pariter cum affectione, aut quam mox deletur. Sic putrida febris, quæ est calor præter naturam, omnes corporis partes occupans, vacuato humore putrido, qui eius efficiens est causa, nihil aut minimum persistit.

Ex affectione aliqua nullū affectum emergere.

Est tertio & cum ex affectione nullus emergit affectus, si leuis eius, nec magna vis est; vt cū leuiter pingente acicula, aut igne acrius mordente, dolor, affectioq; premit, qua tamen desinente nullum sæpe manet punctionis, aut vstionis vestigium, nullusq; affectus. Et cum ex impuro ventriculo malus acerq; vapor sublatus cerebrum, meningesq; tentat, dolor quidem inest, ac sæpe delirium, quo falsa rerum simulacra sese obiiciunt, atque repræsentant: Hæ quidem affectiones sunt capitis in quo tamen nondum vllus contractus est affectus, quemadmodum neq; in ventriculo cum eius coctio male affecti iecoris contagione impeditur. Multo quidem euidentius timorem, mœstitiam, excandescentiam, aliasq; perturbationes, animi affectiones appellant, quæ citra vllum cordis affectum hominem exercent.

Nota.

Quanquam igitur Græcis idem sunt; διατίθεσθαι καὶ πάσχειν, id est, affici, & pati, diuersa tamen eisdem sunt. διάθεσις καὶ πάθος, id est, affectus, & affectio, seu perperpessio. Ille enim affectionis impressum vestigiū denotat: hæc vero actionem agentis, & patientis respicit. His itaq; hoc modo constitutis, reliquum est, vt ad propositam disputationem accedamus: qua inquirebamus, sub qua specie qualitatis reponatur febris.

Febres in duabus speciebus qualitatis repon.

Putamus autem ipsam optime sub duabus speciebus collocari posse: sub habitu, ac dispositione: & sub passibili qualitate.

Reponi quidem posse conuenienter sub habitu, indicio sunt febres hecticæ, & marasmodes, qui ita obsident corpus ipsum, vt iam in illo quendam veluti habitum contraxerint, propter quam causam febres eiuscemodi omnes in habitu nuncupantur, vt suo loco diligentius docebimus. Harum igitur omnium est commune genus habitus: quia quotiescunque febres hæ corpus inuaserunt, sunt de difficile mobilibus: nam habitus est qualitas, quæ à subiecto sine difficultate non remouetur.

Febris sub passibili qualitate.

Potest etiam aliquando febris sub dispositione collocari: quando scilicet contigerit vel putridas febres, vel diarias, quas Græci ephemeras vocant, humanum corpus inuadere: sunt enim hæ, illarum collatione, quas hecticas nuncupant, facile solubiles.

Quod vero sub passibili qualitate reponatur febris, testimonium esse potest euidentissimum, quod vnaquæque febris sensum afficit. Nunquam tamen febris est passio: quoniam passio non habet permanentem naturam, qualem habere semper ipse morbus debet.

Dubitationes.

Verum hoc loco duo sunt, quæ dubitationem faciunt. Primum quia

Aristo-

Aristoteles dum loquitur de passibili qualitate, putat esse has idcirco qualitates passiuas, non quod corpus illas habēs, aliquid patiatur, sed quod inferre passionem circa sensum apta sint. Verū febris non est eiusce modi, quia corpus subiectum à febre non mediocriter patitur, cum eius omnes actiones lædat, quemadmodū infra suo loco docebimus. Deinde vero passibilis qualitas diuturnior, ac permanentior videtur, q̄ passio: quare sequi videtur; febrem non esse qualitatem passibilem: quia non est omnis febris permanētior, atq; diuturnior, vt supra diximus, ipsaq; experientia ab omnibus compertum est.

Prima. c. de qualitate in prædic. Arist.

Secunda.

Harum dubitationum solutio in hunc modum habet.

Passiuæ qualitates duplices sunt, nam quædam animo, quædam corpori insident: quæ animo insident prætermittuntur: atq; eas diuidamus, quæ corpori insident. Hæ sunt duplices, quędam enim omni speciei conueniunt, vt albedo niui, quædam vero quibusdam: & hoc iterum dupliciter: aut ab aliquo in generatione affectu, vt æthiopibus nigredo; aut non ex generatione. Sed post ab affectu genitæ: idq; duplici via: nam aut inuehit affectum, vt febris; aut non inuehit affectum, vt pallor. Ex his videre est, quod aliquæ passiuæ qualitates sint, quæ inuehunt affectum in corpore, vt est febris: eam vero Aristotelis sententiam non esse vniuersaliter veram, sed solum de nonnullis passiuis qualitatibus intelligendam.

Solutio primæ quæstionis.

Ammon in præd. capi. de qualitate fol. 40. lit. F.

Secunda vero difficultas soluitur, quoniam hæ qualitates passiuæ dicūtur permanentiores, & diuturniores collatione facta ad passiones ipsas, quæ habent suam essentiam in ipso fieri, non quod simpliciter sit necessarium, omnes qualitates passiuas diuturnas, & permanentes esse; sunt enim quædam permanentes, quædam vero minime ex febrium differentiis; quas loco suo sigillatim prosequar.

Secunda quæstionis solutio.

Omnium itaque febrium commune genus, est qualitas passibilis: quoniam nulla est, quæ sub istas congrue referri non possit.

Commune genus omnium febrium est passibilis qualitas.

Porro quantum ad rationes illas pertinet, quas contra definitionem morbi contra Galenum Ioan. Argenterius attulit, hoc loco nihil edisseram, quoniam patet illorum solutio ex iis, quæ supra diximus. Nunc vero de postrema difficultate disseramus: qua nos explicandum proposuimus, qualisnam intemperies ipsa sit febris.

Primum quidem omnium nullam aliquando difficultatē habuit, quin febris sit calida intemperies. Imo hoc vnum ex illis est, quæ cum principia sint in rebus Medicis, minime comprobari debent, sed tanquam notissima ab omnibus præsupponuntur.

Dubitationem autem habet, an sit intemperies simplex, an composita, & si compositam esse diximus, an humida sit, an autem sicca. Nam Nicolus Florentinus, aliquando humidam: aliquando siccam intemperiem febrem esse tradidit, quidam vero nunquam esse humidam intemperiem, sed semper siccam arbitrantur.

Nos itaq; harū opinionum summam, pro nostra consuetudine explicaturi, hoc inprimis docebimus, q̄ uæstionem esse de febre, quatenus febris est, non autem quatenus annexū cum febre aliquid est, cuius causa, vel sicca, vel humida dicatur intemperies: nam hoc non esset proprium febri, quatenus febris est, sed annexorum cum ipsa febre, quibus illud quod quæritur primo conueniet, febri vero ex accidenti: Nam id per accidens alteri conuenire dicitur, quod ei inest per aliud illi non substantialiter inhærens. Hoc itaque supposito, primum aliorum opiniones afferendæ sunt, ac reprobandæ; demum vero docendum, quid pro veritate sit dicendum.

Suppositio. An febris sit intemperies humida, an sicca, disputatio contra Nicolum Florentinum, & alios modernos.

Nicolus Florentinus putat febrem, quatenus febris est, intemperiem esse calidam, & siccam vt plurimum: posse tamen etiam aliquando humidam esse; quam rem his persuadet rationibus.

Ordo explicationis quæstionis propositæ.

Prima, quia febris essentia est calor preter naturam: at calor est quædam forma

Opinio Nicoli Florentini.

tini in sermone secũdo, tract. 2. cap. 2.

forma simplex, quæ quantum pertinet ad suam essentiam, non magis siccitatem includit, quam humiditatem; vt experientia videmus: nam calor adest in igne, qui siccus est; adest etiam in aere, qui humiditatem possidet. Itaq; si non repugnat formæ caloris, & naturæ cum siccitate, atq; humiditate connecti. Febris, quæ in essentia continetur caloris præter naturam poterit cum vtraque passiua qualitate connecti.

II. Si siccitas esset de natura febris, vt febris est; in omnibus febricitantibus oporteret adesse siccitatem præter naturam, cuius causa actiones læderentur. Verum sunt multæ febres, quæ nullam læsionem inferunt meritó siccitatis; quinimo potius contra, propter humiditatem videntur præternaturales actiones fieri. Quamobrem in hisce corporibus, in quibus humiditates abundant, in his febris calidus, & siccus non fuerit recte nuncupandus, sed potius humidus: aut saltem non siccus. Ex his concludit febrem posse aliquando humidum esse affectum; non autem semper siccum; quamuis vt plurimum talis dici possit.

Propria ratio pro opinione Nicolai.

His rationibus nos aliquando, cum scilicet hanc opinionem sustinebamus, rationem efficacissimam addidimus ex Galeni monumentis desumptam, & à loco topico à maiori ad minus confirmatam. Erat autem talis ratio: *Si de quo videtur inesse magis, illud non inest: Ergo neq; id inerit, quod minus videtur; verum non solum magis, sed etiam maxime videtur febres omnes in habitu esse morbum quendam siccum; vt omnes hactenus videntur confirmasse: sed tamen siccitas non est propria passio omnium hecticarum febrium; sed earum tantum, quæ proprie nuncupantur Marasmodes: quamobrem neq; hoc inerit febribus, quatenus febres sunt.* Rationem Galenus hisce verbis confirmat: *Proprium autem his, quæ tabi cõiuncta sunt, est siccitas: quoniam sine siccitate, sæpius hectica febres consistunt, cum non transmutantur ad tabem, quemadmodum multis hoc tempore in magna pestilentia contingit.* hæc ille. Ex quibus satis videmur comprobasse, non omnem febrem esse siccum affectum.

Confirmatio ex Galeno 1. de febr. diff. cap. 9.

Explicatio Hugonis Senensis, & Ioan. Herculani.

Postremo autem loco addunt, quod quamuis febris non sit morbus siccus, esse tamen morbum preternaturaliter exiccatiuũ: est enim (vt inquiunt) omnis febris caliditas ignea humani corporis exsiccatiua. Ex quo inferunt, omnem febrem esse morbum virtualiter (sic enim loquuntur) siccum: licet non sit essentialiter siccitas: sed solum calor, quemadmodum Galenus tradit, qui docuit essentiam febris in solo calore prætetnaturali consistere. Hoc modo habet recentiorum opinio.

Impugnatio opinionis huius.

Ego vero arbitror, febrem non solum calidũ, sed etiam siccũ affectum esse, si ea vera sunt, quæ de febre, tũ Hippocrates, tum Galenus tradiderunt. Hippocrates quidem quotiescunq; is febris meminit, id sane facit sub ignis nomine: ignis vero qualitatem non solum calidam, sed etiam siccam habet. Quæ res videtur nobis indicare compositum esse affectũ. Nam si est simpliciter calida affectio, cur magis nomine ignis, quam aeris febrem nuncuparet, non video: quod si is propter similitudinem, quam cũ igne habet, sic appellauit, opus est profecto, quod etiam febris sicca sit passio. Idem cõfirmari multo apertius ex eodem Hippocrate possumus; qui *primo aphorismorũ* sic inquit: *Victus humidus febricitantibus omnibus competit, maxime autem pueris, & iis, qui tali victu uti consueuerunt.* Ergo febris, qua ratione febris est, siccus est affectus; quoniam contrariorum contraria sunt præsidia. Hic scio, quid hac in re neoterici scriptores dicant. Nempe febricitantibus omnib. qua febricitant, frigidum victum conuenire indicatione sumpta à febris natura: humidum aũt non pro curatione, sed potius pro præseruatione: quia febris omnis est actu calidus morbus, potentia vero siccus: à qua potẽtia indicatio desumitur præseruatiua: sic ille subtilis senensis dubitationi satisfacit. Sed meo quidem iudicio non recte: quoniam Galenus in explicatione loci illius rationem reddens propter quam victus humidus febricitantibus omnib. cõpetit, inquit, *quia febris est affectus calidus, & siccus, cum sit conuersio natiua caliditatis ad igneam.*

Ex Hippocrate primum.

Ex eodem secundo. 1. aph. 16. sect. 1.

Enasio.

Ex Gal. 1. aphor, 16.

Deinde

1. aph. 16. 2. ex Gal.

Deinde vero *libro de ratione victus in morbis acutis* rem adeo diligenter explicat, vt nullus amplius supersit dubitandi locus, eius verba sic habent. *Natura igitur acutorũ morborum est, vti ipse paulo ante dixit, vt horum febres omnino sint continua. Febris vero ortus natiui caloris ad igneũ est conuersio; vt alibi manifestauit, & nunc demonstrauit inquiens. Ex thorace siquidem incipit, atq; ad caput flammã mittit; praterea in libris vulgarium morborũ febrem magnam ignem vocare consueuit; quasi non aliam habeat naturam, prater quam ignis substantiam. Si igitur contraria contrariorũ remedia existant, febris sane peculiare remedium, vt virtute tum refrigerante, tũ humectante sit oportet. Id namq; febris natura, qua & calida, & sicca est, contrarium erit. Talis siquidem natura est ignis*. hæc ille; ex quibus colligenda sunt duo: primũ, quod febris natura alia nõ sit, quam ignis substantia. Secundum, quod febris natura calida sit, & sicca. Hæc duo manifestum faciunt, febrem esse cõtinuo siccũ affectum; atq; nõ mediocriter lapsos esse Medicos illos Senenses, homines alioquin subtilissimos, in explicatione illius aphorismi: *Victus humidus febricitantibus omnibus competit:* nam si eadem est natura febris, quæ ignis: hic vero nõ solum calidam habet substantiam, sed etiam siccam; cõcluditur febrem non simpliciter calidum esse affectum; verũ etiam siccum. Deinde vero talem temperaturam febribus inesse secundum actum, non secundum potentiam. Quandoquidem natura, & substantia rei semper in actu insunt in ipsis rebus: quarum naturæ & substantiæ sunt.

Galen. c. de rat. vict. acut. c. 18. lit. C.

Corollaria.

Confirmatur præterea hæc opinio ex eodem, quod is, postquã substantiam febrem in calore præternaturali cõsistere tradidit, explicans, quidnam is intelligat, per calorem extraneum, eum acrem esse, mordacem, acutũ, fuligʼnosum docet: naturaliq; calori opponit, qui suauis, humidus, & halituosus est, hocq; Galenus locis sexcentis diligentissime exposuit.

Confirmatio 3. ex Galeno.

Potest hæc opinio quarto cõfirmari verbis Galeni 8. method. c. vlt. annotatione 141.

Itaq; si calor præter naturam, qui substantiam febris complectitur, opponitur naturali: necesse est illum siccũ esse; quoniam naturalis cum humiditate connexus est. Quæ res ex eo etiam colligi potest, quod hic calor acer, mordax & acutus est: quæ sane fieri in calore non possunt, nisi adueniente maxima siccitate: cuius etiam causa actiones oblædantur. Quod si hæc in hunc modum habẽt, facile possumus rationibus Nicolai Florenrini, & aliorum satisfacere: cum is primum dicat febris essentiam esse calorem; atq; hũc esse simplicem quandam formam, quæ sibi associat nõ magis siccitatẽ, quam humorem. Dicimus calorem solum, minime continere totam essentiam febris; sed hoc attribuendum esse calori præter naturam: qui perpetuo secum siccitatem comitem habet, & quãtum ad suam naturam pertinet, nunquam humiditatem includit: quam tamen calor, quatenus calor, minime secludit; quemadmodum recte concludit Florentinus.

Responsio ad rationes oppositas.

1. diss. solutio.

Cæterum quod multæ sint febres, in quibus maxima humiditatum copia coaceruari possit, est id quidem verum, non tamen ad propositum; quandoquidem hoc non sequitur febres, quatenus febres existunt, sed propriam eius causam; aut saltem aliud quoddam accidentale. Hoc equidem, quod de febribus humidis afferunt, simile est, hydropi cum febre connexæ: in qua febre victus humidus non conuenit, indicatione desumpta ab eo affectu, qui cum febre connexus est; at sumpta indicatione à febre, vt febris est eiuscemodi victus semper conuenit: vt Galenus *primo aphorismorum* docet: Sic res habet in nostro proposito: Omnis enim febris, qua febris est, siccus est affectus: at cum febre nonnulla connecti possunt aliquando, quorum causa humiditas aderit: hæc sane vera est loci huius explicatio.

2. respons.

1. aph. 16.

Quod autem nos de febre habitu diximus, id profecto maiorem habere difficultatem videtur, cuius solutionem hactenus neq; apud Galenũ, neq; apud alios recentiores perlegimus. Sed tamen nisi meum me fallit iudicium, hoc modo interpretari eam Galeni sententiam oportet.

Febrem hecticam sine siccitate consistere, potest duobus modis intel-

ligi:

ligi: vno quidem, vt dicamus, an consistat sine siccitate, quæ propria est essentiæ febris, qua ratione febris est. Altero autem, an consistat sine siccitate, id est, cum tabe, vel sine tabe: atq; hac ratione per siccitatẽ idem penitus intelligimus, ac marasmum, quæ quidem corruptio est corporis viuentis ex siccitate, vt inquit Galenus. Absurdum esset inquirere, an sit febris hectica cum siccitate, quæ proprie, vt iam diximus, comitatur naturam febris: nec de hac re, Galenus eo loco, cum febres hecticas consistere sine siccitate tradit, verbum facit, sed veluti declaratum iam & expositum præsupponit. Quod autem ibidem inquirit, id tale est. An omnes febres hecticę sint cum marasmo, & cum tabe? quandoquidem febrium hecticarum nonnullæ marasmum, ac tabem comitem habent: nonnullæ vero citra marasmũ vt tabes consistunt: vt perbelle Galenus tum *eo loco*, tum etiam *proprio libello de marasmo* prosequitur. Sic igitur intelligendus est Galenus, cum in pestilentiæ tempore adesse sine siccitate febres hecticas edocuit. Non autẽ de quacunq; siccitate: quemadmodum neoterici quidam Medici, parum in Galeni doctrina exercitati, magno errore, putauerunt, atq; hæc satis de proposita quæstione.

lib. de marasmo c. 1.

[illegible]

9. de febr. diff. vlt. c. 8.

An febris sit intemperies æqualis vel inæqualis.

Hactenus igitur exposuimus, quod febris non solum sit intemperies calida, sed etiam sicca: nunc reliquum est vt videamus, quænam sit intemperies an æqualis & facta: an autem inæqualis, & quæ adhuc fiat: duplex enim est intemperies, vt Galenus docuit *libello de inæquali intemperie*: altera quidem æqualis; altera vero inæqualis: harum alteram febrem esse oportet.

Nos arbitramur, neutrum simpliciter dici posse; non enim est omnis febris æqualis intemperies, neq; omnis inæqualis: verum est tamen dicere: Febrem esse intemperiem aut æqualem, aut inæqualem.

Æqualis sane febris est, cum solidæ partes calefactæ sunt, quod in solis hecticis febribus contingit; Inæqualis autem in putridis omnibus, & in ephemeris.

Quomodo intelligere oporteat intemperiẽ æqualem & inæqualem.

Hoc autem modo intelligere oportet, has febres inæqualẽ esse intemperiem, quod aliquid illarum factũ iam sit, cuius morbi dicantur (nam oportet morbum habere suam permanentiam, & formam, post alterationem, & effectionem, vt supra diximus) aliquid vero etiamnũ fiat: maior autem pars sit eius, quod fit, quam eius quod factũ est: sic intelligere inæqualem intemperiem oportet. Æqualem vero contra, cuius scilicet maior pars sit facta; minor, quæ adhuc fiat: & facta quidem adhuc dupliciter intelligitur, vel facta æqualiter, vel inæqualiter: vtrumque in febribus hecticis contingit.

Nam imaginari non possumus in omni specie febris hecticæ adeo calefacta esse omnia solida membra, quod etiam amplius nequeant calefieri ex illis nonnulla.

Intemperies æqualis, æqualiter, vel inæqualiter facta.

Cum igitur solidarum partium quædam calefactæ sunt, quædam vero adhuc calefiunt, intemperies æqualis iam facta est; sed non in singulis partibus humani corporis; quamobrem inæqualiter facta reputari debet. Contra vero cum omnes iam sunt ad absolutionem calefactæ, nullaque amplius reliqua est, vt calefiat, quæ res potissimum contingit in febribus in habitu iam plene confirmatis, qualis est tabes extrema. (Non enim omnes tabes eiusmodi naturam habent) tunc sane dicimus æqualem intemperiem adesse, & æqualiter factam.

Cæterum, quoniam hæc clariorem fidem habitura sunt, cum nos de febribus hecticis disputabimus, sic finem dicendi faciemus: & orationem ad ea, quæ supersunt pro explicatione naturæ, & substantiæ febris, conuertemus.

Primi libri de Febris substantia

FINIS.

DE FE-

DE FEBRIS NATVRA

LIBER II.

De huiusce libri proposito.

CAPVT I.



IDEMVR hactenus diligenter prosecuti, quæcunque ad ipsius febris proximi generis constitutionẽ pertinebant. Nunc reliquum est, vt eiusdem differentias, tam remotas, quam proximas explicemus. Non enim solum genus naturam rei, & substantiam constituit: sed potius materiam communem suppeditat; cui si differentiæ addantur, quæ pro formis rerum sufficiunt; rei cuiuscunque essentiam emergere oportet. propter hanc sane causam de hisce differentiis hoc loco disserendum venit. Atque primum de subiecto febris dicendum; quoniam subiectum vera est omnium accidentium differentia, veraque forma; sine qua nullum accidens definiri potest: Deinde vero postquam omnes differentias absoluerimus; de causis febris communibus, ea scilicet ratione, quatenus febris est, disputabimus: nec non quæ propria sint febris symptomata, propriaue signa postremo loco docebimus. Quandoquidem vanæ sunt & dialecticæ, vt inquit Peripateticorum princeps Aristoteles, definitiones illæ, ex quibus causam colligere non possumus propriorum accidentium.

Porro in his explicandis, arduas illas quæstiones, nondum pro dignitate ab aliis expositas, de subiecto febris, enarrabimus, extricabimusque: atque ostendemus recentiores omnes Medicos, excepto tamen Ioanne Fernelio, pueriliter lapsos esse: Cum alii contendant subiectum febris esse calidum innatum; in quorum numero est Donatus Antonius ab Altomari, qui primus omnium, quod ego sane sciam, hanc opinionem promulgauit. Alii vero dixerint, cor secundum se totum esse adæquatum subiectum febris: at partiale subiectum tres illas existere substantias cordis: solidam quidem in febribus hecticis: humores autem cordis in febribus putridis: & spiritus in febribus diariis: quas Græci ἐφημέρους vocant.

Præterea non minorem difficultatem habet, cognoscere an sine affectione cordis febres oriri possint, vtpote, an hepar inflammatum toti febrem afferre possit non affecto corde; & si ad constitutionem febris oporteat cor pati: causa diligenter explicari debet.

Adde etiam, quod venit docendum, quomodo febris per vniuersum corpus, breuissimo quodam momento, deferatur, &, quæ sint instrumenta delationis huius. Hæ sane potissimæ sunt, vt alias omnes omittam, de quibus tamen sigillatim disputabo, circa præsentẽ tractationem difficultates; quorum dilucidationem, hæc iam satis superque præfatus, aggredior.

Quod non affecto corde, febris fieri non possit.

CAP. II.



EXplicaturi hoc loco difficultatem illam, de proximo subiecto febris, inprimis nonnulla explicabimus, quæ nobis non parum conducent ad eorum, quæ posthac dicturi sumus, explicationem. Id autem est, nullam febrem, quæcunque ea sit, fieri posse corde non affecto. Rem hanc duplici ratione docebimus, primum quidem ab iis, quæ febrem consequuntur, quatenus febris est. Deinde autem admirabilis Galeni monumentis idem confirmabimus.

Secundum corollarium.

Sequitur etiam & alterum; quod calor acquisititius, qui videlicet ætatis decursu acquiritur, is profecto non est acer, non mordax, non pungitiuus: sed potius suauis, halituosus, ac mitis: quando actiones ab hoc fiunt naturales, ab illo autem minime; quod si is respectu puerorum illorum calorem dicat mordacem fuisse, non videtur mihi, quamuis verum dicat, recte tamen concludere; quoniam calor iuuenum, collatione facta ad eos, qui febricitant, non est acris, non fuliginosus, non mordax; sed benignus, suauis, halituosus: atq; hac ratione recte conferre oportet hosce calores, nã quamuis in comparatione ad pueritiam, calor iuuenum sit mordax, vt Galenus testatur *primo aphorismorum*; ea tamen ratione, quatenus naturalis est, & febrili collatus calori, nulla participat acrimonia.

Tertium corollarium.

Ex his tertio sequitur, calorem acquisititium substantia non esse semper diuersum ab innato calore: *semper*, quidem in oratione addidi, quia, vt infra explicabimus, duplex est acquisititii caloris differentia, alius enim secundum naturam inest, alius autem præter naturam: qui secundum naturam est, hic eandem substantiam habet cũ calore innato puerorum. Quinimo caliditas horum, ac iuuenum non differt, si Galeno credimus, nisi sola qualitate: quod scilicet puerorum calor substantiam habeat magis humidam: iuuenum autem magis aridam.

1. aphor. comm. 14.

Cæterum quo hæc, quæ nos contra hunc hominem diximus, multo clarius appareant; præstat nostram hac de re opinionem afferre, atq; Galeni dictis comprobare.

Opinio propria de calido acquisitio.

Nos itaq; dicimus, calorem acquisititium esse illum, qui post animalis generationem acquiritur: ac idcirco desumptum est nomen acquisititii. Genito autem animante siue statim, siue temporis progressione dupliciter calidum hoc potest acquiri; vno quidem modo à naturalibus causis; alio modo ab iis, quæ animanti præter naturæ ordinem insunt.

Naturales causæ, si quod faciunt calidum, hoc sane erit secundum naturam; à naturali enim nihil fit, nisi naturale.

Calor naturalis acquisititius quibus ex causis.

Porro naturales causæ, quibus hoc acquiritur calidum, aliæ non sunt, nisi ætates; harum enim successione, quemadmodum ipsum animal permutatur; sic etiam & innatus illius calor continuo mutatur. Permutatio autem hæc fit in substantiam insiti calidi: quæ substantia statim genito animante humida est, & aerea; à prædominantibus elementis; dum vero augetur, & quotidie in omnibus succedentibus ætatibus, illa substantia humida dissoluitur, & siccas ignea quidem primum, demũ vero terrea præualet: & quemadmodum puerorum substantia humidum calorem, & halituosum affert, sic iuuenum calor, & aliorum, qui sunt post iuuenes, existit igneus, & mordax: non quod talis esse possit, relatione ad febricantes habita, sed potius relatione ad pueros facta: hic est calor naturalis acquisititius: de quo Galenus hoc modo locutus est; *cum quatuor sint elementa, ex quibus omnia corpora sunt temperata, puerile quidem corpus multum in seipso continet aerea, atq; aquosa substantia, minimum terrestris. Contra vero eorum, qui in ætatis vigore consistunt à terrestri siccitate obtinentur, deficit autem aquosa, & aerea substantia.* & parum infra. *Cum puerorũ quidem substantia humida sit; eorum vero, qui in ætatis vigore consistunt sicca: humida siquidem est maxime innati caloris affinis, quia ex humido nostra est generatio: sicca vero aduentitii caloris est propria.*

Confirmatio ex Galeno.

1. aphor. com. 14.

Ex his quidem videre est, calorem aduentitium nobis inesse secundum naturam; cum fiat naturaliter permutatione ætatum; & in sanis hominibus, vt pura, in iuuenibus adesse, atq; in senibus, & in iis, qui ætate vigent: est autem omnium iuuenum calor, qua ratione sani sunt, suauis, halituosus, & temperatus, vt Galenus his verbis ait; *nam sanorum calor vaporosus est, atq; suauis, & tactu conueniens nihil triste, nihil asperum præ se ferens.* Ergo si sana corpora calorem eiuscemodi habent; hic idem in iuuenibus, & senibus aderit; quamobrem

Galenus eadem com.

fallum

falsum est, & ab omni veritate alienum putare iuuenum calorem, cum sit acquisititius, mordacem, & acrem existere: hoc enim veritatem fortasse habet in collatione ad corpora puerorum: at simpliciter falsitatem continet, potissimum si collationem fecerimus sanorum corporum, cum iis, quæ febricitant.

Huius etiam acquisititii caloris, qui secundum naturam inest, ibidem meminit, dum qualis sit calor iuuenum exposuit quando ait: *Salubris vero eius qualitas in pueris exquisita habetur: sicut plures eorum, qui in ætatis vigore consistunt, euenire contingit calorem habentes mordacem, & non amplius humidum, vaporosum, atq; acreum.* hæc ille.

Gal. ibid.

Ex his profecto Galeni locis colligimus aliquem in nobis calorem inesse acquisititium, qui tamen insit secundum naturam: qui collatus cum calore puerorum, acris, & mordax dicitur: in se tamen consideratus, qua scilicet ratione in sanis inest, vel etiam collatione facta ad febricitantes, suauis, & halituosus est.

Aliud est præterea acquisititium calidum, præter naturam: cum id scilicet acquiritur à causis, quæ sunt præter naturam; aut certe cum non acquiritur ætatis permutatione: Vt calidum ex putrescentibus humoribus genitum, vel ex phlegmone aliqua, aut erysipelate cordi, totique corpori communicatum; omne quidem eiuscemodi calidum præter naturam est, acquisititium tamen dicitur, quia iam genito animali in qualibet ætate potest præter naturam acquiri. Hoc sane calido plurimum abundant pueri cum febricitant; qui tamen maximam habent copiam calidi innati; vt Hippocrates docuit.

Calidũ acquisititium præter naturam.

Huius equidem caloris meminit Galenus *in primo aphorismorum* dum inquit; *bene enim temperata est caloris innati substantia: ignea autem aduentitii: & qui caloris aduentitii sunt per totum corpus efflatus, fumei, fuliginosi, aridiq;, & acres; contra vaporosi, suaues, & bene temperati caloris natiui*, qui *paulo post* explicans, qualis sit calor natiuus, rem sanorum exemplo explicauit; & qualis existat calor aduentitius, febricitantium exemplo vsus est hisce verbis; *nam sanorum calor vaporosus est, atq; suauis, & tactui conueniens; nihil triste, nihil mordax, nihil asperum præ se ferens: eorum vero qui febricitant, & præcipue hecticas febres, aut eas, quæ ex putredine humorum ortum habent, acris est, & insuauis, & mordax, & nostrum corrodens tactum.* & *in libro primo de difficultate respirationis* ait; *Duplicem autem intelligere iuxta genus oportet calorem; alterum genuinum, & corpori innatum; alterum vero acquisititium ac spurium.* & *in libro sexto epidemiorum*, febrem contineri in genere caloris acquisititii testatur, eius verba sic habent; *est etenim in genere caloris acquisititii & febris ipsa.*

1. aph. 14. *Confirmatio ex Galeno.* *Eodẽ com. 14. 1. sectio aphor.* *cap. 22.*

Ex his Galeni monumentis colligere est; calidum præter naturam non esse idem cum calore acquisititio, nisi genere: quoniam omnes eiuscemodi calores in solo genere conueniunt, quod videlicet sint acquisititii: differunt autem specie, quoniam alterum esse præter naturam; alterum vero secundum naturam potest.

sect. prima com. 29.

Quamobrem verissima est hæc prædicatio. Omnis febris est calor acquisititius cordis. Hæc tamen falsa. Omnis calor acquisititius est febris, quia, vt prædiximus, calor acquisititius aliquando est secundum naturam, vt in iuuenibus, & ætate prouectis: aliquando vero præter naturam, vt in febricitantibus: quapropter est multo cõmunior acquisititii caloris ratio, quam caloris præter naturam. & quamuis febris in genere caloris acquisititii recte reponi debeat, multo tamen conuenientius, & proximius dicemus, genus esse calorem præter naturam; & in calore hoc totam febris substantiam, essentiam, & naturam collocatam esse, vt Galenus testatum reliquit, tum *in libro primo de febrium differentiis*, tum *in libro sexto de morbis vulgaribus*. Multo enim propinquius naturam febris hac dicendi ratione exprimimus.

Dictorum conclusio. *cap. 1. sect. 1. cap. 29.*

Quomodo

Quomodo febris dicatur permutatio natiuæ caliditatis ad igneam: quod calor præter naturam non sit morbus, sed morbi causa: sub qua specie qualitatis ponatur febris: & quæ sit intemperies?

CAP. X.

Difficultatum explicandarum propositio.

CÆterum, vt ea, quæ de febris natura explicare proposuimus, omni difficultate careant; locus hic postulat, vt doceam, an febris recte dicatur permutatio natiuæ caliditatis ad igneam; quemadmodum videtur mihi Galenus *primo aphorismorum libro* definiisse.

Deinde vero quoniam esse calorem præternaturam febrem ipsam definiuimus, docendum venit, qualis sit hæc definitio, in qua rei definitæ genus non ponitur, sed pro genere contentiua causa.

Hincque altera succedet contemplatio, non minoris me hercle difficultatis, cum febris quædam sit qualitas, sub qua specie qualitatis annumerari debeat.

Atq; postremo, quoniam tradidimus, verum genus febris esse calidam intemperiem, duo sunt declaranda, primum an sit simplex intemperies calida, an composita; deinde vero an æqualis; vel inæqualis; hæc quidem maximæ sunt circa præsentem tractationem difficultates; quarũ explicationem si non docuissemus, nos in re plurimum necessaria defuisse videremur.

Primæ quæstionis explicatio. Gal. 1. aph. 16. & 1. de rat. victus acut. c. 16.

Itaque si hæc, quæ supra diximus, vera sunt, quemadmodum putantur verissima; doceamus primo loco, quomodo febris sit permutatio natiuæ caliditatis ad igneam: nam hoc maximam controuersiam habet: Si enim permutatio est, morbus non videbitur febris, sed symptoma: nam permutatio suam habet essentiam in motu, atque in ipso, quod aiunt, fieri, qualem naturam habere potissimum symptomata dicuntur: morbus autem permanentem naturam habet; & quatenus factum est, eatenus morbus dicitur.

Gal. lib. de sympt. cap. 1. & lib. de morb. diff.

Deinde vero nulla febris erit intemperies æqualis, atque ex toto facta: æqualis enim esse non potest, si febris est permutatio natiuæ caliditatis ad igneam: Omnes tamen febres in habitu, quas Græci hecticas vocant, ex toto factæ sunt, & æquales intemperies nuncupantur.

Gal. lib. de inæq. intemp. cap. 1. & 2. de diff. febr.

Postremo, dum natiua caliditas permutatur, adhuc quidem natiua caliditas permanet: dum vero permutationem subterfugit, & terminum acquisiuit, non est natiua, sed ignea, & præter naturam. Essentia igitur & natura febris non erit caliditas præter naturam, non consistet in calida intempe- tie, non in genere caloris acquisititii, quemadmodum nos superiori capite demonstrauimus.

Galen. 1. de febr. diff. c. 3. 6. epid. sect. 1. c. 19.

Quamobrem pro solutione harum difficultatum, scire oportet; hanc definitionem non vere naturam, & formam febris exprimere; sed potius modum generationis, siue rationem, qua fit febris, vt idem Galenus testatur *libro de ratione victus acutorum*. Et quamuis hæc perfecta definitio non sit, non est tamen propterea refellenda, cum hisce etiam definiendi rationibus præclarissimi philosophi vsi fuerint.

lib. 1. comment. 18.

Sunt enim duo definitionum genera, quantum ad præsentem tractationem pertinet. Alterum quod propriam rei formam, & essentiam explicat. Alterum vero quod rei definitæ substantiam docet, per contentiuã causam. Quod genus propriè à philosophis materiale nuncupari consueuit: vtriusque definitionis exemplum sit, iræ definitio, nam ira si formam illius, & essentiam respicias, est affectus quidam animæ concupiscibilis, quo vindictam appetimus & idcirco sic optime definitur. Ira est appetitus vindictæ. Verum quoniam illius causa est feruor sanguinis circa cor, sine quo nunquam fit ira, propterea hanc iræ substantiam per efferuescentiam sanguinis exprimimus. Ille igitur sanguinis feruor; ille motus, non est iræ forma, sed causa proxima.

Exempla.

Aliud

Aliud exemplum. Eclipsis secundum propriam formam est priuatio luminis in luna; at secundum causam continentem est interpositio terræ inter solem ac lunam, vt Aristoteles docuit *libro secundo posteriorum.*

Sic profecto res habet in nostro proposito: Febris enim propria forma, & essentia, est calida intemperies è corde in vniuersum corpus effusa: continens vero causa, calor præter naturam: continens etiam causa, permutatio illius natiuæ caliditatis ad igneam: nam idem est calor extraneus, atque permutatio natiuæ caliditatis ad igneam. In hac enim permutatione duplex adest caliditas: prima naturalis, halituosa, & benigna, tanquam pars quædam, à qua incipit permutatio: altera vero extranea, & præter naturam, vt terminus ad quem motus appellit. Quoniam vero à termino ad quem, & à fine vnumquodque denominari debet, merito hic calor dum permutatur, præter naturam dicitur: ac ea ratione, quatenus præter naturam est, febris dicitur: non autem quatenus naturalem caliditatem in motu adesse, necessarium est, morbus dicitur: namque propterea actiones lædit, atque sui ablationem postulat: quo fit, vt nulla ratione statuere debeamus febrem caliditatem quandam esse compositam ex naturali, & extranea, quia nunquam est febris, quę ablationē non inducat, quæue actiones non lædat, quod illi ratione caloris naturalis contingere non potest. Hæc igitur per se conueniunt calori præter naturam, ex accidenti autem composito: nihil vero quod ex accidenti conueniat definito, ingredi definitionem debet: vt alibi demonstrauimus. Nunc accedamus ad explicationem eorum, quæ proposuimus.

Febris quatenus morbus est intemperies: si vero permutationem dicamus naturalis caliditatis ad igneam, non est hac ratione morbus, sed proxima morbi causa: quoniam ad hanc permutationem proxime sequitur calida intemperies: hæc igitur definitio modum, vt diximus, generationis explicat, essentiam autem illius minime: quemadmodum etiam neque altera, de qua parum post loquemur, qua definientes febrem dicimus, esse calorem præter naturam.

Quod autem secundo loco obiicitur, sic persoluitur. Hectica febris est intemperies æqualis, & facta: non tamen in omnibus partibus æqualis, aut facta. Nam solidæ partes non oēs æqualiter inflammantur; sed successiue vna post alteram caliditatem habitū recipit. Absurdum est.n. omnes solidas partes natiuam humiditatem amisisse, atque, vt sic dicam, contabuisse, vita superstite. namque hi duo calores, quos adesse semper in febricitantibus diximus, cum sint contrarij homini viuenti, inuicem continuo agunt, & patiuntur, quod nos non solum in febribus hecticis confitemur, sed etiam in tabidis admittimus. Satis est itaq; vt febris hectica dicatur, aliquam partem ex solidarum numero, potissimum cordis caliditatem in habitu contraxisse; aut etiam plures: quod autem omnes necessarium non sit, Galenus *libro de marasmo* clarissime docuit. Quamobrem in omnibus febribus verum est dicere, adesse calidiatis natiuæ permutationem ad ignem, atq; hæc sane vera est huiusce difficultatis explicatio.

Quod enim Donatus Antonius affert, non esse inconueniens in febre hectica partes solidas æqualiter calefactas esse: ipsam vero earū partium innatam caliditatem adhuc conuerti ad igneum; & non omnino conuersam esse, meo quidem iudicio non consistit.

Nam si facilius calefiunt spiritus, quam humores, & si promptius incalescunt, quam solidæ partes: qui fieri potest hasce partes æqualiter calefactas esse, quod sane à Donato admittitur, natiuam autem caliditatem adhuc calefieri, non calefactam esse? adhuc mutari, non mutatam esse? multo enim facilius, vt diximus, in caliditate natiua, (quæ maxima facilitate alteratur) hoc continget, quam in solidis partibus. Impossibile est igitur natiuam caliditatem adhuc permutari, & omnes partes solidas permutatas esse. Rectius

quidem

quidem si dicamus, non omnes solidas partes calefactas esse, sed vnam, duas, aut plures: calefieri autem reliquas, quod sane pauci animaduerterunt.

Postrema difficultatis explicatio.

Postremum vero in hac permutatione caloris naturalis ad igneum, vterq; calor adest: naturalis, & præter naturam. Ille tanquam terminus à quo, hic vt terminus ad quem: ille tanquam principium: hic tanquam finis: à quo, quemadmodum diximus, fit denominatio caloris huius.

An autem hæc in omnibus febribus conueniant, dubitationem habet; quoniam febres pestilentes non videntur hanc igneam qualitatem habere: sed tamen in his etiam veritatem habet proposita definitio, dummodo considerentur, quâ sunt febres; non autem qua pestilentes: hac enim causa ab aliis differre videntur, vt suo loco explicabimus.

Quod calor præter naturam non sit morbus, nec febris formaliter, contra recentiores Medicos. Quid sanitas, & quid morbus.

Verum quoniam supra diximus, calorem præter naturam continentem esse causam febris, atque intemperaturæ calidæ, morbum autem non esse, neque febrem dicendum esse secundum propriam formam & naturam, id profecto nunc diligentius explicandum venit. Huius autem explanationis principium sit rei natura. Sanitas & morbus cõtrarii sunt affectus, quamobrem habent definitiones contrarias. Est enim sanitas partium secundum naturã constitutio, vt Galenus definit *initio libri de morborum differentiis*; quamobrem morbus erit constitutio partium præter naturam. Ex hac definitione concluditur calorem præter naturam non esse morbum: quandoquidem is non est compositio, aut constitutio corporis; sed potius constitutionis, atq; compositionis causa. Vt enim domus non sunt ligna, lapides, tecta, & fundamenta; verum quod ex illis componitur, atque resultat; sic profecto sanitas similarium partiũ temperies est ex iusta proportione inter se mixtis, & temperatis qualitatibus proueniens, estq; ea non calor, aut frigus, sed certa corporis compositio; & forma ex illis resultans. Sic sane morbus præter naturam constitutio est, quæ excessu, aut defectu cõponentium fit, veluti intemperies, quæ caloris, vel frigoris, aut alterius qualitatis exuperantia nascitur.

Confirmatio ex Galeno.

Quapropter calor præter naturam proxima est febris causa, non ipsa febris forma. Nam si calor ipse morbus est, quid erit ipsa intemperies, quę ob calorem exsuperantem committitur?

Quod si aliquando Galenus calorem pręter naturam esse morbum admittere videtur; is intelligendus est, non quod re vera sit morbus, sed quod eius nomine ostendatur, quale sit vitium in compositione ipsarum partium, qualisue existat proxima, & contentiua causa: sic igitur cum is dicit febrem

Galeni explicatio.

esse calorem præter naturam, intelligere oportet, febrem esse calidam intemperiem factam propter excessum caloris, quam rem idem apertissime ostẽdit, cum *in octauo & nono methodi medendi* naturam & propriam essentiam febris circumscribens, definiuit eam esse intemperiem ab exuperantia caloris factam: quod etiam ostendit *in libris de temperamentis, ac passim alibi*, vbi scribit ex calido, frigido, humido, & sicco, & ex illorum permistione fieri temperamentum partium: adeo vt stupidi sint, qui credant, has qualitates esse ipsum temperamentum, aut illorum excessum esse morbum. Nec non idem docet, cum morbum inæqualitatem, calidi, frigidi, humidi, ac sicci, alibi vocari statuit: & *in libro de causis morborum*; similarium partium morbum intemperiem vocat. Ex dictis igitur concludendum est, calorem præter naturam non esse intemperiem, neq; morbum similarium partium, atque etiam neq; formaliter esse febrem.

Dubitatio.

Sed habet hoc loco dubitationem minime contemnendam quod nos diximus, quomodo febris per calorem pręter naturam definiatur. Nam non videtur hac ratione recte definiri posse, quia genus febris non est calor; sed intemperies: veræ autem definitiones sunt, quæ genere constant: cum itaq; hæc definitio proprio careat genere approbari non posse verisimile est.

Solutio.

Res tamen alio modo habet; nam pro genere in multis definitionibus

ponitur

ponitur contentiua causa: qua consueuerunt clarissimi philosophi ac Medici proximum genus circumscribere. Sic definiunt iram esse sanguinis efferuescentiam circa cor: Sic ecclypsin esse interpositionem terræ inter solem, & lunam: cum tamen illius forma non sit ipse sanguinis feruor; sed affectus animi, quo vindictam appetimus: huius vero forma non est interpositio; verum priuatio luminis in luna: quæ tamen optime, vt diximus, per proximam causam circumscribitur.

Cur febris per calorem definiatur.

Sic res habet in nostro proposito; calor præter naturam est proxima causa, & contentiua febris: huius autem vera forma, verumque genus est intemperies calida, & sicca è corde in vniuersum corpus effusa. Quamobrem recte potest vtroque modo definiri; quæ tamen definitiones si inuicem connectantur; definitionem vnam faciunt absolutissimam, qualis ea est, quæ positione sola à demonstratione differt: & omnium definitionum est præstantissima. Vt si diceremus iram definientes. Ira est appetitio vindictæ propter inflammationem sanguinis circa cor. Hæc enim definitio, vno, atque eodem examine non solum quid sit res ipsa, sed etiam explicat propter quam causam existat. Idem autem dicimus circa definitionẽ febris, vt si dicamus: Febris est calida & sicca intemperies propter calorem præter naturam è corde in vniuersum corpus effusum, aut in principalioribus partibus cõtentum. Nihil enim in hac definitione desiderari posset, ex iis conditionibus, quas bonæ definitiones postulant. Sed hæc hactenus; nunc vero doceamus quoniam febris omnium iudicio quædam est qualitas; sub qua specie qualitatis reponenda sit.

Sub qua specie qualitatis sit febris.

Cæterum hoc nulla difficultate inuenietur, si compertum à nobis fuerit sub qua specie morbus collocetur, quoniam febris quidam est morbus similarium partium, vt Galenus *lib. 8. methodi medendi* testatur: nam sub eodem genere febris comprehendetur, sub quo morbus.

Galeni opinio.

Galenus itaque morbum inquit esse διάθεσιν, id est dispositionem quandam præter naturam, in qua re maximam difficultatẽ haber, quomodo morbus dispositio quædam sit; nam si est dispositio, omnis morbus erit qualitas quæ poterit à subiecto facile remoueri; sic enim Aristoteles nomen dispositionis intelligit in prædicamẽtis; verum hoc absurdũ esse, & contra omnem experientiam satis arbitror manifestum, vel etiam iis, qui in rebus medicis parum exercitati sunt, quibus notum est nonnullos esse morbos diu permanentes, atque stabiles; alios vero contrarios.

Dubitationes contra opinionem Galeni.

Quod si quis hoc loco Galeni partes suscipiens dixerit διαθέσεως nomine, non intelligere dispositionem, sed affectum quendam præter naturã, quo significetur alteratio quædam stabilis, ac permanens; videat is, ne antiquam verbi huius, διαθέσεως significationem corrũpat: quandoquidẽ vt Aristoteles aperte ostendit, contrarium omnino significat, nempe qualitatem, quæ à subiecto facile dimoueri potest, diuersam ab ea, quæ habitus dicitur.

His adde etiam quod absurdum videtur dicere, morbum esse affectum stabilem & permanentem, quia multæ sunt morborum differentiæ, quibus non conueniret proposita definitio: vti sunt omnes febres ephemeræ, quædam putridæ, aliíque id genus affectus, qui nulla ratione stabiles ac permanentes dici possunt.

Opinio Ioannis Argent. lib. 1. de mor. gener. cap. 1.

Hæ sane dubitationes tantum potuerunt apud præclarissimos quosdam Medicos, vt ii putauerint Galenum non recte definiuisse morbum, aliudque genus illius perquirendum esse. Verum in quanto errore versentur, quamuis nos alio in opere diligentius docuimus, hic nihilominus breuiter repetendum, quantum ad præsentem tractationem pertinet.

Ex Ioanne Fern. lib. 1. pathol. c. 1.

Sciendum est itaque morbum esse διάθεσιν præter naturam corporibus insidentem. διαθέσεως autem nomine nos nihil aliud intelligimus, quam affectum corporis: nos enim hac voce non audimus eam præcisam, & argutam

διάθεσις quid.

ſignificationem, quam Ariſtoteles in prædicamentis vſurpauit, ſed potius ampla, & multiplici verbi ſignificatione vſi, omnem intelligimus corporis conſtitutionem ſiue in ſubſtantia, ſiue in qualitate, ac temperamento, ſiue in conformatione & figura, ſiue in magnitudine, ſiue in numero ea conſiſtat. Affectus autem omnis mutatione quadam, motuque facto induci, gignique ſolet: cumque cauſa præter naturam efficiens, obiectum corpus immutat, eique vim infert, aliquid ea quidem efficit: hicq; eius motus, effectio dicitur, Græcis ἐνέργεια.

ἐνέργεια quid. πάθος. πάθησις.

Obiectum vero corpus patitur, & afficitur, hicq; eius motus affectio eſt, atque perpeſſio, Græcis πάθος vel πάθησις: ſic ex affectione tandem proficiſcitur affectus, qui Græcis eſt διάθεσις; quaſi dixeris impreſſum, affectionis veſtigium: ſublata cauſa protinus omnis eius ceſſat effectio: ceſſat & patientis corporis affectio. At genitus affectus interdum manet, ac perſiſtit manifeſte ab affectione ſeiunctus: eiuſmodi eſt vlcus à candente ferro corpori inuſtum, aut vulnus inflictum gladio.

Affectionẽ ab affectu eſſe ſumendam.

Interdum minimum ſubſiſtit, nec certe permanet, ſed ſeiuncta cauſa, aut pariter cum affectione, aut quam mox deletur. Sic putrida febris, quæ eſt calor præter naturam, omnes corporis partes occupans, vacuato humore putrido, qui eius efficiens eſt cauſa, nihil aut minimum perſiſtit.

Ex affectione aliqua nullũ affectum emergere.

Eſt tertio & cum ex affectione nullus emergit affectus, ſi leuis eius, nec magna vis eſt; vt cũ leuiter pingente acicula, aut igne acrius mordente, dolor, affectioq; premit, qua tamen deſinente nullum ſæpe manet punctionis, aut vſtionis veſtigium, nulluſq; affectus. Et cum ex impuro ventriculo malus acerq; vapor ſublatus cerebrum, meningeſq; tentat, dolor quidem ineſt, ac ſæpe delirium, quo falſa rerum ſimulacra ſeſe obiiciunt, atque repræſentant: Hæ quidem affectiones ſunt capitis in quo tamen nondum vllus contractus eſt affectus, quemadmodum neq; in ventriculo cum eius coctio male affecti iecoris contagione impeditur. Multo quidem euidentius timorem, mœſtitiam, excandeſcentiam, aliaſq; perturbationes, animi affectiones appellant, quæ citra vllum cordis affectum hominem exercent.

Nota.

Quanquam igitur Græcis idem ſunt: διατίθεσθαι καὶ πάσχειν. id eſt, affici, & pati, diuerſa tamen eiſdem ſunt. διάθεσις καὶ πάθος. id eſt, affectus, & affectio, ſeu perperpeſſio. Ille enim affectionis impreſſum veſtigiũ denotat: hæc vero actionem agentis, & patientis reſpicit. His itaq; hoc modo conſtitutis, reliquum eſt, vt ad propoſitam diſputationem accedamus: qua inquirebamus, ſub qua ſpecie qualitatis reponatur febris.

Febres in duabus ſpeciebus qualitatis repona.

Putamus autem ipſam optime ſub duabus ſpeciebus collocari poſſe: ſub habitu, ac diſpoſitione: & ſub paſſibili qualitate.

Reponi quidem poſſe conuenienter ſub habitu, indicio ſunt febres hecticæ, & maraſmodes, qui ita obſident corpus ipſum, vt iam in illo quendam veluti habitum contraxerint, propter quam cauſam febres eiuſcemodi omnes in habitu nuncupantur, vt ſuo loco diligentius docebimus. Harum igitur omnium eſt commune genus habitus: quia quotieſcunque febres hæ corpus inuaſerunt, ſunt de difficile mobilibus: nam habitus eſt qualitas, quæ à ſubiecto ſine difficultate non remouetur.

Febris ſub paſſibili qualitate.

Poteſt etiam aliquando febris ſub diſpoſitione collocari; quando ſcilicet contigerit vel putridas febres, vel diarias, quas Græci ephemeras vocant, humanum corpus inuadere: ſunt enim hæ, illarum collatione, quas hecticas nuncupant, facile ſolubiles.

Quod vero ſub paſſibili qualitate reponatur febris, teſtimonium eſſe poteſt euidentiſſimum, quod vnaquæque febris ſenſum afficit. Nunquam tamen febris eſt paſſio: quoniam paſſio non habet permanentem naturam, qualem habere ſemper ipſe morbus debet.

Dubitationes.

Verum hoc loco duo ſunt, quæ dubitationem faciunt. Primum quia

Ariſto-

Prima. c. de qualitate in prædic. Arist.

Aristoteles dum loquitur de passibili qualitate, putat esse has idcirco qualitates passiuas, non quod corpus illas habēs, aliquid patiatur, sed quod inferre passionem circa sensum apta sint. Verū febris non est eiusce modi, quia corpus subiectum à febre non mediocriter patitur, cum eius omnes actiones lædat, quemadmodū infra suo loco docebimus. Deinde vero passibilis qualitas diuturnior, ac permanentior videtur, q̄ passio: quare sequi videtur, febrem non esse qualitatem passibilem: quia non est omnis febris permanētior, atq; diuturnior, vt supra diximus, ipsaq; experientia ab omnibus compertum est.

Secunda.

Harum dubitationum solutio in hunc modum habet.

Solutio primæ quæstionis.

Ammon in præd. capit. de qualitate fol. 40. lit. F.

Passiuæ qualitates duplices sunt, nam quædam animo, quædam corpori insident: quæ animo insident prætermittuntur: atq; eas diuidamus, quæ corpori insident. Hæ sunt duplices, quædam enim omni speciei conueniunt, vt albedo niui, quædam vero quibusdam: & hoc iterum dupliciter: aut ab aliquo in generatione affectu, vt æthiopibus nigredo; aut non ex generatione. Sed post ab affectu genitæ: idq; duplici via: nam aut inuehit affectum, vt febris: aut non inuehit affectum, vt pallor. Ex his videre est, quod aliquæ passiuæ qualitates sint, quæ inuehunt affectum in corpore, vt est febris: eam vero Aristotelis sententiam non esse vniuersaliter veram, sed solum de nonnullis passiuis qualitatibus intelligendam.

Secunda quæstionis solutio.

Secunda vero difficultas soluitur, quoniam hæ qualitates passiuæ dicūtur permanentiores, & diuturniores collatione facta ad passiones ipsas, quæ habent suam essentiam in ipso fieri, non quod simpliciter sit necessarium, omnes qualitates passiuas diuturnas, & permanentes esse: sunt enim quædam permanentes, quædam vero minime ex febrium differentiis; quas loco suo sigillatim prosequar.

Commune genus omnium febrium est passibilis qualitas.

Omnium itaque febrium commune genus, est qualitas passibilis: quoniam nulla est, quæ sub istas congrue referri non possit.

Porro quantum ad rationes illas pertinet, quas contra definitionem morbi contra Galenum Ioan. Argenterius attulit, hoc loco nihil edisseram, quoniam patet illorum solutio ex iis, quæ supra diximus. Nunc vero de postrema difficultate disseramus: qua nos explicandum proposuimus, qualisnam intemperies ipsa sit febris.

Primum quidem omnium nullam aliquando difficultatē habuit, quin febris sit calida intemperies. Imo hoc vnum ex illis est, quæ cum principia sint in rebus Medicis, minime comprobari debent, sed tanquam notissima ab omnibus præsupponuntur.

Dubitationem autem habet, an sit intemperies simplex, an composita, & si compositam esse dixerimus, an humida sit, an autem sicca. Nam Nicolus Florentinus, aliquando humidam: aliquando siccam intemperiem febrem esse tradidit, quidam vero nunquam esse humidam intemperiem, sed semper siccam arbitrantur.

Suppositio. An febris sit intemperies humida, an sicca, disputatio contra Nicolum Florentinum, & alios modernos.

Nos itaq; harū opinionum summam, pro nostra consuetudine explicaturi, hoc inprimis docebimus, q uæstionem esse de febre, quatenus febris est, non autem quatenus annexū cum febre aliquid est, cuius causa, vel sicca, vel humida dicatur intemperies: nam hoc non esset proprium febri, quatenus febris est, sed annexorum cum ipsa febre, quibus illud, quod quæritur primo conueniet, febri vero ex accidenti: Nam id per accidens alteri conuenire dicitur, quod ei inest per aliud illi non substantialiter inhærens: Hoc itaque supposito, primum aliorum opiniones afferendæ sunt, ac reprobandæ; demum vero docendum, quid pro veritate sit dicendum.

Ordo explicationis quæstionis propositæ.

Nicolus Florentinus putat febrem, quatenus febris est, intemperiem esse calidam, & siccam, vt plurimum: posse tamen etiam aliquando humidam esse; quam rem his persuadet rationibus.

Opinio Nicoli Florentini.

Prima, quia febris essentia est calor preter naturam: at calor est quædam

tini in sermone secũdo, tract. 2. cap. 2.

forma simplex, quæ quantum pertinet ad suam essentiam, non magis siccitatem includit, quam humiditatem; vt experientia videmus: nam calor adest in igne, qui siccus est; adest etiam in aere, qui humiditatem possidet. Itaq; si non repugnat formæ caloris, & naturæ cum siccitate, atq; humiditate connecti. Febris, quæ in essentia continetur caloris præter naturam poterit cum vtraque passiua qualitate connecti.

II. Si siccitas esset de natura febris, vt febris est; in omnibus febricitantibus oporteret adesse siccitatem præter naturam, cuius causa actiones læderentur. Verum sunt multæ febres, quæ nullam læsionem inferunt meritó siccitatis; quinimo potius contra, propter humiditatem videntur præternaturales actiones fieri. Quamobrem in hisce corporibus, in quibus humiditates abundant, in his febris calidus, & siccus non fuerit recte nuncupandus, sed potius humidus: aut saltem non siccus. Ex his concludit febrem posse aliquando humidum esse affectum; non autem semper siccum; quamuis vt plurimum talis dici possit.

Propria ratio pro opinione Nicolai.

His rationibus nos aliquando, cum scilicet hanc opinionem sustinebamus, rationem efficacissimam addidimus ex Galeni monumentis desumptam, & à loco topico à maiori ad minus confirmatam. Erat autem talis ratio: *Si de quo videtur inesse magis, illud non inest: Ergo neq; id inerit, quod minus videtur; verum non solum magis, sed etiam maxime videtur febres omnes in habitu esse morbum quendam siccum; vt omnes hactenus videntur confirmasse: sed tamen siccitas non est propria passio omnium hecticarum febrium, sed earum tantum, quæ proprie nuncupantur Marasmodes: quamobrem neq; hoc inerit febribus, quatenus febres sunt.* Rationem Galenus hisce verbis confirmat: *Proprium autem his, quæ tabi cõiuncta sunt, est siccitas: quoniam sine siccitate, sæpius hectica febres consistunt, cum non transmutantur ad tabem, quemadmodum multis hoc tempore in magna pestilentia contingit.* hæc ille. Ex quibus satis videmur comprobasse, non omnem febrem esse siccum affectum.

Confirmatio ex Galeno 1. de febr. diff. cap. 9.

Explicatio Hugonis Senensis, & Ioan. Herculani.

Postremo autem loco addunt, quod quamuis febris non sit morbus siccus, esse tamen morbum præternaturaliter exiccatiuũ: est enim (vt inquiunt) omnis febris caliditas ignea humani corporis exsiccatiua. Ex quo inferunt, omnem febrem esse morbum virtualiter (sic enim loquuntur) siccum: licet non sit essentialiter siccitas: sed solum calor, quemadmodum Galenus tradit, qui docuit essentiam febris in solo calore præternaturali consistere. Hoc modo habet recentiorum opinio.

Impugnatio opinionis huius.

Ego vero arbitror, febrem non solum calidũ, sed etiam siccũ affectum esse, si ea vera sunt, quæ de febre, tũ Hippocrates, tum Galenus tradiderunt. Hippocrates quidem quotiescunq; is febris meminit, id sane facit sub ignis nomine: ignis vero qualitatem non solum calidam, sed etiam siccam habet. Quæ res videtur nobis indicare compositum esse affectũ. Nam si est simpliciter calida affectio, cur magis nomine ignis, quam aeris febrem nuncuparet, non video: quod si is propter similitudinem, quam cũ igne habet, sic appellauit, opus est profecto, quod etiam febris sicca sit passio. Idem cõfirmari multo apertius ex eodem Hippocrate possumus: qui *primo aphorismorũ* sic inquit: *Victus humidus febricitantibus omnibus competit, maxime autem pueris, & iis, qui tali victu vti consueuerunt.* Ergo febris, qua ratione febris est, siccus est affectus; quoniam contrariorum contraria sunt præsidia. Hic scio, quid hac in re neoterici scriptores dicant. Nempe febricitantibus omnib. qua febricitant, frigidum victum conuenire indicatione sumpta à febris natura: humidum aũt non pro curatione, sed potius pro præseruatione: quia febris omnis est actu calidus morbus, potentia vero siccus: à qua potẽtia indicatio desumitur præseruatiua: sic ille subtilis senensis dubitationi satisfacit. Sed meo quidem iudicio non recte: quoniam Galenus in explicatione loci illius rationem reddens propter quam victus humidus febricitantibus omnib. cõpetit, inquit, *quia febris est affectus calidus, & siccus, cum sit conuersio natiua caliditatis ad igneam.*

Ex Hippocrate primum.

Ex eodem secundo. 1. aph. 16. sect. 4.

Euasio.

Ex Gal. 1. apher. 16.

Deinde

Deinde vero *libro de ratione victus in morbis acutis* rem adeo diligenter explicat; vt nullus amplius supersit dubitandi locus, eius verba sic habent. *Natura igitur acutorũ morborum est, vti ipse paulo ante dixit, vt horum febres omnino sint continua. Febris vero ortus natiui caloris ad igneũ est conuersio; vt alibi manifestauit, & nunc demonstrauit inquiens. Ex thorace siquidem incipit, atq; ad caput flammã mittit; praterea in libris vulgarium morborũ febrem magnam ignem vocare consueuit; quasi non aliam habeat naturam, prater quam ignis substantiam. Si igitur contraria contrariorũ remedia existant, febris sane peculiare remedium, vt virtute tum refrigerante, tũ humectante sit oportet. Id namq; febris natura, qua & calida, & sicca est, contrarium erit. Talis siquidem natura est ignis*. hæc ille; ex quibus colligenda sunt duo; primũ, quod febris natura alia nõ sit, quam ignis substantia. Secundum; quod febris natura calida sit, & sicca. Hæc duo manifestum faciunt, febrem esse cõtinuo siccũ affectum; atq; nõ mediocriter lapsos esse Medicos illos Senenses, homines alioquin subtilissimos, in explicatione illius aphorismi; *Victus humidus febricitantibus omnibus competit*: nam si eadem est natura febris, quæ ignis: hic vero nõ solum calidam habet substantiam, sed etiam siccam; cõcluditur febrem non simpliciter calidum esse affectum; verũ etiam siccum. Deinde vero talem temperaturam febribus inesse secundum actum, non secundum potentiam. Quandoquidem natura, & substantia rei semper in actu insunt in ipsis rebus; quarum naturæ & substantiæ sunt.

1. aph. 16. 2. ex Gal. — Galen. 1. de rat. vict. acut. c. 18. litt. C. — Corollaria.

Confirmatur præterea hæc opinio ex eodem, quod is, postquã substantiam febrem in calore præternaturali cõsistere tradidit, explicans, quidnam is intelligat, per calorem extraneum, eum acrem esse, mordacem, acutũ, fuliginosum docet: naturaliq; calori opponit, qui suauis, humidus, & halituosus est, hocq; Galenus locis sexcentis diligentissime exposuit.

Confirmatio 3. ex Galeno. — Potest hæc opinio quarto confirmari verbis Galeni 8. method. c. ult. annotatione 148.

Itaq; si calor præter naturam, qui substantiam febris complectitur, opponitur naturali: necesse est illum siccũ esse; quoniam naturalis cum humiditate connexus est. Quæ res ex eo etiam colligi potest, quod hic calor acer, mordax & acutus est: quæ sane fieri in calore non possunt, nisi adueniente maxima siccitate: cuius etiam causa actiones oblædantur. Quod si hæc in hunc modum habẽt, facile possumus rationibus Nicolai Florentini; & aliorum satisfacere: cum is primum dicat febris essentiam esse calorem; atq; hũc esse simplicem quandam formam, quæ sibi associat nõ magis siccitatẽ, quam humorem. Dicimus calorem solum, minime continere totam essentiam febris; sed hoc attribuendum esse calori præter naturam: qui perpetuo secum siccitatem comitem habet, & quãtum ad suam naturam pertinet, nunquam humiditatem includit: quam tamen calor, quatenus calor, minime secludit; quemadmodum recte concludit Florentinus.

Responsio ad rationes oppositas. — 1. diff. solutio.

Cæterum quod multæ sint febres, in quibus maxima humiditatum copia coaceruari possit; est id quidem verum, non tamen ad propositum; quandoquidem hoc non sequitur febres, quatenus febres existunt, sed propriam eius causam; aut saltem aliud quoddam accidentale. Hoc equidem, quod de febribus humidis afferunt, simile est, hydropi cum febre connexæ: in qua febre victus humidus non conuenit, indicatione desumpta ab eo affectu, qui cum febre connexus est; at sumpta indicatione à febre, vt febris est eiuscemodi victus semper conuenit: vt Galenus *primo aphorismorum* docet: Sic res habet in nostro proposito: Omnis enim febris, qua febris est, siccus est affectus: at cum febre nonnulla connecti possunt aliquando, quorum causa humiditas aderit; hæc sane vera est loci huius explicatio.

2. respons. — 1. aph. 16.

Quod autem nos de febre habitu diximus, id profecto maiorem habere difficultatem videtur, cuius solutionem hactenus neq; apud Galenũ, neq; apud alios recentiores perlegimus. Sed tamen nisi meum me fallit iudicium, hoc modo interpretari eam Galeni sententiam oportet.

Febrem hecticam sine siccitate consistere, potest duobus modis intel-

DE FEBRIS NATVRA
LIBER II.

De huiusce libri proposito.

CAPVT I.



VIDEMVR hactenus diligenter prosecuti, quæcunque ad ipsius febris proximi generis constitutionē pertinebant. Nunc reliquum est, vt eiusdem differentias, tam remotas, quam proximas explicemus. Non enim solum genus naturam rei, & substantiam constituit; sed potius materiam communem suppeditat; cui si differentiæ addantur, quæ pro formis rerum sufficiunt; rei cuiuscunque essentiam emergere oportet. propter hanc sane causam de hisce differentiis hoc loco disserendum venit. Atque primum de subiecto febris dicendum; quoniam subiectum vera est omnium accidentium differentia, veraque forma; sine qua nullum accidens definiri potest. Deinde vero postquam omnes differentias absoluerimus; de causis febris communibus, ea scilicet ratione, quatenus febris est, disputabimus: nec non quæ propria sint febris symptomata, propriaue signa postremo loco docebimus. Quandoquidem vanæ sunt & dialecticæ, vt inquit Peripateticorum princeps Aristoteles, definitiones illæ, ex quibus causam colligere non possumus propriorum accidentium.

Porro in his explicandis, arduas illas quæstiones, nondum pro dignitate ab aliis expositas, de subiecto febris, enarrabimus, extricabimusque: atque ostendemus recentiores omnes Medicos, excepto tamen Ioanne Fernelio, pueriliter lapsos esse: Cum alii contendant subiectum febris esse calidum innatum; in quorum numero est Donatus Antonius ab Altomari, qui primus omnium, quod ego sane sciam, hanc opinionem promulgauit. Alii vero dixerint, cor secundum se totum esse adæquatum subiectum febris: at partiale subiectum tres illas existere substantias cordis: solidam quidem in febribus hecticis: humores autem cordis in febribus putridis: & spiritus in febribus diariis: quas Græci ἐφημέρους vocant.

Præterea non minorem difficultatem habet, cognoscere an sine affectione cordis febres oriri possint, vtpote, an hepar inflammatum toti febrem afferre possit non affecto corde; & si ad constitutionem febris oporteat cor pati: causa diligenter explicari debet.

Adde etiam, quod venit docendum, quomodo febris per vniuersum corpus, breuissimo quodam momento, deferatur, &, quæ sint instrumenta delationis huius. Hæc sane potissimæ sunt, vt alias omnes omittam, de quibus tamen sigillatim disputabo, circa præsentē tractationem difficultates; quorum dilucidationem, hæc iam satis superq; præfatus, aggredior.

Quod non affecto corde, febris fieri non possit.

CAP. II.

EXplicaturi hoc loco difficultatem illam, de proximo subiecto febris, inprimis nonnulla explicabimus, quæ nobis non parum conducent ad eorum, quæ posthac dicturi sumus, explicationem. Id autem est, nullam febrem, quæcunque ea sit, fieri posse corde non affecto. Rem hanc duplici ratione docebimus, primum quidem ab iis, quæ febrem consequuntur, quatenus febris est. Deinde autem admirabilis Galeni monumentis idem confirmabimus.

calidis proueniente intemperie, totum celeriter corpus principii sentit affectum. &c alibi: *Ob ipsorum temperaturis primi constituuntur morbi, quorum vnus est febris, vbi in corde quædam præter naturam caliditas generatur; caliditatis aut differentia, de quibus præsens transfigit sermo à materiarum differentia sumebantur, quæ febrilem caliditatem suscipiunt. Cum autem earundem triplex sit genus, vel enim in ipso cordis corpore accendi dicebantur, aut in humoribus, vel in spiritibus.* & *capite sequenti* inquit; *Calidiores autem ambientis aeris status. quales maxime circa canis ortum contingunt per inspirationes quidem manifesti cor calefaciunt; corpori autem extrinsecus circumfusi, totum ipsum calidius efficiunt, sed præsertim arterias; vt quæ ipsius substantiæ aeris ambientis aliquid trahant; ex quibus omnibus simul cor affici est necessarium, & cum supra modum incaluerit, ipsum primum, atq; potissimum febrilem calorem suscipere, atq; ad vniuersum corpus transmittere, &c.* Galen. 1. de febr. diff. c. 3. lit. H. Gal. eodem lib. cap. 4. lit. F.

Sed hi loci pro confirmatione propositi theorematis sufficiant: nam superfluum esset singulos recensere.

Ex his itaque concludendum venit, si febris generari debeat oportere in corde generari caliditatem quandam præter naturam: non tamen semper esse necessarium hanc per se primo in corde generari: quoniam aliquando per propriam essentiam, aliquando autem per communitatem cor patitur febrem: q̃ rem ego facta per singulas febres inductione. nunc persuadeo.

Atq; primum febris in habitu duplicem habet suæ generationis originem. Nam aliquando ex iecinore, vel ex ventriculo, aut intestinis aliisue nonnullis partibus generatur: hacque via ad cor ascendente caliditate præter naturam cor páritur febrem secundario. Interim vero primum quod afficitur, est ipsum cor, quod potissimum contingit, cum febres hecticæ fiunt incipiendo. Duplicem hanc opinionem in febribus in habitu, Galenus hisce verbis exposuit; *Porro vtendum maxime eiusce modi aere est in iis hecticis, quibus primum quod afficitur, ipsum est cor, atque vt si ventriculus primum esset affectus ipsi per comesta, & bibita esset succurrendum: huic enim illa cum integris adhuc viribus occurrunt: sicuti cordi inspiratus aer, &c.* Gal. lib. 10. meth. c. 2.

Idem prætere a de febre diaria Galenus manifestum fecit; tum *primo libro de differentiis febrium*; tum *primo de ratione curandi ad Glauconem*, & *octauo methodi medendi*; cum scilicet docet, quandoq; in ephimera spiritus, qui in ventriculis cordis continetur, accendi, vt si ex ira fiat: interdum ex quibusdam aliis partibus oriri vt si ex æstu, frigore, cruditate, inguinum inflammatione, aliisque eiusmodi. 1. de diff. febr. c. 3. 1. ad Glauc. cap. 1. 8. meth. c. 1.

Quid dicam de eo febrium genere quod ex putredine ortum habet? Simili enim ratione generari potest ex putrescentibus primo iis, qui in dextro cordis ventriculo continentur humoribus, & interim aliis, qui aut in omnibus vasis aut in quibusdam putrescunt: aut etiam extra vasa: id quod Galenus diligentissime tradidit *primo de febrium differentiis*; *Vndecimo methodi medendi*; & *libro tertio de præsagione ex pulsibus*. 1. de diff. febr. cap. 8. 7. & 10. meth. per totum 3. de præsag. ex puls. cap. 7.

Vt igitur rem summatim, atque quod dici solet, per capita concludam. nulla febris generari potest non affecto corde: siue hæc affectio illi contingat per essentiam, siue per consensum, & secundarium affectum.

Quod non solum cor, sed etiam totum corpus subiectum febris dici possit.

CAP. III.



Iam itaq; reliquum est, vt illam de proximo subiecto febris difficultatem aggrediamur; cuius causa tot à nobis hactenus dicta sunt, in qua te illud inprimis præsupponere oportet recte ab omnibus recentioribus Medicis dictum esse: subiectū febris existere vniuersum corpus: quin etiam subiectum febris non solum esse totum corpus, verum etiam ipsum cor. Quomodo autem habere vtrumq; veritatem possit, nunc docendum est.

Dupli-

Subiectum febris est totum corpus, quomodo.

Dupliciter quidem dicitur aliquod esse subiectum febris. Vno modo secundum denominationem & inhæsionem. Cui enim febris inhæret: & quod propter ipsius præsentiam febricitare dicitur, id quidem febris subiectum hac ratione statuendum est. Vniuersum autem corpus febricitare dicitur, & febris inhæret non magis in vna, quam in altera parte corporis: Nam Galenus *in octauo libro methodi medendi* febrem definiens, illam esse dixit caliditatem nimium adauctam per vniuersum corpus: & *in libello de caussis morborum*, explicans calidi morbi caussas, potissimum autem febris, eandem definit, esse caliditatem immodicam totius corporis, atq; idem locis sexcentis apud eundem Galenum legere est.

Idem præterea in definienda febre obseruasse visus est Auicennas, dum tradidit illam esse calorem præter naturam à corde per vniuersum corpus, transmissam. Et Auerroes *libro tertio suorum collectaneorum*, febrim esse totius corporis affectionem docuit.

Ratio validissima.

Poterit autem id ipsum hac validissima ratione confirmari: id est, inquam, subiectū febris, cuius actiones ab ipsa febre læduntur; morbus enim residere in illas partes dicitur, quarum actiones fiunt præter naturam: sed omnes profecto actiones corporis læduntur præsentia febris: quamobrem concludendum totum corpus esse febris subiectum.

Quod vero omnium membrorum operationes in febre sensibiliter lædantur, manifeste docuit Auerroes, dum ait, de febre verba faciens: *& lædit omnes actiones, & passiones corporis.* Atq; nos ipsi hac de re infra disputabimus, quo scilicet loco propria febrium accidentia enarrabimus.

Confirmatio.

Confirmatur præterea; quod non solum Auicennas, sed omnes etiam qui de febribus conscripserunt: illarum mentionem faciunt inter ægritudines corporis totius, quod potissimum Auicennas testatus est hisce verbis: *liber quartus est de ægritudinibus particularibus, quæ cum accidunt, non sunt vni membro propriæ, & de decoratione*: at is, *libro quarto* agit potissimum de febribus.

Deinde vero Febris nuncupari solet morbus communis, & vniuersalis: communis quidem, quia non est vna sola pars, quæ afficiatur in febre: sed hæc affectio æqualiter conuenit pluribus partibus, aut etiā omnibus membris humani corporis: ac idcirco dicitur vniuersalis morbus, quoniam omnes actiones lædit: an autem morbus communis ab vniuersali differat, hic non est explicandum, cum alibi dictum sit copiosissime.

Colligamus itaq; ex his, quæ hic diximus, subiectum inhæsionis, & denominationis febris esse vniuersum corpus.

Verum quoniam hoc non afficitur propria ratione, sed in virtute cordis, cum scilicet oporteat, à corde, per totum corpus febrilem caliditatem transmitti, & nisi primum in corde febris ipsa fuerit recepta, hominem minime febricitare dicimus; iure ergo merito recentiores omnes Medici dixerunt, febrim esse propriam pasionem cordis: ipsumue cor existere proprium & adæquatum subiectum febris, quatenus febris est.

Cæterum non ea ratione proprium subiectum dicunt: quod à principiis cordis confluat febris; quemadmodum ab internis principiis hominum profluit risibilitas, sed sic proprium esse statuunt, quod cor ipsum primum sit, quod febrem recipiat, quodq; totum corpus nisi à corde illi communicaretur febris, minime afficeretur, atq; hac ratione videtur colligendum, quod quamuis vniuersum corpus in febre patiatur, quod tamen illud accidit alterius causa & veluti per consensum: sic profecto intelligendus venit Galenus, qui dum loquitur de Febre, quemadmodum nos supra reposuimus, semper fere docuit, non posse illam fieri corde haud primum affecto: quamuis hæc affectio cordis, vt diximus capite superiori aliquando in corde incipiat, aliquando autem origine ab aliis quibusdam partibus habita in corde ipso terminetur. Hæc quidem est communis omnium Medicorum senten-

Quomodo cor sit subiectum febris.

tia; ne-

tia, neque ex multis, qui hunc lapidem de febribus euoluerunt, aliquem offendere est, qui propositis conclusionibus contradicat.

Quamobrem hoc, quod omnes confitentur prætermisso, accedamus ad explicationem illius, quod apud omnes Medicos adeo magnas controuersias habuit, quod fere inextricabile apparet Id autem est, an ab hepate, aliaq; corporis parte possit caliditas communicari toti corpori, non affecto corde; multoties enim videmus corpus totum valde calefieri ab Apostemate hepatis, aut aliarum partium; itaq; si res hoc modo habebit, non omnis febris erit affectio cordis, cum eo non affecto possit toti corpori calor igneus & præternaturam communicari? *Ardua difficultas.*

Hæc profecto est illa difficultas maxima, hæc est illa controuersia inextricabilis, circa quam Gentilis, Diuus Thomas de Garbo, Hugo Senensis, Marsilius, atq; alii omnes recentiores Medici plurimum laborauerunt; sed frustra, meo quidem iudicio, & inaniter: quandoquidem potest nullo negotio explicari, quod nos iam iam ostendere proposuimus: in qua re explicanda primum recentiorum opiniones prætermittemus, tum quia nihil habent, quod memoria dignum sit; tum quia nostrum hoc negotium, quod de natura febrium instituimus, nimis protraheretur.

Duplex igitur est propositæ difficultatis solutio, quarum prima est per instantiam: altera vero per concessionem: ita enim auctores græci solent propositis difficultatibus satisfacere: nos itaque vtraque ratione vsuri, primo loco dicimus falsum esse, atque ab omni ratione alienum; quod admittant omnes recentiores Medici, ab hepate scilicet, aut alia quapiam determinata corporis parte per vniuersum corpus transmitti posse calorem quendam igneum, à quo proxime actiones lædantur, non læso primum corde, aut certe ignea caliditate non communicata cordi: pro qua re explicanda illud primum animaduertere oportet, quod non solum à Galeno, sed etiam ab omnibus aliis Medicis admittitur; Duplex in nobis exsistere calidum; quorum alterum innatum, atque insitum in singulis partibus continetur; alterum vero influens: Id quidem calidum, quod insitum nuncupauimus, veluti materia; hoc autem influens, vt forma; illud potentia, hoc potius actus est & energia. *Quæ viæ difficultati satisfaciendi.* *Primum suppositum.*

Partes itaq; humani corporis non possunt proprias functiones obire, nisi insitus ille calor de potentia ad actum deducatur ab influente calido: huicq; omnes actiones accepte referuntur.

Et vt ego alias prætermittam actiones, non possum hic præterire, quod totum corpus calidum actu reddatur propter huius caloris influentis præsentiam; qui si per vniuersum corpus distribuitur, corpus calidum redditur; si vero eiuscemodi distributio propter aliquam accidentariam caussam impediatur, corpus frigidum fit: inditio quidem sunt omnes ii affectus, in quibus influens sic calor violenter, atq; subito ad propriam sedem retrahitur, in quibus obseruamus refrigerari non solum extremas partes, quæ tamen id maxime patiuntur, sed etiam totum corpus.

Hoc igitur supposito, quod citra omnem controuersiam veritatem habet, aliud etiam addere oportet; videlicet Fontem & Originem huius Influentis calidi esse cor ipsum, ac maxime sinistrum eius ventriculum: quoniam præcipua materia eiuscemodi caloris est spiritus, quem in corde potissimum confici, & ab eo in vniuersum corpus spargi nouimus. Sic quidem Galenus testatur *lib. 6 de morb. vulgarib. & libris de vsu partium*, aliisq; locis sexcentis. *Secunda suppositio.*

His hoc modo explicatis, Ponamus postremo loco, id quod est omnibus euidentissimum, à nobisq; supra diligenter expositum. Febrem esse calorem, quendam igneum totius corporis: omnes enim vel in se ipsis, vel in aliis obseruarunt; febricitantes calorem Igneum habere per vniuersum corpus: atque huc etiam breuissimo quodam temporis momento per vniuersum corpus distribui. *Tertia suppositio.*

Quartu-

Totum corpus non posse calefieri, non affecto corde, contra omnes recentiores.

Quamobrem cum hæc sic habeant, quid tandem ad propositam difficultatem dicemus? nempe falsum esse atque ab omni ratione alienum, vt prædiximus, quod ab omnibus pariter admittitur: quod scilicet totum corpus calefieri possit, non affecto corde: quandoquidem si ab ipso corde vniuersum corpus habet, quod actu calidum sit; oportet in homine febriente similiter corpus igneam febrilemque caliditatem habere, quod à corde transmittatur. Per easdem enim vias corpus cum est secundum naturam, atque cum præter naturam dispositum est, calefit: id vero est per arterias, mediante spiritu vitali, & calore influente.

Et hoc videtur mihi diligenter animaduertisse Auicennas, dũ inquit, calorem illum extraneum, qui continet febris essentiam transmitti per totum corpus per venas, & arterias, mediante spiritu & sanguine: sed hac de re infra copiosius differemus. Vides igitur, quod totum corpus ab hepate calidiori reddi calidius nõ potest, nisi actualẽ caliditatẽ cor ipsum transmiserit: hæc vera est, nisi meum me fallit iudicium, solutio difficultatis huius.

Solutio altera per instantiam.

Possumus etiam altero modo persoluere, videlicet per ipsam concessionem: vt si admittamus ab hepate calidiori, vt puta inflammato, vel alia ex caussa præter naturam calefacto posse vniuersum corpus calefieri, non affecto corde: & nihilominus eam caliditatem febrem non dici.

Quam caliditatem Medici febrem vocauerint.

Quod si caussam quæsieris, propter quam eiuscemodi caliditas febris non dicatur: sed ea solum, quę originem habet à corde male affecto: eam ego esse, inquam, quoniam Medici vocauerunt febrem caliditatem illius membri; quod maxime est aptum inflammari, & quod inflammatum est maxime aptum alia inflammare; & similiter vocauerunt febrem caliditatem ab eo aliis membris communicatam. Cor autem solum hanc vim habet: nam hepar, & cerebrum licet possint inflammari, & inflammata communicare caliditatem toti; caliditas tamen eorum est remissa in comparatione ad caliditatem cordis, cum cor sit calidius, & magis aptum inflammari cæteris membris: & habens plus de multitudine caliditatis, & magis communicatiuum caliditatis toti, quam aliquod aliud membrum tam in naturali, quam in præternaturali dispositione.

Propterea omnes authores in hoc conuenientes congrue dixerunt, febrem dictam esse ab ipsa efferuescentia, atq; esse propriam passionem cordis: quoniam hoc aliarum partium collatione, maxime feruet: & est aptum efficere, quod alia consimiliter efferuescant: quod sane neq; de cerebro, neque de iecinore dicendum est.

Vnde licet hepar possit inflammari, & inflammatum communicare toti caliditatem: à qua etiam sensibiliter actiones oblæderentur, non oportere hanc calidam affectionem nuncupare febrem; sed potius calidam intemperiem totius ab hepatis affectu communicatam.

Id autem veritatem huiusce rei indicat; quod quamuis hæc caliditas actiones læderet; non tamen omnibus noxiam inferret, sed naturalibus. Verum intemperies calida, quæ febris existit, omnes actiones lædit, tam vitales, quam naturales, & voluntarias: ac potissimum læsio in ipsa vitali sese offert: quod ex ipso pulsu, præter naturam affecto facile cognoscere possumus: Huncque oportere semper permutari febrienti homine, tum ab omnibus admittitur: cum nos infra diligentius docebimus.

Quis autem putaret solo affecto iecinore, & caliditate nondum cordi impressa pulsus motum alterari, & fieri præter naturam? Sed hæc hactenus.

Subiectum Febris esse solidam cordis substantiam; & nunquam humores & spiritus, contra omnes recentiores Medicos: quodq; calidum innatum non sit subiectum febris, vt perperam Antonius Donatus ab Altomari, opinatur.

CAPVT IV.

NVNC vero necessarium est, vt doceamus, secundum quam partem cor febris esse subiectum statuatur, id enim quamuis apud omnes Medicos nullam penitus difficultatem habuit, est tamen, meo quidem iudicio, difficilimum.

Verum enimuero, quo magis pateant ea, quæ infra de proposito negotio sumus, contra recentiores Medicos dicturi; primum omnium nostram sententiam diligenter explicabimus, atque ipsa methodo pro more maiorum, veritatem non paucis seculis incognitam dilucidare conabimur.

Prima suppositio.

Cæterum vt commodius hoc fiat, principium paulo altius desumere oportebit. Sed quodnam erit hoc ipsum principium? quod scilicet primum Diuinus Hippocrates posuit, Galenus dein, & omnes post eum Medici confirmarunt.

Tria scilicet in humano corpore contineri, ex quibus essentialiter constituitur. Continentia, contenta, impetum facientia.

Quæ continentia.

Continentia quidem sunt solidæ partes, à quibus omnia complectuntur.

Quæ contenta.

Contenta sunt ipsi humores.

Quæ impetentia.

Impetum facientia spiritus, qui breui momento modo hanc, modo illam partem petentes, impetum facere dicuntur.

Actiones.

Hisce tribus, si placet, addas, quod alioquin nullam habet controuersiam, sed est perinde suppositum: in hominis corpore, actiones: quæ ab illis tribus distinguuntur; ex tamen ab illis dependent: potissimum autem à partibus corporis, quæ dicuntur efficientes illarum caussæ.

In hisce quatuor omnia consistunt præter naturam; & quæ etiam secundum naturam habet, quandoquidem idem est subiectum cōtrariorum. Nam vt recte Aristoteles testatur, definiuntur contraria, quæ nata sunt fieri circa idem subiectum.

Sanitas. Sanitatis caussa. Actiones.

Tria vero sunt secundum naturam. Sanitas: Causa salubris, vel sanitatis, idem enim vtroque nomine intelligimus. Et Actiones salubres.

Sanitas fit à caussis salubribus: Actiones vero non à caussis, verum ab ipsa sanitate proxime fiunt: si quid enim efficit caussa, id sanitatis interuentu.

Quæ sint præter naturam.

Sic etiam præter naturam tria sunt illis contraria. Morbus sanitati contrarius: causa morbifica, quæ opponitur caussæ salubri; & actiones læsæ, ac præternaturam; reliqua sunt symptomata, quorum natura in ipso fieri, vt Galenus ait, consistit.

Hæc sex idem habent genere subiectum, humanum, inquam corpus, in quo hæc adsunt.

Caussarum subiectum.

Particulariter vero causæ dicuntur consistere in contentis, atq; impetum facientibus; Omnis enim caussa, siue fuerit salubris, siue morbifica habet pro subiecto, vel humores corporis, qua voce omnes intelligimus, humidas, & fluxibiles substantias, vel spiritus.

Sanitatis, ac morbi.

Morbi vero, & sanitatis subiectum est contentum, id est, id quod vere pars corporis dicitur, distincta ab humoribus, ac spiritibus.

Actionum subiectum.

Symptomata vero, atque omnes secundum naturam affectiones permanent in actionibus corporis.

Sed prætermissis actionibus, & caussis ostendamus sanitatis, & morbi proprium subiectum; siquidem hoc, vel maxime confert, ad eorum explicationem, quæ sumus dicturi, de proximo subiecto febris.

Principio igitur, quoniam sanitas, & morbus contraria sunt, nata e-

Quid sanitas. Quid morbus.

runt fieri circa idem subiectum: Quid enim est sanitas? *Debita omnium partium constitutio, vel compositio, vel* διάθεσις, idem enim significat. Ergo si partium naturalis constitutio est sanitas.

Morbus quid erit? *eadem scilicet partium constitutio, sed præter naturam.* Sic quidem concludit contra Thessalum admirabilis Galenus *primo & secundo methodi medendi*, & passim alibi.

Verum hoc loco dubitaret fortasse aliquis, propter quam caussam in partibus corporis collocetur sanitas, & morbus: in contentis autem minime.

Cur sanitas in partibus corporis collocetur, nota.

Eam ego esse caussam, inquam, quod cum omnes homines sese ægrotare putent, cum actionibus secundum naturam perfungi nō possunt, oportet morbum, & sanitatem in id subiectum collocare, quod proxima est caussa actionum corporis: quoniam itaque sanarum actionum proxima est caussa, partium constitutio secundum naturam habens: sic profecto læsarum actionum proxima erit causa partium constitutio præter naturam. Ex qua re id recte conclusisse videtur Galenus, morbum affectum quendam esse partium corporis, à quo immediate actiones læduntur.

Caussæ siquidem morbificæ, non lædunt actiones, nisi mediante morbo.

Ardua difficultas.

Sed hic multo maior superest difficultas explicanda: propter quam scilicet causam factum sit, quod non solum Galenus, sed etiam Medici omnes, corporis partes effectiuas caussas actionum faciant, cum re ipsa tales non sint: Actionum enim omnium proxima causa est anima & forma: quæ operatur per spiritum, calorem innatum, & per partes, tanquam per propria instrumenta. Verum non mediocriter differt organum à principali caussa.

Difficultatis solutio ex Io. Fern.

Dubitationis huius explicationem retulit primus omnium, maximus Fernesius, cuius ego in hac parte opinionem secutus, responsionem per propria illius verba, afferre constitui.

Anima eiusque facultates in vnius cuiusque partis innato spiritu, & calore sita, prima, & principalis actionum, quæ eduntur, efficientes causæ sunt.

Partes verò earum duntaxat instrumenta, sine quibus nihil illa efficiant: & nihilominus hic partes ipsas, principales statuimus, proximasque functionum caussas; sive quod recondita, penitusque abstrusa sit animæ facultatumque substantia: siue quod ad agendum necessaria in primis sit instrumenti vis: siue quod fortasse; vt præstantissimis Philosophis, visum est, animæ, facultatumque substantia immutabilis, nulla vi, nullo morbo labefactari, atteriue possit, quamquam plerumque instrumenti vitio interpellatur, sed neque simpliciter partes corporis functionum caussæ sunt, verum constitutio earum, atque διάθεσις. Hæc ille.

2. Caussa.

Hic etiam aliam causam ex Aristotele addamus, quod videlicet actiones, quamuis ab anima, & forma fiant, toti tamen composito acceptæ referuntur: sic enim is testatur *libro 2. & 3. de anima.*

His itaque hoc modo constitutis ad propositum negotium redeamus.

Conclusio.

Febris, quatenus morbus est, in corporis partibus residet; at quatenus est talis morbus, in corde subsidet.

Verum quoniam in corde tria sunt, quę illius substantiam constituunt, solidæ partes, humores & spiritus. Subiectum verum febris humores, atque spiritus esse nequeunt, quoniam non sunt partes corporis, nec sunt proximæ actionum caussæ.

Duæ conditiones necessariæ pro constitutione subiecti alicuius morbi.

Duæ autem conditiones necessariæ sunt pro constitutione subiecti alicuius morbi: prima, quod sit pars corporis: deinde vero, vt actionum proxima sit causa: quæ posterior conditio ex prima originem habet:

habet: quia, vt iam diximus, omnis pars corporis propinqua est functionum caussa.

Quoniam igitur humores, & spiritus non sunt corporis partes, nec ab illis proxime actiones obeuntur: sed interueniente solida cordis parte, consequens quidem est, febrem, quoniam morbus est, in illis duobus minime subsistere: sed solum in solida substantia cordis, quæ vere est effectiua caussa omnium actionum: quæ vero in illis duobus residet affectio, hæc sane morbi caussa est, vt prædiximus: minime autem morbus. Sic quidem nos dicendum putamus contra Medicorum omnium recentiorum decreta; saluo tamen semper meliore iudicio. Cæterum nunc referamus, quænam sit Medicorum communis opinio. *Communis omnium Medicorum opinio.*

In hanc vsque diem vetus quædam percrebuit opinio, dicens, subiectum febris esse ipsum cor, non secundum aliquam determinatam eius partem; sed secundum se totum. Nam tres illæ substantiæ, quæ cor constituunt, solida scilicet, humoralis, & spirituosa, singulatim sumptæ, alicuius differentiæ febris subiectum constituuntur. Febris in habitu (sic enim hecticam febrem nuncupant) subiectum erit, solida pars cordis; Febris humoralis; humores cordis: Febris ephemeræ, spiritus cordis. Ab his enim tribus substantiis tres proficiscuntur differentiæ febrium.

Rem quidem ipsam ex vno Galeno confirmant, qui *libro primo de Febrium differentiis statim in principio*, explicans febrium differentias, à duobus illas desumi tradidit: primum ab illius essentia, & substantia; quam diuidendi rationem inuenit Hippocrates *libro sexto, de morbis popularibus*. Alia vero differentia sumitur à materia, in qua calor præter naturam residet: hæcq; maxime, propria ratio est diuidendi febres; qua Medici continuo vsi sunt, & quam potissimum Galenus insequitur.

Placet hoc loco recensere Galeni verba, quæ sic habent; *Caloris autem differentiæ, & ex eo, quod magis & minus, & ex materia, in qua hic calor præternaturam accenditur, & ex modo motus, eiusdem caloris accipiuntur.* Et paulo post inquit: *Quæ vero à materia differentiæ sumuntur, in qua hic calor præternaturam accenditur, maxime propriæ sunt: Quia vel idem calor ipsius cordis corpus occupauit, aut eos, qui in eius ventriculis continentur humores.* *Confutatio opinionis communis ex Galeno.*

Tertia autem est differentia, cum sola aerea substantia sufficienter incaluit: humores autem, & solida corpora, calescunt quidem adhuc, nondum autem sunt calefacti, neq; enim parum refert, si calescere dicamus, aut calefacta esse.

Demum vero rem exemplis prosequitur in lebete excalefacto, vel eius aqua similiter calefacta, vel vaporibus eius, ac spiritibus calefactis.

Primum exemplum febrem hecticam ostendit: Secundum putridam, aut si mauis, humoralem: Tertium vero ephemeram manifestam facit, vt idem inquit.

Quid igitur ex his colligimus, nempe cor ipsum pro aggregato ex illis tribus substantiis esse proximū subiectum febris qua febris est. Ephemeræ tñ spiritus cordis: hecticæ solidam eius partem: ex quibus alterum et colligendum est, aut veram non esse nostram sententiam: si hæc opinio veritatem habet, aut certe oportere omnem febrem hecticam esse, quod in omni febre solida cordis substantia patiatur.

Hæc profecto est aliorum sententia, sed nos hic videamus, quem exitum habeat.

Caussam quidem hactenus exposuimus, propter quam arbitremur solidam cordis substantiam esse verum subiectum febris: duo nunc reliqua sunt, vt diligenter explicentur, alterum, quomodo Galeni verba intelligenda veniant, alterum vero, an sit necessarium, si cordis substantia sit *Communis opinionis impugnatio.*

semper subiectum febris, febrem omnem esse in habitu, vt isti recentiores concludunt.

Subtilis explicatio verborum Galeni contra omnes.

Quod ad primum spectat, animaduertere oportet, nunquam in Galeno me ipsum obseruasse, dixisse illum subiectum febris esse, aut humores, aut spiritus, aut solidam cordis substantiam: falsum enim dixisset, si Galenus hoc modo locutus aliquando fuisset: quod autem is dicit, tale est: subiectum caloris præter naturam esse illas tres substantias: quod sane plurimum differt a superiori propositione: illa enim de morbo loquebatur, hæc vero de continente, & proxima morbi caussa enuntiat. Calor præter naturam non est morbi substantia formalis: quia febris non est formaliter calor præter naturam, vt prædiximus, sed forma febris & intemperies calida: quæ sane fit à calore præter naturam, tanquam à proxima, & continente causa.

Relinquitur ergo, quod subiectum caloris præter naturam aliquando sit solida cordis substantia, cum scilicet is calor in eandem figitur ac habituatur. Aliquando sunt humores, qui in eius ventriculis continentur: Aliquando autem spiritus; in quas substantias postquam calor præter naturam insederit, cor ipsum patitur, afficiturque intemperie calida; non tamen semper eadem ratione; sed quemadmodum infra dicemus, aliquando æquali, vt in hecticis febribus, aliquando inæquali intemperie, vt in reliquis duobus generibus contingit.

Vides quomodo recte Galenum interpretamur, quodque eiuscemodi expositio, nihil contineat, quod aliquam facere dubitationem possit.

Excusatio.

Ego vero non mediocriter admiror, ex multis authoribus, qui post Galenum & Auicennam de rebus medicis conscripserunt, neminem hactenus, rem hanc, alioquin suapte natura apertissimam, olfecisse: sed non omnia possumus omnes: quia, vt est in communi adagio: Bonus quandoque dormitat Homerus.

Verum ad id reuersi, vnde digressi sumus, sciendum est præterea: quantum ad id pertinet, quod secundo loco proposuimus, non sequi: omnem febrem hecticam esse, quod nunc docemus.

Quomodo ex nostra opinione ne sequatur omnem febrem esse hecticam.

In omnibus febribus opus est calorem præter naturam, qui, vt sæpius diximus, complectitur totam essentiam febris: in humoribus cordis, aut in spiritibus, aut in solidis partibus contineri: quod illi videlicet, calefacti sunt.

Ponitur ergo in omni febre in calefacto esse, vel humores, vel spiritus, vel solida pars cordis: plurimum autem refert, an calefactum esse, an autem adhuc calefieri dicamus.

Galenus id subiectum caloris præter naturam inuestigauit, quod semper calefactum est, id sane triplex erat, vt diximus.

At quantum ad ipsum calefieri pertinet, substantia solida cordis in omnibus febribus vel calefit, aut certe ponitur in calefacto esse.

Calefit quidem in omnibus febribus putridis, & diariis, calefacta est autem in omnibus febribus hecticis.

Quamobrem corpus cordis semper patitur febrem, id est calidam & siccam intemperiem, quæ è corde in vniuersum corpus distribuitur: non tamen eadem est in singulis febribus intemperies.

In ephemeris & putridis, inæqualis est intemperies: in hecticis autem æqualis.

Sed vt hæc multo apertius, atque clarius intelligantur, doceamus, quid nomine inæqualis, & quid nomine æqualis intemperiei intelligamus: nam hoc plurimum confert ad propositæ rei intelligentiam.

Est au-

Est autem æqualis intemperies, vbi corporis particulæ æquabiliter ad aliquam intemperiem versæ sunt, aut iusto calidiores, aut frigidiores, aut ficciores, aut humidiores: vel per coniugationem quandam calidiores simul ac ficciores; quædam humidiores pariter, & frigidiores; quædam humidiores, & calidiores; quædam frigidiores & ficciores redditæ sunt. *Aequalis intemperies quæ.*

Inæqualis contra intemperies est, vbi non æquabiliter corporis partes ad aliquam intemperiem transmutatæ sunt, sed adhuc transmutantur, & fiunt. *Inæqualis intemperies.*

In qua re illud animaduertere oportet, quod quamuis eiuscemodi intemperies adhuc fiant, suam tamen speciem, & formam habent, quã morbi statuuntur: quoniam aliquam habent partem, secundum quam iam factus est morbus, suamque naturam acquisiuit: vt Galenus optime testatur. *libro secundo de locis affectis.* dum loquitur de dysenteria: In qua, etiamsi adhuc fiat, adest tamen etiam morbus, vlcus scilicet intestinorum.

Rursus autem aliud animaduertendum est, eiuscemodi intemperies posse dupliciter considerari: vno modo quatenus sunt in toto corpore: alio autem modo in aliqua corporis determinata particula, vel etiam pluribus: neque etiam absurdum est, hasce intemperies in se inuicem connecti, vt, si æqualis sit in aliqua parte intemperies, poterit in aliis esse inæqualis, quod sane in febribus hecticis obseruamus. His hoc modo expositis iam reliquum est, vt dubitationem soluamus. *Omnis intemperies æqualis habet aliquam partem [illegible]*

Cor ipsum secundum eius substantiam, & proximum subiectum febris: Cum videlicet, id vel æqualem habet intemperiem, vt accidit in febribus hecticis; vel inæqualem, vt in putridis, quamobrem non sequitur, quod omnes admittunt, si solidum corpus cordis poneretur proximũ subiectum febris, quod inquam omnis febris extitisset hectica: sed circa communem sententiam aliorum hæc sufficiat dixisse. *Differentia [illegible]*

Nunc vero, vt finem imponamus propositæ dubitationi de subiecto proximo febrium, opus est, vt diligenter examinemus opinionem Donati Antonij Neapolitani Medici, qui nouitatis plus, quam oportuisset, cupidus, non solum à communi aliorum Medicorum sententia desciuit, sed nouam promulgauit, in qua, vt ostendemus, pueriliter certe lapsus est. Is itaq; sic summatim putat: Proximum scilicet subiectum febris esse calidum innatum: quam rem hoc modo persuadet; nam cum febris sit conuersio natiuæ caliditatis ad igneam: eius forma, essentia, seu qualitas, tanquam in subiecto suscipitur primum in substantia calidi innati: hæc namque est, quæ mutatur, & alteratur, accidentalem qualitatem, quæ febris est, suscipiens: & propterea inquit, cuiuslibet febris subiectum calorem esse natiuum, cuius principium, fons & origo, ipsum est cor, vt Galenus testatur *quinto de locis affectis cap. primo: & sexto de Placitis, & Hippocratis decretis capite sexto*: aliisque plerisque locis: propterea in corde: quandam præter naturam caliditatem generari dicimus, cum febris ipsa generatur, & quemadmodum ab eo in totum corpus diffunditur, ac vniuersis partibus suppeditatur innatum ipsum calidum, ita quoq; hæc præter naturam caliditas ab eodem in totum animal effunditur, aut omnino ad plurimas & nobilissimas partes. *Opinio Altomarii.*

Verum cum in Hippocratis & Galeni doctrina idem sit calidum innatum, & natura, idem quoq; erit asserere calidum cordis innatum quod naturam eiusdem: quinimo & proprium temperamentum, ac proprium ipsius cordis substantiam, quæ omnia apud eosdem authores sæpius confunduntur: Id quod manifestauit Galenus non solum *commentario decimoquinto primi libri aphorismorum*: Verum etiam *in primo de vsu partium*.

Quod si ab Altomari quis percontetur, qualis sit hæc substantia innati calidi: quæ eadem existat cum temperamento, & cum natura cordis. Is ex Galeni sententia *libro vndecimo methodi medendi* respondet: Naturam

constare ex tribus partibus: ex spirituosa substantia: & ex earum, quæ vere dicuntur solidæ; quas alibi ex semine genitali ortum ducere demonstrauit, & tertia ab his carnosa, quæ cuique particulę est sua: quocirca (concludit) si quispiam afferat calidi innati essentiam, seu substantiam ex sanguine menstruo, & semine constitutam esse: aut in sanguine seu humoribus, spiritu, & serosa humiditate, seu carnosis partibus, spirituosis ac solidis eius substantiam contineri, idem sane afferere videbitur. Hæc summa est Altimari sententia.

Impugnatio opinionis Donati Antonii.

Hanc hominis huius opinionem nos accurate, atq; diligenter legentes, vehementer admirati sumus: quod scilicet vir alioquin clarissimus, in tam peruersam, & vere puerilem opinionem studio nouitatis allectus, peruenerit. Quæ res ne à nobis gratis dicta videatur, diligenter exponenda est, rationesq; in medium afferendæ, quibus hoc illius placitum refellatur.

Prima ratio.

In primis vero illud vrget hanc opinionem, quod Donatus admittere videtur propinquũ subiectum febris esse formam corporis, aut id certe, quod formæ locum obtinet: calor enim innatus (pro substantia sumptus, quemadmodum ipse facit) nihil est aliud, quam corporis forma & natura, quod Galenus multis in locis admisit; aut certe si non hoc, proximum est illius instrumentum: quod semper ad id genus refertur, cuius est instrumentum.

Hoc autem est admodum absurdum apud Medicos & Philosophos: siquidem id subiectum dicitur alicuius rei, quod patitur, quodque ab ea re afficitur: forma vero non afficitur, neque patitur, sed agit: eius enim proprium est, vt optime norunt peripatetici agere non pati: Hinc ergo sequitur subiectũ febris non esse calidũ innatum; Quod sane multo rectius vehiculum diceremus febris; quandoquidem influens calidum à corde proficiscens, vt supra docuimus, in totum corpus febrilem caliditatem conuehit; sed hoc est agere non pati; vt cuilibet vel leuiter in philosophia exercitato manifestum est.

Calidum innatum non est subiectum febris.

Secunda ratio.

Præterea morbus, & sanitas in eodem est subiecto; quia contrariorum lex ac natura est, quod nata sint fieri circa idem subiectum: ergo si febris subiectum est calidum innatum, quod sane nihil aliud est, quam temperamentum cordis, imo totius corporis, vt Galenus testatur; sequitur subiectũ febris esse temperiem corporis, atque eandem esse subiectum sanitatis: proximum igitur subiectum tam morbi, quam sanitatis erit temperamentum: quod sane adeo est absurdum, quod nihil fere sit, quod maiorem absurditatem contineat.

Tertia ratio.

Tertio, calidum innatum, si Galeno credimus, nihil aliud est, secundum sententiam Hippocratis & Platonis, quam substantia quædam se ipsam perpetuo mouens, imo, quam anima corporis, vel proximum illius instrumentum: Quamobrem febris, si calidum innatum habet pro subiecto proximo, debet anima, vel eius proximum instrumentum dici subiectum febris; hincq; oporteret Medicum adhibere præsidia nõ laboranti corpori, sed animæ; febremq; collocare in earum affectionum numero, quæ animam afficiunt: quæ res adeo est ridicula: vt certe nihil magis. Quis enim hanc peruersam opinionem, & puerilem admitteret?

Quarta ratio.

Deinde interrogemus Altimarum hoc modo: Si calidum innatum est proximum subiectum febris; aut hoc illi conuenit secundum se totum: id est, quod totum calidum innatum, atq; semper sit proximum subiectum febris: aut aliqua determinata eius pars: vel carnosa, vel spirituosa, vel solida.

Si totum calidum innatum perpetuo subiectũ est febris, sequitur hinc, quod Galenus *libro primo de Febrium differentiis*, subiectum caloris præter naturam perperam distinguat: cum aliquando dicat esse solidas partes, vt in hecticis; aliquando humores, vt in humoralibus febribus; & aliquando spiritus,

ritus, vt in diariis. Oporteret siquidem si proposita opinio veritatem haberet, vt in omni febre quæcunque ea fuerit, totam substantiam calidi innati subiectum esse febris: sic hecticæ subiectum sunt spiritus: & ephemeræ non solum hi, sed etiam carnosum genus, & solidum: quod profecto non est affirmandum.

Verum si calidum innatum subiectum est febris non secundum se totum, sed secundum determinatam aliquam eius partem, vt vel solidam, vel carnosam, vel spirituosam: sequitur, quod interdum subiectum sit solida pars cordis, vt in hecticis; interdum spirituosa, vt in ephemeris: ex qua re duo sequuntur maximi momenti.

Confutatio. Primum. Primum, quod hæc opinio parum, aut nihil à communi opinione distabit; deinde vero quod prætermittit subiectum febrium putridarum: nam genus carnosum, eodem etiam Altomaro teste, ad solidum genus refertur: *Secundum.* proximumque statuitur subiectum, cum partibus vere solidis, omnium febrium in habitu. *Tertium.*

Præterea sequitur, quod falsa sit eius propositio, qua dicit, calidum innatum esse proximum subiectum febris; quia non est calidum innatum, quod hanc vim habeat, sed quædam eius partes, vt diximus.

Quartum. His addere est, quod quando Donatus inquit, subiectum febris esse calidum innatum, oportuisset illum inprimis distinxisse, de quo calido innato intelligat: Aliud enim est vere insitum; aliud vero influens à corde per vniuersum corpus: Si enim insitum in singulis partibus intelligit; is causam docere non potest, propter quam nulla sit febris non affecto corde: cum id in omnibus partibus æquabiliter inueniatur.

Si vero influentem calorem intelligit, videat, quomodo subiectum febris id dici mereatur, quod sane minime febricitare dicitur: id enim primum dici debet subiectum febris, quod à febre denominatum febricitare dicitur, nullum autem est aliud membrum, quam cor, & huius causa totum, quod affici febre dicatur.

Quintum. Postremo in hoc Altimarus non mediocriter deceptus est, quod putauerit, calidum innatum esse spiritus, solidas partes, & carnosum genus; quæ tamen non mediocrem falsitatem continent: aliud enim est dicere aliquid ex rebus constare: aliud vero, esse res ipsas, ex quibus constat.

Calidum quidem innatum constat ex illis tribus substantiis, vt recte docuit admirabilis Galenus, non est tamen illæ tres substantiæ. Nam resultat calidum innatum ex illorum trium permistione, tanquam tertium quoddam ab illis distinctum: vt alibi diligentius docuimus.

Responsio ad fundamentum Altomari. Quantum porro ad eam rationem pertinet, qua motus Altomarus putauerit calidum innatum esse proximum subiectum febris, dicere oportet, eam nihil penitus concludere: nam, quamuis substantia calidi innati, sub ipsa febre labefactetur & corrumpatur; hoc tamen non accidit ea ratione, quod sit subiectum febris; sed quia cor ipsum, à quo tanquam à fonte, & ab origine propria deflectit, intemperiem calidam patiens illius substantiam alterat, dissipat, corrumpit. Impossibile est enim, quod calor innatus habeat sese secundum propriam naturam affecto corde; à quo is, vt Galenus testatur, deriuat.

Deinum vero quamuis influens calidum à corde per vniuersum corpus transmissus febrem ipsam secum deferat; tamen non est subiectum febris hic calor; sed potius si aliquod subiectum dici debet, id erit subiectum differentiæ febris: quia anteaquam calor hic igneus per vniuersum corpus distribuatur: is primum in corde insidens, ibidem calidam, & siccam intemperiem efficit: quam postea per vniuersum corpus transmittit per venas, & arterias, mediante spiritu, & sanguine, vt recte Auicennas testis

est, qui febrem definiens horum quidem meminit, non tanquam proximi subiecti febris; sed tanquam subiecti differentiæ, & communicationis per totum corpus.

Epilogus [illegible]

Hactenus ego videor docuisse qualenam subiectum sit febris: quod scilicet sit cor ipsum, & totum corpus: hoc vniuersale subiectum: illud proprium, & particulare; quod item cor ipsum non secundum omnes eius partes, sed solum secundum solidam substantiam febris subiectum statuendum sit: quodq; perperam recentiores Medici de triplici subiecto febris distinxerint: ac tandem Donatum Antonium in explicatione propositi negotii pueriliter lapsum fuisse; docuimus.

De causis tam proximis, quam remotis febrium, quatenus febres sunt.

Cap. V.

Reliquum est modo, vt de causis febrium, ea ratione, qua febres existunt, disseramus. Hæc enim contemplatio est admodū necessaria, vt perfectam habeamus cognitionem naturæ febrium. Verum in hisce causis explicandis, primum docebimus, quæ proxima sit causa contentiua scilicet essentiæ, & substantię febris, vt Galenus loquitur *libro sexto de morbis vulgaribus*, & *primo de febrium differentiis*. Ab hac autem progressi, accedemus deinde ad explicationem aliarum causarum; atque ab his ad alias; donec tandem ad illas fuerit peruentum, ad quas omnes aliæ reducuntur: sic enim ipsa methodus postulat, quam nos instituimus.

Omnes igitur homines norunt posse fieri febrem à causis quibusdam internis: & extrinsecis; verum non est omnibus perinde notum, qualis sit particularis modus generationis febris ab hisce causis; hoc enim non solum est vulgaribus incognitum; sed etiam, vt Galenus testatur, Medicis quibusdam præstantissimis: quamobrem nos non solum docebimus, quæ causæ sint facientes febrem; verum etiam diligenter enarrabimus modum, quo febrem efficiant: sic namq; cognoscemus, qualem affectum & dispositionem faciant singulæ causæ; quam rem nisi quis ad vnguem memoria tenuerit, is profecto nūquam poterit ipsa methodo, pro more maiorū febri prospicere.

Hoc itaque explanaturi, primo loco animaduertendum est, febrem ea ratione qua febris est, aliam non habere proximam causam, quam calorem præternaturalem; sine quo tanquā propria substantia, nulla febris consistit. Hæc est illa coniuncta causa, & proxima qua in ipso corde posita ponitur febris, & qua remota remouetur: Talis enim vera natura causæ continentis, vt in disputatione de continente causa docuimus.

Hic autem non est prætereundum, quod nos dari eiuscemodi causam præsupponimus, quandoquidem eo in opere contra quosdam recentiores Medicos, rem ipsam sumus diligentissime prosecuti. Ergo proxima, & continens febris causa, est calor cordis præter naturā: sed satis non est, hoc ipsum tradidisse; nisi etiam edoceamus, qua ratione contingat hunc præternaturalem calorē in nobis generari. Duplex enim est modus generationis ipsius.

Primus sane cum naturalis calor sensim de sua tēperie discedens igneus fit, naturæ grauis, & infensus: hoc autem contingit ipso natiuo calore, intensiori facto. hic profecto calor præter naturam, recte nuncupari poterit calor naturalis in igneam naturam permutatus, vt Galenus videtur *primo aphorismorum* definisse.

Alter vero est modus generationis eiusdem caloris, cum videlicet putridæ quædam substantiæ simul cum influente calore permistæ, cor viscus nobilissimum, calorisq; natiui, potissimum influentis, imo ipsius vitæ, si Peripateticis credimus, principium, inuadit. Tunc enim illius permistione

quidam

quidam fit in nobis calor admodum extraneus, atq; nostræ naturæ inimicus.

Cæterum hic etiam duplicem habet suæ generationis modum: nam hæc putrida substantia aliquando intrinsecus gignitur, vt putrefactis humoribus ab intrinsecis causis. Aliquando vero extrinsecus genita, & simul cum aere attracta, cordi primum molestiam inferens, vniuerso corpori grauis, & exitiosa est.

Hæ duæ vniuersales causæ caloris præter naturam ad alias quinque reducuntur; quæ neq; plures esse, neque pauciores possunt: res enim perinde habet in humano corpore, atque in aliis omnibus: in quibus videmus calorem excedentem generari propter istas causas, propter quas etiam & augetur & conseruatur: vt Galenus testatur tum *primo libro de febrium differentiis*, *cum libro de causis morborum*. Hæ vero quinq; causæ, ad quas omnes sigillatim referre oportet, sunt hæ motus: alterius caloris adhæsio, putrefactio, calidi effluxus, prohibitio, & calidæ substantiæ permistio.

Propter motum quidem contingit calorem præter naturam generari; quemadmodum accidit in motionibus tam corporis, quam animi. Motus enim corporis inducit per vniuersum corpus lassitudinem, quotiescunq; aliquis nimia exercitatione vsus fuerit; cuius causa musculi & articuli omnes excedentem caliditatem concipiunt; quæ si euanescat, anteaquam contingat eam per vniuersum corpus deferri; nihil fit aliud, quam prædictarũ partium lassitudo: verum si per totũ corpus extendatur, & quadam continuatione facta, vsq; ad cor caliditas pertingat, homo ex necessitate in febrẽ incidit.

In hunc modum homines propter iram febricitant, est enim ira veluti feruor quidam, ac vehemens motus potentiæ irascibilis in corde existentis: Simul cum hoc feruore aliquando spiritus calefiunt, aliquando vero sanguinis substantia; quod si ita contigerit, vt ea corpora, quæ in se caliditatem admiserunt, longo tempore retinere apta sint, licet motus cordis sedetur, in his tamen remanet calor præter naturam, contentiua febris causa, quæ, vt diximus, fit ex motu & feruore natiuæ caliditatis. Quę autem ex tristitia fit, ex solo motu, non autem ex feruore natiuæ caliditatis generatur: quamobrẽ vim habet maiorem ira, quam tristitia pro generatione ipsius febris: nam ita videtur consentaneum; cum ex ita non solum moueatur innatus calor; sed ẽt efferuescat: vt ex tristitia solum moueatur, efferuescat autem minime. Hinc videmus ex ira nonnullis febres concitari hecticas, quasi in habitum dixeris: quas tamen nunquam tristitiam facere obseruauimus.

Motus itaq; calorem præter naturam generat, hac potissimum ratione, quod naturalis de sua temperie discedens igneus euadit. Nec est quispiam, qui ambigat, (inquit Galenus *lib. de causis morborũ cap. 2.*) quin calidorum corporũ vicinia, alia concalescant, si modo is ad memoriam reuocet, & balnea, & solem æstiuum, & omnem flammam. Idem profecto contingit in bubonibus, inflãmationibus, & erysipelatis, atq; adeo omnibus calidis morbis: semper enim contingens pars, atq; continua ipsa quidem primũ caliditatem assumit; deinceps vero ea partem vicinã afficit, & hæc deinceps sibi proximam atq; ita vsq; ad principium insiti caloris perueniente intemperie totũ corpus principii sentit affectũ; Diuturnæ quoq; moræ in sole, aut in locis soli expositis, nudis quidem totam aliquando cutim supremam calefaciunt: at iis, qui vestibus operti sunt, solũ caput, atq; hæc adustio, siue vstio, appellatur: quod si iam totum animalis corpus occupet, tunc ita febris accenditur.

Tertium vero causæ genus, quod insitum calorẽ immoderate succẽdit, in adstrictionibus, & frigefactionibus fieri contingit: nam si quis vehemẽter riguerit, aut in aqua natauerit; quæ aut alumen, aut talem aliquam naturam acceperit; hinc adstringi cutim, atque densari oportet; vt quæ difflari consueuerunt, intus cohibeantur: quod si fuliginosa fuerint, quæ intus colliguntur, & retinentur, febris inde generabitur. Semper enim animalium

corpora

Subiectum febris est totum corpus, quomodo.

Dupliciter quidem dicitur aliquod esse subiectum febris. Vno modo secundum denominationem & inhæsionem: Cui enim febris inhæret: & quod propter ipsius præsentiam febricitare dicitur, id quidem febris subiectum hac ratione statuendum est. Vniuersum autem corpus febricitare dicitur, & febris inhæret non magis in vna, quam in altera parte corporis: Nam Galenus *in octauo libro methodi medendi* febrem definiens, illam esse dixit caliditatem nimium adauctam per vniuersum corpus: & *in libello de caussis morborum*, explicans calidi morbi caussas, potissimum autem febris, eandem definit, esse caliditatem immodicam totius corporis, atq; idem locis sexcentis apud eundem Galenum legere est.

Idem præterea in definienda febre obseruasse visus est Auicennas, dum tradidit illam esse calorem præter naturam à corde per vniuersum corpus, transmissam. Et Auerroes *libro tertio suorum collectaneorum*, febrim esse totius corporis affectionem docuit.

Ratio validissima.

Poterit autem id ipsum hac validissima ratione confirmari: id est, inquam, subiectũ febris, cuius actiones ab ipsa febre læduntur; morbus enim residere in illas partes dicitur; quarum actiones fiunt præter naturam: sed omnes profecto actiones corporis læduntur præsentia febris: quamobrem concludendum totum corpus esse febris subiectum.

Quod vero omnium membrorum operationes in febre sensibiliter lædantur, manifeste docuit Auerroes, dum ait, de febre verba faciens: *& lædit omnes actiones, & passiones corporis.* Atq; nos ipsi hac de re infra disputabimus, quo scilicet loco propria febrium accidentia enarrabimus.

Confirmatio.

Confirmatur præterea; quod non solum Auicennas, sed omnes etiam qui de febribus conscripserunt: illarum mentionem faciunt inter ægritudines corporis totius, quod potissimum Auicennas testatus est hisce verbis: *liber quartus est de ægritudinibus particularibus, quæ cum accidunt, non sunt vni membro propria, & de decoratione*: at is, *libro quarto* agit potissimum de febribus.

Deinde vero Febris nuncupari solet morbus communis, & vniuersalis: communis quidem, quia non est vna sola pars, quæ afficiatur in febre: sed hæc affectio æqualiter conuenit pluribus partibus, aut etiã omnibus membris humani corporis: ac idcirco dicitur vniuersalis morbus, quoniam omnes actiones lædit? an autem morbus communis ab vniuersali differat, hic non est explicandum, cum alibi dictum sit copiosissime.

Colligamus itaq; ex his, quæ hic diximus, subiectum inhæsionis, & denominationis febris esse vniuersum corpus.

Verum quoniam hoc non afficitur propria ratione, sed in virtute cordis, cum scilicet oporteat, à corde, per totum corpus febrilem caliditatem transmitti, & nisi primum in corde febris ipsa fuerit recepta, hominem minime febricitare dicimus; iure ergo merito recentiores omnes Medici dixerunt, febrim esse propriam passionem cordis: ipsumue cor existere proprium & adæquatum subiectum febris, quatenus febris est.

Cæterum non ea ratione proprium subiectum dicunt: quod à principiis cordis confluat febris, quemadmodum ab internis principiis hominum profluit risibilitas, sed sic proprium esse statuunt, quod cor ipsum primum sit, quod febrem recipiat, quodq; totum corpus nisi à corde illi communicaretur febris, minime afficeretur, atq; hac ratione videtur colligendum, quod quamuis vniuersum corpus in febre patiatur, quod tamen illud accidit alterius causa & veluti per consensum: sic profecto intelligendus venit Galenus, qui dum loquitur de Febre, quemadmodum nos supra reposuimus, semper fere docuit, non posse illam fieri corde haud primum affecto: quamuis hæc affectio cordis, vt diximus capite superiori aliquando in corde incipiat; aliquando autem origine ab aliis quibusdam partibus habita in corde ipso terminetur. Hæc quidem est communis omnium Medicorum sententia; ne-

Quomodo cor sit subiectum febris.

tia, neque ex multis, qui hunc lapidem de febribus euoluerunt, aliquem offendere est, qui propositis conclusionibus contradicat.

Quamobrem hoc, quod omnes confitentur prætermisso, accedamus ad explicationem illius, quod apud omnes Medicos adeo magnas controuersias habuit, quod fere inextricabile apparet Id autem est, an ab hepate, aliaq; corporis parte possit caliditas communicari toti corpori, non affecto corde: multoties enim videmus corpus totum valde calefieri ab Apostemate hepatis, aut aliarum partium, itaq; si res hoc modo habebit, non omnis febris erit affectio cordis, cum eo non affecto possit toti corpori calor igneus & præternaturam communicari? *Ardua difficultas.*

Hæc profecto est illa difficultas maxima, hæc est illa controuersia inextricabilis, circa quam Gentilis, Diuus Thomas de Garbo, Hugo Senensis, Marsilius, atq; alii omnes recentiores Medici plurimum laborauerunt: sed frustra, meo quidem iudicio, & inaniter: quandoquidem potest nullo negotio explicari, quod nos iam iam ostendere proposuimus: in qua re explicanda primum recentiorum opiniones prætermittemus, tum quia nihil habent, quod memoria dignum sit: tum quia nostrum hoc negotium, quod de natura febrium instituimus, nimis protraheretur.

Duplex igitur est propositæ difficultatis solutio, quarum prima est per instantiam: altera vero per concessionem: ita enim auctores græci solent propositis difficultatibus satisfacere: nos itaque vtraque ratione vsuri, primo loco dicimus falsum esse, atque ab omni ratione alienum, quod admittant omnes recentiores Medici, ab hepate scilicet, aut alia quapiam determinata corporis parte per vniuersum corpus transmitti posse calorem quendam igneum, à quo proxime actiones lædantur, non læso primum corde, aut certe ignea caliditate non communicata cordi: pro qua re explicanda illud primum animaduertere oportet, quod non solum à Galeno, sed etiam ab omnibus aliis Medicis admittitur: Duplex in nobis exsistere calidum: quorum alterum innatum, atque insitum in singulis partibus continetur: alterum vero influens: Id quidem calidum, quod insitum nuncupauimus, veluti materia: hoc autem influens, vt forma: illud potentia, hoc potius actus est & energia. *Qua via difficultati satisfaciendum.* *Primum suppositum.*

Partes itaq; humani corporis non possunt proprias functiones obire, nisi insitus ille calor de potentia ad actum deducatur ab influente calido: huicq; omnes actiones acceptę referuntur.

Et vt ego alias prætermittam actiones, non possum hic præterire, quod totum corpus calidum actu reddatur propter huius caloris influentis præsentiam: qui si per vniuersum corpus distribuitur, corpus calidum redditur: si vero eiuscemodi distributio propter aliquam accidentariam caussam impediatur, corpus frigidum fit: inditio quidem sunt omnes ii affectus, in quibus influens sic calor violenter, atq; subito ad propriam sedem retrahitur, in quibus obseruamus refrigerari non solum extremas partes, quę tamen id maxime patiuntur, sed etiam totum corpus.

Hoc igitur supposito, quod citra omnem controuersiam veritatem habet, aliud etiam addere oportet: videlicet Fontem & Originem huius influentis calidi esse cor ipsum, ac maxime sinistrum eius ventriculum: quoniam præcipua materia eiuscemodi caloris est spiritus, quem in corde potissimum confici, & ab eo in vniuersum corpus spargi nouimus. Sic quidem Galenus testatur *lib. 6 de morb. vulgarib. & libris de vsu partium*, aliisq; locis sexcentis. *Secundum suppositum.*

His hoc modo explicatis, Ponamus postremo loco, id quod est omnibus euidentissimum, à nobisq; supra diligenter expositum. Febrem esse calorem, quendam igneum totius corporis: omnes enim vel in se ipsis, vel in aliis obseruarunt febricitantes calorem igneum habere per vniuersum corpus: atque huc etiam breuissimo quodam temporis momento per vniuersum corpus distribui. *Tertium suppositum.*

Quatu-

Totum corpus non posse calefieri, non affecto corde, cõtra omnes recentiores.

Quamobrem cum hæc sic habeant, quid tandem ad propositam difficultatem dicemus? nempe falsum esse atque ab omni ratione alienum, vt prædiximus, quod ab omnibus pariter admittitur: quod scilicet totum corpus calefieri possit, non affecto corde: quandoquidem si ab ipso corde vniuersum corpus habet, quod actu calidum sit; oportet in homine febriente similiter corpus igneam febrilemque caliditatem habere, quod à corde transmittatur. Per easdem enim vias corpus cum est secundum naturam, atque cum præter naturam dispositum est, calefit: id vero est per arterias, mediante spiritu vitali, & calore influente.

Et hoc videtur mihi diligenter animaduertisse Auicennas, dũ inquit, calorem illum extraneum, qui continet febris essentiam transmitti per totum corpus per venas, & arterias, mediante spiritu & sanguine: sed hac de re infra copiosius differemus. Vides igitur, quod totum corpus ab hepate calidiori reddi calidius nõ potest, nisi actualẽ caliditatẽ cor ipsum transmiserit: hæc vera est, nisi meum me fallit iudicium, solutio difficultatis huius.

Solutio altera per instantiam.

Possumus etiam altero modo persoluere, videlicet per ipsam concessionem: vt si admittamus ab hepate calidiori, vt puta inflammato, vel alia ex caussa præter naturam calefacto posse vniuersum corpus calefieri, non affecto corde: & nihilominus eam caliditatem febrem non dici.

Quam caliditatem Medici febrem vocauerint.

Quod si caussam quæritis, propter quam eiuscemodi caliditas febris non dicatur, sed ea solum, quę originem habet à corde male affecto: eam ego esse, inquam, quoniam Medici vocauerunt febrem caliditatem illius membri; quod maxime est aptum inflammari, & quod inflammatum est maxime aptum alia inflammare; & similiter vocauerunt febrem caliditatem ab eo aliis membris communicatam: Cor autem solum hanc vim habet; nam hepar, & cerebrum licet possint inflammari, & inflammata communicare caliditatem toti; caliditas tamen eorum est remissa in comparatione ad caliditatem cordis, cum cor sit calidius, & magis aptum inflammari cæteris membris: & habens plus de multitudine caliditatis, & magis communicatiuum caliditatis toti, quam aliquod aliud membrum tam in naturali, quam in præternaturali dispositione.

Propterea omnes authores in hoc conuenientes congrue dixerunt, febrem dictam esse ab ipsa efferuescentia, atq; esse propriam passionem cordis: quoniam hoc aliarum partium collatione, maxime feruet: & est aptum efficere, quod alia consimiliter efferuescant: quod sane neq; de cerebro, neque de iecinore dicendum est.

Vnde licet hepar possit inflammari, & inflammatum communicare toti caliditatem: à qua etiam sensibiliter actiones ablæderentur: non oportere hanc calidam affectionem nuncupare febrem; sed potius calidam intemperiem totius ab hepatis affectu communicatam.

Id autem veritatem huiusce rei indicat: quod quamuis hæc caliditas actiones læderet; non tamen omnibus noxiam inferret, sed naturalibus. Verum intemperies calida, quæ febris existit, omnes actiones lædit, tam vitales, quam naturales, & voluntarias: ac potissimum læsio in ipsa vitali sese offert: quod ex ipso pulsu, præter naturam affecto facile cognoscere possumus: Hunceque oportere semper permutari febrienti homine, tum ab omnibus admittitur: cum nos infra diligentius docebimus.

Quis autem putaret solo affecto iecinore, & caliditate nondum cordi impressa pulsus motum alterari, & fieri præter naturam? Sed hæc hactenus.

Subiectum Febris esse solidam cordis substantiam; & nunquam humores & spiritus, contra omnes recentiores Medicos: quodq; calidum innatum non sit subiectum febris, vt perperam Antonius Donatus ab Altomari, opinatur.

CAPVT IV.

NVNC vero necessarium est, vt doceamus, secundum quam partem cor febris esse subiectum statuatur, id enim quamuis apud omnes Medicos nullam penitus difficultatem habuit, est tamen, meo quidem iudicio, difficilimum.

Verum enimuero, quo magis pateant ea, quæ infra de proposito negotio sumus, contra recentiores Medicos dicturi; primum omnium nostram sententiam diligenter explicabimus, atque ipsa methodo pro more maiorum, veritatem non paucis seculis incognitam dilucidare conabimur.

Cæterum vt commodius hoc fiat, principium paulo altius desumere oportebit. Sed quodnam erit hoc ipsum principium? quod scilicet primum Diuinus Hippocrates posuit, Galenus dein, & omnes post eum Medici confirmarunt. *Prima suppositio.*

Tria scilicet in humano corpore contineri, ex quibus essentialiter constituitur. Continentia, contenta, impetum facientia.

Continentia quidem sunt solidæ partes, à quibus omnia complectuntur. *Quæ continentia.*

Contenta sunt ipsi humores. *Quæ contenta.*

Impetum facientia spiritus, qui breui momento modo hanc, modo illam partem petentes, impetum facere dicuntur. *Quæ impetum facientia.*

Hisce tribus, si placet, addas, quod alioquin nullam habet controuersiam, sed est perinde suppositum: in hominis corpore, actiones: quæ ab illis tribus distinguuntur; ex tamen ab illis dependent: potissimum autem à partibus corporis, quæ dicuntur efficientes illarum caussæ. *Actiones.*

In hisce quatuor omnia consistunt præter naturam; & quæ etiam secundum naturam habet, quandoquidem idem est subiectum cõtrariorum. Nam vt recte Aristoteles testatur, definiuntur contraria, quæ nata sunt fieri circa idem subiectum.

Tria vero sunt secundum naturam. Sanitas: Causa salubris, vel sanitatis, idem enim vtroque nomine intelligimus. Et Actiones salubres. *Sanitas. Sanitatis caussa. Actiones.*

Sanitas fit à caussis salubribus: Actiones vero non à caussis, verum ab ipsa sanitate proxime fiunt: si quid enim efficit caussa, id sanitatis interuentu.

Sic etiam præter naturam tria sunt illis contraria. Morbus sanitati contrarius: causa morbifica, quæ opponitur caussæ salubri; & actiones læsæ, ac præternaturam; reliqua sunt symptomata, quorum natura in ipso fieri, vt Galenus ait, consistit. *Quæ sunt præter naturam.*

Hæc sex idem habent genere subiectum, humanum, inquam corpus, in quo hæc adsunt.

Particulariter vero causæ dicuntur consistere in contentis, atq; impetum facientibus; Omnis enim caussa, siue fuerit salubris, siue morbifica habet pro subiecto, vel humores corporis, qua voce omnes intelligimus, humidas, & fluxibiles substantias, vel spiritus. *Caussarum subiectum.*

Morbi vero, & sanitatis subiectum est contentum, id est, id quod vere pars corporis dicitur, distincta ab humoribus, ac spiritibus. *Sanitatis, ac morbi.*

Symptomata vero, atque omnes secundum naturam affectiones permanent in actionibus corporis. *Actionum subiectum.*

Sed prætermissis actionibus, & caussis ostendamus sanitatis, & morbi proprium subiectum; siquidem hoc, vel maxime confert, ad eorum explicationem, quæ sumus dicturi, de proximo subiecto febris.

Principio igitur, quoniam sanitas, & morbus contraria sunt, nata erunt

Quid sanitas. Quid morbus.

runt fieri circa idem subiectum: Quid enim est sanitas? *Debita omnium partium constitutio, vel compositio, vel ὑγίεια*, idem enim significat. Ergo si partium naturalis constitutio est sanitas.

Morbus quid erit? *eadem scilicet partium constitutio, sed præter naturam.* Sic quidem concludit contra Thessalum admirabilis Galenus *primo & secundo methodi medendi*, & passim alibi.

Verum hoc loco dubitaret fortasse aliquis, propter quam caussam in partibus corporis collocetur sanitas, & morbus: in contentis autem minime.

Cur sanitas in partibus corporis collocetur, nota.

Eam ego esse caussam, inquam, quod cum omnes homines sese ægrotare putent, cum actionibus secundum naturam perfungi nõ possunt, oportet morbum, & sanitatem in id subiectum collocare, quod proxima est causa actionum corporis: quoniam itaque sanarum actionum proxima est causa, partium constitutio secundum naturam habens: sic profecto læsarum actionum proxima erit causa partium constitutio præter naturam. Ex qua re id recte conclusisse videtur Galenus, morbum affectum quendam esse partium corporis, à quo immediate actiones læduntur.

Caussæ siquidem morbificæ, non lædunt actiones, nisi mediante morbo.

Ardua difficultas.

Sed hic multo maior superest difficultas explicanda: propter quam scilicet causam factum sit, quod non solum Galenus, sed etiam Medici omnes, corporis partes effectiuas caussas actionum faciant, cum re ipsa tales non sint: Actionum enim omnium proxima causa est anima & forma: quæ operatur per spiritum, calorem innatum, & per partes, tanquam per propria instrumenta. Verum non mediocriter differt organum à principali caussa.

Difficultatis solutio ex Io. Fern.

Dubitationis huius explicationem retulit primus omnium, maximus Fernelius, cuius ego in hac parte opinionem secutus, responsionem per propria illius verba, afferre constitui.

Anima eiusque facultates in vnius cuiusque partis innato spiritu, & calore sitæ, primæ, & principales actionum, quæ eduntur, efficientes causæ sunt.

Partes vero earum duntaxat instrumenta, sine quibus nihil illa efficiant: & nihilominus hic partes ipsas, principales statuimus, proximasque functionum caussas, siue quod recondita, penitusque abstrusa sit animæ facultatumque substantia: siue quod ad agendum necessaria in primis sit instrumenti vis: siue quod fortasse, vt præstantissimis Philosophis, visum est, animæ, facultatumque substantia immutabilis, nulla vi, nullo morbo labefactari, atterive possit, quamquam plerumque instrumenti vitio interpellatur, sed neque simpliciter partes corporis functionum caussæ sunt, verum constitutio earum, atque ὑγίεια. Hæc ille.

2. Caussa.

Hic etiam aliam causam ex Aristotele addamus, quod videlicet actiones, quamuis ab anima, & forma fiant, toti tamen composito acceptæ referuntur: sic enim is testatur *libro 2. & 3. de anima.*

His itaque hoc modo constitutis ad propositum negotium redeamus.

Conclusio.

Febris, quatenus morbus est, in corporis partibus residet; at quatenus est talis morbus, in corde subsidet.

Verum quoniam in corde tria sunt, quę illius substantiam constituunt, solidæ partes, humores & spiritus. Subiectum verum febris humores, atque spiritus esse nequeunt, quoniam non sunt partes corporis, nec sunt proximæ actionum caussæ.

Duæ conditiones necessariæ pro constitutione subiecti alicuius morbi.

Duæ autem conditiones necessariæ sunt pro constitutione subiecti alicuius morbi: prima, quod sit pars corporis: deinde vero, vt actionum proxima sit causa; quæ posterior conditio ex prima originem habet:

habet: quia, vt iam diximus, omnis pars corporis propinqua est functionum caussa.

Quoniam igitur humores, & spiritus non sunt corporis partes, nec ab illis proxime actiones obeuntur: sed interueniente solida cordis parte, consequens quidem est, febrem, quoniam morbus est, in illis duobus minime subsistere: sed solum in solida substantia cordis, quæ vere est effectiua caussa omnium actionum: quæ vero in illis duobus residet affectio, hæc sane morbi caussa est, vt prædiximus: minime autem morbus. Sic quidem nos dicendum putamus contra Medicorum omnium recentiorum decreta; saluo tamen semper meliore iudicio. Cæterum nunc referamus, quænam sit Medicorum communis opinio. *Communis omnium Medicorum opinio.*

In hanc vsque diem vetus quædam percrebuit opinio, dicens, subiectum febris esse ipsum cor, non secundum aliquam determinatam eius partem; sed secundum se totum. Nam tres illæ substantiæ, quæ cor constituunt, solida scilicet, humoralis, & spirituosa, singulatim sumptæ, alicuius differentiæ febris subiectum constituuntur. Febris in habitu (sic enim hecticam febrem nuncupant) subiectum erit, solida pars cordis; Febris humoralis; humores cordis: Febris ephemeræ, spiritus cordis. Ab his enim tribus substantiis tres proficiscuntur differentiæ febrium.

Rem quidem ipsam ex vno Galeno confirmant, qui *libro primo de Febrium differentiis statim in principio*, explicans febrium differentias, à duobus illas desumi tradidit; primum ab illius essentia, & substantia; quam diuidendi rationem inuenit Hippocrates *libro sexto, de morbis popularibus*. Alia vero differentia sumitur à materia, in qua calor præter naturam residet: hæcque maxime, propria ratio est diuidendi febres; qua Medici continuo vsi sunt, & quam potissimum Galenus insequitur.

Placet hoc loco recensere Galeni verba, quæ sic habent; *Caloris autem differentiæ, & ex eo, quod magis & minus, & ex materia, in qua hic calor præternaturam accenditur, & ex modo motus, eiusdem caloris accipiuntur.* Et paulo post inquit: *Quæ vero à materia differentiæ sumuntur, in qua hic calor præternaturam accenditur, maxime propriæ sunt: Quia vel idem calor ipsius cordis corpus occupauit, aut eos, qui in eius ventriculis continentur humores.* *Confutatio opinionis communis ex Galeno.*

Tertia autem est differentia, cum sola aerea substantia sufficienter incaluit: humores autem, & solida corpora, calescunt quidem adhuc, nondum autem sunt calefacta, neque enim parum refert, si calescere dicamus, aut calefacta esse.

Demum vero rem exemplis prosequitur in lebete excalefacto, vel eius aqua similiter calefacta, vel vaporibus eius, ac spiritibus calefactis.

Primum exemplum febrem hecticam ostendit: Secundum putridam, aut si mauis, humoralem: Tertium vero ephemeram manifestam facit, vt idem inquit.

Quid igitur ex his colligimus, nempe cor ipsum pro aggregato ex illis tribus substantiis esse proximũ subiectum febris qua febris est. Ephemeræ tñ spiritus cordis: hecticæ solidam eius partem: ex quibus alterum est colligendum est, aut veram non esse nostram sententiam: si hæc opinio veritatem habet, aut certe oportere omnem febrem hecticam esse, quod in omni febre solida cordis substantia patiatur.

Hæc profecto est aliorum sententia, sed nos hic videamus, quem exitum habeat.

Caussam quidem hactenus exposuimus, propter quam arbitremur solidam cordis substantiam esse verum subiectum febris: duo nunc reliqua sunt, vt diligenter explicentur, alterum, quomodo Galeni verba intelligenda veniant, alterum vero, an sit necessarium, si cordis substantia sic *Communis opinionis impugnatio.*

 semper

semper subiectum febris, febrem omnem esse in habitu, vt isti recentiores concludunt.

Subtilis explicatio verborum Galeni contra omnes.

Quod ad primum spectat, animaduertere oportet, nunquam in Galeno me ipsum obseruasse, dixisse illum subiectum febris esse, aut humores, aut spiritus, aut solidam cordis substantiam: falsum enim dixisset, si Galenus hoc modo locutus aliquando fuisset: quod autem is dicit; tale est: subiectum caloris præter naturam esse illas tres substantias: quod sane plurimum differt a superiori propositione: illa enim de morbo loquebatur: hæc vero de continente, & proxima morbi caussa enuntiat. Calor præter naturam non est morbi substantia formalis: quia febris non est formaliter calor præter naturam, vt prædiximus, sed forma febris & intemperies calida: quæ sane fit à calore præter naturam, tanquam à proxima, & continente causa.

Relinquitur ergo, quod subiectum caloris præter naturam aliquando sit solida cordis substantia, cum scilicet is calor in eandem figitur ac habituatur. Aliquando sunt humores, qui in eius ventriculis continentur: Aliquando autem spiritus; in quas substantias postquam calor præter naturam insederit, cor ipsum patitur, afficiturque intemperie calida; non tamen semper eadem ratione; sed quemadmodum infra dicemus, aliquando æquali, vt in hecticis febribus, aliquando inæquali intemperie, vt in reliquis duobus generibus contingit.

Vides quomodo recte Galenum interpretamur, quodque eiuscemodi expositio, nihil contineat, quod aliquam facere dubitationem possit.

Excusatio.

Ego vero non mediocriter admiror, ex multis authoribus, qui post Galenum & Auicennam de rebus medicis conscripserunt, neminem hactenus, rem hanc, alioquin suapte natura apertissimam, olfecisse: sed non omnia possumus omnes: quia, vt est in communi adagio: Bonus quandoque dormitat Homerus.

Verum ad id reuersi, vnde digressi sumus, sciendum est præterea: quantum ad id pertinet, quod secundo loco proposuimus, non sequi omnem febrem hecticam esse, quod nunc docemus.

Quomodo ex nostra opinione non sequatur omnem febrem esse hecticam.

In omnibus febribus opus est calorem præter naturam, qui, vt sæpius diximus, complectitur totam essentiam febris: in humoribus cordis, aut in spiritibus, aut in solidis partibus contineri: quod illi videlicet, calefacti sunt.

Ponitur ergo in omni febre in calefacto esse, vel humores, vel spiritus, vel solida pars cordis: plurimum autem refert, an calefactum esse, an autem adhuc calefieri dicamus.

Galenus id subiectum caloris præter naturam inuestigauit, quod semper calefactum est. id sane triplex erat, vt diximus.

At quantum ad ipsum calefieri pertinet, substantia solida cordis in omnibus febribus vel calefit aut certe ponitur in calefacto esse.

Calefit quidem in omnibus febribus putridis, & diariis, calefacta est autem in omnibus febribus hecticis.

Quamobrem corpus cordis semper patitur febrem, id est calidam & siccam intemperiem, quæ è corde in vniuersum corpus distribuitur: non tamen eadem est in singulis febribus intemperies.

In ephemeris & putridis, inæqualis est intemperies: in hecticis autem æqualis.

Sed vt hæc multo apertius, atque clarius intelligantur, doceamus, quid nomine inæqualis, & quid nomine æqualis intemperiei intelligamus: nam hoc plurimum confert ad propositæ rei intelligentiam.

Est au-

Est autem æqualis intemperies, vbi corporis particulæ æquabiliter ad aliquam intemperiem versæ sunt, aut iusto calidiores, aut frigidiores, aut sicciores, aut humidiores: vel per coniugationem quandam calidiores simul ac sicciores: quædam humidiores pariter, & frigidiores: quædam humidiores, & calidiores: quædam frigidiores & sicciores redditæ sunt. *Æqualis intemperies quæ.*

Inæqualis contra intemperies est, vbi non æquabiliter corporis partes ad aliquam intemperiem transmutatæ sunt, sed adhuc transmutantur, & fiunt. *Inæqualis intemperies.*

In qua re illud animaduertere oportet, quod quamuis eiusmodi intemperies adhuc fiant, suam tamen speciem, & formam habent, qua morbi statuuntur: quoniam aliquam habent partem, secundum quam iam factus est morbus, suamque naturam acquisiuit: vt Galenus optime testatur, *libro secundo de locis affectis*, dum loquitur de dysenteria: In qua, etiamsi adhuc fiat, adest tamen etiam morbus, vlcus scilicet intestinorum.

Rursus autem aliud animaduertendum est, eiusmodi intemperies posse dupliciter considerari: vno modo quatenus sunt in toto corpore: alio autem modo in aliqua corporis determinata particula, vel etiam pluribus: neque etiam absurdum est, hasce intemperies in se inuicem connecti, vt, si æqualis sit in aliqua parte intemperies, poterit in aliis esse inæqualis: quod sane in febribus hecticis obseruamus. His hoc modo expositis iam reliquum est, vt dubitationem soluamus. *Omnis intemperies æqualis habet aliquam partem fa-ctam.*

Cor ipsum secundum eius substantiam, & proximum subiectum febris: Cum videlicet, id vel æqualem habet intemperiem, vt accidit in febribus hecticis: vel inæqualem, vt in putridis, quamobrem non sequitur, quod omnes admittunt, si solidum corpus cordis poneretur proximũ subiectum febris, quod inquam omnis febris extitisset hectica: sed circa communem sententiam aliorum hæc sufficiat dixisse. *Dubitationis conclusio.*

Nunc vero, vt finem imponamus propositæ dubitationi de subiecto proximo febrium, opus est, vt diligenter examinemus opinionem Donati Antonij Neapolitani Medici, qui nouitatis plus, quam oportuisset, cupidus, non solum a communi aliorum Medicorum sententia desciuit, sed nouam promulgauit, in qua, vt ostendemus, pueriliter certe lapsus est. Is itaq; sic summatim putat: Proximum scilicet subiectum febris esse calidum innatum: quam rem hoc modo persuadet; nam cum febris sit conuersio natiuæ caliditatis ad igneam; eius forma, essentia, seu qualitas, tanquam in subiecto suscipitur primum in substantia calidi innati: hæc namque est, quæ mutatur, & alteratur, accidentalem qualitatem, quæ febris est, suscipiens: & propterea inquit, cuiuslibet febris subiectum calorem esse natiuum, cuius principium, fons & origo, ipsum est cor, vt Galenus testatur *quinto de locis affectis cap. primo & sexto de Platonis, & Hippocratis decretis capite sexto*: aliisque plerisque locis: propterea in corde: quandam præter naturam caliditatem generari dicimus, cum febris ipsa generatur, & quemadmodum ab eo in totum corpus diffunditur, ac vniuersis partibus suppeditatur innatum ipsum calidum, ita quoq; hæc præter naturam caliditas ab eodem in totum animal effunditur, aut omnino ad plurimas & nobilissimas partes. *Opinio alterius.*

Verum cum in Hippocratis & Galeni doctrina idem sit calidum innatum, & natura, idem quoq; erit asserere calidum cordis innatum quod naturam eiusdem, quinimo & proprium temperamentum, ac proprium ipsius cordis substantiam, quæ omnia apud eosdem authores sæpius confunduntur: Id quod manifestauit Galenus non solum *commentario decimoquinto primi libri aphorismorum*. Verum etiam *in primo de vsu partium*.

Quod si ab Altomari quis percontetur, qualis sit hæc substantia innati calidi, quæ eadem existat cum temperamento, & cum natura cordis. Is ex Galeni sententia *libro vndecimo methodi medendi* respondet: Naturam

constare ex tribus partibus: ex spirituosa substantia: & ex earum, quæ vere dicuntur solidæ; quas alibi ex semine genitali ortum ducere demonstrauit, & tertia ab his carnosa, quæ cuique particulæ est sua: quocirca (concludit) si quispiam asserat calidi innati essentiam, seu substantiam ex sanguine menstruo, & semine constitutam esse: aut in sanguine seu humoribus, spiritu, & serosa humiditate, seu carnosis partibus, spirituosis ac solidis eius substantiam contineri, idem sane asserere videbitur. Hæc summa est Altimari sententia.

Impugnatio opinionis Donati Antonii.

Hanc hominis huius opinionem nos accurate, atq; diligenter legentes, vehementer admirati sumus: quod scilicet vir alioquin clarissimus, in tam peruersam, & vere puerilem opinionem studio nouitatis allectus, peruenerit. Quæ res ne à nobis gratis dicta videatur, diligenter exponenda est, rationesq; in medium afferendæ, quibus hoc illius placitum refellatur.

Prima ratio.

In primis vero illud vrget hanc opinionem, quod Donatus admittere videtur propinquũ subiectum febris esse formam corporis: aut id certe, quod formæ locum obtinet: calor enim innatus (pro substantia sumptus, quemadmodum ipse facit) nihil est aliud, quam corporis forma & natura, quod Galenus multis in locis admisit: aut certe si non hoc, proximum est illius instrumentum: quod semper ad id genus refertur, cuius est instrumentum.

Hoc autem est admodum absurdum apud Medicos & Philosophos: siquidem id subiectum dicitur alicuius rei, quod patitur, quodque ab ea afficitur: forma vero non afficitur, neque patitur, sed agit: eius enim proprium est, vt optime norunt peripatetici agere non pati: Hinc ergo sequitur subiectũ febris non esse calidũ innatum; Quod sane multo rectius vehiculum diceremus febris: quandoquidem influens calidum à corde proficiscens, vt supra docuimus, in totum corpus febrilem caliditatem communicat: sed hoc est agere non pati: vt cuilibet vel leuiter in philosophia exercitato manifestum est.

Calidum innatum est subiectum febris.

Secunda ratio.

Præterea morbus, & sanitas in eodem est subiecto; quia contrariorum lex ac natura est, quod nata sint fieri circa idem subiectum: ergo si febris subiectum est calidum innatum, quod sane nihil aliud est, quam temperamentum cordis, imo totius corporis, vt Galenus testatur: sequitur subiectũ febris esse temperiem corporis, atque eandem esse subiectum sanitatis: proximum igitur subiectum tam morbi, quam sanitatis erit temperamentum: quod sane adeo est absurdum, quod nihil fere sit, quod maiorem absurditatem contineat.

Tertia ratio.

Tertio, calidum innatum, si Galeno credimus, nihil aliud est, secundum sententiam Hippocratis & Platonis, quam substantia quædam se ipsam perpetuo mouens, imo, quam anima corporis, vel proximum illius instrumentum: Quamobrem febris, si calidum innatum habet pro subiecto proximo, debet anima, vel eius proximum instrumentum dici subiectum febris; hincq; oporteret Medicum adhibere præsidia nõ laboranti corpori, sed animæ: febremq; collocare in earum affectionum numero, quæ animam afficiunt: quæ res adeo est ridicula: vt certe nihil magis. Quis enim hanc peruersam opinionem, & puerilem admitteret?

Quarta ratio.

Deinde interrogemus Altimarum hoc modo: Si calidum innatum est proximum subiectum febris: aut hoc illi conuenit secundum se totum: id est, quod totum calidum innatum, atq; semper sit proximum subiectum febris: aut aliqua determinata eius pars: vel carnosa, vel spirituosa, vel solida.

Si totum calidum innatum perpetuo subiectũ est febris, sequitur hinc, quod Galenus *libro primo de Febrium differentiis*, subiectum caloris præter naturam perperam distinguat: cum aliquando dicat esse solidas partes, vt in hecticis: aliquando humores, vt in humoralibus febribus: & aliquando spiritus,

ritus, vt in diariis. Oporteret siquidem si proposita opinio veritatem haberet, in omni febre quæcunque ea fuerit, totam substantiam calidi innati subiectum esse febris: sic hecticæ subiectum sunt spiritus: & ephemeræ non solum hi; sed etiam carnosum genus, & solidum: quod profecto non est affirmandum.

Verum si calidum innatum subiectum est febris non secundum se totum, sed secundum determinatam aliquam eius partem, vt vel solidam, vel carnosam, vel spirituosam: sequitur, quod interdum subiectum sit solida pars cordis, vt in hecticis; interdum spirituosa, vt in ephemeris: ex qua re duo sequuntur maximi momenti.

Confutatio Primum, quod hæc opinio parum, aut nihil à communi opinione distabit: deinde vero quod prætermittit subiectum febrium putridarum: nam *Primum.* genus carnosum, eodem etiam Altomaro teste, ad solidum genus refertur: *Secundum.* proximumque statuitur subiectum, cum partibus vere solidis, omnium fe- *Tertium.* brium in habitu.

Præterea sequitur quod falsa sit eius propositio, qua dicit, calidum innatum esse proximum subiectum febris, quia non est calidum innatum, quod hanc vim habeat, sed quædam eius partes, vt diximus.

His addere est, quod quando Donatus inquit, subiectum febris esse *Quartum* calidum innatum, oportuisset illum inprimis distinxisse, de quo calido innato intelligat. Aliud enim est vere insitum; aliud vero influens à corde per vniuersum corpus. Si enim insitum in singulis partibus intelligit: is causam docere non potest, propter quam nulla sit febris non affecto corde: cum id in omnibus partibus æquabiliter inueniatur.

Si vero influentem calorem intelligit, videat, quomodo subiectum febris id dici mereatur, quod sane minime febricitare dicitur: id enim primum dici debet subiectum febris, quod à febre denominatum febricitare dicitur, nullum autem est aliud membrum, quam cor, & huius causa totum, quod affici febre dicatur.

Postremo in hoc Altimarus non mediocriter deceptus est, quod putauerit, calidum innatum esse spiritus, solidas partes, & carnosum genus: *Quintum* quæ tamen non mediocrem falsitatem continent: aliud enim est dicere aliquid ex rebus constare: aliud vero, esse res ipsas, ex quibus constat.

Calidum quidem innatum constat ex illis tribus substantiis, vt recte docuit admirabilis Galenus, non est tamen illæ tres substantiæ. Nam resultat calidum innatum ex illorum trium permistione, tanquam tertium quoddam ab illis distinctum: vt alibi diligentius docuimus.

Quantum porro ad eam rationem pertinet, qua motus Altomarus pu- *Responsio ad fundamentum Altomari* tauerit calidum innatum esse proximum subiectum febris, dicere oportet, eam nihil penitus concludere: nam, quamuis substantia calidi innati, sub ipsa febre labefactetur & corrumpatur; hoc tamen non accidit ea ratione, quod sit subiectum febris; sed quia cor ipsum, à quo tanquam à fonte, & ab origine propria deflectit, intemperiem calidam patiens illius substantiam alterat, dissipat, corrumpit. Impossibile est enim, quod calor innatus habeat sese secundum propriam naturam affecto corde: à quo is, vt Galenus testatur, deriuat.

Demum vero quamuis influens calidum à corde per vniuersum corpus transmissus febrem ipsam secum deferat; tamen non est subiectum febris hic calor; sed potius si aliquod subiectum dici debet, id erit subiectum differentiæ febris: quia anteaquam calor hic igneus per vniuersum corpus distribuatur; is primum in corde insidens, ibidem calidam, & siccam intemperiem efficit: quam postea per vniuersum corpus transmittit per venas, & arterias, mediante spiritu, & sanguine, vt recte Auicennas testis

est; qui febrem definiens horum quidem meminit, non tanquam proximi subiecti febris; sed tanquam subiecti differentiæ, & communicationis per totum corpus.

Epilogus dictorum.

Hactenus ego videor docuisse qualenam subiectum sit febris: quod scilicet sit cor ipsum, & totum corpus: hoc vniuersale subiectum: illud proprium, & particulare: quod item cor ipsum non secundum omnes eius partes, sed solum secundum solidam substantiam febris subiectum statuendum sit: quodq; perperam recentiores Medici de triplici subiecto febris distinxerint: ac tandem Donatum Antonium in explicatione propositi negotii pueriliter lapsum fuisse; docuimus.

De causis tam proximis, quam remotis, febrium, quatenus febres sunt.

CAP. V.

Reliquum est modo, vt de causis febrium, ea ratione, qua febres existunt, disseramus. Hæc enim contemplatio est admodú necessaria, vt perfectam habeamus cognitionem naturæ febrium. Verum in hisce causis explicandis, primum docebimus, quæ proxima sit causa contentiua scilicet essentiæ, & substantię febris, vt Galenus loquitur *libro sexto de morbis vulgaribus*, & *primo de febrium differentiis*. Ab hac autem progressi, accedemus deinde ad explicationem aliarum causarum; atque ab his ad alias; donec tandem ad illas fuerit peruentum, ad quas omnes aliæ reducuntur: sic enim ipsa methodus postulat, quam nos instituimus.

Omnes igitur homines norunt posse fieri febrem à causis quibusdam internis: & extrinsecis: verum non est omnibus perinde notum, qualis sit particularis modus generationis febris ab hisce causis; hoc enim non solum est vulgaribus incognitum; sed etiam, vt Galenus testatur, Medicis quibusdam præstantissimis: quamobrem nos non solum docebimus, quæ causæ sint facientes febrem; verum etiam diligenter enarrabimus modum, quo febrem efficiant: sic namq; cognoscemus, qualem affectum & dispositionem faciant singulæ causæ: quam rem nisi quis ad vnguem memoria tenuerit, is profecto núquam poterit ipsa methodo, pro more maiorú febri prospicere.

Hoc itaque explanaturi, primo loco animaduertendum est, febrem ea ratione qua febris est, aliam non habere proximam causam, quàm calorem præternaturalem; sine quó tanquã propria substantia, nulla febris consistit. Hæc est illa coniuncta causa, & proxima qua in ipso corde posita ponitur febris, & qua remota remouetur: Talis enim vera natura causæ continentis, vt in disputatione de continente causa docuimus.

Hic autem non est prætereundum, quod nos dari eiuscemodi causam præsupponimus, quandoquidem eo in opere contra quosdam recentiores Medicos, rem ipsam sumus diligentissime prosecuti. Ergo proxima, & continens febris causa, est calor cordis præter naturã: sed satis non est, hoc ipsum tradidisse; nisi etiam edoceamus, qua ratione contingat hunc præternaturalem calorẽ in nobis generari. Duplex enim est modus generationis ipsius.

Primus sane cum naturalis calor sensim de sua tẽperie discedens igneus fit, naturæ grauis, & infensus: hoc autem contingit ipso natiuo calore, intensiori facto. hic profecto calor præter naturam, recte nuncupari poterit calor naturalis in igneam naturam permutatus, vt Galenus videtur *primo aphorismorum* definisse.

Alter vero est modus generationis eiusdem caloris, cum videlicet putridæ quædam substantiæ simul cum influente calore permistæ, cor viscus nobilissimum, calorisq; natiui, potissimum influentis, imo ipsius vitæ, si Peripateticis credimus, principium, inuadit. Tunc enim illius permistione

quidam

quidam fit in nobis calor admodum extraneus, atq; nostræ naturæ inimicus.

Cæterum hic etiam duplicem habet suæ generationis modum: nam hæc putrida substantia aliquando intrinsecus gignitur, vt putrefactis humoribus ab intrinsecis causis. Aliquando vero extrinsecus genita, & simul cum aere attracta, cordi primum molestiam inferens, vniuerso corpori grauis, & exitiosa est.

Hæ duæ vniuersales causæ caloris præter naturam ad alias quinque reducuntur; quæ neq; plures esse, neque pauciores possunt: res enim perinde habet in humano corpore, atque in aliis omnibus; in quibus videmus calorem excedentem generari propter istas causas, propter quas etiam & augetur & conseruatur: vt Galenus testatur tum *primo libro de febrium differentiis*, *tum libro de causis morborum*. Hæ vero quinq; causæ, ad quas omnes sigillatim referre oportet, sunt hæ motus: alterius caloris adhæsio, putrefactio, calidi effluxus, prohibitio, & calidæ substantiæ permistio.

Propter motum quidem contingit calorem præter naturam generari; quemadmodum accidit in motionibus tam corporis, quam animi. Motus enim corporis inducit per vniuersum corpus lassitudinem, quotiescunq; aliquis nimia exercitatione vsus fuerit; cuius causa musculi & articuli omnes excedentem caliditatem concipiunt: quæ si euanescat, anteaquam contingat eam per vniuersum corpus deferri; nihil fit aliud, quam prædictarũ partium lassitudo: verum si per totũ corpus extendatur, & quadam continuatione facta, vsq; ad cor caliditas pertingat, homo ex necessitate in febrẽ incidit.

In huncmodum homines propter iram febricitant, est enim ira veluti feruor quidam, ac vehemens motus potentiæ irascibilis in corde existentis: Simul cum hoc feruore aliquando spiritus calefiunt: aliquando vero sanguinis substantia; quod si ita contigerit, vt ea corpora, quæ in se caliditatem admiserunt, longo tempore retinere apta sint, licet motus cordis sedetur, in his tamen remanet calor præter naturam; contentiua febris causa, quæ, vt diximus, fit ex motu & feruore natiuæ caliditatis. Quę autem ex tristitia fit, ex solo motu, non autem ex feruore natiuæ caliditatis generatur: quamobrẽ vim habet maiorem ira, quam tristitia pro generatione ipsius febris: nam ita videtur consentaneum; cum ex ira non solum moueatur innatus calor; sed ẽt efferuescat: vt ex tristitia solum moueatur, efferuescat autem minime. Hinc videmus ex ira nonnullis febres concitari hecticas, quasi in habitum dixeris: quas tamen nunquam tristitiam facere obseruauimus.

Motus itaq; calorem præter naturam generat, hac potissimum ratione, quod naturalis de sua temperie discedens igneus euadit. Nec est quispiam, qui ambigat, (inquit Galenus *lib. de causis morborũ cap. 2.*) quin calidorum corporũ vicinia, alia concalescant, si modo is ad memoriam reuocet, & balnea, & solem æstiuum, & omnem flammam. Idem profecto contingit in bubonibus, inflãmationibus, & erysipelatis, atq; adeo omnibus calidis morbis: semper enim contingens pars, atq; continua ipsa quidem primũ caliditatem assumit: deinceps vero ea partem vicinã afficit, & hæc deinceps sibi proximam atq; ita vsq; ad principium insiti caloris perueniente intemperie totũ corpus principii sentit affectũ; Diuturnæ quoq; moræ in sole: aut in locis soli expositis, nudis quidem totam aliquando cutim supremam calefaciunt: at iis, qui vestibus operti sunt, solũ caput; atq; hæc adustio, siue vstio, appellatur: quod si iam totum animalis corpus occupet, tunc ita febris accenditur.

Tertium vero causæ genus, quod insitum calorẽ immoderate succẽdit, in adstrictionibus, & frigefactionibus fieri contingit: nam si quis vehemẽter riguerit, aut in aqua natauerit; quæ aut alumen, aut talem aliquam naturam acceperit: hinc adstringi cutim, atque densari oportet; vt quæ difflari consueuerunt, intus cohibeantur: quod si fuliginosa fuerint, quæ intus colliguntur, & retinentur, febris inde generabitur. Semper enim animalium

corpora

corpora difflantur; idque duplici modo: effusis ad exteriora vaporosis, atque fuliginosis superfluitatibus; ac rursus attracta refrigerante, ac ventilante natiuum calorem aerea substantia; cum igitur aliqua causa potentior, eos, de quibus diximus meatus angustiores effecerit; sæpe in pletoricam dispositionem incidit corpus; quando & vaporosum, & optimum extiterit, quod effluit: at cum acre fuerit, satisque mordax, nonnunquam in febrem quo tempore maxime intra corpus, quod refrigerandi vim habet, non attrahitur, calor augetur.

Acris autem & mordax defluit superfluitas his, qui aut natura habent vitiosos humores, aut prauis alimentis vtuntur; aut sæpius cruditatem patiuntur. Hac itaque ratione detentio calidi effluxus, qui per cutim fieri assolet primum quidem calorem igneum efficit; deinde vero, affecto eius principio, ipso scilicet corde febrem facit.

Quarta vero species auctæ supra modum caliditatis est, alimentorum ac potuum acris & ignea qualitas: veluti res conspicitur in alliis, porris, cæpis, atque aliis id genus: nam & horum vsus immoderatus febrem aliquando suscitauit. & quidē calidæ potationes immodicæ, vt vini veteris, & acris, cum imbecille corpus offenderint; & medicamēta acria, siue remedia morborum fuerint, siue venenas causam; vt homo febricitauerit nonnunquam attulerunt. Nam quemadmodum aridi calami vehementius flammam attollunt; ita & hæc esculenta calida, & acria calorem nostrum adaugent, ac immoderatum adeo efficiunt, vt cordis calori communicato febrem generent; hoc tamen haud semper contingit; quia neque agentis causæ, neque recipientis corporis par semper est dispositio: non enim effectus semper à propriis causis fiunt; sed cum agens, & patiens optimam inuicem proportionem habuerint, vt à præclarissimis tum Medicis, cum philosophis hucusque traditum est.

Iam vero putredo ipsa febrem efficit, siue genita in nobis fuerit; vt contingit putrefactis humoribus ab intrinseca quadam causa, de qua nos loco suo diligenter disputabimus; siue extrinsecus genita per ipsam respirationem nobis offensa sit: siquidem ab vtraque putrefactionis ratione fieri febres putridas, ab omnibus Medicis comprobatum, à nobisque libris sequentibus explicatum est.

Quæ in nobis gignitur putredo, vel totum æqualiter corpus possidet; vel aliquam eius determinatam particulam obsidet: illa quidem vapores, atque putridas exhalationes cordi communicans putridam febrem efficit: Hæc autem non semper, quandoquidem in quapiam parte contineri potest putredo aliquando sine obstructione; aliquando autem cum obstructione: non enim est perpetuo verum; quod omnes neoterici passim confitentur, vniuscuiusque putredinis obstructionem causam esse, vt posthac fusius demonstrabimus.

Quæ igitur putrefactio comitem obstructionem non habet; hæc sane febres facit permistione putridæ substantiæ cum influente calido.

Alia vero, quæ obstructionem pro causa continet, tum hoc eodem modo febrem generat; cum etiam per viciniam rei calidæ: vna scilicet parte post aliam recipiente calorem igneum: si enim inflammatio non adest, semper putrida fit febris: inflammatione autem præsente, aliquando putrida; & aliquando ephemera. Putrida quidem, si in loco inflammationis non concludantur vapores putridi, sed liberum exitum habentes, vsque ad ipsum cor ascenderent: ephemeram vero, communicato simplici calore ipsi cordi. Sic itaque calor præter naturam à putrefactione in nobis genita proficiscitur.

Cæterum putredo externus genita atque à nobis per respirationem attracta, potissima causa; atque vere contentiua est totius essentiæ febris pestilentialis; hæc enim nullam aliam habet causam, quam aeris nos ambientis putre-

putrefactionem: hæc itaque primum extrinsecus ipsum corpus calefacit: *nulla etenim potest pestis adesse, si calida & humida cæli constitutio non præcedat.* Deinde vero propter substantiam putridam, tum spiritus, tum humores, tum solidæ partes putrefieri possunt. Hæc autem, quæ videntur multis impossibilia, quomodo possint consistere, copiosius, cum de pestilentibus febribus agimus, explicabuntur. Nota.

Non immerito autem dubitabit hoc loco aliquis cū sint quinq; genera causarum vniuersalium, ad quas omnes aliæ reducūtur: sub quodnam genus eas febres reducere oporteat, quæ ex inflammatione alicuius partis fiunt. Dubium.

Respondemus nos, ad duo genera reduci posse; aliquando ad putrefactionem; aliquando vero ad viciniam, siue adhæsionem rei calidæ.

Quod autem possint referri sub vtrumque genus, nunc explicemus. Febres hæ, quæ sequuntur propter inflammatæ alicuius particulæ affectum aliquando sunt putridæ, aliquando ephemeræ. Putridæ sunt, vt diximus supra, cum à loco inflammato vapores putridi, putridaq; fuligo cordis substantiam petierit. (Non.n. est necessarium putridam fuliginem petere cor ipsum ex inflammata parte: quandoquidem is humor putridus, qui ibidem continetur, nō semper putredinem euaporat; sed aliquando ea intus coercita non potest putridas exhalationes cordi transmittere.) Atq; hac ratione intelligere oportet illud Galeni dictum *primo de febrium differentiis cap. 3.* quod partes, quæ inflammatione afficiuntur, ratione putredinis febres accendant: intrusus enim in ipsis humor, cum non bene difflatur, putrescit: & *libro decimo methodi* inquit: *Monstratū vero nobis est in iis, quæ de febribus scripsimus phlegmonas, seu inflammationes quoq; propter putredinem humorum, qui in ipsis habentur, febres subsequi.*

Quibus verbis non videtur is mihi explicasse proximam causam febrium harum; sed vniuersalem, communem, & remotam: quia in omnibus plegmonis continetur putredo: à qua tamen proxime, & immediate non fiunt febres in omnibus inflammatis partibus: sed tunc, cum vapores putridi cordi transmissi fuerint: quod si ii non transmittantur cordi, ephemeræ febres fiunt: quā ratione ex inguinum bubonibus fieri febres diarias testatur & diuinus Hippocrates, & admirabilis Galenus.

Omnes itaque febres diariæ, quæ subsequuntur inflammationem partium, reducuntur ad viciniam, siue adhæsionem rei calidæ: & non ad putrefactionem: quæ aliquando est proxima causa, cum transmittuntur vapores putridi: aliquando remota; cum ii continentur in loco inflammato: & tunc est proxima causa, successiua alteratio partis post partem, propter rei calidæ viciniam.

Hac etiam ratione soluitur illa difficultas, quam contra sententiam Galeni recentiores Medici inuexerunt: putantes sequi ex illius verbis nullam febrem ephemerā ex inflammatione fieri, contra præcepta diuini Hippocratis; nam omnis eiusmodi febris, quæ fit propter inflammatam particulam, à putredine ortum habet, si vera sunt ea, quæ supra ex eodem Galeno retulimus.

Nullo, inquam, negotio propositæ dubitationi satisfacimus: Quod scilicet omnis febris, quæ sequitur inflammationes, fiat à putredine, vel tanquam à causa proxima, primo quidem modo fiunt febres ephemeræ. Nam licet adsit inflammatio, & inflammatione humorum putredo; hæc tamen putrefactio non transmittitur cordi; idcirco, vt diximus, est causa remota; sed transmittitur ignea caliditas. Putrida vero fit febris, putrida fuliginosaque substantia cor ipsum petente, & contingente: qua in re videtur esse causa continens & proxima: Hæc certe vera est huiusce difficultatis explicatio.

Rursus autem hoc loco dubitaret aliquis, quod si febres ephemeræ fiunt aliquando propter inflammationem; quomodo veritatē habere possit commu- Dubium.

commune illud omnium Medicorum proloquium, quo afferunt, proprium esse ac inseparabile omnium diariarum iudicium, quod fiant à causa procatarctica, & recenti, cum inflammatio non sit causa recens, ac procatarctica: sed interna.

Duplex est solutio huius difficultatis: Prima, vt dicamus omnem febrem ephemeram fieri à causa procatarctica, & recenti; idq; proprium esse ac inseparabile harum febrium indicium, vt Galenus passim testatur: sed tamen aliquando sufficit pro constitutione harum febrium, quod causa procatarctica præcedat, & huius causa fieri febrem aliquando sanè proxime: aliquando autem aliorum interuentu affectionũ: vt accidit in inguinũ inflammatione: quæ si originem habet à causa aliqua intrinseca, febrem facit putridam: si à causa procatarctica, & recenti, fit febris ephemera.

Alia etiam esse potest solutio, vt videlicet dicamus, quod cum multæ appareant esse particulares febrium diariarũ differentiæ: vna quando prorsus abiit effectrix harum causa, veluti vstio: Altera quando etiam adest, sicut constipatio: vt inquit Galenus, *decimo methodi medendi*: quod illæ, quarum prorsus abiit effectrix causa, cum exquisitæ, & propriæ magis diariæ febres existant, & dicantur: semper à procatarcticis, & præincipientibus causis originem habeat. Quarum vero adhuc etiam effectrix causa adest, non perpetuo causa procatarctica existit: sed poterit etiam esse interna.

Ad Galeni autoritatem *primo de differentiis febrium cap. 9.* dicas, veritatem habere in veris, ac maxime propriis dictis diariis, quæ effectricem causam adhuc non habent: hæ etenim à causa procatarctica omnes ortum ducunt: ita vt quæ ex meatuum obstructione, vel densitate, inguinum inflammatione, cruditate, ac cæteris eiusmodi causis fiunt febres diariæ, non proprie, & exquisite tales sint, ac appellari debent.

De iis corporibus, quæ magis præparata sunt, ad recipiendas febres.

Cap. VI.

Quoniam vero nullæ causæ agunt, suosq; effectus imprimunt, sine patientis corporis aptitudine: hoc loco explicandum venit, quænam corpora magis præparata sint ad recipiendas febres: Est enim corporis præparatio, veluti causa quædam materialis, sine qua non fiunt febres in humanis corporibus.

Cæterum in explicatione huiusce rei inuenio non mediocrem esse inter Galenum & Auicennam controuersiam; cum ille corpora calida & sicca maximam habere præparationem doceat: hic vero corpora calida, & humida. Deinde recentiores Medici adeo inuicem discrepant, vt fere impossibile videatur, posse illos concordari. Nos vero quoniam hæc contemplatio est vtilis ad præcauendum, ne febres adueniant: eam diligenter prosequemur, prætermissis tamen recentiorum Medicorum contentionibus, tanquam iis, quæ aut nullam, aut omnino exiguam vtilitatem afferre possunt: solum hic docebimus, quid Galenus noster sentiat, & quod Auicennę sententia parum ab eo differat, cum optime inuicem componi possint.

Sed interim pro suppositione assumamus Galeni verba; quæ sic habent *libro octauo methodi medendi capite octauo: Cum vero octo intemperies in vniuersum sint, vt ostendimus, opportunissima ad febres est calida, & sicca: at nisi quis hanc, vt dictum est, cibet; ocyssime in ea mutatur diaria febris in acutam: propinqua huic est, præsertim quo ad febrem attinet, quamuis quo ad alia sit deterior, calida & humida intemperies. Tertia ab his intemperies est simplex illa, in qua oppositio altera optime se habet; vtiq; quæ ex humido, & sicco constat, in altero, calidum exuperat: quippe opportunior est hæc, quam cæteræ, quæ sequuntur, tum vt omnibus supradictis occasionibus lædatur: tum vt ex diariis in plurium dierum febres transeat: nihil enim alienum fuerit eas sic appellare: huic proxima est*

quæ in calido, & frigido, debitum modum seruat; cæterum siccum elementum habet humido præpollens: ab hac deinceps media omnium scilicet, quæ mediocritatem in vtraq; oppositione seruat. hæc ille. Ex quibus patet, quæ Galeni sit sententia circa corporum ad febres præparationem: quæ ne gratis dicta videantur, nunc proposuimus explicare illorum causas.

Primum quidem omnium scire oportet, illa corpora magis esse præparata ad recipiendas febres; quæ eisdem qualitatibus prædita sunt, quibus tota febris essentia & substantia constituitur: nam, vt recte tradiderũt omnes Philosophi, multo facilior est transitus inter ea, quæ communicant qualitatibus, quam inter illa, quæ inuicem dissentiunt.

Hic autem recordari eorum debemus, quæ superiori libro diximus: q; videlicet febris essentia in caliditate & siccitate consistit, talis enim est calor præter naturam, vt Galenus asserit. Quæ igitur corpore erunt prædita eisdem qualitatibus, multo facilius recipient; quam ea, quorum qualitates diuersæ sunt. Eiusmodi autem sunt ex omnium sententia calida & sicca corpora, quæ conueniunt in eisdem qualitatibus cum febre: alia vero temperamenta longius distant: calida, & humida in calore quidem conueniunt; humido dissentiunt; sic etiam ea, quæ simpliciter calida sunt: longius recedunt omnia frigida & humida corpora; omnia item simpliciter frigida, aut humida.

Potest hoc similitudine comprobari: Febris igneam naturam habet: quamobrem res perinde habebit in recipienda febre, atq; in extrinsecis corporibus in recipiendo igne: Videmus autem, quod multo facilius ignem recipiunt corpora calida & sicca, qualia sunt ea, quæ facilius inflammantur, vt paleæ, stipulæ, & id genus alia: multo difficilius recipitur in frigidis & humidis corporibus, in frigidis ac siccis, vt lapidibus.

Hinc traditum est à philosophis, quod quamuis omnia elementa inuicem transmutari possint, quod tamen multo facilius aer transmutetur in ignem, quam aqua; & multo facilius terra, quam aqua in eundem ignem: quoniam, vt Aristoteles ait; in qualitatibus conueniunt, vel omnibus, vel quibusdam cum igne.

Hac ratione vniuersaliter ostendimus, temperamenta calida, & sicca magis esse præparata ad recipiendas febres, quam alia: id quod particulatim etiam confirmari poterit inductione facta per omnes differentias febriũ. Tres enim eæ sunt præcipuæ, ac potissimæ (vt sequenti libro docebimus) ephemera, putrida, hectica.

Corpora calida & sicca, quod maximam habeant aptitudinem ad recipiendas febres diarias, vnum est ex illis, quæ passim omnes Medici confitentur: Quod vero eandem præparationis facilitatem sortita sint ad febres in habitu, apud omnes constat.

Hæ autem duæ præparationes faciunt, quod hæc corpora sint magis, quam alia præparata ad ipsas febres: quoniam illa statuenda sunt maiorem habere aptitudinem ad febres, quæ præparata sunt ad plures febres recipiendas, quam ea, quæ ad pauciores aptitudinem habent: eiusmodi sunt calida, & sicca, vt diximus.

Porro quantum ad putridas febres pertinet, quamuis calida, & humida corpora magis præparata videantur; quam reliqua temperamenta; quia simul cum putredine easdem videntur habere qualitates: nihilominus calida, & sicca habent magnam aptitudinem ad putredinem: cuius rei illud indicium videtur esse certissimum, quod in his flaua bilis redundat; quæ leuissima quauis ex causa putrescit; & multo frequentiores fiunt febres à flaua bile, quam ab aliis humoribus: quæ tamen bilis, etsi sicca sit potentia, est tamen actu humida; quod ad subeundam putrefactionem satisfacit.

Nunc vero Auicennæ opinionem diligenter perscrutemur: is itaq; sic loquitur; *Dixerunt quidam quod corpora vehementius præparata ad febres, sunt corpora calida, & humida; & propriè cum humiditas est fortior caliditate, & isti quidem sunt fœtidi odoris, sudoris, & vrinæ, & egestionis: & corpora calida, & sicca iterum sunt præparata ad febres acutas, & incipiunt prius ephemera; deinde festinant ad putredinem, & adustionem; & quandoq; faciunt cadere in hecticam.* Hæc ille. Ex quibus verbis colligunt recentiores Medici, quod calidum, humidumque temperamentum sit maxime præparatum ad febres: deinde vero secundo loco, calidum, & siccum. Cuius oppositum Galenus dixisse visus est, qui primo ordine calidam & siccam intemperiem posuit: secundo calidam & humidam.

lib. 4. fen. pag. c. 4.

Opinio Auicennæ.

Præterea videtur etiam in alio à Galeno discrepare Auicennas; quod videlicet quarto loco præparationis Galenus refert temperamētum siccum: quo tamen ordine Auicennas reponit temperamentum humidum.

Cum igitur isti clarissimi artis nostræ proceres sic opponi videantur; eritne aliqua ratio, qua hosce inuicem componere possimus? Dicam ego, quid sentiam, prætermissis recentiorum nugis.

Concordia inter Auicennam & Galenum.

Duos videtur mihi gradus præparationis æquales inter se Auicennam posuisse: vnum videlicet calidum, & humidum: alterum vero calidum & siccū: illud temperamentum esse ad febres recipiendas maxime præparatū, docuit; non tamen ad omnes febres, sed ad eas duntaxat, quas putrescens humor concitat; vt disertissime testatur Galenus *libro 8. methodi meden. cap. 7.* Hoc vero calidum & siccum temperamētum æqualem habere videtur præparationem ad ephemeras hecticasque febres. Quamobrem diuersorum respectu, verum est, quod hæc ambo temperamenta sint potissimum disposita.

Quod autem hæc fuerit illius opinio, possumus persuadere ex ipsius verbis; ex quibus non colligitur, quod vnum temperamentum altero sit magis præparatum; sed potius quod hæc duo sint æqualiter præparata: inquit enim: *& corpora calida, & sicca iterum sunt præparata.* Nota verbum hoc *iterum*; quod videtur denotare paritatem quandam & æqualitatem magis quam dissimilitudinem. Et hoc optime animaduertit inter alios Medicos Gentilis Fulginates, vir profecto seculi illius admirabilis. Hoc modo nos contradictionem notatam primo loco componendam arbitramur.

Quantum vero ad secundam pertinet de sicci temperamenti præparatione, dicimus rectè à Galeno factum, cū quarto loco eius meminit: nec tamen Auicennam esse redarguendum, qui prætermisit: quoniam id mea opinione, non fecit, sine iudicio: quoniam inquam erat manifestum, nam nullus dubitaret, quod magis præpatatum sit siccum temperamentum, quam humidum, cum habeat maiorem aptitudinem propter similitudinem siccitatis, quam humidum, quod potius contrariam qualitatem habet: quæ vero nota sunt, nulla indigent explicatione.

Cæterum hæc satis de opinione Galeni, & Auicennæ dicta sufficiant.

Propria opinio.

Nos vero quid ad hasce opiniones dicimus? quod videlicet rectè ab illis dictum sit. Posse nihilominus propositum negotium aliter multo facilius explicari in hunc videlicet modum.

Inquirentibus enim, quodnam corpus sit magis præparatum ad febres non possumus respondere simpliciter hoc, vel illud temperamentum; nisi primū distinctione facta, de quibus febribus sermo fuerit propositus: siquidem nullum hominem inuadit febris in vniuersali, sed hæc, aut illa febris: vel scilicet ephemera, vel hectica, vel putrida: hoc igitur primum oportet distinxisse; tunc itaque diceremus, ad febres biliosas, calida & sicca corpora magis esse præparata: ad pituitosas, frigida & humida; ad melancolicas, frigida & sicca; ad sanguineas vero febres, siue cum putredine, siue citra putredinem calida & humida corpora paratissima existere. Vides igitur

(si vera

(si vera sunt quæ diximus) quod calida & humida corpora non sint maxime præparata ad omnes febres, sed tantummodo ad sanguineas: nisi tamen calidum & humidum intelligas actu, non potentia: atque si hoc modo intelliges, calidum & siccum temperamentum potentia, humidum actu existens ad febres putridas maximam haberent præparationem.

De febribus ephemeris dicimus, corpora illa esse magis apta ad hasce febres, quorum spiritus leui, faciline de causa inflammantur, in calefacto esse ponuntur. Hoc vt plurimum accidit in calidis, ac siccis temperamentis: multæ tamen sunt causæ particulares, à quibus diariæ febres cōcitari solent, quæ febrem faciunt in aliis temperamentis, quam rem nos diligentius explicabimus, dum tractationem inibimus de diariis febribus.

Ad hecticas febres illa sunt maxime parata, quæ gracilia sunt, quæue tenuem habent corporis habitum, & facile dissolubilem.

Ad eas hecticas, quæ ex vlcere pulmonis consequuntur, parata sunt, quæ habent strictum thoracem, quæ destillationibus à capite acribus, & salsis offenduntur; & quæ tussi continua afficiuntur: quæ possunt in vnoquoq; temperamento accidere. Sed hæc hactenus.

De iis, quæ à febribus, quatenus febres sunt, proficiscuntur.

Cap. VII.



Æterum ex hac, quam nos posuimus, febris essentia; docete oportet causas eorum accidentium, quo febrem, quatenus febris est, consequuntur. Hæc tria in vniuersum sunt. Primum pulsus celer, ac frequens secundum corporis totius languor, & infirmitas. Tertium calor aut foris acer, & pungens; aut intus certo molestus, & grauis.

Febris itaque quoniam est quidam cordis affectus, necessarium est in pulsu, qui est propria cordis functio, affectionem conspicuam fieri. *Gal. 6. de plac. Hip. & Plat. c. 1.*

Quamobrem corde secundum naturam se habente, moderato pulsu insitum sibi calorem, spiritusq; mediocritatem tuetur. At ipso præter naturam affecto, diuerso pulsu, quicquid molestum infensumq; est excutere; aut etiam quicquid deest, instaurare contendit ipsius cordis substantia.

Cum vsu, & necessitate cor lacessitur, stimulatum id primum quidem pulsum edit crebrum, idque siue valida, siue imbecilla sit facultas; creber enim omnium primus, quia omnium facilimus, si necessitati non satisfaciat crebritas, huic etiam celeritas accedit: atque etiam si ne duo quidem satis sint, addetur & magnitudo, modo non imbecilla sit facultas, tum quippe totis hæc opitulatur viribus. Quod si pariter valida est, pulsum edit robustum, siue vehementem, eumque plenum, si spiritus vbertas inest. Ita quippe artis vsu & exercitatione obseruamus per febres omnes frequentem, nec non celerem pulsum edi; at non perpetuo magnum; quandoquidem si vires languent, cum crebro paruus quoq; & languidus existit: quocirca prima pulsus mutatio non in magnitudinem, sed in crebritatem fit; cui dein celeritas, postea magnitudo accedit. *Ex Io. Fern. nol. libr. 3. path. c. 5.*

Mirari proinde subit Galeni dictum, pulsum omnem vrgente necessitate statim initio magnum euadere, siue valida, siue imbecilla sit facultas, & celeritatem nunquam sine magnitudine inueniri. Hic autem pulsus, quem diximus in omnibus febribus repetiri, ita quidem non inest, vt iis solis conueniat; inseparabile igitur signum est; minime autem proprium. *Gal. lib. 1. de caus. puls. cap. 5.*

Hic ego nuncupo proprium, quod omni soli, & semper inest. Nam quibus sine febre imbecillæ, vt in animi defectione, sunt vites; & quibus eædem copia, aut impuritate premuntur, vt in leucophlegmatia pulsus frequens ac

celer, & non illico magnus deprehenditur, sed vere paruus, & languidus.

Io. Fern. lib. 3. path. 8.

Duo itaq; nobis significat, pulsus frequens & celer, aut exuberantem in corde caliditatem: aut spiritus vitalis penuriam: quocirca ex aliis signis febrem adesse coniectandum est.

Io. Fern. lib. 4. pathol. c. 2.

Qui vero pulsus inæqualitatem addunt, tanquam propriam in omnibus febribus: ii mihi videntur longe decepti nã quamuis cor perpetuo incalescat, non tamen semper accidit hoc primaria affectione ipsius cordis, vt admonuimus supra: sed aliquando ab aliis partibus calor communicatur cordi: inæqualis enim pulsus proprius est cordis calidioris per suam essentiam: febre videlicet in ipso iam primum accensa: non autem cum illi aliunde transmittitur. Etenim non est id perpetuo verum, omnis febris calorem in corde primum accendi; quamuis hunc è corde per vniuersum corpus distribui verissimum sit.

Præterea totius corporis languor adest, & infirmitas: quoniam calor ille influens omnium actionum nostri corporis opifex, cum præter naturam habeat, efficere naturales actiones non potest.

Triplex autem genere est actio vitalis è corde proficiscens; animalis in cerebro consistens, & naturalis in hepate Omnes homine febricitante oblæduntur, non tamen pari euidentia: Manifestius quidem vitalis; quemadmodum ex ipso pulsu colligere est, de quo iam diximus: Mox animalis; nam adest quædam spontanea grauitas, & dissolutio; atque ad motum pigrities: quæ res in omnibus febricitantibus aduenit.

Naturalis autem in omnibus putridis febribus læsio conspicua videtur: propter quam enim causam humores putrescunt? quia concoqui, & euinci ab ipsa natura haudquaquam potuere? cum vero humores putridi concocti sunt; iam morbi finiuntur.

In hecticis & ephemeris non ita conspicuum est; in his tamen etiam naturalem actionem læsam esse dicere possumus. Nam in febribus quæ in habitu consistunt, calor adest maxime igneus, & fere per totum corpus æqualis; à quo secundum naturam fieri coctiones non possunt, quæ suauem, ac mitem calorem exigunt, adde raras esse febres in habitu, quin eædem sint putridæ.

Gal. lib. 1. de feb. diff. cap. 5.

Antiquum enim est dogma, inquit Galenus *libro de febrium differentiis*: omne febrium genus ex putredine fieri; siquidem huius sententiæ fuisse legimus Atheneum, virum sane tum in iis, quæ ad artem pertinent; tum præsertim in febrium contemplatione minime contemnendum: in quibus ego magna ex parte illi consentio, nisi quod eas, quæ ephemeræ nominantur, excipio: neque enim videntur mihi hæ humorum sequi putredinem.

Cæterum in febribus ephemeris hoc obscurius videtur, putare tamen oportet in his, etiam propter caliditatem igneam aliqua ex parte vim naturalem fieri imbecillam. Hoc sane modo omnes actiones propter febrem læduntur.

Auer. lib. 3. collig. c. 3.

Si quis enim putaret singulares quasque cuiuscunque facultatis lædi, is quidem longissime aberraret. Multæ quidem fiunt actiones in febricitantibus validiores, quam in sanis: febre enim in habitu laborantes, maxime pollent ingenio. Fere in omnibus plurimũ viget auditus: in phræneticis motus validissimus repetitur. Satis est itaq; vt generatim intelligamus omnes actiones lædi: Ergo quoniam læsio est communis: habere causam communem oportet: causa vero communis est calor ille igneus, qui è corde per totum corpus defertur.

Postremo calor aut foris acer, aut intus certe molestus adest in omni febre. Nam quemadmodum ab influente calore sano existente corpore totum calidum fit, calore tamen suaui ac miti (cuiuscemodi enim est omnis naturalis calor) sic dum calor hic igneam à corde calidiratem recipit,

recipit, illamque vniuerso corpori communicans, mordacem, atque acrem caliditatem imprimit.

Sed habet hoc loco dubitationem, cur per quasdam febres totum corpus calidius non fit; quinimo appareat multoties corpus, frigidius, dum febre afficitur, quam antea, dum tamen interim internæ partes aduruntur.

De his febribus diuinus Hippocrates *in Prognosticis* inquit; *Si caput, manus, ac pedes frigidi sint, ventre, costisq́; calentibus, malum est.* & *in aphorismis* ait; *in febribus non intermittentibus si partes exteriores frigidæ, interiores vrantur; sitim habeant, lethale.* atque rursus; *in morbis acutis frigus partium extremarum malum.* nos vt febres istas complecteremur addidimus; *aut intus certe molestus.*

Huius autem rei causa est, aut magnitudo inflammationis in visceribus contentæ; de qua nos supra meminimus: aut languor, & imbecillitas natiui caloris. In acutis quidem morbis, quamuis fieri, vt plurimum consueuerit propter inflammationem viscerum, potest etiam ob virium imbecillitatem contingere; vt in explicatione prognosticorum Hippocratis explanauimus.

Docere hoc loco debemus, an vrinæ febrium, vt febres existunt, signa sint, vt dicere videtur Galenus 1. ad Glauc. cap. 2. quod maxima signa sint pulsus & vrina.

Docere autem nunc oportet, quomodo calor febrilis è corde per vniuersum corpus deferatur. Hoc enim tum ad hæc, de quibus institutus est sermo, tum ad ea, quæ supra diximus de febris essentia non mediocriter conducit.

Hîc duo sese offerunt explicanda; primum, per quas vias febrilis hic & igneus calor deferatur per vniuersum corpus: deinde vero, quid sit illud, quod calorem deferat.

Viæ sunt arteriæ, venæ, cæci meatus, ductusque insensibiles. Per arterias tamen potissimum defertur; quoniam hæ à corde originem habentes principii affectionem statim vniuerso corpori communicant; quamobrem Græci quidam, relictis venis, & insensibilibus meatibus de solis arteriis meminerunt. Sic enim Alexander inquit; *Febris est immodice auctus feruor accensus præter naturam in corde, & arteriis, quæ secundum naturam cor possidens, corpori vniuerso dominatur.* Aetius hoc modo; *Febris est cordis arteriarumq́; præter naturam calor, robur vitale deterens, ex profundo éleuatus, acutus, mordaxq́; sese tactui offerens.*

Quibus ex verbis recentiores quidam per solas arterias transmitti tradiderunt; potissimum vero, quia venæ originem à corde non habent, sed ab hepate.

Sed meo quidem iudicio perperam; siquidem per arterias potissimum deferri calorem igneum, nos admittimus: Secundo autem per venas; haber enim quælibet arteria suppositam venam, quam per viciniam, & contactum excalefaciens per illam etiam caliditatem igneam deferri putandum est; alioquin non esset febris, qua febris est, affectio venosi generis, quod omnes Medici sine controuersia confitentur.

Deinde vero quia totum corpus vndique conspirabile est, satis videtur probabile, per cæcos abditosq́; meatus transmitti eiusmodi calorem per vniuersum corpus.

Cæterum defert calorem hunc igneum calor influens, qui in spiritibus, & sanguine tenui arteriarum consistit.

Eandem vim habere possunt succi in venis consistentes; hoc tamen distant discrimine, quod per spiritus & tenuissimum sanguinem citissime defertur; tardius autem per succos venarum.

Sed hic videor diligenter explicasse, quæcunque ad febris essentiam, propositasq́; definitiones pertinere videbantur; nunc de temporibus, partiubusue febrium diligentius disseramus.

De vtilitate tractionis temporum febrium: & quid sit morbi tempus.

Cap. IIX.

Nihil iam reliquum est in hac tractatione de febris essentia; quam docere, quænam sint, quotue tēpora ipsarum febrium: Quandoquidem ex singulis temporibus, tanquam ex propriis partibus, constituta est vniuscuiusq; morbi substantia.

Verum quo manifestior euadat vniuersa hæc contemplatio, quæ de temporibus febrium dicenda sunt, hæc in vniuersali docebimus de temporibus vniuscuiusq; morbi; nam eadem est vtriusq; ratio, quantum ad præsentem tractationem pertinet; sed inprimis doceamus vtilitatē huius negotii; & postea explicabimus, quid sit tempus morbi; & quot sint morborum tempora, atque id genus alia, quæ ad propositum pertinere videbuntur.

Vtilitas prima. Varia quidem, & multiplex est vtilitas cognitionis horum temporum: nam cum curationem morborū inprimis ob morbi tempora variari contingat, alia enim in principio morbi, alia in eius incremento, alia deniq; in aliis morbi partibus remedia conueniunt. nemo morbos rectè curabit, nisi morborū tempora perspecta habeat. Neq; enim temere in aphorismis dixit Hippocrates; *cum morbi inchoant, si quid mouendum videtur, moue; cum vero consistunt, ac vigent, melius est, quietem habere.* & alio loco; *in acutis morbis raro, & in principiis purgantibus medicamentis vtendum est.* (*1. aph. 29. & 30.*)

1. aph. 24. Sanguis præterea non pari vtilitate mittitur vigente morbo, vt incipiente; cum autem morbus declinat, non solum superflue, sed etiam inutiliter extrahitur.

Pari modo inter initia phlegmones reprimentia; in augmento autem tepida, & mediocriter adstringentia; in vigore, quæ moderate calefaciant, & discutiant adhibemus medicamenta; in declinatione vero, quæ vehementer, & calefaciant, & discutiant.

Secunda vtilitas. Confert etiam hæc cognitio ad futurorum prædictionē; nam quo tempore moti possit, aut sanari; & quando periculum effugerit æger, prouidebit, qui morborum tempora non ignorabit: neque enim in quacunq; morbi parte finiri possunt morbi; cum nemo inuadente, aut inclinante morbo pereat.

Tertia. Qui etiam victus rationem in nullo morbo recte instituet, qui eius tempora, præsertim vigorem, à quo cibandi consilium petitur, ignorauerit: quod abunde patet ex iis, quæ *sectione secunda aphorismorum* ab Hippocrate tradita sunt.

Quarta. Postremo, quod inde iudiciorum bonitas, aut malitia cognosci possit: nam vigor morbi iudiciorum omnium regula est, quod in eo, non nisi optimum iudicium fiat; proinde quanto iudicium vigori proximius, tanto melius est; contra quanto magis ab eo distat, tanto peius; vt *libro tertio de iudiciis* Galenus testatur. Hæ sunt profecto vtilitates præcipuæ cognitionis huius. (*cap. 5.*)

De significatione temporis. Cæterum animaduertere oportet, nos temporis vocabulo non intelligere pressiorem illam significationem, qua in philosophia naturali vsus est Aristoteles, pro mensura motus secundum prius, & posterius; etsi non incongrue morbis aptari hæc temporis significatio possit: neque assumimus hanc vocem pro ea temporis opportunitate, quæ pro auxiliorum recta administratione desideratur: hanc enim opportunitatem temporis occasionem Hippocrates nuncupauit, dum dixit; *vita breuis, ars vero longa, occasio præceps, &c.* Sed temporis voce in morbis eorum ætatem intelligimus, atque decursum, quo vicissitudine quadam in alium, atq; alium statum demutantur, ac ea permutatione ægrum afficiunt. (*1. aph. 1.*)

Hæc autem tempora aliquando ætates morborum, aliquando partes, & aliquando motiones causarum efficientium à Galeno nuncupari solent.

Ætates quidem nuncupantur, metaphora ab animalibus sumpta: quemadmodum enim hæc ipsa genita, ad vigorem vsq; augentur inde iam contabescere incipientia ad extremā vsq; corruptionem declinant; si omnes ætates pertransierint: sic quoq; singuli morbi à prima eorum constitutione ad vigorem vsq; increscunt, dum pro augmenti prioris portione decrescentes omnino dissoluantur.

Lib. de totius morbi tempor. & lib. de opt. secta.
Quid tempus morbi.
Cur ætas dicatur.

Morbi autem partes dicuntur, quoniam omnes morbi in suas partes diuiduntur; quas cum successione quadam; vt tempus suas partes acquirat: ob hanc etiam caussam tempora simpliciter vocantur.

Cur pars morbi.

Dicuntur porro eiuscemodi tempora causæ morbi motiones, propterea quod motu diuerso caussarum efficientium suas partes morbus obtineat; nam cum causæ morborum agere incipiant, principium eorum fit: cum vehementius illæ vim suam exercent, incrementum constituitur, status autem aduenit, cum eundem tenorem seruant: sequitur tandem declinatio, quando earundem causarum vis imminuitur, & frangitur.

Caussa morbi motio.

Ergo si definitione debemus morbi tempus complecti; dicemus id nihil aliud esse, quam *mutationem quandam, & progressum morbi successiuum à principio ad finem vsque varie ægrotos afficientem.*

Definitio.

Quot sint in vniuersum morborum tempora?

CAPVT IX.

POSTQVAM nos hucusq; docuimus, quas vtilitates habeat tractatio de temporibus morbi; & quid morbi tempus dicatur: nūc reliquum est, vt explicemus; quot in vniuersum sint morborum tempora. Sed inprimis videamus, quid bene, & quid non bene a recentioribus Medicis dicatur.

Isti igitur neoterici duo genera temporum morbi constituūt, quorum alterum vniuersale vocant, alterum particulare.

Vniuersalia dicuntur, quæ mensurant totius morbi consistentiam.

Et particularia, quibus mensuratur morbi pars, id est, accessio vel paroxysmus.

Vniuersalia porro tempora, quatuor sunt secundum eorundem sententiam, principium, augmentum, vigor & declinatio.

Sed hæc tripliciter distinguuntur: aut enim penes morbi essentiam, aut penes accidentia, aut penes materiæ alterationem.

Penes morbi essentiā principium est tempus, in quo apparet ægritudo, & eius dispositiones similes sunt, nec apparet in ea augmentum notabile.

Augmentum est tempus, in quo ægritudinis manifestantur signa, omni hora post horam (sic enim loquuntur) manifeste scilicet intendendo vsque ad statum.

Status est tempus, in quo ægritudo manet secundum vnam dispositionem, postquam scilicet aucta est: ita; vt non appareat notabilis mutatio intendendo aut remittendo.

Declinatio est tempus, in quo eius apparet diminutio, & quanto plus procedit eius minoratio, est magis manifesta. Atque hæc eędem definitiones conueniunt temporibus distinctis, secundum accidentia; cum causa & effectus debeant proportionari, hasque definitiones esse Auicennæ tradiderunt ex *secunda primi, cap. 7.*

Principium autem penes alterationem materiæ est tempus, in quo materia cruda est, nec apparet in ea vestigium digestionis manifestum, aut digestioni contrarium.

Augmentum est in quo apparet in materia vestigium digestionis manifestum, aut certe digestioni contrarium, diminutum tamen à summa digestione, vel dispositione digestioni contraria.

Status autem est, in quo apparent signa digestionis completa; aut dispositionis contrariæ digestioni.

Declinatio vero est, cum materia digesta notabiliter expellitur, aut permutatur. Si enim sint signa omnino digestioni contraria post statum, non sequitur declinatio, cum in eo mors consequatur. Hic vero per digestionem non intelligunt recentiores Medici distributionem humorum, quæ vera, & propria est digestionis significatio: sed eam vocem pro concoctione audiunt; quanto autem errore id faciant, est à nobis expositum in tractatione de arte purgandi corpora. Hæc summa est recentiorum opinio.

Cæterum hi quidem optime dicunt, atque bene statuunt quædam esse tempora particularia morborum; quædam vero vniuersalia; quandoquidem nos etiam eandem distinctionem admittimus; nuncque de vniuersalibus temporibus, disputantes, infra etiam de particularibus transigemus. In hoc autem non mediocriter dissentient: quod inutiliter tempora morborum distinguant: eadem enim est distinctio temporum penes alterationem humorum: atque penes eorundem essentiam; nam illa alteratio perpetuo morborum essentiam, atque naturam insequitur; quamobrem ea distinctio secundum materias desumpta; eadem est distinctio secundum essentiam.

Præterea distinctio secundum accidentia nullam penitus vtilitatem affert in medendi methodo: quoniam per accidentia, vel intelligunt illa, quæ humorũ alterationem comitantur, quæue dicuntur Græce παθογνωμονικά; vel ea, quæ naturæ iudicium, & crises consequuntur; vel ea quæ fortuito adueniunt.

Non possunt intelligere accidentia fortuita (vt ab hac postrema diuisionis parte exordiar) quia horum euentus, cum incertus sit & plurimum inconstans; firma cognitio, certa, & artificialis haberi non potest; quamobrem inutilis est eiusmodi cognitio.

Quod si intellexerint accidentia, quæ fiunt vel iudicante natura, vel ante eius iudicium; hæc quoniam subito & confestim adueniunt; factoque iudicio statim euanescunt; non possunt habere principium, augmentum, vigorem, & declinationem; quemadmodum hæc tempora statim non fiunt; sed à successione quadam satis sensibili partium morbi proficiscuntur: horum itaque accidentium (quæ statim apparentia nuncupantur) assignari tempora non possunt.

Verum si alia intellexerint accidentia, cum hæc sit eadem cum diuisione secũdum essentiam morbi, & secundum propriam essentiam; frustra atq; vane videtur adhibita, & præter omnem vtilitatem: non sunt enim multiplicanda entia sine necessitate, vt optimi philosophi tradiderunt.

Confirmatur, quod hæc distinctio temporum morbi penes essentiam, accidentia, & materiam, neq; à Galeno, neq; ab Auicenna; aliove autore fidedigno explicata est; sed est verum figmentum recentiorum.

Quamobrem his prætermissis doceamus, quid nos hoc loco pro veritate sentiendum putemus; atq; inprimis præsupponamus, Medicos non inuestigare in omnibus morbis tempora morborum; sed in illis solum, qui à materia dependent; & vtilitatem afferunt, tum in ratione curandi, tum præsagiendi, tum etiam cognoscendi rectæ rationis victus institutionem; quorum potissimum causa hæc de morborum temporibus tractatio à Medicis instituta est. His igitur hoc modo habentibus, scire oportet, quatuor esse vniuersalia morborum tempora: principium videlicet, incrementum, vigorem, & declinationem, & ab his quatuor alia inueniri non posse; quo circa factum est, quod omnes Medici tam antiquiores, quam recentes de hisce solis temporibus meminerint.

Sed causam interim doceamus propter quam sint quatuor vniuersalia morborum tempora.

Quoniam

Quoniam diximus tempora morborum ætates similitudine ab animalibus desumpta nuncupari, si id considerabimus: q, in ipsis ætatibus accidit, simile profecto in morbis inueniemus. Hoc modo habent animalia, quantum ad ætates; primum nascuntur, & hoc tempore habere principium dicuntur; deinde vero incrementum sensibiliter sumunt; post quod sequitur vigor, cum scilicet neq; amplius increscunt; neq; decrescunt; deinde accedit senectus, ariditas & declinatio. Sic videmus in morbis contingere. Siquidem oportet illos cõsistere, summumq; vigorem adipisci: hæc vero consistentia, non acquiritur: nisi primum genito morbo, quod est illius principium, demum vero adaucto, quod incrementum nuncupabitur: Post vigorem morbi sequitur declinatio: sed explicentur hæc diligentius.

Quot modis assumatur principium in morbis, & quem vsum afferat huic naturæ tractationi, & quid Morbi incrementum.

CAPVT X.

NVNC vero, postquam satis hæc in vniuersali diximus, necessarium est particularius differere de singulis morborum temporibus, atq; inprimis doceamus, quid sit principium, si tamen prius varias illius significationes distinxerimus.

Significationes principii.

Quamobrem scire oportet multiplices habere significationes hoc nomen principiũ: vt videre est apud Galenum *lib. 1. de crisibus*, & *lib. 1. prognosticor.* quibus in locis, ac etiam passim alibi tres significationes recenset.

lib. 1 de crisib. cap. 6.

Prima quidem est pro prima morbi inuasione, insultuue, quem Græci *Εἰσβολὴν* nuncupant: qua significatione nunquam vsus est Hippocrates: nam cum *1. aphoris.* dixit: *cum morbi incipiunt, si quid videtur mouendum, moue:* constat ipsum de hoc principio locutum minime fuisse: vt etiam in altero; *concocta medicari, & moueri non cruda, neq; in principiis, nisi materia vrgeat, &c.* quoniam nunquam in prima ipsius morbi inuasione aliquid mouere oportet.

1. prognost. cap. 5. 1. Signif. Aphor. 20. 1. aphor. 22

2. Secunda significatio est, vt nos per principium intelligamus non primũ insultum affectionis, sed totum id spatium, in quo is humor, qui morbũ concitat, crudus est, quæ significatio satis est artificiosa; cum principium morbi à reliquis tribus optime distinguat: crude enim existente materia, principiũ morbi adesse dicitur: & cum eadem manifeste concoqui incipit, augmentum. Sic vsus est nomine principii diuinus Hippocrates, tum sæpe alias, tum potissimum hac sententia, qua inquit; *In acutis passionibus raro, & in principiis medicamentis expurgantibus vti, & id cum præmeditatione.* Et in *4. aphorismorũ: morbis quibuslibet incipientibus* (ait) *si atra bilis supra vel infra exierit letale.* His quidem locis per principium intelligit, id totum spatium, in quo cruditas adest: quod in quibusdam morbis breue admodum est, in quibusdam contra adeo diuturnum, quod mirum multis videatur, adhuc esse in principio eum morbũ, qui menses plurimos perdurauerit.

1. aph. 24. Aphor. 22.

3. Tertio modo assumitur, principium pro trium dierum spatio, qui apud Hippocratem non raro inuenitur: nam cum is *primo aphorismorum* inquit; *accessiones & constitutiones morbi indicant, veluti in morbo laterali, si sputum inter initia apparuerit, morbum abbreuiat.* Totum spatium trium dierum intelligit, & *libro primo de popularibus morbis: statim continua febres sunt, quæ incipientes florescunt, & vigent:* quasi dixisset quædam febres continuæ sunt, quę in primis tribus diebus efflorescunt, ac in statu sunt. Et *in 1. lib. prognosticor.* quod si talis facies in principio apparuerit, & postea explicans, quid per principium audient addit: *Morbo igitur triduano existente.* Itaq; principium sumitur pro spatio trium dierum & quamuis Galenus *primo proreticorum* velit vsq; ad diem quartum etiã extendi principium, interpretandus venit hoc modo: Principium extendi vsq; ad quartum, donec videlicet quartum diem attingat: quoniam certe vltra tertium diem non extenditur.

1. aphor. 12. Part. 3. Prognost. 1. Prognost. 1. Com. 11

Sed

Sed hoc loco exponamus, propter quam caussam trium dierum spatium ab Hippocrate pro principio assumatur.

Prognostico tertio.

Quamobrem sciendum est, prognostica ab Hippocrate instituta esse circa morbos acutos, morbos aut biliosos esse inter omnes reliquos acutissimos; Galenus testatur, *libro tertio prognosticorum*: verum biliosi affectum per tertium diem repetunt: quare merito principium dicetur tempus vnius, ac primæ periodi, quæ intra trium dierum spatium finitur.

Part. 3.

Accedit ad id, quod Hippocrates *libro tertio de morbis popul.* primum inter omnes dies decretorium esse dixit diem tertium: quod plurimum comprobat trium dierum spatium esse appellandum initium, donec ad primum decretoriorum veniamus: postquam morbus erit extra principium, id est, extra primum morbi accessionem, & post primum iudicandi terminum.

Cum itaq; tribus hisce modis assumatur principium, dubitationem habet, qua significatione à nobis desumatur. Sed quoniam nullam vtilitatem affert prima significatio; nos hic de materialium morborum principiis loquentes, ea prætermissa; promiscue intelligimus principium, tum pro tempore cruditatis, cum etiam pro interuallo trium dierum. Cum enim agemus de signis prognosticis febrium, quã rem vltimo huiusce nostri laboris libro prosequemur; principii non raro mentionem pro primis tribus diebus faciemus: Cum vero curationem docebimus, quod in secunda parte huius tractationis fiat, pro tempore cruditatis desumetur.

Cur prætermittatur principium aliarum febrium.

Verum quia nos hic de febribus solum agimus, necessarium est, vt breuiter definiamus, quodnam sit principium in ipsis, prætermissis tamen hecticis, & ephemeris; Siquidem quamuis in ephemeris quatuor illa tempora inueniri possint, nihilominus, quoniã eadem tum particularia, tum vniuersalia tempora propter accessionis ipsius breuitatem dicuntur, propterea hic à nobis prætermittuntur.

Adde quod nullum vsum affert in medendi methodo distinctio horum temporum, in iis febribus, quæ horas 24. perdurant: In hecticis vero tempora sunt vniuersalia, & ea satis manifesta, atq; etiam maximi vsus: quandoquidem alia debetur curatio, cum in principio sunt eiusdemodi febres; alia, cum sunt in augmento, vel in vigore; verum quia nos hæc tempora, secundum aliorum omnium Medicorum consuetudinem solemus nuncupare, species hecticarum febrium; idcirco solius putridæ febris principiũ, quantum ad præsentem tractationem pertinet, definiemus.

Quid principium febrium materialium.

Id sane nihil est aliud; quemadmodum Galenus noster locis sexcentis testatur, quam id totum morbi spacium, in quo nondum concoctus est morbus: cum itaq; crudus aliquis est affectus, dum suæ cruditatis indicia profert, in principio dicetur: huiusq; terminus, ac finis erit, manifesta concoctionis nota: in iis morbis, qui extremum periculum allaturi non sunt: non enim in omnibus veritatem habet, quod de principio tradidimus, sed de iis duntaxat, qui solent concoctione præfiniri.

Vniuersalis ratio principii.

Quod si vniuersalem notionem principii desideras; id esse dicito, quod inditiis coctionis, vel contrariis coctioni præfinitur. Nam pone lætalem aliquem esse morbum, à quo moriendum sit homini in morbi consistentia: in hoc affectu, vel nunquã apparebunt coctionis indicia, vel si raro aparebunt, erunt ea admodum infima, & obscura: quæ tamen in salutaribus morbis solent esse admodum perspicua.

1. quarti can. fen. tract. 1. cap. 3.

Rem hanc videtur mihi diligentissime præ cæteris omnibus explicasse Auicennas, vir me hercle, tum in philosophia, tum in Medicina minime contemnendus; qui de morborum materialium principiis disputans, hoc modo inquit: *principium quidem est hora, in qua calor naturalis præfocatur à materia submergente ipsum in membro; & est hora, in qua non apparet digestionis, aut corruptionis eius contraria digestioni vestigium.*

Videa

Vides hic, quod non semper dicendum sit id existere principium, quod terminatur signis concoctionis; quoniam in exitialibus morbis nunquam principium eiusmodi signis finitur; sed potius apparent omnino indicia contraria. *Gal. lib. 3. de cris. c. 2. & lib. 2. de rat. vict. in acut. com. 45.*

Quamobrem Galeni verba intelligenda sunt de salutaribus morbis, non de omnibus.

Verum si breuiorem principii notionem, desideras; poteris in hunc modum optime definire principium, vt scilicet dicamus Principium esse id tempus, in quo morbus crudus est. Hoc enim omnibus conuenit morbis, salutaribus, quia illorum principium finitur signis coctionis. Læthalibus vero, quia nunquam eo tempore, neq; aliis apparet concoctio.

His de modo expositis iam superest, vt soluamus difficultatem illam, quam Galenus *libro de totius morbi temporibus* proponit: ea vero est: quomodo scilicet morbus dicatur esse in principio, quod plurimos dies; quinimo etiam menses perdurauerit: hac enim ratione dicere debemus, eos morbos adhuc quidē gigni, & incipere. At videtur, maxime absurdum, gigni, ac incipere affectum, qui durauerit longo temporis interuallo. Nam si indiuisibiles per se sunt affectus, statim primo insultu propriam naturam assequentur, nulloque tempore longiore ad generationem opus habebunt: eiusdē enim naturæ est febris, cum iam primum inuadit, cum ea, quæ longius progressa est; vt nihil amplius requirat. Vnde si principium illud est, in quo gignitur morbus, principium iam excesserit, quando generationem absoluerit, id quod in primo insultu assequitur, & merito quidem, si modo id, quod non erat, cum iam adest, & proprium nomē propriamq; naturam assumpsit, genitum dici debet. *Difficultas maxima.*

Appellatur porro, & est febris in ipsa (vt vocant) *ἐπισημασίᾳ*, nec aliud præterea requirere putabitur, vt sit, genitaq; dicatur.

Verum si paulo diligentius hæc expendamus, inueniemus aliter habere: nam etsi rei natura docet, febrem genitam esse in prima inuasione, nihilominus vniuersum illud tempus, in quo postea nullum insigne sumit incrementum sub principio complectamur necesse est: cum nulla alia tunc esse possit morbi pars: nam vt solo eo morbi spatio morbus gigni dicatur, quo propriam naturam perinde recipit, vt incerto quodam statu absque magno incremento consistat, etiamsi aliquando grauior euadat, quam in primo insultu fuerit: Hoc enim modo animalia etiam ipsa gigni dicimus non solum, (inquam) cum omnes suas partes habent (sic namq; quadraginta dierum spatium duntaxat ad illorum generationem concederemus) sed etiam donec in vtero manent; quo sane tempore præter generationem & confirmationē incrementum etiam aliquod assequuntur; quod tamen minime consideramus, sed solum animalis generationem, & confirmationem in vtero fieri dicimus, postea autem augeri, non quod antea dum fingeretur, & formaretur, non cresceret, sed quod nunc maxime: & solum augeatur: antea vero auctio generationi seruiret. Eodem igitur modo cum morbus primam, quam accepit naturā, paululum etiam auctam solum retinet, neq; adhuc insensibile incrementum facit, sed tantum plane, quantum ad actionem edendam sufficit (alioquin nondum morbus diceretur, cum optime Galenus scribat omnes morbos esse cum quadā magnitudine, quo quidem neuter status, à morbo se iungitur) principium morbi esse putabimus; itaq; seruat quendā tenorē fere sibi similem principium morbi, cum in eodem statu permultos dies, & menses talis perseueret, qualis fere in primo insultu apparuit: quemadmodum & in vigore ipsius morbi: Verum vigere non dicitur morbus in ea æqualitate, quam habet à principio, cum summam vim nondum acceperit; quam cum assecutus est in vigore, iam, & statu esse dicitur: ita vt vigor morbi non sit, quando morbus eundem tenorem seruat: quia (vt diximus) idem in principio fit: sed quando summum illud, quod incrementum reliquit, in eodem statu perseuerat. *Solutio ex Ioan. Argent. lib. de morb. temp. cap. 40.*

Ego itaq; sic de morbi principio statuendum censeo, prætermissis iis, quæ à Galeno parum recte de proposita quæstione explicantur.

Augmentum vero, siue incrementum morbi est id tempus, in quo natiuus noster calor manifeste mouetur, vt resistat iis humoribus, à quibus fit morbus: incipitq; cum apparent manifesta indicia concoctionis, quod sane terminus est principii, vt supra dicebamus: vel si morbus lethalis est, illius augmenti initium est, cum conspiciuntur manifesta inditia contraria concoctioni: quæ vero sint hæc indicia, & quomodo cognoscenda, infra docebimus.

Quid vigor morbi: De necessitate cognoscendi vigorem: quid morbi declinatio: & an contingat mori ægrotantem in ipsa vniuersali declinatione morbi.

CAPVT XI.

STATVS morbi, quem alio nomine vigorem nuncupamus, *est vehementissima pars totius morbi, in qua maxima fit pugna inter naturam & humorem*; quo tempore necessarium est, vel morbum, vel facultates corporis superiores esse: illo quidem superante sequitur mors; his autem euincentibus sanitas: Quamobrem necessarium est in hoc morbi tempore, vel manifestissima sese nobis offerre indicio concoctionis humorum, vel corruptionis, quæ concoctioni contraria est.

Porro sciendum est præ aliis omnibus temporibus vigorem potissimũ Medico præcognoscendum esse; primum, quia sine vigoris notitia, & præcognitione, vtrum iudicium futurum sit nec ne, & qui sit, quale sit, sciri nequeat. Nam cum futura bona iudicatio nisi ex præcedentibus exquisitis concoctionibus præcognosci non possit, & hæ quidem non nisi vigoris tempore appareat, consequitur hunc veluti normam quandam esse iudiciorum adeoq; vt Medico præcognoscatur, est summopere necessarium.

Secundo, vigor hoc maxime nomine Medico præcognoscendus venit, quia omnes bonæ crises fiunt in statu morbi, in ipsa vero declinatione nunquam contingunt: deinde vero hoc tempore, vt plurimum ægrotantes moriuntur, cum in declinatione, vel nunquam, vel admodum raro moriantur, vt post hac diligentius explicabimus.

Tertio vigoris tempus ideo à Medico præcognoscendum venit, quia is nunquam rectum victus rationem instituere poterit, non cognito vigore: Duo namq; sunt, à quibus cibandi consilia petuntur, nempe morbi vigor, & ægrotantis vires; cum enim vigent morbi, atq; consistunt, tunc tenuissimo victu vtendum est; quemadmodum Hippocrates *primo libro aphorismorum* docet: Vires autem ipsæ victum indicant, nunc sane pleniorem vbi fuerint inualidæ; nunc vero tenuiorem, vbi validiores fuerint, quamobrem recte dixit Hippocrates in Aphorismis: *Coniectari oportet, num æger cum victu perdurare possit ad vigorem vsq;, & nunquid ille prius deficiat, nec cum victu illo perdurare possit, aut morbus antea deficiat, aut obtundatur.* Propter has igitur caussas morbi vigor maxime cognoscendus venit à Medico; sed nunc reliquum est, vt explicemus, quid sit declinatio, & an contingat in ipsa declinatione mori ægrotantem; hoc enim non contemnendam habet apud omnes Medicos difficultatem.

Declinatio quid. *Declinatio est cum vigor ille morbi minuitur*: quamquam etiam declinatio merito dici debeat, cum morbus in principio vel incremento, anteaquam ad statum perueniat, remittitur: si modo declinatio appellanda est, cum minor, quam antea esset, morbus euadit.

An mori contingat in declinatione. Cæterum, quod pertinet ad eam disputationem, an videlicet in ipsa declinatione mori ægrotantem contingat, in primis afferemus Galeni verba, quæ hanc rem satis dilucide explicare videntur: deinde vero nonnulla adde-

addomus ad eorum intellectionem plurimum necessaria. Galenus itaque sic ait: *In declinatione vero particulari propter virium imbecillitatem moriuntur. Hoc siquidem plus quam aliquid pro verissimo haberi oportet, quod in accessionum particularium declinationibus plurimi pereunt, quod nonnulli videntes, idcirco opinantur etiam vniuersalis declinationis tempore posse aliquem mori; verum non ita res se habet. Vbi enim morbi status praterierit, natura quidem iam superior euasit: neq; enim aliter morbus declinasset: nullus autem modus mortis tunc aduenientis excogitari potest, praterquam ex errore. Sed de hoc haud quaquam nunc desiderare proposuimus; sed an morbi ratione mori contingat: neq; igitur hoc vidi vnquam fieri; neq; id inuenit ratio: sed particularibus accessionibus declinantibus multos sapissime interire vidi: neq; rationem sequentibus mirum videtur, quod natura vis imbecilla, in principio quidem accessionis augmento & statu queat perdurare, cum adhuc habitus ipse in vnum compressus contineatur: tempore vero declinationis à medio ad extrema calore retrocedente, natura habitus spargitur, atq; dissoluitur: horum itaq; nonnulli subita morte opprimuntur, vt prasentes existiment, deficere animo potius, quam mori: quidam vero paulatim non subito interierunt, incipientes quidem omnes à statu accessionis, ita vero latenter, vt multis videantur tales citius, quam sperassent, à statu ad declinationem transire.* Hæc ille. Ex quibus duæ conclusiones ponendæ sunt.

Gal. lib. 3. de cris. c. 9.

Conclusiones ex Gal.

Prima est: in particulari declinatione morbi propter illius vehementiam mori ægrotantem posse. *Prima*

Secunda: in vniuersali declinatione mori haud posse ægrotantes. *Secunda.*

Pro huius secundæ conclusionis intellectione animaduertere oportet: quod vniuersalis declinatio sit duplex; quædam enim vera est; quædam autem notha.

Vera declinatio est, in qua natura ægrotantis corporis perfecte dominatur supra morbũ, adeo, quod nihil eius sit, siue sit eius caussa proxima, aut etiam remota, siue symptomata ab his originem deducentia, quibus natura ipsa minime dominetur. Hæc sane vera declinatio potissimum cognoscitur ex pulsu, quamuis etiam aliis indiciis cognosci possit. Siquidem in vera declinatione pulsus continuo redditur vehementior, æqualior, & ordinatior: Appellit enim natura fortius omnem febrilem calorem; vt Galenus *eodem loco* testatur.

Vera declinatio quæ.

Debilior autem atq; inordinatior, & inæqualior, est pulsus in declinationibus mendosis ac falsis.

Erit itaq; notha declinatio, in qua non adest perfectum dominium naturæ supra morbum, aut causam; aut symptomata. *Non vera quæ?*

His ergo sic habentibus sciendum est, rectissime à Galeno dictum in declinationibus mori non posse ægrotantes ipsos; quod sane intelligendum est de veris declinationibus, in quibus, quemadmodum dixi, naturæ dominium perfectum adest supra morbum.

Galenus explicatus.

At vero in nothis declinationibus, & quemadmodum Galenus loquitur, mortalibus, interire possunt ægrotantes, sed nunc docendum, quomodo contingat mori ægrotantes in declinationibus non veris.

Sex autem sunt modi, quibus id ipsum contingere Medici recentiores, quorum non mediocriter laudo hac in re diligentiam retulerunt.

In quibus casibus moriantur ægri in declinatione.

Primus est, quando calor naturalis resoluitur: ad cuius resolutionem resoluitur etiam, ac minor fit extraneus calor; vnde membra, quæ primum tactui maxime calida videbantur, diminuto vtroq; calore, tepiditatẽ quandã desumunt admodum similem naturali caliditati; quæ tamen tepiditas est transitus quidam in refrigerationem extremarum partium, ac in perniciem, vltimamque natiui caloris exstinctionem. De hac declinatione locutus est Galenus *libro 6. epidemiorum*, quo referens historiam cuiusdã ægrotantis hunc casum præcise posuit. Auicennas vero sic inquit: *Et multoties quidem accidit apud mortem dispositio, quæ est sicut declinatio, & est sicut æger cum euaserit, sed oportet, vt non oc-*

Primus casus.

g. 4. cap. 4.

non acceperis in hoc, imò cognoscas dispositionem pulsus, an magnificetur, an finiat. Et rectè quidem admonuit Auicennas ex ipso pulsu considerandum esse, an magnificetur, an autē contra debilior euadat: quoniam, quemadmodum supra diximus Galeni authoritate, in veris declinationibus pulsus continuo fit validior, æqualior & ordinatior, in aliis verò declinationibus contrariū accidit.

Historia. Hoc nos ipsi præteritis diebus obseruauimus in hac illustri ciuitate Anxur, quæ nunc Tarracina dicitur, in qua nunc medicinam facimus, in quodā ægrotante nomine, Bocchino: qui cum pateretur febrem quandam acutam, omniaq; adessent indicia, quibus mortem in homine iam imminere, significabatur: resoluto naturali calore, diminutoq; etiam febrili, videbatur sine febre permanere, nihilq; amplius habere, quod illi molestiam faceret: adeo quod non solum assistentes, affinesque ægrotantis, sed etiam Medicus quidam putauerit ipsum euasisse: cum nos ad illius visitationem pro consuetudine accedentes, inuentisque admodum lętis assistentibus, pulsum contrectantes, statim diximus mortem adfuturam spatio horarum viginti: inuenimus enim pulsum non solum paruum, sed vere intermittentem, in duabus pulsationibus: & quæ pulsationes non intermittebant, erant adeo raræ, vt nihil iam videretur deesse, quod pulsus omnino quiesceret: Euentus autem rei hoc prognosticum patefecit, cum maxima laude huius præclarissimę artis.

Admonitio. Ex his ego monitos volo recentiores Medicos, ne temerarie pronuncient de morte, vitaq; ægrotantis: neue iidem confidant iis, quę preter rationem adueniunt, vt admirabilis Hippocrates *in Aphorismis* admonuit: sed hæc hactenus.

Secundus casus. Secundus casus est, quando peccans materia est difformis: & pars eius tenuior, quę iam putruit, aut etiam minime computruit, resoluitur, atq; euacuatur: remanente parte crassiori, quę malignior, multoq; pernitiosior existat tenuiori parte; ea igitur putrefacta is, qui iā liber propter tenuioris substantię euacuationem à morbo videbatur, statim discedit ex mortalium numero cum maxima admiratione assistentium.

Historia. Refert Hugo Senensis subtilissimus quidem Medicus hac de re historiam his verbis: *sicut accidit in Poeta, de Poetis* (est hæc Bononiæ nobilissima quædam familia) *qui post acutam febrem die nona minxit circa decem vrinalia plena vrina tenui, clara, & remansit sine febre apparenter: erat tamen in pulsu, quandoq; quietem habens, & in vndecima superuenit febris fortissima; & apostema magnum post aurem, & tandem in decima tertia mortuus est.*

Tertius casus. Tertius casus est, quando materia mouetur de vno membro, in quo facit fortissima symptomata, ad aliud membrum ex nobilium, atque principalium numero: dum igitur humor mouetur, estque, vt sic dicam, in via, videtur morbus decliuasse, cum multo melius habeat; sed postquam humor est in ea parte fixus, ad quam tendit, ægrotus commoritur. Hic casus frequentissimus est in medicinis cum humores ex vno membro ad alterum facile transmutantur.

Historia. Referam ego, quod nudius tertius obseruaui in quodam ægrotante meo. Vocabatur Orlandinus in Cauaticho. Hic igitur conquerebatur de dolore pectoris, & percunctans indicia propria pleuritidis inueni nullum indicium deesse ex iis, quæ illam concomitantur: atque adhibitis oportunis remediis, videbatur optime habere, etiam ab ea ægritudine conualuisse cum de dolore pectoris, aliisque symptomatis ne minimum quidem conquereretur. Nobis illico suspicionem ingessit hic casus, ne scilicet ad peiorem terminaretur, cum nondum in quinta, sputus aliquis apparuerit, qui breuem terminationem pleuritidis denotat: nec nostra nos fefellit suspicio: nam homo de repente factus phræneticus mortuus est die octaua.

Quar-

Quartus casus est, quando morbus iam minor redditur, quia eius materia minoratur, sed tamē plus proportionabiliter deficit virtus, quam morbus sicut in multis videmus, in quibus à principio febris aduenit cum sæuis symptomatis, à quibus virtus prosternitur: & non obstante, quod febris remittatur, quia tamen virtus etiam dissoluitur, atq; etiam magis; accidit, quod tandem paulatim deficiant: hoc sane in senibus potissimum contigisse obseruauimus.

Quintus casus est, quando propter multum conatum virtutis accidentia videntur remitti; sicut accidit illi, qui est in syncopi, prope mortem caput eleuat, videturq; iam à morbi vehementia euasisse. *Quintus.*

Postremus casus est, quando propter morbum materialem accidit quidam morbus immaterialis: sicut si ex apostemate fiat vlcus, vt in apostemate pulmonis, quando ad pus transmutatur, fit vlcus pulmonis insanabile. Sic enim accidit non obstante humorum coctione, & expulsione infirmum mori propter alium morbum, qui de nouo genitus est. *Sextus & vlt. casus.*

Omnes igitur istæ dicuntur non veræ declinationes, quia non sequuntur perfectum dominium virtutis supra morbum, eius caussas & accidentia.

Sed dubitaret fortasse aliquis, propter quam caussam in declinatione vniuersali nunquam merito morbi æger interimatur, cum tamen in particulari declinatione, vt supra dicebamus, mori possit.

Dicendum est similitudinem bonam non esse; quia in particulari declinatione, quamuis virtus iam dominetur supra illum humorem, qui actu accessionem facit, nihilominus non dominatur illi, qui est antecedens caussa cuius causa mori potest aliquis in partic. declinatione, quod in vniuersali, vt cuique patere potest, minime contingit. Vi ergo morbi nunquam moriendum est homini in vniuersali declinatione: sed ex errore potest. Quales autem sint isti errores, hic non est explicandum, cum ad aliam tractationem pertineat.

Quodnam ex quatuor morborum temporibus sit deterius altero?

Capvt XII.

CVM itaque quatuor esse vniuersalia morborum tempora dixerimus, non inutiliter hoc loco quæremus, quodnam ex hisce temporibus sit altero deterius. An videlicet status sit augmento deterior; & incrementum principio. Hæc enim difficultas maximas habet controuersias, cum vnus ex recentioribus scriptoribus vix fere inueniri possit, qui eadem conclusione conueniat, quamobrem ego experiri constitui an methodo ipsa, pro more maiorū in disputatione præsenti omnium profecto maxima, valeam ipsam veritatem aperire.

Sed in primis notandum est quod hoc loco non loquamur de lethalibus affectibus, quorum caussa omnino ægrotanti moriendum sit: quandoquidem in his nullam habet difficultatem proposita disceptatio: quis enim ambigeret id morbi tempus esse deterius reliquis, in quo fuerit ægrotanti moriendum? hoc quidem tempus, vt plurimum est morbi vigor, in quo malæ adueniunt crises; aliquando vero incrementum.

Itaque his prætermissis, quæstio proposita, locum habet solum in salubribus morbis: & quamuis in vniuersali de omnibus morbis salubribus inquiri posset, ego tamen de solis materialibus disputationem propono; ac neq; etiam de iis omnibus, sed de febribus putridis duntaxat; tum quoniam sic recentiores instituerunt disputationem, ad quorum imitationem à nobis instituta est; tum etiam quia in his multo maiores difficultates adsunt, quam in reliquis omnibus.

Nos itaque sic disputationem proponimus. An FEBRIS putrida salubris sit maior morbus in statu, quam in augmento, & in hoc tempore, quam in principio. Declinationem autem vniuersalem hic consulto prætermittimus, quia omnium iudicio constat hanc omni periculo carere; esseque omnium tutissimam; vt superiori capite ex Galeni monumentis demonstrauimus.

Explicaturus igitur propositam quæstionem, primum ergo in medium afferram difficultates, quæ maximæ videntur in proposito negotio: deinde non docebo, quid pro veritate sit sentiendum.

Quamobrem sciendum est, duas esse extremas opiniones, quarum altera est celebratissimi illius Monaci, qui nomẽ plusquã commentatoris meruit: altera vero est subtilissimi Medici, Gentilis Fulginatis: ille putat febrem putridam salubrem esse maiorem morbum in principio, quam in augmento & vigore; atq; maiorem etiam in incremento, quam in vigore.

Hic autem contra maiorem esse in vigore, quam incremento: & maiorem in hoc tempore, quam in principio. Rationes vero, quibus vterque propriam opinionem confirmat potissimæ sunt hæ. Monaci quidem hoc modo habent.

Monaci.

Prima ratio. Primum supposito, humores putridos (qui ad benignum, id est, ad pristinam naturæ bonitatem redire non possint) in statu magis esse concoctos, quam in augmento: & magis in recremento, quam in principio. Hoc stante supposito, quod citra omnem difficultatem verissimum est, concludendum videtur, maior m morbum esse in principio, quam in aliis temporibus: quia in eo tempore maior censeri debet morbus, in quo humores magis maligni sunt, & perniciosi: in eo minor, in quo minori malignitate, vt pernicie participiant. Quod autem in principio humor sit eiusmodi, patet, quia non est cõcoctus: ipsa enim concoctio facit materiam peccantem esse minus malignã, & perniciosam, quam si non adesset concoctio.

Cum itaq; humor, ex quo morbus proxime dependet, sit malignior, & perniciosior in principio, quam in reliquis temporibus: sequitur morbum eo tempore maiorem esse.

Confirmatur ex Hippocrate, qui *sexto epidemiorum libro* concoctiones inquit, celeritatem iudicii ostendere, & securitatem morbi: & Galenus *4. aphoris. 22. comm.* impossibile esse, ait, aliquid à natura bene euacuari, nisi prius præcesserint distributiones & concoctiones: quamobrem in vigore morbi optimas esse euacuationes statuit, in principio autem perniciosas. Atque idem Author *libro tertio de crisibus*, affirmauit, quod vbi concoctiones in humoribus apparuerint, nullum amplius imminere periculum, & ægrotantem in tuto constitutum esse.

Secunda ratio. Secunda ratio: in eo tempore minor est morbus, in quo natura magis dominatur sub humorem peccantem: quia vincẽte & superante natura, materia putrida non habet tantam vim ad illius alteratio em, quantam haberet, si virtus non dominaretur morbo, & illius causæ. Quod autem natura magis dominetur morbo vigente, quam augescenti, ac incipiente, ex iis facile probari potest, quæ nos diximus supra circa descriptiones vniuersalium temporum: Nam si in principio humor non est concoctus, in augmento iam incipit, concoqui: in vigore perfecte concoctus est: ipsaque concoctio naturæ dominium supra morbum indicet; quis anceps esse potest, quod morbus eo tempore sit minor: vigor igitur erit melius tempus, quam incrementum: & hoc melius, quam principium vniuersale.

Tertia ratio: in statu morbi salubris accidentia, quæ illius propria sunt, minora fiunt; & quæ in antecedentibus, temporum aderant, erant certe maiora: quamobrem in statu morbus est mitior, quam in reliquis temporibus, quoniam magnitudo morbi metiri solet ex magnitudine sympto-

ſymptomatum, illorumq; vehementia, vt Galenus adnotauit *in methodo medendi*. Verum ipſa ſymptomata eſſe minora in vigore affectus, quam in augmento, ac principio à ſimilitudine rumorum præternaturam facile comprobari poteſt: in quibus dum generatur ſanies, fiunt omnia ſymptomata maiora. pulſatio ſcilicet, febris, ac dolor: vt Hippocrates admonuit; cum vero facta eſt (quod vigente morbo contingit) omnia quieſcunt: ſic contingere in pleuritide ſuppurata, in aliisq; omnibus tumoribus obſeruamus. Cęterum eadem eſt proportio harum affectuum, atq; febris putridæ, vt Galenus teſtatur paſſim, ac potiſſimum *libro primo de febrium differentiis*: quo loco is ſedimentum in vrinis eandem habere proportionem ſcribit cum ſanie in tumoribus præter naturam.

His adde, quod maiori & minori æqualiter decreſcentibus continuo creſcit proportio maioris ad minus; ſed virtus, quæ eſt maior in morbo ſalubri; quia habet maioris proportionem ad morbum: & morbus ipſe, qui eſt minor virtute, continuo decreſcit à principio, vſque ad ſtatum: Virtus quidem decreſcit, quia reſoluitur: ſpiritus pauciores redduntur: & humiditates ſubſtantiales conſumuntur. Morbus etiam diminuitur, quia materia cruda concoquitur: fitque continuo minus maligna: ac etiam exactione caloris pro parte reſoluitur. Ergo continuo decreſcit proportio morbi ad virtutem: quare morbus ipſe nedum abſolute; ſed in comparatione ad virtutem erit minor in ſtatu, quam in augmento, & minor in augmento, quam in principio.

Poſtremo omnis febris putrida ſalubris eſt malignior in principio, quam in augmento; & in augmento quam in ſtatu: ergo eſt maior morbus.

Aſſumptum probatur, quia malignitas morbi ſpectatur penes præternaturalitatem, tanquam penes cauſam; & læſionem operationum, per ſe ductiuarum ad mortem, tanquam penes effectum: quemadmodum conſtat apud omnes. Verum eiuſcemodi febres in principio, in quo non eſt digeſta materia, ſunt magis præternaturales, aliorum paritate ſeruata, quam in ſtatu, in quo humor peccans eſt concoctus: & eſt affectus ipſe ad mortem periculoſior (ſic loquitur Monachus) quam in ſtatu, in quo propter concoctionem perfectam omnia certiſſima ſalutis ſigna apparent, Ergo erit maior morbus in principio, quam in ſtatu: ſed in augmento, cum ſit quoddam tempus medium inter principium & vigorem: medio modo res habet.

Hæ potiſſimæ ſunt rationes, quibus perſuadent morbum ſalubrem eſſe maiorem in principio quam in aliis temporibus.

Qui vero putant, ſalubrem affectum eſſe maiorem in ſtatu ipſo, quam in principio, & augmento, id profecto multis rationibus perſuadent, quarum ego hic vnam, vel alteram afferam; reliquas poſtea explicaturus, dum propriam opinionem enarrabo. *Morbum ſalubrē eſſe maiorem in ſtatu quā in principio.*

Ratio igitur vna ſit ex Galeno petita, qui *libro de totius morbi temporibus*, ſtatum aſſimilat plantæ, aut animali; quod iam ad ſummum vigorem peruenit augeſcendo: certum eſt autem eiuſcemodi animal eſſe maius eo tempore, quam reliquis: idem profecto de ipſis temporibus morbi dicendum eſt; quandoquidem hæc, eodem Galeno authore, talia nuncupantur per ſimilitudinem ad eiuſcemodi animalia. *Cap. 8.*

Itaque aut vera eſt, aut falſa ſimilitudo: falſam eſſe, non eſt admittendum: ſi vera eſt, ſequitur maiorem eſſe morbum in ſtatu, quam in principio.

Nos ergo expoſituri veritatem propoſitæ quæſtionis, rem breuiter, &, quod dici ſolet, per capita proſequemur.

Primum itaque animaduertere oportet, morbum ſalubrem in ſtatu magis eſſe, quam in principio, aut incremento ſalubrem; eo enim tempo-

te humores, qui morbum fouebant, vel etiam actu faciebant concoctionem, adepti sunt; qualem possunt recipere putridi humores: non enim vera est concoctio, vt diximus *in methodo nostra de ratione purgandi corpora*; sed methaphorice est concoctio.

Quamobrem cum in principio adhuc humor sit crudus, & nondum sit euictus ab ipsa natura, sequitur eo tempore minus esse salubrem, quam in vigore. Et hoc sane docuit diuinus Hippocrates, dum *in epidemiis* dixit, concoctiones securitatem, & celeritatem iudicii indicare: dixit *securitatem*, quia humores concocti quantum sit merito sui, semper tutos morbos faciunt: *& celeritatem iudicii*; quoniam crises vigente morbo fiunt magis, quam aliis temporibus: & quo tempore fiunt crises, omnia videntur fortiora propter repugnantiam morbi contra vires naturæ.

Sed statim hoc loco dubitabit aliquis: si morbus in statu est salubrior, quam in principio, sequitur etiam minorem esse: quod potissimum concludere videtur Monachus.

Hic animaduertere oportet non sequi, quod morbus eo tempore sit minor, quo est salubrior quandoquidem ex alio magnitudo morbi dependet, & ex alio salubritas eiusdem.

Magnitudo quidem æstimatur ex propria ipsius morbi natura, & ex symptomatum vehementia, ac multitudine. Securitas vero pendet ex naturæ supra morbum victoria, & concoctione peccantium humorum: cum qua securitate stat morbum augeri, & symptomata fieri indies maiora. Sic videmus in statu febrem intensionem, atque multo maiorem esse, quam in principio, sic etiam obseruamus symptomata esse plura, ac vehementiora; nullam igitur difficultatem habet, morbum in vigore multo magis salubrem existere, quam in principio & augmento.

[illegible] Hoc posito, alterum etiam ponendum est, nempe maiorem partem salubrium morborum in statu vehementiam maiorem sortiri, quam in aliis temporibus: quæ res facile explicari poterit, si fuerit primum apud nos constitutum; quæ sit status, siue vigoris ipsius natura.

Ea quidem eiusce modi est, quod facultates corporis humani, eo tempore, omnes contra morbum, illiusq; impetum contendunt: qua contentione necessarium est morbi vehementiam adaugeri natura ipsa vehementer agente; & morbo plurimum renitente.

Tunc enim crises fiunt, aut saltem affectus concoquitur, ac maturatur: nam si natura eo tempore iudicabit morbum, controuersiam non habet, quod maior fiet morbus, tum secundum propriam essentiam, tum etiam secundum symptomata, quæ morbum essentialiter comitantur, & postea tanquam critica superueniunt.

His addere oportet rationem desumptam à recta methodo cibandi ægrotantes, quæ meo iudicio omnem difficultatem soluit.

In vigore morborum tenuissimo victu vtendum est: in principio paulo pleniori, in augmento autem mediam viam eligimus.

Hæc sane sunt apud omnes Medicos euidentissima; & à diuino Hippocrate in Aphorismis explicata, dum is, inquit; *Cum morbus in suo vigore constiterit, tunc tenuissimo victu vtendum est*: sed propter quam caussam hoc accidit? non sane ob aliam, nisi quod propter casuum magnitudinem, & propter morbi coctionem talem victum eligere debeamus. Sect. 1. aphor. 8.

Neque enim distrahere oportet naturam ad alteram nouam coctionem, quum eo tempore vni humorum coctioni fortiter vacet, vt Galenus in *eius loci commentario* tradidit: & haud multo post eosdem humores sit euictura: Atque idem author *in eodem opere* inquit: *Cum morbi incipiunt, si quid mouendum videtur, moue, tum vero consistunt, ac vigent, melius est* Sect. 2. aphor. 29.

quietem

quietem habere. cuius causam *in sequenti aphorismo* expressit his verbis: *Circa initia, & fines omnia imbecilliora, cum vero consistunt, fortiora.* Sic igitur rationes constituendæ sunt. Sect. 2. aph. 30

Prima, quod eo tempore sit maior morbus quo accidētia sunt maiora.

Secunda, quod natura concoctioni & pugnæ, noxiorum humorum incumbit.

Postrema quæ ratio est à signo; quod eo tempore semper tenuissimo victu vtendum sit, propter eas, quas supra diximus, causas.

Hic autem explicandum est; propter quas causam dixerimus, *maiorem partem salubrium morborum esse in statu vehementiorem, quam in principio, vel augmento.* Itaq; sciendum est non vnam esse naturam putridarum febrium: quandoquidem sunt nonnullæ, quæ continuo decrescendo procedunt, quod potissimum accidit in quibusdam synochis febribus, de quibus nos suo loco disseremus: Obseruauimus etiam idem in aliis nonnullis febribus contingere; vt accidit hisce temporibus in filio egregii, & magni viri Hieronymi Sinibaldi, qui tertianam huius conditionis patitur; cuius videlicet prima accessio reliquas magnitudine superauit; hoc autem potissimū euenit, quod maior portio humorum putridorum mouetur in principio morbi; quam in aliis temporibus: in quibus etsi aliqnid etiam ad putredinem accedat, paucum tamen existit ac minimum; si cōferas cum eo, quod dissoluitur. In hisce quidem febribus veritatem non habet hæc proposita conclusio: nā multo vehementior, ac maior morbus est febris hæc putrida in principio, quam in aliis temporibus; in quibus cum affectus diminuatur; & symptomata fiant indies minora, nullam significationem magnitudinis habemus. Verum rarissimæ sunt eiusce modi febres; quod autem vt plurimum accidit, est, quod nos supra docuimus: nam morbus continuo adaugendo procedit, donec declinat, & maior pars humoris in augmento morbi, quam in principio putrescit; ac etiam maior in vigore, quam in incremento; ergo si vt plurimum humores putridi plures sunt, & fortasse etiam magis putridi, in augmento, quam in primariis, & in vigore, quam augmento, satis manifeste sequi videtur maiorem esse morbum in vigore, quam reliquis temporibus. Hoc necessarie admittatur.

Sed habet hoc loco non cōtemnendam dubitationem, quid sit dicendum, si constitutum fuerit, eandem quantitatem humorum peccare in principio, quam in reliquis temporibus, data enim hac paritate recentiores Medici non mediocriter altercantur.

Ego vero breuiter soluendum puto; quod etiam hoc posito, maior sit morbus in vigore, quam aliis temporibus: primū, quia tunc adueniunt crises; quam semper comitantur sæua symptomata; vt Galenus docuit *libris de crisibus.* Deinde vero, quia coctiones fiunt: dum enim celebrantur coctiones, febres augentur: quemadmodum cum generatur sanies: nam eandem proportionem habet concoctio humorum in venis, quam habet generatio puris extra venas, Galeni testimonio *libro primo de febrium differentiis.* Maior enim est morbus, dum fit concoctio, quam vel antequam fiat, vel postquam facta est. Cap. 9.

His addito, quod hoc suppositum, quamuis fortasse habere veritatem possit, nihilominus sit ex eorum numero, quæ raro admodum contingunt: quæ vero talia sunt, vt inutilia sub regulam artis non cadant; quæ id, quod vt plurimum aduenit, perinde solet assumere, atq; si semper adueniret. Nunc reliqua sunt duo, primum, vt ostendam vobis ex Galeni monumentis, quod proposita opinio veritatem habet: deinde vero, vt explicem, quibus rationibus satisfaciendum sit aduersariis. Confutatio ex Galeno.

Primum igitur Galenus *in primo aphorismorum* sic ait; *casus maximos possidet morbus peracutus, statim in primis morbi diebus, nam in ipsos statim morbi incidit vigor, qui nihil aliud est, quàm morbi in casibus summum, & in libro de totius morbi tem-* Com. 1. Primus Galeni locus.

Secundus. *poribus* rem clarissime prosequitur his verbis; *Sed vbi corpus primũ calidius, quam antea febrili calore fieri cœperit; inde aliud, atq; aliud tempus affectionis incrementum excipit; vsq; ad perfectum vigorem, quem in singulis rebus summam esse magnitudinem intelligimus.* & paulo supra statum morborum explicauit in tumoribus præter naturam; in quibus tunc adesse vigorem summum docuit, cum sanies fit: quo tempore febres non mediocriter augentur, dolores maiores fiunt; omniaq; symptomata crescunt. (Tertius.)

Ex his quidem aliisue Galeni locis, quos ego breuitatis ergo prætermittendos duxi, colligere possumus, citra omnem controuersiam verissimum esse illud, quod proposuimus de morborum vigore.

Quantum verò ad rationes aduersariorum pertinet, sic soluendæ sunt.

Responsio ad rationes oppositas. Animaduertendum est igitur, quod proponamus disputationẽ de salubribus morbis; qui certe sunt multo magis in statu, quam in principio salubres, vt satis superq; diximus. Quamobrem cum magis esse malignum in principio, quam in aliis temporibus morbum, asserunt, longe decipiuntur, cum in nullo tempore eiuscemodi morbi malignitatem habeant.

Quod autem attinet ad cruditatem ipsam, ea, quantum fit merito sui, non facit malignum morbum. Sed si faceret etiam, quod nos minime tamen admittimus, non est hoc vniuscuiusque cruditatis proprium; sed illius, quæ hactenus ab ipsa natura euinci non potuit.

Duplex cruditas. Duplex enim est cruditas, quædam, quæ euinci à natura potest; quædam verò insuperabilis ab ipsa natura.

Nos prætermissa cruditate, quæ nunquam superatur, in qua fortasse consistit malignitas; agentesque de altera; oportet, vt dicamus crudum humorem non facere maiorem morbum, quam concoctum; dum scilicet is concoquitur, permutatur, alteraturque.

Nam vel est crudus agente natura: vel nihil agente.

Non agente quidẽ natura, non est crudus in principio morbi: quoniam in eo tempore nihil penitus agit natura contra morbum; qua ratione cum natura non agit contra morbum, vt in principiis contingit, morbus est admodum mitis. Verum agente natura, quod fit in augmento, atq; multo magis in statu, in quo totas vires exercet natura, quo morbum propulset, & morbus etiam, quo naturam euincat: morbus certe augetur, casus & omnia symptomata fiunt deteriora; ac vehementiora. Itaq; magnitudo morbi dependet in salubribus morbis ex hac mutua pugna inter naturam & morbum.

Ad formam igitur argumenti dicimus; quod materia cruda non agente in ipsam natura, non facit maiorẽ affectum, quam cum in eandem agit natura: & hic aliud etiam aduerte; quod vigente morbo non fit humor concoctus; sed eo tempore maxime concoquitur. Concoctus est in declinatiõe vniuersali: ex his patet, quid dicendum sit ad primam rationem; quam tanti faciunt nostrates Medici.

Ad secundum. Ad secundum cum aiunt, in eo tempore minorẽ esse morbum, in quo natura magis dominatur morbo: dicendum est: hanc propositionem intelligendam esse de morbo, quem iam perfecte natura ipsa euicit; postquam scilicet perfectam victoriam adepta est: verum hoc accidit in sola vniuersali declinatione; aut si non in hac, maxime in vigoris fine; in quo omnis pugna morbi contra naturam, atq; huius contra morbum desinit. Tunc igitur morbus multo minor est, quam in principio, incremento, aut vigore. Cæterum dum agit natura: dumque instituitur pugna contra morbum; quo maiores vires horum vterque impendit, vt contra alterum victoria potiatur; eo certe maior est morbus: nam quamuis natura ipsa potiores partes habeat; agit nihilominus morbus, eiusq; causa aliquantulum resistit, qua resistentia oportet morbum, omnesque casus maiores fieri, vt supra ex Galeno demonstrabamus. Dicamus itaq; in eo tempore minorem esse morbum; in quo natura

magis

magis dominatur: hoc in declinatione accidit. Quod si dices, etiam idem in statu contingere dicendum est; quod in statu hoc idem, minus tamen, quam in declinatione contingat. Sed hoc amplius habet vigor; quod actiones fiant & pugnæ maximæ inter naturam, & morbum. Dominium ergo naturæ supra morbum si fiat adhuc, & adsit pugna, non facit minorem morbum, sed postquam factum, iam est, minorem certe morbum facit.

Quantum vero ad tertiam rationem pertinet, longe mihi aberrare videntur; quandoquidem in statu morbi sunt omnia maiora, & vehementiores casus omnes existunt, quemadmodũ autor est Galenus; in principiis vero, & in declinatione imbecilliora sunt omnia. *Ad tertiam.*

Neq; etiam veritatem habet exemplum, quod afferunt de generatione puris; nam genito pure non est morbi illius vigor: sed potius remissio. At dum generatur, status est. Quam rem nobis testatam reliquit Galenus *libello de totius morbi temporibus.*

Verum quod afferunt de æquali proportione maioris ad maius, & minoris ad minus dicẽdum est, quod morbus nunquam diminuatur nisi in declinatione: & quamuis materia concoquatur, dum tamen transmutatur, & dum concoquitur, fit morbus maior: & facta concoctione fit minor.

Neq; est vniuersaliter verum quod materia cruda faciat maiorẽ morbum; quam ea materia, quæ adhuc concoquitur. Vehementior quidem est morbus dum non est cõcocta, sed penitus cruda materia, quam cum est plene concocta. At multo ingentior est morbus cum concoctio fit in peccantibus humoribus; quam antequam ea fieri iam incipiat.

Ad postremam rationem dicendum est, primum, in salubribus morbis de quibus nos hoc loco præcipue loquimur, nunquam humorem putridum malignum esse: namque malignitas nunquam existit, nisi in lethalibus affectibus. *Ad quartam.*

Deinde vero etiamsi idipsum concedatur, quod impossibile est, quamuis maior sit cruditas in principio, quam in aliis temporibus; nihilominus minor est pugna naturæ, cum morbo eo in tempore, quam in duobus reliquis; in quibus propter vehementem pugnam vtriusque accidit, (quemadmodum supra diximus) vehementia, & magnitudo morbi.

Hæc circa propositam facultatem probabiliter, atque etiam breuiter dicta in præsentiarum sufficiant: reliqua postea alias copiosius enarrabimus.

Quot vniuersalia tempora vnusquisque morbus habeat.

CAP. XIII.

NVnc superest, vt nos hoc loco doceamus, quod vniuersalia tempora vnusquisq; morbus habeat: in qua re variæ sunt recentiorum sententiæ; quibus prætermissis, hic solum afferre constitui; quid Ioannes Argenterius, qui mihi præ cæteris omnibus negotium clarius explicasse visus est, *libro suo de morborum partibus* scriptum reliquerit. Eius igitur verba hoc modo habent: *Hac in re est repetenda ea morborum differentia, de qua alibi egimus; morbos inquam, quosdam salutares esse: quosdam lethales: alios vero, qui nec sanantur, nec vnquam occidunt. Item ea, quod morbi scilicet, qui soluuntur ad salutem, vel per crisin perfectam, vel imperfectam: vel alio modo soluuntur. Igitur qui salutares sunt morbi in vniuersum quatuor eiusmodi tempora habere possunt: principium, incrementum, statum, & declinationem. Quod si per crisin perfectam dissoluantur, non pauciora quam tria possunt tamen & quatuor habere: Si enim increscente adhuc morbo, crisis contingat (vt in illis fere optime fieri potest) tria obtinebunt tempora; principium, inquam, incrementum, & declinationem; vigorem autem non habebunt; nimirum quod antequam ad eum perueniant, facto incremento declinare incipiant: non pauciora autem quam tria habent; quoniam in principio morbi, vtpote cruda existẽte materia, nulla crisis*

crisis reperiri possit, quæ morbum adimat. Sin autem in statu morbi crisis contingat, quatuor omnia necessario tempora aderunt. Principium videlicet, incrementum, vigor & declinatio. At si imperfecta crisis extiterit, duo solum habere potest morbus tempora, principium & declinationem; si modo excretio eiusmodi fuerit, vt morbi incrementum impedire possit; veluti cum in principio morbi ex sanguinis profluuio adeo natura exoneratur, vt paulatim postea nullo sumpto incremento morbus dissoluatur.

Contingit & tria adesse tempora; principium, incrementum, & declinationem; quod accidit, si in augmento morbi, aut etiam in principio crisis fiat; nec tamen tanti sit momenti, vt morbi incrementum prohibere valeat.

Potest & quatuor habere, quod contingit, quando in statu crises fiunt.

Cæterum si morbus alio modo, quam per crisin abigitur (siquidem paulatim id fiat) si per coctionem quatuor partes assequetur morbus. Si vero per vacuationem, non necessario augmentum, & vigorem accipiet. veluti si incoante morbo noxius humor morbi causa educitur, ex quo sequitur minui morbum antequam augeri incipiat; etsi vix fieri potest, vt incrementum sistatur; nisi magna subitaque fuerit euacuatio; tunc enim facile contingit. Quod ex Galeno etiam intelligi potest. qui incipientes synochas febres larga sanguinis missione prohibito incremento, & vigore iugulari posse, & penitus tolli refert: quod si in augmento fiat, succedente statu, morbus priuatur.

Eademque etiam est in aliis morbis, qui organicas partes præcipue infestant, ratio. Nam vlcera statim, cum pars erodi incipit, sæpe persanantur: & quæ extuberare incipiunt partes, extenuantur; & leues, ac nondum auctæ luxationes restituuntur. Ac, vt semel dicam, cura, & opera naturæ, & Medici; sæpius nonnullis partibus priuantur salutares morbi.

At si lethalis morbus extiterit, nunquam quatuor tempora habebit; fieri enim nequit, vt diminuto morbo, victaque illius vehementia homo ex eo morbo declinante pereat: quod si ille leuior forte appareat, quum homo moritur; veluti quando per febres refrigeratis iam membris, homo extinguitur; non tamen propterea declinare huiusmodi febrem dicemus: quoniam falsa est huiusmodi remissio, vtpote quæ nec à natura, nec arte vincente contingit. Nam eo tunc inclinare videtur morbus, quod virtus iam euicta, non amplius morbosis causis reluctetur; non quod suapte natura, & vere minuatur.

Quæ sane in re eorum places opinio. qui duplicem declinationem statuunt, quandam scilicet vincentis naturæ; aliam succumbentis.

Vt enim ea præualente; si etiam non repugnante extingui, minuique morbum oportet. Verum illa vera; hæc autem falsa & ficta quædam declinatio credi debet: id quod etiam alia symptomata, & morborum causæ ostendunt. Nam etsi calor minor appareat instante morbo cum febres vrgent; in actionibus tamen; corporis qualitatibus, excrementis; & reliquis corporis animique operibus maiora, quam antea, vitia apparent.

Causæ autem morborum in hac remissione vt in alia euictæ minime sunt.

Vt vero plura quam tria lethalis morbus habere non potest; sic duo necessario quilibet obtinet; quandoquidem meo iudicio nullus morbus occidere potest, qui prius incrementum aliquod non acceperit.

Vnde cum in principio morbi hominem nonnunquam mori scribit Galenus in libris de crisibus, non videtur vera, & sibi consona dicere: siquidem in libro de totius morbi temporibus incrementum illorum ex lethalium signorum apparitione indicari meminit: primum vero ex morbi generatione.

At quomodo quæso, eo tempore mori contingit, in quo mortis indicia nondum apparent? Iam vero si morbus ex eorum generatione consistat, qui sanari nequeunt; nec tamen occidere possunt; contingit duntaxat principium adesse; veluti si postea quam morbus creatus est, nunquam augeatur: vel duo principium, & incrementum. si semper increscat: vel tria, si postquam ad vigorem peruenit, in eo perseuerat: vel quatuor, quando scilicet declinare incipit; sed perfecte non soluitur: vel quod morbus reliquias quasdam insuperabiles reliquerit; veluti in his, qui morbo gallico laborarunt, sæpius apparet; vel quod mors præuentat, antea quam penitus curari affectus possit.

Hæc tamen de proposita tractatione ab Argenterio optime dicta sunt; qui tamen aliquando non mediocriter deceptus est, potissimum vbi Gale-

Galenum redarguit, quemadmodum nos multis in locis ostendimus, & obiter hic, quantum ad propositum negotium pertinet, ostendemus.

Galenus enim *libro de optima secta* scribit, morbos nonnullos acutos, vt apoplexiam, simul atq; inuadunt, vigorem assumere: quod videtur Argenterio perperam dictum, cum nullus morbus, eodem etiam Galeno teste *libro de temporibus morborum*, possit ad ipsum vigorem peruenire, nisi ascendendo: quamobrem sequitur, nullum habere vigorem, nisi primum per incrementum pertransiuerit: itaque non potest affectus, simul atque genitus est, vigorem sumere.

Sed hæc profecto nimis peruersa est explicatio, vult enim Galenus quosdam morbos tam celeriter, postquam inuaserint ad vigorem peruenire, vt vix animaduerti possit incrementum, adeoque insensibile existat. Atque hoc ipsum plane sensisse Galenum, alius eiusdem locus plane conuincit, qui est in *libello de totius morbi temporibus*, in quo manifeste apoplexiam incrementum habere inquit: atque adeo quid senserit, in *libro de optima secta* disserte exponit eius verba sunt hæc: *Quidam morbi statim, atq; vigent, inuadere videntur, quod ipsum quidem ex eorum numero est, quæ fieri nequeunt. Neq; enim repente inuadentem in vigore esse apoplexiam, quis dixerit: quoniam talis exquisite non est, sed breui tempore, & principium, & augmentum percurrit: non tamen absque principio est: neque statim absolutissime inuadit, quemadmodum nec comitialis morbi accessio. Nemo enim tam subito symptomate corripitur, vt ii quibus ceruix aufertur: quamquam horum quoq; sectio primum aliquid, secundum, tertium & quartum tempus habeat: veluti etiam si ebur in quamlibet partem incidat.*

Hæc verba Galeni manifestissime locum in *libro de optima secta* patefaciunt, erroremq; manifestissimum Argenterii detegunt.

De ratione cognoscendi vniuersalia morborum tempora.

CAPVT XIV.

DOCEAMVS autē hoc loco, quomodo singula vniuersalia morborum tempora cognoscenda sint, nisi enim exquisite, cum adsint, cumq; ventura sunt cognoscantur; nullā artificiosam notitiam futuræ crisis habebimus, eiusq; iam factæ, an perfecte, an imperfecte contigerit, similiter notionem nullam adipiscemur.

Quamobrem cum quatuor sint vniuersalia tempora, vt diximus: principium, incrementum, vigor & declinatio: Principium ex hisce quinque cognoscemus. *Signa principii.*

Primo ex morbi ipsius natura & differentia. Quoniam Pleuritis: Anginæ, febres ardentes, & synochæ, Apoplexia, aliaque id genus morborum genera, quæ acuta sunt, breuissimo tempore principium sunt habitura: nam quemadmodum ipsi diuturnitatem non habent; sic certe consequitur, in illis principium breuissimum futurum esse: Contra vero quam res habeat in morbis diuturnis, vt in Podagra, Comitiali morbo, coxendico dolore, febre quartana, quotidiana, ac id genus aliis, namque in his principium breui tempore, quoniam hi morbi longissimi sunt, aduenire non potest.

Secundo cognoscitur ex temporibus anni, in quibus morbi adueniunt: quippe quia ii morbi, qui adueniunt æstate breuius: & qui hyeme, longius principium habituri sunt: quam rem admirabilis Hippocrates *2. aphor.* admonuit his verbis: *æstiuæ quartanæ magna ex parte breues sunt, autumnales vero longæ, præsertim quæ hyemem attingunt.* quāto enim breuior morbus est, tanto etiam breuius principium obtinet. 2. *Aphor. 24.*

Tertio ex ætate, & natura ægrotantis. Nam si calidæ fuerint, morbi eas corripientes breuius principium habebunt, quia in his citius con- 3.

coctionis

coctionis signa apparebunt. Contra si frigidæ fuerint ætates, longius principii tempus obtinebunt.

4. Quarto è regione, in qua æger decumbit: hæc enim perinde, atque ætas, & natura ægrotantis, vel breuius, vel longius principii tempus efficiet.

5. Quinto ex victus ratione, quæ antecessit; Is enim si calidior, & siccior fuerit, biliosius, adeoque calidius corpus reddet: contra, si frigidior & humidior fuit pituitosum corpus efficiet. In biliosο autem corpore calidos procreari morbos; & in pituitoso frigidos, nemo est, qui nesciat: habent autē calidi morbi breuius, vt frigidi contra longius principium.

Cæterum perfecti, & iam absoluti principii euidentissimum, & firmum admodum signum, concoctio manifesta existit. Atq; hactenus principii breuioris, aut longioris signa, vnde petenda sint, indicauimus.

Signa augmenti. Porro augmentum morbi tribus cognoscitur rebus; Nempe hora, in qua fit accessio; eiusdem longitudine, & magnitudine siue vehementia; nihil enim refert magnitudinem, aut vehementiam dicas; duo enim hæc nomina apud Medicos veteres vsitata sæpius de vna eademq; re pronuntiantur: vt Galenus testatur.

1. *1. aphor. 12.* Ex hora quidem, in qua fit accessio, ita cognoscitur augmentum: si accessio maturius inuadit, & plusquam proportio postulat, anteuerterit: certissimum hinc augmenti indicium colligitur.

2. Ex longitudine hoc modo; si accessio anteuertendo in longius extenditur tempus, augmenti notam esse, nemo non animaduertit.

3. Ex magnitudine, seu ex vehementia hoc modo: si accessio vehementius afflixerit; manifeste augmentum morbi adesse coniicimus. Proinde accessio plurimo tempore anticipans, hoc est, consuetam accessionis horam anteuertens, & longius, & multo etiam vehementius affligens, effatu dignū, ac certum morbi habentis accessionem, & per circuitus redeuntis incrementum indicabit.

Signa vigoris. Aliorum morborum augmentum facile ex illorum vehementia seu magnitudine iam increscente cognoscitur.

Vigor autem indicatur, vbi hæc omnia in vtrisque accessionibus æqualia, & sibi ipsis perquam simillima fuerint, ac in eodem statu manserint, perstiterintque.

Declinationis. Declinatio autem contrariis augmento signis deprehenditur; nempe si tardius, quam consueuerunt antea, accessiones inuadant; si breuiori tempore durant, & prioribus mitiores fuerint, minusq; afflixerint.

Possunt autem alii morbi, qui per circuitus non inuadunt, ex symptomatum vehementia, vel remissione num in vigore, aut declinatione sint, cognosci, iuxta illud Hippocratis. *Sect. 2. aphor. 30.* *Quum incipiunt, & finiuntur morbi, symptomata omnia leuissima sunt, in vigore autem vehementissima.*

De particularibus temporibus morborum.

CAPVT XV.

CÆTERVM in ipsis febribus non solum obseruanda sunt vniuersalia tempora, sed etiam particularia distinguenda diligēter. Hæc autem sunt minores partes morborum, in quas singulæ accessiones diuiduntur.

Accessio autem, Græcis παροξυσμὸς dicta, non est, nisi tempus deterius totius circuitus: quod à prima inuasione vsque ad intermissionem existit: hoc itaq; tempus quatuor partibus, seu temporibus particularibus, principio nimirum, incremento, vigore, & declinatione finitur.

Febrilis accessionis exemplo res clarior fiet. Huius certo principium est, quod extremis partibus refrigerationis sensum præbet.

Incre-

Incrementum, vbi frigus desinit; corpus autem incalescere incipit, non tamen exquisito calore.

Vigor, vbi calor æqualiter, in totum diffunditur corpus, minimasque eius obsidet particulas.

Declinatio, vbi calor imminuitur.

Porro circuitus, qui Græcis περίοδος vocatur, non est, nisi repetitio seu reditus ab eodem, ad eadem per ordinem & circulum quendam factus. Vel breuius, similis ad idem reditus, hoc est, vniuersum temporis spatium à primo statim insultu vnius, vsque ad insultum alterius accessionis.

Cuius quidem temporis duæ sunt partes; vna, quæ deterius eius tempus comprehendit; altera quæ remissionem, seu declinationem, & quietis tempus complectitur.

Primam quidem partem veteres Medici Græci παροξυσμόν, id est, accessionem priuatim nominauerunt. Qua quidem ratione in se accessio, non nisi principium, incrementum, & vigorem continet: in hac significatione accessionis vox ab Hippocrate *primo aphorismorum* vsurpatur, cum inquit: *in accessionibus à cibo abstinere oportet*; nec aliter in mox ibidem sequente aphorismo 12. accipitur, quod *in commentariis suis* Galenus iis verbis confirmauit, inquiens: *Per accessionem te oportet inaudire, deterius totius circuitus tempus, quod est à primo insultu vsq. ad tempus vigoris.* Quod certe accurate considerandum venit; quod alias Medici præsertim recentiores accessionem vocant, quę non solum in se principium incrementum, & vigorem, sed & declinationem, quam Græci proprie παρακμήν, vt diximus, nominant, complectitur.

Alterum circuitus partem, id est, omne id tempus, quod priorem partem siue accessionem, vigoremq; vsque ad secundam accessionem sequitur, Galenus in *libro de temporibus morborum*, & alii veteres Græci, παρακμήν, ἄνεσιν, ἄνδεσιν, ὕφεσιν, ἀφαίρεσιν, καὶ διάλειμμα, id est: declinationem, remissionem, submissionem, ablationem, vel interuallum appellant, proprie tamen, vt *libro primo de crisibus, cap. 5.* author est Galenus; διάλειμμα, id est, interuallum tempus est, quo in quietem febre vacantem accessio desiit, aut breuius quietis tempus, quod in febribus peculiari nomine ἀπυρεξία, id est, infebricitatio, si ita loqui licet, dicitur.

Dictorum Epilogus.

CAP. XVI.

HACTENVS itaq; diligenter prosequutus videor, quęcunque ad febrium definitiones pertinebant, atque ita quidem prosequutus, vt nihil, quod ad negotium de febris natura pertineat, deesse videatur: quamobrem nunc reliquum est, vt breuiter, & ipsa methodo, pro more maiorum, quod etiam nos in reliquis effecimus; febrium omnium differentias doceamus.

Libri Secundi de febris natura & essentia finis.

LIBER TERTIVS.

DE FEBRIVM DIFFERENTIIS, ATQVE DE FEBRIBVS EPHEMERIS, HECticis, & principiis putredinis, ex Aristotele.

De quibus agendum sit hoc libro, & quo ordine?

CAPVT I.



GO cum primum hanc methodum conscribere sum agressus (Ludouice pater) putabam ab hoc negotio me ipsum breuissime expediturum; nihilque antiquius in animo habebam, quam methodum medendi febres, veluti per capita conscribere: sed mea tamen me fefellit opinio, nam dum negotium ipsum diligenter explico, multa sese offerunt, quæ me à proposita breuitate distrahunt; in quo numero maximæ illæ fuerunt dubitationes, quas superioribus libris, dum agerem de febris natura, illustrandas assumpsi: de quibus, si nihil scripsissem, rem profecto intactam reliquissem, nihilque in medium attulisse videri possem, quod rebus dubiis lucem afferret. His addito, quod cum multi in his explicandis pueriliter errauerint, non fuit à nobis dissimulandum, quin diceretur, quid bene, & quid non bene ab illis dictum fuerit.

Hæc est causa (Pater Clarissime) quod adhuc duos integros libros conscripsi, in quibus nihil aliud, quam naturam & essentiam febris exposui. Quamobrem nunc reliquum est, vt eadem diligentia, quæ supersunt expediam. Atque in primis explicare oportet, quæ summę sint, atque generales differentię febrium; à quibus deinde progressi ipsa methodo diuisiua pro more maiorum ad illas differentias perueniemus, quæ amplius sectionem, cum vnum numero sint, recipere non possunt: Sic enim nos recte obseruabimus diuidendi methodum; quam in omnium scientiarum, omniumque artium constitutione necessariam esse, non solum diuinus Plato, sed etiam Galenus passim notauit. Hæc erit nostra methodus, ad quam antequam accedam, primum tum Hippocratis opinionem cum Galeni in medium afferam.

Verum cum omnia diligenter fuero prosecutus, quæ ad generales febrium differentias pertinent, de febribus ephemeris pertractabimus: quæ omnium febrium mitissimæ atque simplicissimæ sunt: hoc igitur libro de his transigendum est.

Quæ sit Hippocratis opinio de febrium differentiis, & quæ eius declaratio?

CAP. II.

Gal. lib. 2. meth. c. 6.



VONIAM itaque methodi diuidendi principium est constitutio essentiæ rei diuidendæ; omnes, qui de febrium differentiis conscripserunt, à substantia, & essentia primas ac generales differentias desumendas esse tradiderunt, in quorum numero Hippocrates Cous vir ante omnē philosophiam natus, & diuino præditus ingenio, primus omnium perfecte (si tamen Galeno credimus) diuisisse febrem dicitur: nam cum totam substantiam, & essentiam febris contineat calor præter naturam; ab huius differentiis primas ac supremas differentias febrium desumit.

Gal. lib. 1. de dif. feb. c. 1. 6. epid. sect. 1. 19.

Tres

Tres autem ſunt huius caloris differentiæ, quarum vna ex eo, quod magis, & minus; altera ex materia, ex qua hic calor præternaturam accenditur; & tertia ex modo motus caloris deſumitur: quamobrem tres ſunt præcipuæ febrium differentiæ ab hiſce tribus ſenſibus deſumptæ: de quibus Hippocrates hoc modo locutus eſt: *Febres quidem aliæ mordaces ſunt manui, aliæ mites, aliæ non mordaces quidem, ſed poſt inſurgentes, aliæ vero acutæ, ſed à manu victæ aliæ ſtatim valde ardentes, aliæ in totum debiles, aridæ: aliæ ſalſuginoſæ, aliæ pemphingodes, aſpectu terribiles, aliæ tactui humectæ, aliæ valde rubræ, aliæ valde pallidæ, aliæ liuidæ, & id genus alia.* Hæc ille. *Hip. 6. epidem. ſect. 2. tex. 29.*

Verum quia propoſita Hippocratis verba obſcuritatem habent, idcirco explicanda ſunt à nobis, oſtendendumque, ſub quo genere ſingulæ ex propoſitis differentiis reducendæ ſint.

Hippocrates igitur videtur mihi febrium differentias afferre, tum eas, quæ ex proprio genere, &, vt rectius dicā ab eſſentia deſumuntur, tum etiam illas, quæ ab accidente aliquo proueniunt: de quibus ſane in vltimis verbis dixit: *Aliæ valde rubræ, aliæ valde pallidæ, aliæ liuidæ, ac id genus alia.* Primum dicamus de illis, quæ ab eſſentia, ſubſtantiaq; febris proueniunt. *Explicatio ſententiæ Hippocrat.*

Eſſentia quidem febrium eſt non ſecundum Hippocratem modo atq; præclariſſimos Medicos, ſed etiam ſecundum communem omnium hominum conſenſum, *vt primo libro* diximus, præternaturam caliditas maxime quidem in totum animal effuſa, ſin minus, at omnino vel in pluribus partibus, vel in nobiliſſimis accenſa: Sæpius namq; vniuerſa cutis nullam euidentem præternaturam caliditatem, neque nobis exterius tangentibus, neque ipſis laborantibus præ ſe ferre videtur; ſed in profundo corpore ipſi ægrotantes ſentiunt; viſceraq; ſibi incendio flagrare aiunt: nonnulli præterea faſtidio afficiuntur, & ſiticuloſi ſunt, atq; peruigiles. Nunc itaq; Hippocrates febrium differentias explicaturus, à propria illarum eſſentia exorditur, à calore ſcilicet præternaturam. *Eſſentia febris quæ.*

Cæterum hic meminiſſe oportet eorum, quæ nos conſcripſimus de natura caloris præter naturam, & quomodo is à naturali differat: quorum ſane ſumma in eo conſiſtere videtur; naturalem calorem mitem, atque ſuauem & halituoſum eſſe: calorem autem præternaturam mordacem acrē, atq; deurentem; Illum omnes naturales operationes facere; hunc vero contra omnes aut deſtruere, aut ſenſibiliter lædere.

Qua ratione recte ſane dicemus cum Hippocrate febrium nonnullas eſſe manui mordaces: quandoquidem, vt dixi, calor præternaturam mordax, & acutus eſt: mordaces vero non ſimpliciter intelligit febres: quia omnes hanc naturam habent, collatæ naturali calori: ſed eas intelligit, quæ maximam mordacitatem continent; haſque illis febribus comparat, quæ minorem mordacitatem habentes, ſuaues illorū reſpectu nuncupantur. Sic enim conſueuimus nos caliditatem præternaturam, acrem illam quidem & mordacem; collatam caliditati valde infeſtanti, & maxima mordacitate præditæ, ſuauem, mitemq; nuncupare: quamobrem caliditas, quæ in febribus apparet, aliquando maxime acris eſt: aliquando parum: & aliquando medio modo ſe habet.

Manui vero mordacem caliditatem diximus; quoniam, vt Galenus admonuit, Hippocrates febrium differentias proſequitur, non quæ ægrotantibus apparere videtur: ſed quam ipſi Medici tactu diſcernunt, cuius proprium eſt, caloris differentias cognouiſſe.

Addit Hippocrates; *aliæ non mordaces quidem, ſed poſt inſurgentes.*

Omnes febres in hoc vno conueniunt, quod mordacem caliditatem habeat: differunt autem, quod quędam magis, quædam minus, de quibus dictum eſt ſupra, quędam mordaces, quædam mites.

Rurſus vero earum, quæ mites ſunt, id eſt, quæ paucam nobis tangen-

 tibus

tibus mordacitatem habere videntur; duplex est ordo; quædam enim mitres sunt, dum manus imponuntur prima scilicet impositione manus; at dum immoratur manus in tangẽdo pericardio, caliditas mordacior sentitur, multoq; vehementior insurgit; quædam vero à tangente manu euincuntur, perpetuoq; mitem calorem ostendunt, vt febres ephemeræ & si quæ sunt id generis aliæ: Illis igitur verbis Hippocrates insinuauit febres, quæ prima statim impositione manus mites videntur: at per longum tempus iniecta, diutiusq; immoranti acres & mordaces videntur.

Hic autem scire oportet inueniri nonnullas febres his contrarias; quæ videlicet prima manus impositione acres, & mordaces apparent: at per longum tempus iniecta in ægrotantem manu, caliditas videtur sensibiliter diminui, ab ipsaq; manu euinci ac superari; tales sunt exquisitæ tertianæ, vt suo loco dicemus. *aliæ vero acutæ.*

Hactenus eam prosecutus est differentiam, quæ in eo quod magis, ac minus consistit: nunc vero illam affert, quæ à modo motus ipsius caloris desumitur. Affert enim quasdam esse febres acutas.

Definit Galenus acutas febres esse, quæ propria tempora vsq; ad finem velociter pertranseunt.

Quamobrem dictio hæc *acuta* de caliditate celeriter manu occurrente, suumque ipsius velocem motum ostendente, intelligenda est: quemadmodum acutos aliquos & acres nominamus, quod idem est, ac si celeres dixeris. Me autem non latet, alias etiam esse vocis huius *acutæ* significationes, quæ consulto prætermittuntur, quoniam sola hæc aut certè magis nostro proposito conducit; vt Galenus etiam *libro sexto epidemiorum* testatur.

Sed à manu victæ, contrariæ sunt hæ febres illis, de quibus dixerat.

Sed post insurgentes, duplex enim est acutarum febrium discrimen; quædam enim à manu euincuntur, quales vtplurimum sunt quas bilis flaua concitat: quædam vero non euincuntur, vti sunt, quas bilis propter adustionem crassior reddita, producit.

Aliæ statim valde ardentes; *aliæ in totum debiles*, differentiam prosequitur desumptam à magnitudine, & paucitate caloris præter naturam: magnæ enim sunt febres, quæ sunt statim valde ardentes: paruæ autem contra, quarum calor in totum scilicet morbi processum debilis mitisq; videtur.

Additum autem in oratione est illud *statim*, quoniam ardentes febres non semper eodem modo exordiuntur; nam aliquando statim à primis videlicet diebus valde ardentes apparent; aliquando vero debiles apparent in principio, postea tamen augentur.

Atque propter hanc causam addidit in secundo diuisionis membro *per totum*, vel *in totum.*

Addit insuper Hippocrates alteram differentiam his verbis *aridæ.*

Aridas febres nuncupauit illas; in quibus nobis tangentibus cutis arida videtur, & aspera: contingit autem hoc in deurentibus febribus, potissimum cum periculum imminet, ne in tabem incidant: quod potissimum euenit corporibus biliosis febre aliqua acuta detentis. Quemadmodũ nunc, dum hæc conscribimus, experimur in nobilissimo, paríterq; doctissimo Domino Alexandro Sinibaldo, comparte meo: qui post febrem quandam acutam tota cute arida, & aspera euadente; post dies aliquot in febrem in habitum incidit.

Historia.

Dubium.

Aliæ salsuginosæ: propter quam causam salsuginosas febres dixerit, obscurum est: quoniam salsum non tactu, sed tantum gustu sensibile est: Medici vero per proprium ipsorum gustum febrium notitiam minime adipiscuntur: multo autem minus, quod quæ ægrotantibus offeruntur, salsuginis sensum afferunt, salsuginosæ febres dicuntur. Nam cur insipidas

febres

febres prætermisisset? in quibus ægrotantes insipidū gustant? quid non retulit amaras? quid q̧ tamen frequentissime ægrotantibus accidit, sed quorsum referre hæc ad gustum oportet, cum tamen febris solo tactu, cuius est proprium caliditatem discernere, cognoscatur?

Nos quidem dubitationi hoc modo satisfaciendum putamus ex Galeni principiis. Hoc videlicet ad tactum ipsum referri, atq; desumptam esse similitudinem à muria. & à reliquis salsis corporibus.

Tale autem est, quod ab illis proficiscitur: si quis muria corpus abstergat, aut etiam tangat salito aliquo corpore, pruritum quidem, & morsum faciet. Sic profecto illas febres salsuginosas nuncupauit Hippocrates, quæ morsum quendam, atque pruritum tangentibus afferunt, perinde ac si muria esset cutis aspersa. Talis igitur est explicatio huius, quod dixit, *salsuginosæ*.

Quod autem postea subsequitur, longe maiores difficultates habet: nam inquit: *aliæ pemphingodes, aspectu terribiles.* Dubitationem enim habet, quid per febres *pemphingodes* intelligere oporteat: atque rursus, quid per *aspectu terribiles.* Galenus postquam aliorum opiniones retulit, & refellit, tandem sic interpretatur: cuius ego hic sententiam libenter affero; quoniā videtur Hippocrates mentem attingere. Galenus itaque postquam varias huius vocis *pemphix* significationes attulit, ac aliorum expositiones refellerit, sic rem his verbis concludit: *Igitur verisimilimum est febrem pemphingodem dictam esse aut spirituosam, quæ ad tactum referatur, aut pestilentem: in sermone autem cum huic voci* pemphingodes *hæc* terribiles *adiecta sit sola pestilens febris denotatur, cuius ab aliis calor per putredinis excellentiam differt: sicut in hac nostra tempestatis longissima pestilentia visum est: atque idcirco, neque calidi & perurentes, qui peste laborabant, tangentibus videbantur: quamuis interius magno flagrarent incendio, quemadmodum, & Thucidides aiebat. Et exterius quidem tangenti corpus, neq; valde calidum erat, neq; viride: sed subrubrum liuidum, pustulis exiguis, & vlceribus efflorescens, interiora autem ita vrebantur, vt neque valde subtilium vestimentorum, neq; linteolorum velamenta, neque aliud quiddam præter nuditatem ferre possunt.*

Ex hac Galeni interpretatione colligendum est, à sententia Hippocratis, quod etiam idem Galenus manifestissimis verbis expressit, eliminandam esse hanc vocem *aspectu*, ceu quæ nihil penitus ad propositam dignotionem faciat.

Aliæ tactui humectæ, contrariæ sunt hæ, febres illis, quas supra aridas nuncupauit: sunt autem humectæ febres illæ, in quibus nobis tangentibus cutis videtur admodum humida, ac mollis: quales videntur esse potissimum Amphimerinæ febres.

Aliæ valde rubræ, ab iis differentiis febrium, quæ maxime propriæ sunt, atque desumūtur à propria febris substantia: ad illas progreditur, quæ ab accidente aliquo desumuntur: quo etiam pariter, nobis innotescit cognoscendi modus. Itaque febres nuncupauit valde rubras, eas quæ fiunt à sanguine, siue is putrescat, siue minus: quas febres synochos nuncupauerat, tresque sunt illius differentiæ: increscens, continuo decrescens, & in eodem tenore permanens.

Aliæ valde pallidæ, febres notauit quas flaua bilis concitat: est enim bilis pallida & flaua, eaque putrefacta talem colorem facit, qualis erat in venis humor.

Aliæ liuidæ; liuidæ sunt, quæ caloris mortificationem indicāt, omnesque sunt malæ & perniciosæ.

Cur autem nigras prætermisit? Respondet Galenus, quod ad liuidum colorem videntur referre.

Superest modo, vt residuum sermonis Hippocratis interpretemur, cum habet, *& id genus alia.* Quoniam Hippocrati satis operosum videbatur

singulas differentias: siue species febrium recensere; idcirco dixit, *& id generalia*: Nam febrium quædam sunt intermittentes, quædam continuæ: & intermittentium hanc tertianam, illam quotidianam, aliã vero quartanam.

At continuarum aliam semitertianam, aliam ardentem, aliam gelidam, aliam succensam, aliam pestilentem, aliam palustrem, aliam epialam.

Idem secundum aliam diuisionem aliis quoq; morbis communẽ, nonnullas acutas febres nuncupamus, nonnullas diuturnas.

Alia quoque diuisione boni moris febres, alias mali moris: quin etiam alias ordinatas, aut inordinatas; præterea quasdam circumeuntes & erraticas.

Has quidem differentias febrium, & alias eiusdem generis intelligere, voluit Hippocrates ea sententia, *& id genus alia.* Quemadmodum Galenus *sexto Epidemiorum* interpretatur. Sed hæc hactenus de interpretatione verborum Hippocratis.

Particul. 1. com. 29.

An aliquid in proposita Hippocratis diuisione desiderari possit?

Capvt III.

Absvrdvm fortasse, atq; arrogantiæ plenum cuipiam videbitur; si ego vix dum inter proprios lares notus, refellere Hippocratis opinionem voluero. Cuius profecto tanta fuit apud omnes gentes authoritas, præsertim vero apud Galenum nostrum, quod impossibile videatur, quicquam in eo homine reperiri posse, quod veritatem non habeat.

Verum profecto, quamuis ego eum me non esse putem, qui valeam Hippocratem refellere; neque hoc mihi aliquando attribuam; possum tamen pro ipsaque veritate debeo Hippocratis verba aliter interpretari, quam à Galeno interpretentur. Is enim plus nimio Hippocrati addictus, multo plura homini aliquando tribuit, quam fuerat reuera tribuendum: id quod quemadmodum nos in aliis obseruauimus, nonnullis, sic certe in proposita diuisione luce clarius docebimus.

Duo sunt, quæ Galenus affert de proposita diuisione Hippocratis. Primum quod hæc optima sit diuisio. Alterum, quod cum differentiæ caloris sint tres: prima in eo, quod magis & minus. Secunda ex materia, in qua calor præter naturam accenditur. Tertia ex modo motus ipsius caloris Hippocratẽ prosecutum esse omnes istas differentias, vna cum dignotionis modo. Mihi quidem vtrumq; videtur falsum.

Optima ratio diuidendi.

Nam quod optima non sit diuisio, idem Galenus restatur, cum errores Medicorum docet in diuidenda febre. Primum oportet diuisionem conflari ex maxime propriis, ac principalibus differentiis: Secundo non sunt in diuisiua methodo assumendæ differentiæ, quæ ex aliquo accidente sunt receptæ. Tertio in diuidendo neq; superfluas differentias addere debemus, neque illas deserere, quæ sunt necessariæ. Posttremo, quod diuisio à rei substantia, & essentia exordiatur.

Hippocrates igitur in proposita diuisione, tametsi videatur prosecutus essentiales quasdam differentias; nihilominus desumit differentias ab aliquo accidente receptas, vt cum dicit, afferr, febres quasdam pemphingodes aspectu tetribiles: alias valde rubras, alias valde pallidas, alias liuidas: Hæc enim Galeno etiam teste non solum sunt accidentales differentiæ, sed etiam parum necessariæ: potest enim esse febris à sanguine, prætetquam quod rubeus color efflorescit in cute; potestq; esse biliosa sine palliditate corporis vt quotidie obseruamus: Quamobrem in hoc primum deficit diuisio: quod accidentarias, minimeq; necessarias differentias admittat.

Deinde vero alterum etiam videtur vitium, quod necessarias differen-

ferentias omittit. Necessariæ siquidem differentiæ sunt, quas Galenus duce ipsa methodo diuisiua *libris de febrium differentiis* prosequitur supposita semper prius rei diuidendæ essentia ac substantia.

Præterea in altera etiam parte proposita diuisio videtur mihi deficere; quod non omnes differentias prosequatur, quæ à calore præter naturam sumuntur; nihil enim colligere possumus, quod faciat ad differentias caloris præter naturam in materia, & in proprio subiecto existentis; quale subiectũ sunt humores cordis, aut spiritus, aut solidæ eiusdem partes, vt supra demonstrauimus.

Quid igitur, inquiet fortassis aliquis vestrum? Ergo in proposita diuisione Hippocrates errauit? Minime vero inquam: nam non fuit scopus Hippocratis methodo diuisiua numerum febrium inuestigare, sed solum sparsim quasdam differentias recensere substantiales febris; vel quæ substantialibus maximæ proximæ sint. Qua ratione hoc vnum confitemur Hippocratem verissima conscripsisse; non tamen methodo diuisiua, quod videtur Galeno placuisse.

Sed si volumus hunc etiam à calumnia tueri, dicamus, Hippocratem optimam diuisionem fecisse collatione habita ad alios, qui febrium differentias docuere: Simpliciter autem, vt iam diximus, minime.

De summis differentiis febrium secundum Galeni principia.

Cap. IV.

Sed de Hippocrate quidem hactenus, nunc relinquitur, vt Galeni sententiam ab omnibus Medicis approbatam, afferamus: qui certe videtur mihi rem diligentissime prosecutus. Is igitur primum sane præsupponit optimas illas esse differẽtias, quæ à substantia ac essentia rei diuidendæ desumuntur: quoniam itaq; proposita est febrium diuisio, conuenit in diuidendo ab illius natura exordiri: est autem natura, & substantia febris calor præter naturam: quamobrem tot erunt primæ, atq; præcipuæ febrium differentiæ; quot sunt calores huius præter naturam. Huius vero tres sunt conspicuæ differentiæ, quarum vna ex eo, quod magis, & minus; altera ex materia, in qua hic calor præter naturam accenditur; & tertia ex modo motus caloris desumitur. Hac ratione tres videntur nobis præcipuæ febrium differentiæ proficisci. Quarum sane omnium maximæ sunt euidentes, quæ in eo, quod magis, ac minus consistunt. Quo in genere differentiæ consueuerunt Medici, magnam aut paruam febrem nominare, non proprie quidem rei quali nomen quanti accommodantes: hoc tamen facere assueti non in febribus modo, sed in mille etiam aliis rebus. quæ licet in qualitate consistant; magnæ tamen, & paruæ dicuntur: propter hanc itaq; causam eæ differentiæ, quæ à materia desumuntur, in qua hic calor præter naturam febris essentiam complectens, pabulatur: primæ, atque maxime propriæ febrium differentiæ à Galeno nuncupantur. Nam quæ sumuntur ex modo motus caloris, citra iam dictas cognosci non possunt. Quamobrem reliquis omnibus prætermissis febrium diuisionem tradit ex materia, in qua calor hic præter naturam residet. Vel enim cordis corpus obsidet; vel humores, qui sunt in corde; vel spirituosam eiusdem substantiam inuadit, nam triplex est substantia nostri corporis, continens contenta, & impetum faciens: continens equidem solida pars dicitur, quæ omnia in humano corpore existentiam complectitur: contentum vero est humor: impetum autem faciens est aerea substantia, quam spiritum nuncupamus.

Libr. 1. de febr. differ. cap. 1.

Febrium differentiæ tres.

Gal. 1. aph. 14. 6. epid. 1. c. 19. 1. de febr. diff. cap. 1.

Quoties igitur cunque calor hic excalefacit spiritus; humores autem & solidæ partes excalefactæ quidem non sunt, sed calefiunt; illa exoritur febris differentia, quam ephemeram, hoc est, diariam ab euentu ipso appel-

lamus. Plurimum enim differt, an calefactum esse dicas, an calefieri. Talis namq; dicitur febris, qualis materia à calore præter naturam excalefacta est.

Si vero non solum spiritus, sed etiam humores excalefacti sunt, at solida cordis substantia adhuc excalefiat, humoralis febris dicitur.

Ibid. Duas partes excalefactas esse tradidimus; quia impossibile est, quin humoribus excalefactis spiritus calefacti non sint: citius enim aerea substantia inflammatur, atq; vere incenditur, quam aquea.

Cæterum si iam dictæ tres substantiæ, potissimum vero solida, excalefactæ sint, febris in habitu gignitur, quam Græci hecticam nominant.

Quamobrem triplex est febrium genus, discrimine desumpto à materia, in qua calor præter naturam accenditur. Quam rem Galenus pulcherrimo exemplo declarauit his verbis: *Cogita* (inquit) *aquam calidam frigido lebeti iniectam; deinde ex eius vicinia lebetis corpus calefieri, nondum exquisite esse calefactum: excogita iterum in calidum, atq; ignitum lebetem aquam frigidam infusam, deinde ab eodem lebete adhuc quidem calefieri, nondum autem esse calefactam. Horum quidam exemplorum secundum primam febrium differentiam ostendit, quam diximus ipsum cordis corpus occupasse; primum vero eas, quæ in ipsis consistunt, humoribus. Reliqua vero & tertia differentia, simile quidem omnino non habet, exemplum; at manifestioris quidem doctrina gratia concipe animo fabrilem follem trahentem quidem ad se ipsum aerem calidum, deinde ab eodem calefieri, nondum esse calefactum.* *Ibid.*

Sed & rei, quam monstrare voluimus, naturam exemplum ipsum magis ostendet, si humorum in folle contentū cogitaueris: adhuc vero magis si follis foramina per quæ aerem trahit, atque efflat, adeo arte fabricata, vt humorem quidem non admittant, aeri autem peruia existant: in quo sane plurimum differunt naturæ opera ab his, quæ humana arte sunt fabricata.

Hic autem notare oportet, si vera sunt ea, quæ supra posuimus principia, in omni febre necessarium esse cordis solidam substantiam calefieri: calidam scilicet pati intemperiem; siue hæc sit æqualis, vt in febribus hecticis contingit; siue inæqualis, vt in putridis & ephemeris. Alioquin cor non esset proximū subiectum febris, nec febris morbus esset, vt supra deduximus. In ephemeris itaq; febribus atq; in iis, quæ in humoribus accenduntur, calefieri ipsius cordis pro constitutione subiecti febris sufficere videtur. Siquidem falsum est, atq; ab omni ratione semotum, arbitrari subiectum febris esse humores, aut spirituosam substantiam. Quamuis verissimum sit, enunciare subiectum caloris præter naturam, aliquando esse spiritus, aliquando humores; aliquando vero solidas partes. Hæc enim diuersa sunt axiomata, & de diuersis rebus proferuntur.

Galeni loci explicatio præter omnium opinionem.

Primum enim de ipso morbo dicitur: Secundum autem de ipsa proxima, & continenti morbi causa enunciatur: id quod parum sane considerantes recentiores Medici in errores quamplurimos inciderunt, putantes calorem præter naturam morbum esse, & febris subiectum aliquando esse, vel humores, vel spiritus: cum tamen neq; ille calor sit morbus; neq; si subiectum febris esse queant, vt alibi copiosius disseruimus.

Sed vt iam ad propositum reuertamur, Galenus hac methodo summas febrium differentias, & genera inuestigauit: quæ quoniam optime quidem inuenta sunt, & nullam penitus dubitationem habent, à nobis libenter admittuntur. Tres itaq; sunt febrium differentiæ communes, & maximæ generales: hectica, humoralis, ephemera.

Conclusio dubitationis.

De opinione Auicennæ circa diuisionem Febrium.

CAP. V.



Vicennas, qui certe maximus est Medicus, & cui plurimum debemus, in diuidenda febre, tres modos diuidendi in medium attulit: inter quos vnus est à Galeno desumptus, quem nos consulto

sulto prætermittemus, cum satis superq; de eo iam actum sit supra: alii vero duo proprii sunt ab Auicenna descripti, quamuis etiam de his mentionem faciat Galenus: non tamen eo loco, quo ex proposito febres diuidit, sed alibi, vt docebimus.

Primum ergo ex aliorum sententia febrem diuidit, in febrem accidens, & febrem ægritudinem seu morbum.

Eam quidem esse febrem accidens tradidit, quæ sequitur tumores præter naturam, exceptis tamen ephemeris à bubone inguinum: nam omnis febris, quæ apostemata sequitur, quatenus apostemata sunt, & secundum propriam illorũ naturam, estq; illorum accidens, merito dicetur febris accidẽs.

Cum enim duo sunt morbi, quorum vnum sequitur immediate alterum, vt accidens: quod subsequitur per accidens inesse dicitur. In hoc genere sunt febres, quæ sequuntur pleuritides, anginas hepatides, phrænetides, aliasq; internas humani corporis inflammationes; quas nos clarioris doctrinæ gratia febres nuncupabimus symptomaticas.

Febres vero ægritudines sunt, quæ non sequuntur, vt accidens alterum morbum, sed à causa immediata fiunt, quæ non est morbus; vt febris putrida, cuius proxima causa est vel putredo, vel vapores putridi.

Hanc diuidendi rationem quamuis videatur refellere, non refellit tamen, sed admittit, vt omnibus manifestum est.

Sed hic profecto parumper insistendum est.

Recentiores quidã Medici, maximi alioquin nominis, hanc diuisionẽ refellunt, putantes, nullam esse febrem, quæ accidens debeat nũcupari, cum quælibet febris sit calor præter naturã accensus in corde, & ab eo procedens per venas, & arterias mediante spiritu. & sanguine per vniuersum corpus, & eius lædit operationes: quamobrem nulla est febris accidens.

Pro huius difficultatis solutione aduertendum est, primam hanc diuisionẽ ex Galeno desumptam esse: deinde vero in medendi methodo plurimum esse necessariam; tandemq; nihil concludere horum rationem.

Quantum ad Galenum pertinet, audire oportet eius verba, quæ in hũc modum habent *lib. 4. aphorismorum, cõmentario 73. à Febribus molestari dicebant antiqui illos, qui absq; inflammatione aliqua, vel abscessu, vel dolore, vel erysipelate; vt simpliciter dixerim, absq; aliquo membro præcipue affecti ægrotabant: Quod si propter lateris inflammationem, vel pulmonis, vel talis partis alterius febricitarent, nõ febricitantes ipsos nominabant, neq; à febribus molestari dicebant sed pleuriticos, aut peripneumonicos, & aliis similibus nominibus veluti hepaticos, & lienosos appellabant.* Et alio in opere; *hæc de febre ipsa* (inquit) *arbitrantur, nimirum si post sensibilem alicuius membri aduenerit affectum, accidens esse: alioquin ægritudinem esse censendam.* Et alibi; *febris aliquando morbus, aliquando accidens.* & *libr 7 aphorismorum commentario 44.* ait; *nam febris quidem in inflammatione vesicæ, non absq; ratione fieret, quin quanta illa maior, ac grauior, tantum augeri febrem contingeret, cum casus sit inflammationis.* Multo autem apertius rem ipsam hisce verbis Galenus significauit: *& cum Hippocrates in febribus dicit morbos febriles, intelligit, quando febres ipsæ sunt passio, & non casus partis alicuius, quæ aliquo dictorum affectuum laboret.*

De morborum diff. c. 5. lit. F.

1. de mor. val. c. 4. par.

4 aphoris. com. 68.

Ex his igitur, quæ nos hucusq; retulimus, manifestum est. propositam distinctionem esse ex Galeni principiis depromptam, Galenumq; illam vere expressisse: nunc doceamus, quam in medendo vtilitatem afferat hæc distinctio. Febres, quæ ab alio morbo originẽ non habent, sed ex seipsis dependet, variam, plurimumq; diuersam rationem curandi postulant, ab his febribus, quæ ab aliis affectibus proueniunt. Nam illæ proprias habent indicationes curandi, qui à febrium essentia, eiusq; causis desumuntur; propriaque postulant remedia: hę vero in ipsa curandi methodo nullas habent proprias indicationes, sed tota curandi ratio petenda est ab eo affectu, à quo generatur: quo remoto, etiamsi nihil pro febre propulsanda factum fuerit, statim tamen euanescit.

Distinctionis propositæ vtilitas quanta.

Quod

Exemplum. Quod dixi, hoc exemplo palam fiet. Pleuritidem febris quædam comitatur, tantaq; casus inflammationis costas subcingentis: hæc nullam propriam curationem postulat, sed curatur, curatione pleuritidis, qua abolita, sponte febris ipsa deletur.

Idem est iudicium de febre, quæ subsequitur anginam, aut alios tumores præter naturam.

Contrarium tamen accidit in iis febribus, quæ alium morbum, vt symptoma, non insequitur. *Responsio ad dubitationem.* Nunc ad rationem in contrarium factam respondente dicamus; omnem febrē, quæcunq; ea sit, & quomodocunq; adueniat, semper morbum esse; quandoquidem omnis febris est intemperies calida cordis vel æqualis, vel inæqualis. Quamobr. m cum semper febris suam essentiam habeat in facto esse, curatio symptomatis, veraque illius natura conuenire febri non potest. Nihilominus illi conuenit, atq; à Medicis attribuitur per quandam similitudinem.

Cur febris dicatur accidens. Ea vero est quod, quemadmodum symptoma morbum sequitur: sic febris proposita alterum sequitur morbum. *Primo.*

Secundo. Deinde, quemadmodum symptoma aboletur ad ablationem morbi; à quo dependet: sic pariter hæc symptomatica febris.

Tertio. Ac tertio, sicut symptoma, vt tale est, nullam de se promit indicationem curandi; ita febris, quæ casus est morbi, indicationes & curationem sequitur. Illius morbi: propter hanc igitur similitudinem nuncupatur: aliquando febris accidens, & symptoma. Et hæc de prima diuisione Auicennæ.

Secunda diuisio febris. Aliam præterea diuisionem affert satis equidem vtilem in medendis febribus. Eiusce modi autem est diuisio.

Acuta. Quod febrium quædam sint acutæ: quædam antem non sint acutæ.

Diuturna. Demum febrium nonnullæ sunt diuturnæ; nonnullæ breuis terminationis.

Nocturna. Præterea aliæ febres sunt nocturnæ, quæ scilicet noctu inuadunt: quædam diurnæ, quæ die solum affligunt. *Diurna.*

Salubris. Rursus vero ex omnibus febribus, quędam sunt salubres, omnibus malis symptomatis priuatæ: quædam non terribiles, & periculosæ. *Periculosa.*

Intermittens. Amplius aliæ sunt intermittentes, quæ scilicet ad manifestam infebricitationem peruenjunt; aliæ vero continuæ illis oppositæ. *Continua.*

Contraria. Cæterum continuarum duplex iterum differentia: quædam enim notas accessiones habent, & circuitibus inuadunt: quædam sine circuitibus, & hæc sub triplici differentia constituuntur: quoniam aliæ semper increscunt; aliæ semper minuuntur. *Synochus.* Aliæ semper in eodem tenore permanent: vocantur hæ febres à Græcis synochi.

Tandem febrium quædam inuadunt cum rigore, horrore, aut horripilatione; aut vniuersaliter aliquo typo; aut sine his. *Calida.* Hæc dicitur calida, illa vero à symptomate frigida. *Frigida.*

Simplex. Postremo febrium aliæ sunt simplices; aliæ compositæ. Hæc Auicenna. *Composita.*

Quid febris magna, & parua.

CAP. VI.



Nteaquam nos propriam opinionem affetamus circa rationem atq; methodum diuidendi febres; hoc loco necessarium est explicare quid intelligamus per nonnullas differentias febrium, quibus frequentissime tota hac nostra tractatione vsuri sumus: & q... .on mediocrem habere difficultatem videntur; suntq; maximo vsui nobis futuræ ad eorum, quæ posthac dicentur, explicationem.

Inprimis vero enarremus, quid nomine intelligamus magnæ, & paruæ febris: sed quia hoc perfecte cognosci non potest, non cognito, quid morbus sit magnus, propterea primum docendum, quid magnitudine morbi in-

bi intelligamus. Magnus itaque morbus dicitur, qui vel vires humani corporis superat, vel in sua substantia mediocritatem excedit. Vitium enim collatione morbi dicendi sunt magni, vel parui. Siquidem qui vires non superat, paruus: qui excedit, pro excessus qualitate, magnus dicitur. Siquidem excessus hic differentias nonnullas habet in eo, quod magis, ac minus.

Magni morbi definitio.

Quantum vero ad morborum substantiam attinet, quidam sunt propria natura parui, leuesque, vt febris ephemera, quidam vero magni, vt inflammatio. Definitionem hanc magni morbi ex Galeno desumi, his verbis manifestum est.

Hinc est (inquit) *quod nonnulli vnum ex magno morbo, qui ad aliquid relationem habet, significari arbitrentur; ignorantes interim, & sic magnum morbum dici, quemadmodum si materem etiam diceremus, cum supra vires nostras fuerit: Dicitur etiam & ex propria substantia, vt homo, vel equus, vel bos, magnus.*

Confutatio ex Gal. 1. de totius mor. tempor. c. 5.

Sed statim profecto non contemnendam dubitationem habet, quod Galenus in methodo medendi tres affert magni morbi significationes: magnus enim est morbus vel ratione partis præcipuæ, quæ sit affecta: vel quod sua essentia substantiaque sit magnus; vel propter cacoethiam. Igitur oportet Galenum sibi ipsi pugnantia docuisse: cum hæc non constent inuicem, duas esse significanones magni morbi: & alibi tres tradiderit, & enumeret.

lib. 4. meth. cap. 6. Contradictio.

Hinc Ioannes Argenterius, & recentiores quidam, quorum studium, & ingenium ad contentiones paratissimum est, Galenum inconstantiæ accusant. Sed hoc loco ostendamus, quam pueriliter, & perperam admirabilem hunc autorem reprehendant.

Cauillationes Argenterii.

Rem igitur expositam ponamus primum conclusionem, quam diligenter probabimus.

Trimembrem illam diuisionem, ad bimembrem iam à nobis expositam esse referendam: atque propterea Galenum minime sibi ipsi repugnantia scripsisse.

Inprimis ergo suspecta videtur nobis hæc propositio: *Magnus morbus est, qui nobilem partem obsedit.* Quia omnis febris magnus esset morbus: cum febris generatio sit corde affecto, vt libris superioribus docuimus: quis igitur tertianam exquisitam; quis ephemeras febres magnos morbos nuncuparet? quis febrem quartanam? aut etiam quotidianam? quis etiam continuam, quæ frequentissime aduenit, salubribus signis firmatam affectum magnum diceret? an fortasse febrem hecticam appellabimus magnam? An scirrhum in hepate? an etiam eiusdem obstructionem? quis præterea leues quosdam in capite dolores magnos diceret?

Dubitationes quæ accidunt Galeni verbis.

His addito anginam, quæ inflammatio est faucium, magnum affectum non esse; quod pars non sit ex principalium numero.

Quapropter non sunt Galeni verba sic superficietenus intelligenda: sed diligentius contemplanda.

Qualem itaque, inquit fortasse aliquis, interpretationem ad hæc Galeni verba tribues?

Ego quidem sic puto: quod quando is ait morbum magnum dici ratione partis principis: intellexisse, magnitudinem penes læsionem principum actionum. Sic angina, pleuritis, peripneunomia, sic apoplexia, morbus comitialis, tetanus, & reliqui id genus, magni morbi appellantur, quia principes vires, actionesque lædunt, ac delent: Illi vitales actiones, vt caloris innati ventilationē, & refrigerationem, respirationem; qua impedita calor, & vires suffocantur, & extinguuntur. Hi vero animales actiones offendunt. Morbus igitur cum principes actiones, & vires, vel superat, vel lædit, magnus dicitur.

Nota hanc nouam expositionem.

Hanc relationem & collationē Medicus omnino spectare debet, quo perfectum, minimeq; fallax faciat prognosticum, quamobrem dicebatur ab Hippocrate *primo prognosticorum.*

Proinde

Proinde horum naturas Medicus noscere debet, quantum corpora viribus sint superiores.

Itaque Galenus hunc ad modum, vt ego quidem arbitror, intelligitur, cum asserit, morbum esse magnum ratione partis principis, id est, quando principes vires, & actiones vel lædit, vel delet, vel superat: & ita respectu virium dicitur magnus.

Alio modo dicitur magnus ratione suæ essentiæ & substantiæ. At hoc erit, quando morbus opus suum perficit: Perficit autem corpus summoperè lædens, mirumq́; in modum affligens, quod proprium morborum est, tuncq́ue magnus morbus est.

Nomen intellectus morborum Galeni.

Verum quoniam substantia de materia, & forma dicitur: morbus quoque magnus ratione substantiæ, id est, materiæ, & formæ dicetur. Sicut enim appellamus hominem magnum, vel ratione materiæ, quia magno est corpore in triplici genere magnitudinis, latitudine, longitudine ac profunditate: vel ratione formæ: quia magno animo, magnis viribus, magno ingenio, etiamsi paruo sit corpore: ita de morbis dicendum est. Etenim hi magni dicuntur ratione materiæ, quando humores sunt multi, qui sunt materia morborum. Et calor siue cacoethia, vel putredo immensa erit, quæ partes sunt formales ipsorum. Constituuntur enim morbi ex materia, vt puta pituitosa, melancholica, & biliosa, magis, & minus calefacta siue putrefacta: quæ qualitates sunt & formæ eorum. Maior enim & minor putredo sunt & locus, morbum efficiunt pestilentem, & minime pestilentem, vt ex Galeno passim colligitur.

lib. 1. de feb. diff. c. 6.

Ex quo tertia illa conditio, quam descripsit *libro quarto methodi medendi,* ad hanc reducitur, scilicet ad substantiam, cum cacoethia, quæ est forma morbi, ad substantiam reducatur. Itaque rectè diximus dupliciter morbum magnum esse. Ratione virium: vt quando præcipuæ vires superantur: & ratione substantiæ materialis & formalis. Propositum igitur concludentibus ea magna est febris, quæ principales vires superat: vel quæ sit ab humorum multitudine, vel cacoethia; quæ vero contrariis facultatibus prædita est, parua dicetur febris.

Quid febris acuta: quid morbus acutus.

CAP. VII.

QVoniam igitur nos hisce nostris commentariis frequentē faciemus notitiā acutæ febris mentionē. Propterea nō erit ab re hoc loco docere, quid nos illius nomine intelligamus; potissimū cū res ipsa maximas difficultates habeat; videaturque Galenus in explicanda natura acutorum morborum sibi ipsi repugnantia scripsisse, vt quidam recentiores tradiderunt. Nos vero, qui putamus nihil hac in re à Galeno dictum fuisse, quod suis principiis non consonet, diligenter docebimus, quid acutus sit morbus, & quantum recentiores Medici decepti fuerint: Quo demum exposito facile patebit; quidnam sit febris acuta.

Quamobrem scire oportet, quatuor esse voces, quæ declarandæ sunt. Acutum, siue velox: (*idem enim dixeris*) graue, siue tardum. Breue & longum.

Acutum quid.

Acutum, & tardum dicuntur relatione ad motum facta: breue, & longum ad ipsum tempus. Est enim acutum (vt Aristoteles definit *libro quarto de generatione animalium cap. 7.*) quod velocissimo motu, atq; veluti quodam impetu opus suum perficiat.

Huic graue, siue tardum opponitur, quod scilicet opus suum perficit tardo lentoq́; motu.

Hinc sane dicimus nos acutum ingenium, quod citissime & confestim abstrusissima quæque, atq; intellectu difficillima intelligit: & acutum iudicium,

cium, cum quis cita mentis agitatione censuram de re quapiam grauem, & excussam ferre potest.

Similiter etiam virum nuncupamus tardum, qui vix summa cum difficultate aliquid perdiscit. *Tardum.*

Breue vero dicimus illud, quod pauco, breuíque tempore à suo munere se expedit. *Breue.*

Longum, quod longo, & diuturno tempore idem perficit. *Longum.*

Huic etiam addito, quod acutum continuo breuitatem affert: non enim potest quidpiam celerrime moueri, & quodam veluti impetu fine suo potiri, quod similiter id breui temporis interuallo non faciat.

Similiter etiam quod longum est, illud etiam illico tardum nuncupabitur: quandoquidem longitudo temporis in negotiis peragendis etiam tarditatem sequitur. Non tamen res ipsa ad inuersionem habet: quia non omne breue acutum est; cum breue sit aliquod cum tarditate motus. Neque etiam omne tardum, siue graue, (de eisdem enim rebus hæ voces apud Medicos & Philosophos dicuntur) longum dicendum est: cum sit graue aliquod cum breuitate temporis.

Verum quo hæc ipsa facilius innotescant; ego hic rem exemplo declarabo.

Finge homines duos; quorum vnus velocissime moueatur: alter vero segniter, & tarde idem faciat. Primus quidem acutus nominabitur motus: secundus vero tardus.

Pone rursus hominem horæ vnius spatio tarde ambulantem: alterum autem toto die horis scilicet 24. idem efficientē: prior, quatenus breui tempore, hora, inquam, vna mouetur, breuem motum facere dicetur: at quatenus tarde obambulat: tardum. alter vero, & tardum, & longum motum edere dicetur.

Vides hic quomodo hæc distinguuntur. Sed propius ad rem accedentes, cum Medici in ipsis morbis similes quasdam naturas contemplarentur, viderent scilicet nonnullos affectus, velocissimo motu, & cum vehementia, & periculo moueri: hos acutos morbos nominarunt: alios vero tarde, ac segniter finem consequi; hos tardos dixerunt: quemadmodum eos, qui breui tempore terminantur; breues: qui autem longo, diuturnos, longosque. *Pro tractatione huius perfectione legito primum lib. nostrorum comment. in Galenum ad Glauc.*

Collige ex dictis. Omnem acutum morbum breuem esse: & omnem, longum, siue diuturnum, tardum. Collige rursus (quod parum aduerterunt nostrates Medici) non omnem breuem morbum acutum esse: quoniam multi possunt esse breues morbi citra vehementiam, & velocitatem, & acutiem motus: quales sunt tertianæ exquisitæ, quæ quatuordecim diebus terminantur; quinimo febres omnes ephemeræ, quæ, tametsi breuissimo tempore perdurent; non tamen velociter mouentur.

Sed, quo hæc, quæ diximus, maiorem fidem sint habitura: præstat Galeni verbis in medium allatis, singula confirmare; sic enim nihil erit, quod in proposita re dubitationem faciat.

Primum quidem omnium ex Galeno diuisionem quandam morborū afferemus: deinde ostendemus acutū morbum non solum velociter moueri, sed cum vehementia, & periculo: atq; has duas esse conditiones integrātes acutorum morborum naturam, & sine quibus nullus est acutus morbus.

Sic Galenus ex aliorum sententia de acuto morbo; *putant enim acutū vocari morbum, de quo celeriter iudicium est; contrarium huius diuturnum: at veritas non ita habet: est siquidē morbus breui tempore cōprehensus, quem βραχυχρόνιον appellant, nō tamen omnino acutus. Huic contrarius est diuturnus, vel quē πολυχρόνιον nominabant, vel quomodocunq; ipsum vocare aliquis malit. Acuto alia morbi natura nullum propriū nomen sortita opposita est, neq; mirum venit. Nam acuti morbi propter velocitatem periculosi, vt Archigenes describebat: vt autem Hippocrates, cum febre continua eueniens accidens necessario* *3. de diebus decr. ... & ... de dieb. decret. c. 12.*

erit, vt celeriter ad crisin perueniat, etenim ex motus specie acutus nominatur, quiescendum vero ei celerrime, vt qui ad proprium finem properet, nam idem est celeriter moueri, & ad terminum confluere. Erit iam omnino βραχυχρόνιος, quasi exigui temporis dicas: alias tamen atque alias acutas, & exigui temporis dicetur, nam propter motus celeritatem acutus. quod vero diu morari cum eo, qui celeriter mouetur, non potest, brachideonius appellabitur. At natura alia morbi ei coniuncta est: multæ siquidem febres diaria ex frigore quodam, vel adustione partium exteriorum, vel labore breui, vel vigilia, vel tristitia, vel ebrietate, vel ira, vel id genus similibus proueniunt, parua simul, & breues, & periculis prorsus vacua. Atque nemo has, vel idiota, vel Medicus acutum morbum vocare consueuit, itaque acutus à longi temporis morbo clare his ipsis distinctus est. Tardus cum longo confusus est, atque non eandem notionē obtinet: siquidem acutus tardo, breuis longo oppositus est. Ergo omnis acutus plane exigui temporis morbus est; & omnis diuturnus necessario tardus; non tamen si breuis temporis, acutus statim est: neque si tardus, longi temporis. hæc ille.

Ex quibus colligere est, primum, quod omnis acutus morbus sit breuis, & periculosus: non tamen, quod omnis breuis sit acutus.

Deinde, quod omnis diuturnus sit tardus: nō tamen omnis tardus diuturnus: cum tardus etiam sit morbus, qui breuis est.

Quamobrem celeriter ad finem, atque ad iudicium moueri non sufficit pro constituenda natura acuti morbi; nisi aliam addamus naturam, esse inquam, cum periculo, vel cum febre continua, (nam idem est) quandoquidem febres continuæ, quæ non intermittunt, velociterque mouentur, omnes periculosæ sunt vel ipsius Hippocratis testimonio; atque rursus *libro secundo de diebus decretoriis* rē manifestissime exposuit, cū summopere laudet Archigenem, eiusque opinionem admittat circa definitionem acuti morbi, inquit:

2. de dieb. decret. cap. 12. lit. F. *alios vero morbos breues vocat, æquum esse dicens, nec acutos, nec diuturnos appellari: quemadmodum paruas has, & à periculo remotas febres, quas non diuturnas esse, quis ignoret? etsi ab acutorum natura recesserint: nam acutum hunc esse ait, cuius motus velox, & subito pericula adueniunt.* atque in alio opere ait; *Acuti morbi magni sunt, & ad suum vigorem celerrime properant: non absque igitur ratione in paruo tempore magnas faciunt permutationes, quas Hippocrates causas, id est, indicationes vocat.* & alibi; *Acuti morbi* (inquit) *præter id quod celerrime indicantur, statim etiam magnitudinem habent: nam febres diaria, quas Græci ephemeras vocant; licet cito finiantur; non tamen acuti morbi nominantur: sed oportet periculum habere, & magnitudinem, quod est velociter terminari.* & *in tertio prognosticorum* idem hisce verbis confirmauit; *etenim morbus acutus cum ægritudine quadam & febre continua intelligitur. Si enim non ita sit, quanquam intra decimumquartum diem soluatur, aut etiam citius eiusdem appellatione haudquaquam censebitur.* & rursus *in libris de ratione victus in morbis acutis; acutos morbos nominamus, qui vt plurimum enecant.*

(Margin: 2. aph. c. 23. — 2. aph. c. 19. — com. 10. — com. 8.)

Ex his igitur, quæ nos hucusque diximus, manifestum fit, quod duæ necessariæ sint conditiones pro constitutione acuti morbi.

Conditiones duæ necessariæ ad constitutionem acuti morbi.

Prima, quod velocissime ad iudicium moueantur, vel quorum alioquin velox sit motus.

Secunda vero, quod simul cum hoc veloci motu magnitudinem habeant, periculumque simul connexa: quia omnis acutus morbus periculosus est.

Sed hoc loco quæsiuerit aliquis, propter quas causas acutis morbis hæ conditiones adueniant?

Causa.

Respondebimus, communem esse vtriusque conditionis causam, humorum videlicet nimiam caliditatem, & acrimoniam: quoniam cum acrimonia, mordacitasque humorum peccantium magna fit, simul cum caliditate intensa; siquidem loco stare nesciunt, sed modo in vnam, modo autem in alteram partem mouentur; similesque redduntur animalibus in coitum concitatis, quæ præ venere titillantia varie, atque promiscue mouentur.

At vero quia in hoc humorum motu verendum est ne humores acres nobilem aliquam particulam inuadant, idcirco cauendum est summopere huic periculo, purgationibus, Hippocratis, & Galeni præcepto.

Quamobrem, vt concludamus propositam disceptationem. Velocem motum facit acrimonia, & intensa caliditas. Periculum vero motus: tum propter nobiles partes, ad quas vereatur appulsus: tum quia eo motu vires nimium defatigantur. Sed quia hæc alibi subtilius disputata sunt à nobis, hic obiter hæc sufficiat adnotasse; nunc vero ad febres reuerti: Dicimus eam esse febrem acutam, in qua humores celeriter mouentur, & periculum afferre solent: in quo genere continentur omnes synochæ; omnes ardentes, quædam etiam tertianæ continuæ; hemitritei quidam; febres leipyriæ; febres malignæ quædam, quales sunt pestilentes, atq; id genus aliæ; de quibus nos sigillatim infra disputabimus.

Causarum conclusio.

Pro capitis huius perfectione oportuit explicare, cur Galenus bis aut ter in 1. ad Glauconem acutis morbis opponit diuturnos, tertianam, atq; febrem [illegible] quasi eam nuncuparet acutam, cum nullum habeat periculum.

De febrium differentiis secundum propria principia.

Cap. IIX.

Hactenus itaque de supremis febrium omnium differentiis ex Hippocratis, Galeni, & Auicennæ principiis diximus: atque omnia, quæ difficultatē facere videbantur, declarauimus. Nunc vero in medium afferamus, an secundum propria principia aliter hæ differentiæ commode venari possint: In qua re nos certe libenter laboramus, non quia putemus, falsas esse aliorum sententias, vtpote illorum opiniones ab hominum manibus eliminemus; sed magis, vt nostro labore illorum dicta illustremus; & de cætero aliis occasionem præstemus meliora inueniendi, simulq; vt methodo ipsa pro more maiorum propositas febrium differentias inueniamus.

Nos itaque putamus sic commode reperiri posse. Febris substantia, & natura in eo tota consistere videtur, quod sit calor præter naturam, vt iam docuimus. Quamobrem ab hoc fonte omnes febrium differentias desumere debemus; quod etiam à Galeno dictum fuisse, commonefeci.

Duplex autem est hic calor præter naturam; alter cum naturalis caliditas sensim de sua temperie permutata, intensior fit, qui à nonnullis simplex calor præter naturam dicitur; & à Galeno *primo aphorismorum libro* calor natiuus in igneum permutatus. Alter vero calor à putrida coinquinatus euaporatione.

Io. Fern. libro 4. patholo. c. 1.

Hinc duo sunt prima supremaq; febrium genera. Simplex vnum; alterum putridum.

Simplex autem rursus duplex, quemadmodum etiam putridum; nam duplex est vtriusque subiectum: illius quidem spiritus, aut sanguis tenuis; & solidæ corporis partes: huius vero corporis humores; & aer nos ambiens.

Simplex igitur febris est, cuius calor elementarius solo incremento naturæ, ac temperiei limites excessit: Hic si in spiritibus insideat, vel in tenui sanguine sedem habeat, ephemera, id est, diaria febris dicitur: si vero in solidis partibus, hectica & in habitu nuncupatur.

Verum si putredo aeris ambientis per inspirationem attracta febrem faciat, pestilens febris aderit omniū febrium perniciosissima; maxima enim est omnium putridarum febriū.

Sed si putredo genita intrinsecus fuerit, putrida febris nuncupabitur.

Quatuor itaque sunt febrium omnium suprema genera; diarium, hecticum, pestilens, & putridum: de quibus sigillatim diligentius est agendum.

Febris substantia est calor præter naturam qui duplex est.
- Naturalis sensim de sua temperie permutatus, qui residet, vel in
  - Spiritibus & sanguine tenui — 1. Diaria.
  - Solidis corporis partibus — 2. Hectica.
- Putrida euaporatione coinquinatus: & residet vel in
  - Aere ambiente inspirato, & tota substantia putrido — 3. Pestilens.
  - Humoribus intrinsecus puttefactio — 4. Puttrida.

Quid febris diaria, quæ illius differentia?

CAP. IX.

Galen.1. ad Glauc.2.

libr.1. de hist. animal. nat. cap.19.



FEBRIS diaria, quam Græci ephemeram vocant, omnium febrium simplicissima, nomen desumpsit ab ephemero animali, cuius Aristoteles meminit. Hoc enim animalis genus in pomeridianum vsq; diei tempus viuit, & volat, mox descendente sole marcescit, & languet, deinde occidente moritur, vita non vltra vnũ diem protracta: vnde ephemeram, id est, diarium appellatum est. Itaque febris hæc, quæ vt plurimũ non transit naturalem diem (nuncupamus autem diem spatium horarum viginti quatuor) ab huius animalis similitudine ephemera dicitur.

Gal. lib.9. meth.

Definitio.

Hanc vero nos sic consueuimus definire: *Febris ephemera est calor præter naturam, in spiritibus, & sanguine tenui residens.* Huius, quatenus febris est, contentiua causa est calor præter naturã: quatenus autem diaria, quod resideat, vel in spiritibus, (& fiunt ephemeræ febres simpliciores, & quæ principaliter tales dicuntur) vel in tenui; & efferuescente sanguine: hac enim ratione ab aliis omnibus febribus distinguitur: quarum calor, vel humores vel solidas corporis partes excalefecit.

Declinatio.

Hoc loco spiritus nomine intelligimus non insitum in vnaquaq; particula, sed influentem ac vagum, qui per vniuersum corpus continuo transmittitur simul cum influente calido. Qu. madmodum igitur hoc subiectum facile dispergitur, nulloque negotio euanescit, febris gignitur, quæ breuissimo tempore discutitur.

Differentia.

Harum febrium differentiæ præcipuæ duæ sunt, à causis efficientibus desumptæ: prima earum, in quibus præsens existit effectrix causa: altera vero, cum causa iam recessit.

Præsens quidem est causa in ephemera ex cutis adstrictione, obstructione, cruditate, bubone, ebrietate, & si aliæ sunt eiusdem ordinis. Abest autem causa effectrix in illis febribus, quæ fiunt ab ira, timore, tristitiis, curis, vigiliis, solis ardore, aut etiam nimia nos ambientis aeris frigiditate, & caliditate, calidorum alimentorum ingestione, labore, exercitatione intermissa, causisq; id genus aliis. Sed nunc particularius doceamus, quomodo à singulis propositis causis diaria febris fiat.

De febribus diariis, quarum præsens est causa.

CAP. X.

Adstrictio.

1. ad Glauc. 2.8. meth. med.1.1.de



EPhemera fit ab abstrictione cutis, vel à maxima ambientis frigiditate, vel à balneis aluminosis, & medicatis aquis adstringentem facultatem habentibus: Non tamen in omnibus corporibus fit diaria febris propter has causas: quædam enim sunt corpora,

pora, in quibus, quod per cutim transpirat halituosum est, suaue, ac dulce: quædam vero, in quibus excrementa sunt acria, mordacia, & ignea: adstricta igitur cuti in illis plenitudo gignitur, & si quæ febris inde oritur, ea est synochus, vel cum putredine, vel citra putredinem. *febr. differ. 3. t. de cau. morb. c. 2.*

In his autem febris fit ephemera, cum enim id calidum effluuium continetur, spiritus inflammat, ac excalefacit, à quibus proxime fit febris, vt supra diximus.

Hac eadem transpiratione impedita propter obstructionem eodem modo contingit fieri febrem ephemeram, si tamen parua fuerit obstructio; nam qui recte processerit, secundam fore accessionem vetabit; sin momentanea, non possis ita promittere: quod si, & multi, & crassi, & glutinosi impacti sunt succi, quæ hos excipit febris, fieri non potest, vt intra fines diariarum consistat, quando ex necessitate huic in mali succi naturis, ea, quæ ex putredine humorum accenditur febris, succedet. *Obstructio. 8. method. cap. 4.*

Iam vero in biliosis temperamentis diariæ febres ciborum cruditatibus non raro succedunt. *Cruditas.*

Quoniam vero duplex est cruditatis differentia: altera, in qua in acidam qualitatem alimenta conuertuntur: secunda, in qua in nidorulentam & fumosam qualitatem corrumpuntur: sane mutationes alimenti in crudam qualitatem nec incidere in eiusmodi naturis cernuntur, nisi admodum raro, idque ex cibis, qui prompte acescunt, nec febrem accendere dianam æque vt nec tarditas concoctiones: quando sicubi propter talem cruditatem febricitant, quibus amara bilis in temperamento abundat, obstructionis, & humorum putredinis suspicio est. *8. meth. & adlut. D.*

Ergo pessima quidem in eiusmodi temperamentis cruditas est, citissimeque febrem accendit, in qua cibi in nidorulentam & fumosam qualitatem vertuntur: contingit enim propter hanc qualitatem inflammari spiritus, & febrem fieri, eo sane modo, quo diximus, permixtione rei calidæ fieri calorem præter naturam. *Gal. ibid. lit. F.*

A bubone aliquando fit febris putrida, aliquando autem diaria. *Bubo.*

Putrida quidem fit, si putredo, quæ in loco inflammationis continetur, vapores putridos cordi continenter transmittat.

Ephemera vero, si vapores continentur inclusi in tumore, solaq; caliditas ignea per successionem partium cordi fuerit molesta.

Dupliciter autem bubones fiunt: aliquando ab euidentibus causis, vt ab vlceribus, quæ in pede, manu, digitis, vel prope magnam aliquam arteriam aut venam oriuntur, ab ictu, casu, & aliis extrinsecis causis. *lib. 9. meth. cap. 1. & lib. 1. ad Glauc. c. 2.*

Aliquando autem fiunt à causa interna, vt viscerum absessu, inflammatione, humorum plenitudine, malignitate: ab his quidem fiunt bubones maligni, contumaces, & pestiferi.

Febres autem, vt plurimum ab interna causa, putridæ sunt: ab externa autem, vt plurimum, ephemeræ, in sermone, vt plurimum addidimus, quoniam aliquando obseruauimus, bubones ab extrinseca causa genitas subsequi putridas febres, quemadmodum ephemeras illos, qui intrinsecus originem habent. *Nota.*

Quid igitur, inquies? non erit hoc proprium, atq; inseparabile in febribus diariis; quod à causa manifesta originem deducant? *Dubitatio. lib. 1. de feb. diff. c. 4. lib. 10. methodi. 2.*

Ego vero inquam hoc ipsum semper verum non esse: sed hoc intelligendum, vt in pluribus: hoc enim sufficit: nam quemadmodum dicimus febres diarias naturalis diei spatium non transire, ab eo, *quod sæpius accidit, nomen imponentes*, cum tamen aliquando duos dies pertingant; aliquando tres, & quatuor, vt posthac explicabimus: sic dicimus fieri à causa procatarctica omnes Ephemeras febres, quia, vt plurimum ab hisce euidentibus causis fiunt. *9. method. med. 2.*

His adde nomen febris ephemeræ ex illorum esse numero, quæ ad vnum dicuntur, quamobrem primo loco eas denotat, quarum causa procatarctica est & iam abiit, & horas 24. nō transeunt. Deinde illas, quarum causa est interna, & ad quartum diem aliquando terminantur: in hoc ordine sunt eæ causæ, de quibus proxime diximus.

Ebrietas. Ebrietas febrem facit diariam propter vapores fumosos, & igneos à ventriculo vini potionem ad cerebrum elatos, qui spiritus animales inflammantes febrem efficiunt. Iam vero doceamus, quomodo ab aliis causis fiant febres ephemeræ.

De febribus diariis, quarum causa iam abest.

CAP. XI.

Labor.



LABOR calorem præter naturam, atque etiam febrem in nobis generat, eo modo, quo docuimus, febricitare homines propter motū: nam calefactio articulis, & musculis, sensim sensim caliditas per successionē partium vsq; ad ipsum cor peruadens, spiritus præter naturam excalefacit; qui promptissimi sunt ad hanc alterationem suscipiendam.

Gal. lib. de caus. morb. cap. 2.

Animi accidentia. Idem sane in animi accidentibus, qualia sunt ira, timor, tristitia, cura, quæ fieri non possunt sine vehementi motu spirituum: moueri autem non possunt, nisi vehementer incalescant. In hoc autem differunt inuicem, quod in ira non solum adest spirituum, & caloris motus, sed etiam non mediocris efferuescentia; in timore, curis, & tristitia, solus motus adest, qui satis est pro generatione febrium diariarum.

lib. 1. de feb. diff. cap. 3.

Vigiliæ. Vigiliæ spiritus animales non parum inflammant: siquidem ad exercendas actiones animales (hæ enim in ipsis fiunt vigiliis) calorem & spiritus attrahunt; qua tractione calefiunt; & calefacti cordique communicati febrem faciunt.

Aer. l. 1. de feb. diff. cap. 3. & lib. de cau. morb. cap. 2. Si quis autem memoria reuocabit ea, quæ diximus, de causis febrium, quatenus febres, non mirabitur, quod ab aeris nos ambientis caliditate febres fiant ephemeræ: nam ab aere calido, quem inspirando attrahimus; proxime calefiunt vitales spiritus; frigiditas autem contra, meatus condensando, & effluuium aerium vaporum inhibendo, quemadmodum in adstrictione cutis, febrem diariam efficit.

Exercitatio intermissa. Idem etiam potest exercitatio intermissa, dum enim exercemur, carnes facile à propriis recrementis expurgantur: dum vero exercitationē intermittimus eisdem detentis febris gignitur.

Calida alimenta. Calida alimenta, tum quoniam continenter calidos, & fumosos vapores emittunt, tum propter calidam substantiam alienantem naturales partes febrem facere ephemeram possunt. De causis igitur tam communibus, q̄ propriis ephemerarum febrium hæc dicta sufficiant.

De signis communibus, & propriis ephemerarum febrium.

CAP. XII.



NVNC reliquum est, vt doceamus, quæ sint cum omnium diariarum febrium cōmunia symptomata, tum singularum propria.

lib. 1. ad Glauc. c. 3. & x 10. Ifern. 4. ... Vrinæ in diariis febribus sunt substantia, calore, sedimento, aut nihil, aut minimum à naturalibus distantes.

Pulsus celer, frequens, inordinatus, & vehemens, nisi à mœrore, aut inedia, aut cruditate, aut frigore orta sit febris. Maior diastole, quam systole: maiorq; inspiratio, quam exspiratio.

Calor tactu mitis, suauis, halituosus; qui fere eo ipso die, aut totus occulte expiratur, aut madore, sudoreue naturali, eoq; miti, nec graueolente discutitur.

Facilis

Facilis adest ægrotantium tolerantia, nullus horror, aut admodum leuis initio prehendit.

Hæc omnium ephemerarum communia sunt indicia, quorum caussæ in hunc modum habent.

Itaq; vrinæ in diaria febre habere debent subsidentiam, hoc est, hypostasin, albam, leuem, & æqualem, ac sanorum substantiæ similem; parum tamen in colore, & subsistentia à naturali statu digressę sint, ob febris nimirum caliditatem, acriores quodammodo redditæ, & nullum putredinis signum habentes, est autem id subsidentiæ inæqualitas, non enim in humoribus putridis, sed in spiritibus febris consistit. Tales primo sunt vrinæ.

Steph. Ath. phil. lib. 1. ad Glauc. com. 8.

Sed & pulsus magnus permanet, magna existente, atq; valida facultate necessitate adaucta, & obediente instrumento celerior & frequentior ob caliditatem febrilem: æqualis etiam, sane est, ac nullam indicat inæqualitatem, neq; contractionem accelerat, quia facultas nihil habet, quod debeat expellere, id quod febrium ex putredine ortarum proprium est; cum facultas conetur per contractionem putredinosa, fuliginosaque excrementa expellere.

Lib. 1. de cris. 13. 1. de feb. cap. 7.

Athen. ib.

Quod si aliquando pulsus inæqualitatem habere offendatur, mediocris ipsa est: fit etiam aliquando hæc ipsa inæqualitas ob febres diarias, quæ à stipatione gignuntur: in his enim cum clausi sint meatus, nec amplius, quæ digeri solita sunt, euacuentur: facultas ab iis grauata, aliquam facit inæqualitatem; quia vero hæ febres in spiritibus, vt diximus, consistunt, maior adest necessitas in attrahendo aere, quam in fuligine exustione comparata, expellenda. Sunt enim spiritus principaliter refrigerandi, atq; contemperandi: quod autem in illis debet expelli; exiguum est: propter quam caussam sequitur, maiorem diastoles, quam systoles vsum esse. Siquidem diastoles est distractio, qua arteria sese, quoquo versum diffudit, dilatatque, vt aere tracto insitum calorem temperet: systole vero est contractio, qua in se ipsa vndique considet, seque submittit, vt spiritus fuliginem exustione comparatam expellat. Ob hanc etiam causam est maior inspiratio exspiratione ipsa; secus quidem, atque in putridis febribus accidat; de quibus nos post hac dicemus.

Calor mitis & suauis est, si aliarum febrium calorem spectes: in substantia enim tenuissima inhæret, ac admodum suauis: si tamē calorem, naturalem spectes, acris & mordax est: ignis enim naturam habet, vt docuimus.

Lib. 1. de feb. dif. c. 7.

Quin etiam quibusdam ipsarum madores, laudabiles apparent: quibusdam autem sudores.

Quæsituque dignum est, cum febris in spiritibus fit, vnde sudor excernatur? & dicimus, spiritum, qui iam calefactus est, dum excernitur, succum aliquem circa superficiem inueniendo eum attenuare, atque in sudores resoluere, secumq; etiam excernere.

Nonnulli vero dicere conati sunt, spiritum festinare, vt digeratur, deinde densiori superficiei occurrendo, sisti, atq; in aquæ naturam conuerti, hincq; sudores excerni.

Athe. phil. libr. 1. ad Glau. com. 8.

Hoc autem est absurdum, primum quidem, non spiritus, sed vapor eiusmodi symptoma sustinere potest. Præterea licet etiam demus, spiritum posse in aquam conuerti, ipse tamen vbi conuersus fuerit, non amplius excerni poterit: nam si meatus ita densati sunt, vt etiam spiritui non sint peruii, multo magis non permittent humorem exire; crassior enim spiritu est humor, quare hæc explanatio non est recipienda, sed quæ à nobis dicta est.

Differt autem quantitate mador à sudore; sudor enim est copiosus; madores autem pauci. In ægrotātibus autem facilis adest, harum febrium tolerantia, primum, quia calor haud multū à naturali conditione recessit: deinde

quia sua symptomata, qualia secum afferre solent aliæ febres non habent. Præterea, quia vnius naturalis diei interuallo propter subiecti caloris præter naturam tenuitatem, discutitur.

Horror nullus initio fatigat, aut certe admodum leuis, quod sane accidit, cum corpus cacochymum exspirationem multam, eamq; calidam, & acrem diffundit, quæ ob cutem à frigore densatam, aut ob exilium meatuũ constipationem suppressa ferit partes neruosas.

Gal. 1. de feb. diff. c. 7. 14. lib. c. Non est enim id vniuersaliter verum, nunquam febres ephemeras ab horrore ipso initium sumere.

Ex his quidem, tum etiam earum caussarum cognitione, de quibus nos meminimus, in Diariarum febrium notitiam peruenies, quod sane nullam aut admodum certe exiguam difficultatem habet; secus autem res habet in particularis differentię notitia, quas docere, nunc agredior.

Lib. 1. ad Glau. c. 2. Omnibus iis, qui ab affectionibus animi laborant communiter vrinæ sunt ruffæ, quod sane contingit propter admistionem bilis, quam affectus illi effecerunt: Sanguis enim in feruore redditur biliosior: verum acrior in febre ex mœrore, copiosior, & suauior ex ira, & furore calor est.

Mœror enim humorum corporis absumendo corpus aridius facit proinde calorem acriorem & pauciorem ob materiæ, quæ hunc defert, penuriam.

Furor vero copiosum vaporem ex sanguinis feruore excitatum (qui vehiculum est caloris) ad cutem transmittit, vnde calor vberior, & blandior sentitur.

Præterea in mœrore nascitur macies luculentior: ex cura & cogitatione obscurior: quoniam in mœrore intro ad caloris natiui originẽ reuocentur spiritus, vbi facile ob loci caliditatẽ accenduntur ac digeruntur; humorque in vapores dissipatur, vnde corpus temporis spatio exsiccatur, emaciaturq; tantum, quantum est affectus.

In curis vero & cogitationibus ad caput feruntur, in quo minus ob caloris penuriam, quam in interno corpore absumuntur, minus enim ob loci frigiditatem inflammantur & resoluuntur, proinde corporis habitum minus exsiccant, ac extenuant.

Hinc fit, vt oculorum quoq; cauitas vtriq; affectui sit communis; sed in curis & cogitationibus minor; quia spiritus & humores minus, vt ostendimus, absumuntur; in mœrore vero maior ob loci caliditatem spiritum, & humores resoluentem.

In instantibus etiam pallidum, & decoloratum corpus inuenitur, nam cum caliditas innata in profundum secedat, & quæ in superficie sunt, relinquat, necessario ob sanguinis absentiam coloratio oritur, quod in irascentibus non adest propter iam dictam caussam.

Præterea in iis, qui tristitia afficiuntur; oculi veluti quiescunt, & sese haud mouent, in iis autem; qui cogitationibus affecti sunt, mouentur, atque circumferuntur: hac ratione distinguere oportet diarias ex cogitatione & tristitia.

Arben. ib. Non est autem mirum ex oculis hanc distinctionem desumi; ex his enim animi mores nõ solum in ægrotantibus, sed etiam in sanis dignosci possunt: quandoquidem oculi fenestræ sunt cerebri, in quo inhabitat anima.

Eos, qui ex vigiliis febricitant, difficile non est ab aliis distinguere, nam Arben. ib. can. 14. adest decoloratio faciei, tumorq; grauis oculorum motus, & palpebrarum humiditas. Decoloratio quidem oritur, quia cibi probe concocti non sunt; sæpius enim didicimus, vt in somnis natura in profundum recedens, ac cibis vacans melius concoctiones faciat, & nutritiones; in copiosis igitur vigiliis calore natiuo iam facto imbecillo cruditates fiunt, ex quibus vapores crudi, & copiosi oriuntur, qui caput petentes subtumidam faciem reddunt,

dunt, eamque decolorem faciunt, non genito sanguine lucido propter ventris cruditatem.

Grauis autem adest oculorum motus, propter eorundem vaporum copiam, & imbecillitatem cerebri, in quo dissolutis per vigilias animalibus spiritibus, excrementa redundant, à quibus humidæ palpebrę redduntur.

Hoc quidem irascentibus non adest, in quibus facies rubicunda cernitur attractis spiritibus, & sanguine ad superficiem, neque oculi ob eandem causam caui sunt, qui tamen non solum in iis, qui vigilarunt, sed etiam in curis, & tristitia affectis caui reperiuntur. Hoc itaque commune quoddam est symptoma harum omnium causarum. *Gal. ibi. & 2. de cris. cap. 11.*

Sed quomodo distinguemus? hoc ego inquam modo. Facies subtumida non videtur in cogitationibus & mœrore: quin potius arida, neque etiam decolor apparet: quod enim ex mœrore, & curis crudum relinquitur, id sane somnus concoquit: neque oculi cum difficultate mouentur, neque palpebræ, humidæ sunt.

Transeamus nunc completo de affectionibus animalibus sermone traditaque singulorum proprietate ad affectus corporeos, quorum causa fiunt febres ephemerę ab ipsa lassitudine exorsi. *Gal. ibid.*

Eiuscemodi febres cutim faciunt aridiorem, quam aliæ: nam ex labore, & motu corporis humiditates dissoluuntur, ac propterea cutis arida fit, tamē haud semper talis permanet in febris processu. in principio quidem semper; in vigore autem minime: quia si fuerit immodica lassitudo, qua maxima humorum copia fuerit exhausta arida permanet etiam declinante febre; verum si exigua fuerit, cum in vigore exstiterit, cutis fit humida, dissolutis per eam regionem cutis humoribus.

Hoc etiam distingues in pulsu: magnus enim est in exigua lassitudine: in magna vero & vehementi paruus, & frequens. Paruus quidem, imbecilla reddita facultate; frequens vero necessitate adaucta.

Febrem ortam ex densitate cutis tactu licet discernere, in his enim cutis durior, & compactior sentitur: nam quod strictum est, durum & compactum apparet; quod non laxum, molle: & calor primo quidem contactu suauis; deinde, si diutius admotam manum contineas, actis apparebit; nam per astrictæ cutis exiguos meatus halitus paucus exhalat, quo foras calorem ferat; proinde mitis sentitur: spatio autem temporis impositam manum magis, ac magis calefacit, ita vt tandem hanc mordeat sensim auctus in manu calor, atq; apertis meatibus obstructis, acri excremento foras prodeunte; in his oculi non sunt sicci, non caui, neq; corpus concidit, neq; pulsus pares fiunt, quæ omnia in aliis febribus supra notauimus. *Gal. ibid.*

Contractas ex bubone sic distinguere oportet.

Pulsus maximi sunt, quia vrgente necessitate maxima & valida est facultas: hac ratione celeres sunt, & frequentes ob solam necessitatem adauctam: neque etiam sunt inæquales, quod ideo fit, quod mouendi instrumentum impeditum non est, neque obstructione, neque humorum, vel vaporum acrium abundantia, neque compressu, nisi sit admodum ingens inflammatio: quod si inæqualitas in vno arteriæ occursu sit; ea adeo obscura est, vt vix percipi possit. *Gal. ibid. Athen. ib.*

Calor multus est, & suauis propter eas caussas, quas supra commemorauimus de iracundia loquentes.

Faciei tumor, & rubor adest propter caloris abundantiam.

Vrinæ albicant: quia materia, quæ vrinas coloratiores reddere solet, ad bubonem translata est; & quia caloris suauitas calorem vltra modum non calefacit: vnde nec bilem quæ vrinam colorat, generauit.

Hæc fuerunt potissima in ephemeris febribus aduertenda, reliqua enim, quæ

quæ hic fortasse desiderari posse videbuntur, vel horum imitatione innotescent: vel ex sese fidem manifestam faciunt.

De synochis febribus sine putredine.

CAP. XIII.



Gal. 9. metho. med. 1. VONIAM duplex est synochus febris, quędam enim cum sanguinis putrefactione consistit: quædam vero citra eiusdem putredinem, quia nos illius naturam; quo loco de febribus putridis agemus, diligenter prosequemur: de hac in primis dicamus.

Definitio. *Est itaque non putrida synochus efferuescentia spirituum, & sanguinis, vel copiosi, optimique vel biliosi.*

Declaratio. Efferuescentiam esse diximus; quia hæc continet naturam, atq; essentiam harum febrium, quamobrem hæc proxima est caussa; verum hæc efferuescentia primum inuadit spiritus: humores autem secundo loco, nam illi multo facilius, quam humores inflammantur.

1. de feb. differ. ca. 1. Sed quia hæc caliditas pręternaturam in solis spiritibus non terminatur, at vltro progressa humores etiam attingit; hac ratione differre videtur ab iis ephemeris, de quibus proxime loquebamur: quia vero nulla adest putredo, à putridis febribus differt; medio igitur quodam loco inter ephemeras & putridas collocanda: non sic tamen, vt arbitremur, quartum quoddam *9. meth. 1.* genus febrium admittendum ab illis superioribus distinctum, est enim hæc febris inter diarias reponenda; quarum naturam supra explicantes dicebamus ex eorum esse numero, quæ analoga, & ad vnum dicuntur: primo siquidem loco de illis dicitur, quę causam non habent, atq; vnico naturali die terminantur: de iis autem secundo, quæ caussam habent, & vltra tertium aliquando diem progrediuntur sine aliqua humoris putredine: illis itaque *Gal. ibid.* nomen & natura diariarum febrium exacte conuenit: his autem nomen quidem minime: sed natura, neq; enim de substantia ipsa talium febrium est diariæ nomen, verum conuenienti nomine destituti, clarioris simul, breuiorisque doctrinæ gratia, ab eo, quod sæpius eis accidit, nomen inditum est: sæpius autem diariis febribus accidit, vt non vltra naturalem diem porrigantur.

Quamobrem licet synochus febris vltra vnum diem naturalem protendantur, & vsq; ad tertium, vel quartum, vel quintum aliquando extendatur, diaria tamen est, quamuis nomen sit diuersum, habet namque communem naturam, vt scilicet humor putrescens non subsit, & corpus febrilem calorem, vt habitum, non susceperit.

Quid igitur inquies, non consistunt differentiæ febrium à materia desumptæ? quam tamen supra exposuimus? obsidet enim calor prærer naturam humores, itaq; non ephemera, sed humoralis febris nuncupanda est?

Hic ego inquam calorem igneum non ita obsidisse humores cordis, vt plane sint calefacti, quod sane in putridis febribus aduenit: sed in ipso calefieri, & feruescere consistunt; quia synochus est efferuescentia sanguinis, non autè calefactum esse sanguinis, vt in putrida synocho contingit. Sic quidem dicere oportet, si positam à veteribus differentiam tueri velimus.

Siquidem hęc, quæ maxime vrgere videntur contra illorum principia: ne minimum quidem nostra superius explicata contorquent.

Gal. li. 2. de typ. med. loc. ca. 2. Exponamus hoc loco quomodo intelligamus, synochum esse sanguinis efferuescentiam, itaque sanguinis nomine, intelligere oportet omnes humores, quos venæ continent, sic indito nomine ab eo succo, qui reliquos in permistione superat, sanguinea videlicet parte. Semper enim hic alios omnes succos longe superat, cum itaque hic sanguis ex omnium permistione conflatus efferuescit, fit febris synochus: si feruor sit citra putredinem,

dinem, & in corpore pletorico: in frigidis enim corporibus, & paucum sanguinem habentibus, quemadmodum efferuescere non potest sanguis, sic fieri non potest febris synochus. Necessarium est igitur corpus eum pati affectum, quem Græci πληθώραν; nos vero multitudinem vocamus.

9. method. cap. 30.

Duplex autem est multitudo: nam quædam vires ipsas respicit; quædam vasorum capacitatem, quam Græci κατὰ τὸ ἔγχυμα dicunt, quod enim est multum, cum ad aliquid referatur, hisce duobus modis dici consueuit, vel relatione ad vires, quæ ferre multitudinem debent; vel relatione ad vasa, quæ contineat.

1. de mult. cap. 3. Et lib. de cur. rat. per sect. ven. 13.

Dubitationem habet hoc loco, quam plenitudinem subesse in febre synocho sit necessarium.

Galenus quidem solum admittere videtur plenitudinem, quæ vasorum capacitatem respicit; quoniam, quæ ad vires refertur, neque hic obstruat venarum ora, vt refrigerationem prohibeat, neque tunicas earum distendat, nec ruborem, nec tumorem in facie inuehat: multoque minus vel carnis, vel cutis, transpirationem remoratur: quæ tamen omnia adueniunt in synocho febre: quamobrem opus est fieri à multitudine, quæ contineri à vasis vitro non valent, quæque ob id ipsum tum prærumpere vasa, tum recludere solet, & reliqua modo dicta symptomata inducere, obstructionem, distentionem, tumorem, ruboremq;.

9. met. c. 5.

Ego vero ab vtraque plenitudine arbitror hanc febrem fieri posse. Nullam enim inprimis, quæstionem habet, quod ea multitudo, quæ vasa distendit synochum faciat: quod autem aliquando ea, quæ vires premit, aggrauatque eandem febrem efficiat sic persuademus: In corpore, quod hunc affectum patiatur, quo ad virtutem, sit vehemens adstrictio, meatuumque obstructio, à qua fit synochus, vt mox explicabimus, cuius obstructionis causa, quod transpirare consueuit, retineatur, necessarium erit, hinc febrem fieri, non quidem diariam, quoniam hæc leuem adstrictionem supponit: nos vero maximam ponimus: non putridam, quoniam necesse est, vt sanguis primum incalescat, anteaquam putridus fiat, eo autem medio tempore dum scilicet febris egressa est limites ephemeræ, antequam putridam attingat, fit synochus non putrida, quæ vnam à principio ad finem vsq; accessionem habeat. Hoc enim adesse oportet tanquam proprium accidens synocharū febrium, quemadmodum alia, de quibus suo loco differam. Quamuis igitur facilius ex plenitudine, quo ad vasorum capacitatem febris accendatur synochus, nō est propterea affirmandum, in corpore altera plenitudine affecto aliquando generari non posse, cum scilicet adsunt causæ, à quibus proxime fieri solet: Quod etiam videtur mihi Galenus admisisse dum inquit: *Eiusce modi febrium in gracili & frigido corpore neutra consistere solet, sed potissimum in iis qui sanguine abundant, & corpulentis gigni cernuntur.*

Operatio propria non datur ab aliis cognita. *9. metho. 1. 8. metho. 4.* *9. metho. 2.* *9. meth. c. 5.*

Hic dignum animaduersione est, quod ipse inquit: *Plurimum*, itaq; non semper à plenitudine, quo ad vasa, sed aliquando ab ea, quæ virtutem respicit fieri consueuit.

Proxima huius febris caussa est efferuescentia sanguinis in omnibus venis, aut certe maioribus inter alas, & inguina existentibus: nam si in aliis venis existeret, febres per circuitum fierent, non autem, quæ à principio ad finem vsque vnam duntaxat accessionem habent.

Caussa.

Opus est enim calorem præter naturam continenter cordi communicari, vt hæc febris fiat, quod sane accidere non potest, nisi in omnibus, aut maximis venis sanguis efferuescat,

Propter quam igitur caussam feruor hic maximus aduenit in sanguine? quia calidum id effluuium, quod à sanguine continuo transmittitur per cutis meatus, cum foras prodire non valeat, in venis retinetur: impedimento autem est stipatio cutis propter obstructionem ipsam.

Soles

Solet enim ſtipari cutis, vel ab exilium meatuum obſtructione vel eorundem conniuentia, vel ipſo corpore immoderatius condenſato.

9.meth.c.1.

Verum quæcunque febres vel ex conniuentia meatuum, vel ex recenti corporum denſatione concitantur, deſiſtere poſt primam acceſſionem ſolent, ſi quis recte eas tractet, & vere diariæ tum ſunt, tum appellantur. Secus quidem de iis ſentiendum, quæ ex obſtructione creantur: hæc enim ſi puſilla ſit, ſoluuntur ipſæ ſimiliter atque diariæ, ſi quis eas legitime ſanet; ſin valenter impacti humores ſint, ſic vt valentius aliquid quod nos eximat, deſiderent, eas febres porrigi vltra vnum diem neceſſe eſt, ac diariarum genus videri egreſſas.

8.meth.4.

1.meth.4. 1.meth.13.

Quoniam autem obſtructio à triplici fit cauſa; ab humorum multitudine; craſſitie, & viſciditate; in omni ſynocho neceſſarium videtur à multitudine obſtructionem adeſſe: nunquam enim aduenire ipſam ſine multitudinis affectu iam ſupra demonſtrauimus: cum hac vero aliæ etiam cauſæ conuenire poſſunt; ſolæ non poſſunt, quia ſtatim ſubſequeretur putredo, ſi quid tranſpirat à multitudine minime deduceretur.

9.meth.3.

Quamobrem vnam adeſſe plenitudinem tanquam obſtructionis cauſam oportet. Haud vero craſſitiem, & viſciditatem ſine plenitudine adeſſe neceſſe eſt.

Porro autem cum dicimus, obſtructionem adeſſe, & adſtrictionem cutis; non ita intelligimus, vt factam prorſus denſitudinem putemus, vt nullus ex his humoribus, qui tenuati admodum ſunt; poſſit foras effluere; cum nec ſi de oſſibus ita dixeris, id verum ſit, nedum carne, à cute, verum cum à feruentibus humoribus vapor attollatur plurimus, effluat autem foras exiguus, hunc, qui relictus eſt febrem ſeruare eſt neceſſe, neque id modo propterea, quod ipſe manet, ſed etiam, quod quæ proxima ſunt adurit.

9.meth.2.

In hac itaque febre duo adſunt, ex quibus oportet ipſam perpetuari. Alterum quidem eſt vapor; qui ex ſanguine ferueſcente deductus totus minime tranſpirat. Alterum vero quod vapor idem retentus, ea quæ contingit excalefaceret; ex his duobus tres oriuntur ſynochi differentiæ in hunc modum.

9.meth.3.

Nam id, quod in febre diſſoluitur, aut æquale eſt ei, quod ſuccenditur: vel inæquale: atque inæquali exiſtente vel maior pars eſt eius, quod diſſoluitur: minor eius quod rurſus excaleſcit; vel contra maior eſt portio nouæ ſucceſſionis, diſſolutionis vero minor.

3. differentiæ ſynochi.

Quamobrem æquali exiſtente tam diſſolutione vaporum, quam ſanguinis excalefactione, generatur ſynochus quædam ὁμότονος, id eſt, vndique ſibi ſimilis, & æqualis, in qua calor par, ſuiq; ſimilis toto febris decurſu permanet, quantumque recens inflammatur, tantundem prorſus diſſipatur: atq; hæc prima eſt ſynochi differentia.

2. Altera vero ſynochus, in qua recens inflammatio, quam diſſipatio maior eſt; tumq; calor continuo incremento inualeſcit, increſcens febris dicitur. Græcis vero ἐπακμαστικός.

3. Tertia vero huic oppoſita maiorem diſſolutionem, quam inflammationem continet; calorque febrilis ſtatim à ſummo vigore incipiens ſenſim minuitur, dum deſinat, & παρακμαστικός, id eſt decreſcens nuncupatur.

Hæ ſunt differentiæ vniuſcuiuſque ſynochi; & hæ ſunt differentiarum cauſæ.

Ab his itaq; progreſſi ad accidentium explicationem veniamus.

Symptomata.

Principio quidem totum corpus inflammatur, potiſſimum vero in facie rubor apparet; ac tumor; calor vndique ſibi æqualis, vel ſemper adaugens, vel diminuens, vel eodem modo permanens, nec auctus nimis, nec diminutus.

Quo

Quo ad qualitatem pertinet, ſuauis eſt calor non acer, ac mordax; cutis non ſqualida: ſed mollis & blando plerunq; madore ſuffuſa.

Vrinæ tum craſſitie, tum colore à naturali habitu, non multum alienæ.

Pulſus magnus, plenus, frequens, ac velox: diſtendens, aut aggrauans plenitudo artus omnes aggrauat.

Tempora vehementer pulſant: caput dolet, vel ingraueſcit, ſomnus ſæpe profundus aut veternoſus premit: magna iactatio corpus fatigat: & aliquando venæ ſanguinis copia diſtentæ turgent. Causa ſyn.

Quoniam igitur ſynochus fit ab efferueſcentia ſanguinis neceſſarium eſt, vapores quàm plures generari, à quibus per vniuerſum corpus diffuſis, atque potiſſimum ad faciem delatis, corpus tumet, & facies non ſolum tumet, ſed etiam rubedinem acquirit. Rubens enim eſt is vapor, qui à ſanguine feruente educitur, atque talis in cute color effloreſcit, quales humores intrinſecus, recondíti ſunt.

Quia vero ſanguis calidus & humidus eſt, aut certe ſi mauis temperatus ex contrariorum humorum permiſtione, is vapor, qui à ſanguine attollitur, ſuauem, mitemque calorem generat, qui talis per vniuerſam cutem ſentitur, ac alia cauſa non accidit, quà cutis mollis exiſtat, & ſuaui quodam madore perfuſa.

Vrinæ quidem omnes rubeæ, quantum ad calorem pertinet, tales enim ſanguinis copiam referunt, ſubſtantia vero craſſiores propter abundantiam ſuccorum, non tam multum recedunt ab habitu naturali, quod in his corporibus nulla ſubſit putredo: ſed ſimplex ſuccorum feruor.

Pulſus, quoniam virtus eſt valida, magnus eſt, quia humorum adeſt multitudo, qualem iam diximus: Plenus ac adaucta neceſſitate frequens, ac velox. Plenitudo ſemper adeſt in hac ſynochi ſpecie, non tamen ſemper, quo ad vaſa continentia, ſed aliquando quo ad virtutem, quam ob cauſam accidit aliquando laſſitudinem adeſſe diſtendentem, quæ propria eſt illius, quæ vaſa reſpicit, aliquando grauitatis ſenſum ferentem, quæ alteri plenitudini conuenit.

Tempora vehementer pulſant, quandoquidem per arterias maxima ſpirituoſi ſanguinis copia ad caput fertur, ob cuius præſentiam caput dolet, membranis videlicet caput ambientibus diuiſis ob plenitudinem. Sunt enim membranæ ſedes affectæ dolorum capitis, qui dolor vt plurimum grauitatis ſenſum exhibet.

Si quando autem ii vapores in pituitam vertuntur, vel cerebri ſubſtantiam humectauerint ſomnus profundus, & veternoſus aduenit. Corpus vndiq; iactatur: quod febrilis illa caliditas originem habeat ab omnium venarum plenitudine, atq; efferueſcentia ſanguinis in omnibus venis, aut certe principalibus venis inter alas, & inguina ſitis.

Deinde vero ſi plenitudo [illegible] febris cauſſa effectrix fuerit venæ propter ſanguinis copiam diſtenduntur: ſed hoc ſane non eſt vniuſcuiuſque ſynochi proprium.

De ſynocho bilioſa. CAP. XIV.

DVBITATIONEM is hoc loco habet, cur definientes ſynochū diximus efferueſcentiam eſſe ſanguinis optimi & copioſi, aut bilioſi; nulla enim ſynochus fieri videtur ab excandeſcentia flauæ bilis, ſed omnis fit à ſanguinis plenitudine, qualem nos ſupra declarauimus. At vero quemadmodum ſynochus putrida duplex reperitur, altera ſanguinea, altera bilioſa, veluti poſthac ex Galeno demonſtrabimus: ſic profecto duplicem eſſe ſynochum non putridam illi proportione correſpondentem arbitramur, quarum alteram à ſanguine originem habere: alteram ab inflammatione ſanguinis bilioſi fieri dicamus. Causa.

Quin enim sanguis mitissimus, atque suauissimus humorum omnium propter adstrictionem cutis ab obstructione factam adeo in maximis venis efferuescere potest, vt febrem synochum faciat: non poterit sanguis tenuissimus cuius copia in eisdem venis consistat, eadem obstructione praecedente efferuescere, & synochum facere. Multo quidem id fieri facilius potest in flaua bile (sic nuncupamus sanguinem tenuem) quam in optimo, atque temperato sanguine: quandoquidem nos id certo persuadeamus, maiorem affinitatem habere hunc succum cum febre, quam alios, atque similium faciliorem esse transitum, quam dissimilium.

Aduenire igitur solet haec febris in iis corporibus, in quibus copiosa bilis reconditur, quoticunque nimia caliditate exaestuat, atque agitatur. Quamobrem ab eisdem caussis fieri videtur, ac febris ephemera, nisi quod multo validiores esse oportet in hac synocho causas, quam in diaria.

Vehemens adstrictio, qua vaporum actium & fumidorum transitus inhibetur, hanc febrē aliquando efficit: eandem vim habent cruciatus maximi, quales nephritici, aut parturientis esse solent.

Item exercitatio, laborque immodicus, aestus, balneum, animi excandescentia, & quae his pares sunt viribus.

Differentia inter synochum biliosam & sanguineam. In his itaque à synocho superius exposita, tum etiam quia illa est optimi sanguinis & copiosi simplex efferuescentia: Haec bilis concitatio sine putredine: illa in corpus incidit temperatum, beneque habitum: haec vero in calidum, siccum, ac plane biliosum: in hac nullae putredine notae, aut in pulsu, aut in vrinis cernuntur: veruntamen os amarescit: deiicitur appetentia, sitis excruciat: capitis dolor, ac vigiliae vrgent in cute arida, calor mordax sentitur.

Haec quidem fiunt ab vnius flauae bilis efferuescentia: at vero sublatis euidentibus caussis paucis post diebus febris eiusque symptomata quiete sola nulla artis subsidio sedantur, ac sponte desinunt.

Differentia. Differentiae febris huius eaedem, atque sanguineae, ab eisdem caussis desumptae. Nos quidem hanc febrem bis cōseruauimus: at vero primus omniū admisit Auerrhoes, demum vero Ioan. Fernelius vir Maximo & admirabili ingenio confirmauit, & saepe fieri animaduertit.

Igitur synochi differentiae in hunc modum habent, Synochus alia sanguinea alia biliosa, vtraque vel aequalis, vel semper increscens, vel semper diminuens.

- *Synochus aut est*
  - *Sanguinea aut est*
    - *Increscens.*
    - *Aequalis.*
    - *Diminuens.*
  - *Biliosa*
    - *Increscens.*
    - *Aequalis.*
    - *Diminuens.*

De febribus hecticis. Cap. XV.



QVONIAM earum febrium, quae à simplici fiunt calore praeter naturam, postrema est febris in habitu, & postquam de febribus ephemeris, atque synochis abunde disseruimus, reliquum est, vt de hecticis febribus dicamus.

Primum quidem hae dicuntur hecticae, quod difficilem solutionem habeant, illis morbis oppositae, quae facilime possunt remoueri, à Graecis dicta ἐν χρόνῳ, vel κατὰ χρόνον, quemadmodum priores, quorum difficilis est solutio ἐν ἕξει, vel κατὰ ἕξιν appellant, vel hoc modo appellantur; quod habitum corporis inuadant, vt posthac dicemus. [illegible]

Est autem

Est autem febris hectica calor præter naturam in substantia cordis primum, ac per se inhærens, & vehementer infixus. (Febris hectica, quid.)

Doceamus, quomodo inhæreat in substantia cordis.

Sed in primis animaduertere oportet nomine substantiæ cordis nihil aliud intelligere nos, quam solidam eiusdem partem.

At vero solida cordis substantia quid est? Duplicem ego apud celebratissimos Medicos vocis huius vsum reperio: nam aliquando eas partes solidas nuncupant, quæ fibrosæ, atq; membranosæ sunt, qua significatione à carnosa, & florida substantia distingui videntur. Hæc sane illæ sunt, quas passim Medici ex semine ortas esse tradunt, quæ cum ex aliqua occasione fuerint deperditæ, rursus regenerari non possunt: cum tamen carnes ipsæ, atque ea substantia, quæ tanquam ros singulis partibus inspergitur, cum deperditæ sunt, regenerari possunt. (Declaratio. 7. metho. 6. 11. meth. & 10 method. vltim. 1. de sem. c. 13. & 1. aphor. & 1. aph. 15.)

Altera vero est significatio vocis huius, qua nos hic vtimur, vt solidam partem dicamus, quæ humidis contradistinguitur: humidamque intelligentes humores, ac spiritus. Quicquid igitur extra humores, ac spiritus consistit, id sane solida pars dicitur, in qua febris omnis in habitu tanquam in proprio subiecto residet. (1. de febr diff. 7.)

Quando igitur calor præter naturam in solida cordis substantia vehementer infixus est, febrem hecticam facit.

Vehementer autem infixum dixi, quoniam oportet hanc partem in omni febre calidam pati intemperiem: verum si inæqualis ea fuerit, vehementer infixa non est: at æquali existente tota iam facta cum sit, vehementer infigitur, atque propterea remoueri cum maxima difficultate potest; nam quemadmodum habitus ita quidem inhærens est qualitas, vt facile auferri non possit, sic profecto febris hectica in cordis substantia perinde infigitur, vt illum auferre facile quidem non sit. (Arist. in prædicam. c. de qualitate.)

Primo autem & per se cordi inhærere diximus, ne quis siccitatem ab aliis partibus incipientem, & in corde communicatam, minime tamen confirmatam arbitraretur febrem hecticam esse. Impossibile enim est, vbi cor calidam intemperiem non patitur, febrem existere, vt iam supra declarauimus. Sed hecticarum febrium generationem doceamus.

In corde igitur hæ febres ortum habent: magna quidem ex parte in ardentibus febribus: quæ tantũ protrahuntur, vt longitudine temporis, humorem in cordis corpore contentum absumant, vel fieri potest, vt magna eius portio adhuc conseruetur: illæ non sunt simpliciter hecticæ, sed etiam tabidæ, vt posthac docebimus: hæc autem simpliciter hecticæ, quæ manente adhuc humiditate generantur: atq; vbi cordis corpus occupauerint, hinc maxime accenduntur, quemadmodum ex fomite flamma; atq; vna quidem à nobis exposita est harum febrium generatio. (Lib. 1. de fe. diff. cap. 8.)

Reliqua autem est, cum statim ab initio inuaserint similem sui ortum ephemeris facientes, aut ex tristitia, aut ira, aut lassitudine nimia vna cum solis ardore contracta: Eos potissimum ab initio solet inuadere, qui natura sunt sicciores, ac præsertim si vitam in laboribus exercuerint, vigiliis, curis, victuque pauco.

Incipit ipsi cordi hæc passio nonnunquam quidem ex se ipsa, sicut in excandescentiis, vehementibúsq; vigiliis, magnis ac diuturnis, tristitiis: nonnunquam vero in ardentibus febribus: aliquando autem in pulmonis, & thoracis affectibus, ac præsertim in suppurationibus & phthisi, sicuti autem ex his ita, ex hepate & ventriculo, atque vt simpliciter dicamus, ex omnibus diuturnis inflammationibus, quæ nobiliores partes occupauerunt, adiuncta totius animalis ac præsertim cordis siccitate. Ego quidem vidi in laxioris intestini (Græci colon appellant) inflammatione diuturna hecticam febrem fuisse secutam: itidem in similibus stomachi, renum & vesicæ affectibus. (Gal. ibid. cap. 9.)

Nec minus à tali febre nonnulli sunt capti, qui dysenteria sunt detenti: cũ scilicet intestina inflammatione laborarent, in leuitate etiam intestinorum & longo profluuio, alterum Græci λειεντερίαν, alterum διάῤῥοιαν appellant, cum scilicet vel ab initio statim, vel progressu temporis febricula orta fuerit, hecticæ febres consequuntur.

De hecticarum febrium differentiis.

CAP. XVI.



9. meth. 6. 10. meth. vlt. lib. 1. de feb. diff. cap. 9.

ORDIS substantia, quam nos appellauimus partem solidam, ex tribus substantiis constat, in quibus tota continetur cordis essentia.

Prima quidem ea est, quæ tanquam ros quidam per carnes omnes, per membranas, fibrosamq; substantiam spargitur, à natura tamen pro ipsarum proximo nutrimento constituta. Hęc autem naturalis humiditas siue proprium hoc similarium partium nutrimentum, non paruam innati spiritus substantiam continet, imo potius veluti materiam quandam leuiculam etiamnum mutationem exposcentem ad innati spiritus suis qualitatibus absoluti generationem nihilo secius tamen iam tum etiam admodum ad naturalia opera conducentem.

Lib. 5. de simplic. medic. 9.

Secunda vero pars est carnosa, & adiposa substantia, quę ex humore superius exposito, atque proprio alimento concreta perfectionem suam sortita est.

Gal. ibid.

Tertia ab his duabus distincta existit ea substantia, quam nos vere solidam ab antiquioribus Medicis nuncupatam diximus, pars quidem fibrosa, & membranosa. Hę quidem verę substantiæ sunt solidarum quarumcunq; partium, neq; aliam his addere oportet.

Quid igitur? inquies, receptam opinionem euertis? qua statutum est iam ex Arabum Medicorum placitis humiditates duas quatuor esse: tres inquam, nunc expositas: quartam vero succum illum, qui in exitium venarum extremitatibus comprehenditur.

Ego sane hunc succum admitto; non tamen veluti partem quandam & substantiam solidę partis, sed vt quandam sanguinis portionem: est enim omnium iudicio sanguis, ac in ipsis vasis contentus solidarũ partium substantiam complere non potest. Quam rem Galenus aduertens diuersam esse siccitatem statuit, in qua venę succo inanitæ sunt, ab iis, in quibus solidarũ partium substantiæ ab igneo calore absumuntur, ac in curatione plurimum differre statuit. Ex his itaque hactenus expositis, varios esse hecticarum febrium ordines arbitramur, quorum primus est, cum illa natiua humiditas, quam rorem, & proprium similarium partium nutrimentum appellauimus, efferuescit: ex tribus enim substantiis naturam solidarum partium complectentibus, hæc quoniã tenuior est, citius potest inflãmari, & efferuescere: omnis siquidem substantia tenuis promptius alteratur, quam crassa: est autem carnium, adipum, membranarum atq; fibrarum natura multo sane crassior, quã natiuæ humiditatis substantia: cum itaq; calor præter naturam in hac tenui substantia primum insederit, tanquam in subiecto: aliæ vero partes nondum sint in calefacto esse, primus gradus fit hecticarum febrium.

9. morb. c.

Lib. 1. de febr. differ. cap. 9.

Lib. eod. c. 1.

Secundus vero cum vltro progressa ad carnosum genus, atq; adiposum feruor ille conuersus (absumpta natiua humiditate) fuerit: quandoquidem cum habeat hoc genus maiorẽ aptitudinẽ ad caloris præternaturã susceptionẽ, necessarium est hoc alterari prius, quã genus postremũ. Hoc igitur plurimũ calefacto, atq; iam iam colliquationem patienti alter ordo fit hecticarum febrium. Tertius autem est, cum adiposo, & carnoso genere absumpto calor igneus vere solidas partes inuehit, ac pabulatur, quæ, vt habẽt minorem, quam aliæ partes aptitudinem, sic profecto maiorẽ ad sanandam difficultatẽ possident, quemadmodum post hac diligentius explicabitur à nobis.

Hosce

Hosce gradus, ac ordines febrium in habitu Galenus morbi tempora nuncupat: Primum sane principium: secundum incrementum: & tertium summum vigorem: minime autem his, vt videre est in aliis morbis, declinationem admittit.

Alii vero differentias vocandas esse tradiderunt, atque optimo sane consilio; nam si proximæ febrium differentiæ, quatenus febres sunt à materia desumantur, in qua hic calor præternaturam inhæret, quemadmodum ex veterum Medicorum placitis exposuimus; necessarium quidem videtur particulares differentias earum febrium, quæ sub primo genere comprehenduntur, ex particulari materia, in qua resident, esse desumendas: quia vere tres diuersæ substantiæ sunt, quæ, vt diximus, solidarum partium substantiam constituunt, ab ipsarum diuersitate, diuersas fieri differentias febrium in habitu oportet.

A subiecto igitur, in quo calor inhæret præter naturam, tres erunt differentiæ febris hecticæ.

Prima, in qua humiditas naturalis efferuescit.

Secunda, in qua carnes & adipes dissoluuntur.

Postrema cum calor præternaturam in membranis, & fibris cordis consistit.

Verum hæ particulares differentiæ, quoniam proprio carent nomine, omnes hecticæ communi atq; generico vocabulo nuncupantur.

Sed si triplex est differentia siue genus harum febrium, dubitationem habet, quomodo statuere oporteat duplex illarum genus esse, quemadmodum Galenus tradidit, quarum alterum, cum tabe consistere: alterum citra tabem significauit, vtrumq; tamen verum: nam tres proximæ sunt harum febrium differentiæ à subiecto, vt declarauimus desumptæ. Galen.4.

Quia vero ex tribus hisce differentiis duæ postremæ hecticæ simpliciter nuncupari minime consueuerunt, at cum adiectione tabidæ siue marasmodes, propterea hac facta inter istas febres collatione: alteram febrem in habitu sine marasmo, & tabe: alteram vero cum tabe consistere tradidit, quæ sane distinctio minime prohibet, quin proximæ differentiæ sint tres: tabes enim duas complectitur, vt post hac, cum de tabe tractabimus, diligenter docebimus.

Sunt autem, qui hecticarum febrium duplex genus aliter constituunt, putantes à caussis efficientibus fieri in hunc modum distinctionem. Hectica, quędam statim incipiendo fit, quædam vero alios morbos subsequitur. Sed meo quidem iudicio duplex est, harum febrium ortus, differentiæ vero minime, quandoquidem ab essentiæ diuisione non proficiscuntur: siue enim statim incipiendo fiat siue minus, ad essentiæ constitutionem nihil confert. At vero eæ, quas docuimus differentiæ proximæ desumuntur à natura & essentia febris hecticæ.

Sunt igitur hæ differentiæ accidentales, non proprie, quemadmodum etiam aliæ, quas recentiores afferunt, à particulis primum affectis desumptæ: cum scilicet alteram dicunt hecticam stomachi; alteram hepatis, alteram renum, alteram intestinorum, ac aliarum id genus partium: quamuis enim partem cognoscere, quæ prima causa fuit inuasionis febris in habitu, non parum vtile existat in curandi ratione, tamen non sunt hæ nuncupandæ differentiæ, sed potius modi quidam generationis.

His addere oportet, nullam esse febrem in habitu, quæ non sit propria passio cordis.

Hic igitur loquendi modus, quo partium affectarum hecticas dicimus parum videtur hisce febribus conuenire: omnis enim hectica cordis est passio, illi vehementer infixa, & inhærens. In hunc itaque modum habent febrium hecticarum differentiæ.

De signis hecticarum febrium, horumq; caussis.

CAPVT XVII.



His igitur in hunc modum definitis, agendum est de signis hecticarum febrium illorumque caussis, ab omnium communibus indiciis exorsi, de propriis singularum hecticarum indiciis posthac dicturi.

Hæc ergo omnibus febribus in habitu conueniunt: Primum sane calor febrilis toto morbi processu, mitis atque suauis apparet, diutius tamen nobis contangentibus acrimoniæ sensum exhibet, atq; semper à principio ad finē vsq; sibi similis est, & æqualis neq; inuasionem vllam accessionis, nec incrementum, nec vigorem, nec declinationem habet. Maior vero & acrior caliditas in venis atq; in ipsis arteriis, quam in aliis partibus apparet. Quinimo assumto alimento per horas duas vel tres calor augeri videtur, pulsusque ad magnitudinem maiorem, ac velocitatem alterari, ita vt incompressa annotatio facta videatur eo tempore, quo maxime horas omnes suspectas subterfugisse videtur. Statim enim hora vna, vel duabus, vt dixi, post assumptum alimentum quicunq; ægrotantes tetigerint, alteram febris accessionem adesse putabunt. Voco autem annotationem incompressam, in qua neq; horror aliquis, neq; extremarum partium refrigeratio facta est, neq; veluti quædam dormitatio; neq; aliqua insignis pigritia, aut omnino inæqualitas aliqua vel in caliditate, vel in pulsu; adhuc autem magis neq; paruitas, neque debilitas, neque horum aliquid aliud; sed quemadmodum & cuiq; alteri ex cibo maior, & velocior pulsus efficitur. Caliditas præterea admodum debilis est, si ad reliquas febres collationem efficias: commune enim omnibus hecticis est, quod semper pusillæ sunt à principio vsq; ad finem.

Ægrotantes vero vix quidem sibi ipsis febricitare videntur.

Pulsum habent omnes paruum celerem, crebrum ac debilem.

Nullum dolorem febris hæc afferre solet. Non est autem quemadmodum recentiores nonnulli putant, pulsus durities signum hecticarum febriū proprium, atq; inseparabile: potest enim ex diariis, & putridis, aliquando adesse, & hoc carere hecticas febres, non semel à nobis est obseruatum, vt post hac dilucide explicabimus: communia signa sic habent.

Dictorum symptom. causa. Calor ille præter naturam, quoniam simplex existit, atq; à putridis vaporibus minime coinquinatus nobis tangentibus apparet illico mitis, suauis ac imbecillus adiuuante potissimum cutis siccitate, & densitate. Hoc enim ab ignea caliditate, quæ solidas partes, veluti habitum possedit, fieri, satis est manifestum. Cæterum diutius in tactione manuū immorantibus cutis iam quodammodo rarior facta, atq; sub specie vaporis tenui aliqua substantia euaporante mordacitatis & acrimoniæ sensum præbet: fieri enim non potest, quin aliquid effluat, si non ex proxima caloris materia; saltem ex ea, quæ illi proxime adhæret: fuit autem similis est, & æqualis, quando similaris est ea substantia, quam calor præternaturam occupauit; ex dissimili enim inæqualis conspicitur, vt pluribus loco suo declarabimus, nec incrementum, nec vigorem, nec accessionis remissionem habet, quoniam siue humiditas partium similarium, quam rorem appellauimus: siue carnosum & adiposum genus: siue illud, quod proprie solidum appellatur, affectum fuerit, cum vndiq; sui similes existant omnes hæ partes: illico excalefactæ sunt: quamobrem nouam præ se ferre accessionis inuasionem non possunt.

Verum quod nos hic diximus, non est perinde audiendum, quod careant hę febres in habitu suis vniuersalibus temporibus: habent enim principium augmentum & vigorem, quemadmodum supra ex Galeno documus, sed de particularibus morbi temporibus intelligendum.

Assumpto alimento per horas duas vel tres calor totius corporis adaugetur,

geturi

getur; nam idem contingere videtur, quod in calce, atq; lapidibus calefactis: Si enim aquam frigidissimam infuderis, asperserisue multo calidiores sentiuntur, nutriente, vt videtur ex ipsis humida substantia aridam calidi tatem: quod autem ita fiat, cuiq; volenti ediscere licet: Si enim intra manum recipiat calcis glebam eiusdem paruifaciet caliditatem, quam profecto neq; etiam sentiet: quod si ad terram deponat, atq; aqua perfundat, videbis quã primum vehementer calefactam, atq; ita feruentem, sicuti lebetes, quãdo ingenti adhæserint flammæ; vapores etiam non paucos ab ea efferri conspicies, quod si etiam tangere ausus fueris facile ex hoc deuri cõtinget, adeo si ad sensus iudicium referatur humida caliditas, vires habet non parum sicca euidentiores. Hæc igitur potissima caussa existit, propter quam hectici assumpto alimento calidiores videntur.

Cur hectici assumpto cibo fiant calidiores.

Ex Galeno lib.1.de feb. diff.cap.9.

Dubium.

Sed habent hoc loco dubitationem, quæ diximus, namq; diuersa videtur ratio calcis; atq; caliditatis hecticarum: quandoquidem aqua totis qualitatibus contraria videtur calci: est enim aquæ temperamentum frigidum, & humidum, calcis autem calidum & siccum: itaq; vere opponuntur. Impossibile est enim alimentum calori adeo contrariũ esse, nam est aliqua ex parte contrarium, aliqua ex parte simile, quemadmodum Aristoteles tradidit. Idem igitur, quod in calce aqua superinfusa contingit, aduenire non potest assumpto alimento in hectica febre.

Auer. dub. 3.colleg.32.

Lib.2. de anima.

Hanc dubitationem quoniam viri celeberrimi dissoluere nequiuerũt, illam, quam docuimus, non esse veram causam tradiderunt; sed potius fabulam esse, vt loquuntur, cantatorum. Sed meo tamen iudicio verissima est caussa: non enim hoc sibi voluerunt Medici, alimentum perinde contrariũ esse facultati nutrienti, quemadmodum aqua calci, verum hoc potius intellexerunt, quod veluti caliditas calcis ab humiditate aquæ quodammodo nutritur atque adaugetur sic etiam caliditas illa hecticarum febrium apposita humiditate augeri videtur, & connutriri: atq; ita caliditatem multo maiorem videri adaucta caliditate ignea.

Auerrhoes.

Explicatio Medicorũ sententia.

Nunc vero explicandum, propter quam caussam non statim accidat, sed assumpto cibo per horam vnam duas vel tres, habet enim hoc non mediocrẽ difficultatem. Solidæ partes, quæ caliditatẽ igneam continent, assumpto alimento statim illius beneficio perfrui nõ possunt. Opus est enim prius concocti alimenti distributione, atq; appositione, anteaquam perfecte partes nutriantur; hoc sane illico fieri non potest, sed tamen inquies, nimis angustum est id tempus, quo augeri videtur caliditas assumpto cibo, quod sane pro his obeundis, quæ pro nutritione sunt necessaria sufficere non videntur, hic ego doceb o nimis angustum nõ esse id tempus; sed satis superq; sufficiens.

Ardua dubitationis solutio.

Assumpto itaq; alimento ventriculus statim circa ipsum sese totus contrahit, vt eo fruatur, ac nutriatur atq; vbi impletus, & satiatus est alimẽto, pro onere id de cætero habet, ergo quod redundãs est, statim abiicit, ac deorsum trudit, vt ipse scilicet ad aliud opus, nempe vt agglutinet, conuersus: anteaquam tamen nutrimentum per tota intestina permeet, adhuc in ventriculo oonsistens aliquam illius portionem, quæ tenuior existit, ad hepar transfluxit per illas germinationes venæ portæ, quæ ad ventriculum attingunt.

Lib.3.de facult. natural.c.13.

Tria enim sunt tempora nutritionis, in primo quidem alimentum in ventriculo manet, & concoquitur, tum ventri ipsi ad satietatem apponitur: & aliquid eius etiam ad iecur ascendit.

Galen.ib.

In secundo transit ad intestina, iisq; ipsis, & iecori ad saturitatem apponitur, ac tum potio eius exigua in omnem corporis partẽ fertur: porro hoc tempore, quod in primo est appositum, id ventriculo affigi intellige.

In tertia vero temporis portione ventriculus quidem iam nutritur iis, quæ affixerat plane assimilatis: affigi vero tam iecori, quam intestinis, quæ iis fuerunt apposita: præterea in omnibus corporis partibus digestionem, appositionemq; fieri.

Hęc igitur si vera sunt, vt putantur, inuenta est iam causa, cur tam breui tempore augetur caliditas assumpto alimento: nam tenuior illa pars, quæ à ventriculo ad epar ascendit, anteaquam totum nutrimentum eo perueniat, potest eadem celeritate reliquas nutrimenti partes præcedens per vniuersum corpus solidis partibus apponi & nutrire, ad quam celerem actionem venæ succis propriis inanitæ, solidæq; partes proprio alimento destitutæ non mediocriter adiuuant, atq; præcipue cor, quod vehementem facultatem habet attrahendi.

Lib.2. de marasf.c.5.

Quamobrem admiratione dignum non est, si horis duabus vel tribus assumpto alimento augeri videatur caliditas. Hæc autem eousq; perdurat, quousq; alimentum similaribus partibus affigitur.

Porro propter eandem caussam accidit eo tempore pulsum augeri in magnitudinem & frequentiam: non quod re ipsa sit magnus, (hoc enim fieri non potest) sed quod aucta caliditate maior appareat.

Hic autem animaduertere oportet, proprium, atq; inseparabile signum esse hecticarum febrium assumpto cibo calorem augeri, ac pulsum in magnitudinem attolli: nam quamuis hoc aliis etiam accidere videatur, plurimum tamen differunt; nam in iis febribus, quæ manifestam annotationem habẽt, aliqua fit afflictatio cum cibum assumpserint in accessionum principio, in hecticis post cibum assumptum per horam vnam, duas vel tres veluti quandam afflictationis expertum, fieri contingit; quæ non est, vt antea definiuimus, annotatio; decipit autem eos, qui circa eiusc emodi non sunt exercitati ob caliditatis multitudinem, ob magnitudinem pulsuum, & velocitatem: manifestius autem in sequẽntibus hæc febris cognoscetur, si diligentius obseruauerimus, quousq; post assumptũ cibum in caliditate, ac pulsibus alteratio facta perdurauerit, nam quæcunq; conspectui sunt obuia, eousq; manifeste alterata apparebunt, donec ex cibo digesto, atq; apposito cordis siccitatẽ humectauerint, deinceps ad pristinum habitum reuertentur, in quo antequã cibus assumeretur, conspiciebantur.

Si igitur alio in tempore cibo refeceris, eo, qui sequitur die, ac rursus die sequenti in tempore pariter diuerso, id omnino fieri videbis, caliditatem scilicet adauctam, pulsus autem, vt diximus, alteratos.

Fit autem aliquando & in quibusdam febribus aliis incompressus accensus, atq; hac quidem ratione non videtur febrium hecticarum proprius, atq; inseparabilis casus: at non parum differt, si vniuersum horum indiciorum aceruum inspexeris: in omnibus siquidem febribus aliis eiusmodi introitus præter assumptum cibum fiunt incompressi: in febribus hecticis res omnino contrario modo se habet, neq; penitus fit aliqua annotatio in tempore aliquo: sed est vna febris continua sicuti quæ proprio nomine synochus appellatur at illa quidem veluti flammam plurimam admouenti manu habet occursantem: præter id quod pulsus in ea celerrimi fiunt, frequentissimi ac maximi, in hecticis autem febribus, neq; multa occurrit caliditas pulsusq; tanto minores, rariores, ac tardiores, sunt iis, qui febribus synochis appellatis existunt: quanto etiam caliditas minor existit. Hoc igitur modo à synochis febribus, atq; ab aliis, quæ incompressas habenr annotationes differunt, veluti iam diximus, hecticæ febres.

Lib.1. de feb. dif. c.7.

Reliquum est, vt postremo doceamus eorum caussas, quæ de pulsibus agentes meminimus, atq; in primis doceamus pulsum durum non esse alicuius generis febrium, neque ephemerarum, neq; earum, quæ ex humorum putredine consistunt, neq; etiam hecticarum proprius, & inseparabilis. Comitatur autem magna ex parte hecticas febres, nonnunquam vero duo genera alia, casu aliquo interueniente.

Nam, vt summatim dicatur, durities tunicis aduenit arteriarum, aut ob congelationem, aut tensionem, aut siccitatem, congelationes igitur vehementes

mentes algores efficiunt. Tensionem vero inflammationes, & duri tumores,& neruorum dispositio, inflammationibus correspondens. Siccitatem vero & diuturnæ euacuationes,quæ vel ex ventris profluuio, vel intestinorũ lęuitate aut dysenteria,aut diuturnis vomitibus, aut tali aliqua alia causa proueniunt,& longi temporis fames,& febres ardentes longe,atq; vt in vniuersum dicatur, quæcunq; ipsas animalis solidas partes vehementer exsiccant:sicut & hecticę febres,quando iam plurimum processerũt:nam in principio vel nunquam vel admodum raro pulsus durus, apparet. Siccitatem adesse non paruam oportet, vt hic pulsus fiat. At vero sine siccitate, sæpius hecticæ febres consistunt, quæ videlicet nondum sunt ad tabem transmuratæ. Gal. ibid.

Præterea nec vehemens pulsus,nec magnus cum hecticis febribus vnquam concurrunt,sed si alterutrum habeat horum,non sunt hecticæ.

Vehemens quidem esse non potest,quia perpetuo in hisce febribus vitalis facultas imbecilla est,propter eam intemperiem,quæ iam in cordis corpore facta est:semper autem imbecillitas facultatis cordis intemperiem,quę potissimum vehemens existit,concomitari solet. Lib. 3. de præsag. ex puls. ca. 7.

Propter eandem causam,neq; magnus est pulsus, nam hic fieri non potest imbecilla existente facultate cordis, multoq; minus id contingit, si propter siccitatem,quod in hectica tabida contingit, instrumentum ipsum resistat: ex tribus itaq; causis magnitudinis vna quidem semper deest altera autem aliquando.

Quamobrem quoniam vitalis facultas imbecilla est,oportet pulsum ipsum immutari in paruitatem,frequentiam & imbecillitatem.

Hecticus igitur pulsus est debilis paruus, & frequens: Arteriæ autem calidiores sentiuntur,quam aliæ corporis partes, quoniam inter eas substantias, quæ solidæ nuncupantur satis conspicuæ sunt, & eminentes arteriæ.

Cæterum febrilem caliditatem vix hectici persentiunt, quod calor ille in organum sensitiuum confestim, ac subito, quod Gręci ἀθρόως dicunt, non agat. Vt enim dolor fiat, necessarium est confestim ac violenter agere qualitates tangibiles, quemadmodum nos alio opere diligenter expressimus. Lib. 2. c. 8.

De signis differentiarum hecticæ febris, & illarum causis.

CAP. XVIII.



OMNIA, quę communiter omnibus febribus hecticis conueniunt, hactenus videor diligenter prosecutus: nunc itaque vniuscuiusque differentiæ, siue speciei, siue gradus dixeris, indicia doceamus. Gal. lib. 1. de feb. diff. cap. 3.

Febris hectica, quæ incipiendo primum inuadit, iis accidit, quæ calida & sicca sunt, cogitationibus, laboribus, inediis, & curis, quam plurimis dedita. Ergo si einscemodi corpora à vehementibus causis procatarcticis affecta sunt, suspicionem ingerere debent, ne febris in habitu incipiat, quod ea corpora dispositionem habeant maximam ad hanc febrem. In hunc autem modum certior fieri potes. Si omnes horæ febris ephemeræ præterierint, & adhuc calor febrilis constiterit æqualis pusillus, mitis, nullam accessionis inuasionem habens; sed eodem semper modo permanens, omnibusq; pręteritis diatiarum febrium terminis, atque pręterita die tertia pro accessione tertianę suspecta, tunc certe coniectari debes, tam iam inuadere febrem in habitu. Quod sane multo magis confirmabis, si omnibus horis suspectis præteritis cibum dederis, horaque vna, vel altera post assumptum alimentum videbis ægrotum calefieri, atque pulsum ad magnitudinem & velocitatem permutari. Hoc enim profecto nihil iam amplius erit, quod facere dubitationem possit. Incipientis signa.

Hæc eadem indicia apparebunt, si post febres diarias inuaserint.

Subse-

Subsequentes ab aliis morbis signa.

Subſequentem vero ad ardentes febres cognoſces, ſi caloris mordacitate, atq; acrimonia paulatim ſublata; atq; dèmptis acceſſionibus per circuitũ, calor mitis ſimilis; totoq; morbi proceſſu æqualis permaneat, arteriæ ſint calidiores, quam reliquæ partes, aliaq; adfuerint ſigna, quæ communiter omnem febrem in habitu teſtantur.

Idem profecto obſeruandum eſt, cum diuturnis febris & fluoribus alui vel vteri, omnibus immodicis euacuationibus ſuccedunt.

Hectica tertii gradus signa.

Cæterum cognitu promptiſſima atque facilima exiſtit febris hectica cum tertium gradum attigerit, nam priuſquam pulſum, caloremue perpendas, videbis oculos immodice concauos, quibuſdam veluti foueis recõditos, exhauſto iam in ipſis vniuerſo liquore, ita vt oſſium, quibus palpebræ inhærent, eminentiæ conſpiciantur: & ſordes quidem ſiccæ in ipſis oſtenduntur, & quædã veluti ſqualida diſpoſitio, qualis maxime inhæret his, qui toto die ſub ſolis ardore iter longum per puluerem egerunt.

Lib. 1. de feb. dif. 9.

Eſt etiam in eiſdem flos vitalis caloris exſtinctus: hoc quidem tota patitur facies, atq; in tota cute, quæ faciem obducit, ac frontẽ præſertim, ſiccitas immoderata conſpicitur adeo, vt ex ſiccitate dureſcat, ac circumtendatur, nõ tamen plurimum poſſunt producere palpebras dormitantibus ſimiles: & quidem ſæpius conniuent dormitãtium more: non erit autem eorum paſſio ſomnus, ſed potius vigilandi impotentia, contabuere enim carnes, quæ in tẽporibus ſunt, vt collapſa videantur, & concaua ſpatia, & quid aliud omnino ſunt, quam oſſa & cutis: adeo vt ſi nudato corpore partes ad ventrem attinẽtes aſpicias, neq; ex inteſtinis, aut viſceribus aliquod ſupereſſe, ac præcordia vehementer contracta verſus thoracem videantur.

Quod ſi eos tangere libeat, cutis apprime arida, quam ſi digitis apprehendens extenderis, inſtar pellis conſiſtit.

Pulſus autem tenuis, durus, debilis & frequens. Caliditas cum primum manus admouetur, debilis eſt, paulatim vero acredinem, atq; eroſionẽ quandam oſtendit, atq; magis cum plus tangendo immoraberis. Neque amplius reliqua commemorare oportet indicia in re præſertim adeo manifeſta.

Signa hecticæ in gradu secundo.

Cognitis hiſce duabus differentiis, quæ extremę ſunt, quę medio ordine conſiſtit, ex ſymptomatũ mediocritate facile cognoſcetur: nam hæc maiora ſunt, quã in primo grado: minora vero, quam in tertio: eius vero magis naturã participare dicitur, cuius ſymptomata magis ad alterum extremum vergunt. Hoc tamen habet peculiare, quod vrinæ ſunt in ſuperficie pingues, & oleaginoſæ, quod ſanè diligentius explicandum venit.

Quod vrinæ pinguedo telis araneorum similis innatans, aut oleaginosa proprium sit, atq; inseparabile indicium hecticarum febrium secundi ordinis contra Altimarum.

Cap. XIX.

VRINÆ, in quibus pinguedo ſupernatat telis araneorum ſimilis, aut oleum præſefert, colliquationem ſemper ſignificant, vel eius pinguedinis, quæ cum bono & copioſo ſanguine in venis permanet, vel adipis renum, vel adipis corporis totius: qui vna eſt ex partibus ſimilaribus, ac ſolidis, quemadmodum ſupra docuimus.

Itaq; ſi quando huiuſce colliquatio contigerit, ſuſpicari oportet ordinis ſecundi adeſſe febrem in habitu: in hunc autem modum diſtingues.

4. de sanit. tuend.

Copioſo ſanguine in venis exiſtente, atq; optime concocto, ſanoq; corpore, aliquando hæc in vrinis apparent, nubeculæ quædam deſuper tenues ſupernatant, veluti quod in ſummo lacte colligitur, Græcis γραῦ dicitur, & quod in ſummo refrigerati iuſculi concreuit. Habet enim ſanguis, vt conſtat, partem quandam pinguem, cuius aliquid percolari ſimul cum ſanguinis ſero contingit, licet non ſemper, ſed vbi in ſanguine tale pingue abunda-

uerit.

dunerit. Verum si id pingue fuerit, à renibus colliquatum, affatim, atque subito decidet, Græci ἀφ... vocant, cum ardore, ac dolore affectarum partium. Paulatim autem defluere non potest, iam ægrotante corpore, quin febris adsit in habitu adipe videlicet corporis colliquato.

Cæterum hoc tertium contingit per ardentissimas quasdam febres, quæ habitum corporis afficiunt: hasce colliquatiuas febres nuncupant, non sunt enim hæ febres simpliciter putridæ: quoniam propter maximam atque vere deurentem caliditatem naturalis illa humiditas, verum scilicet, atque proximum alimentum similarium partium, cum iam sit absumptum: amplius quidem adeps & caro colliquantur: adeps aliquando per ventrē, aliquando per vrinas, caro autem per insensibilem transpirationem. 10. meth. vitim.

Hęc igitur febris eritne simpliciter putrida? & si putrida est, quomodo potest corporis habitus colliquari? & quomodo secundus ordo solidarum partium absumi? Hoc signum permixtionē febris hecticę cū putrida significat. Illi tamen aduenit, non quatenus putrida, sed quatenus hectica.

Secundo fieri potest per nonnullas pestilentes febres, à quibus illico cordis corpus peruertitur, alteratur, corrumpitur. Sunt enim quædam pestilentes febres, iam inde ab initio hecticæ; de quibus Galenus sic inquit: *Inspiciendaporro præ cæteris vrina est: etenim conturbata quorundam esse videtur, & aquosior ac nonnullorum multo, quam pro natura, tenuior: præsertim sublimamentũ animus est adhibendus, nam quædam sublivida quodammodo sunt: fugiunt, & item alia, quæ araneorum telas referunt in modũ lanæ congesta.* Accidũt hæ vrinæ in pestilentibus febribus, quæ simul hecticæ sunt, non tamen ea ratione, qua pestiferæ, sed qua hecticæ: Siquidē præter has nullæ sunt febres, quæ corporis habitũ obsideant. 1. de feb. diff. c. 9. 3. de præsag. ex puls. c.

Postremo apparent eiusce modi vrinæ in iis hecticis febribus, quæ sunt citra pestilentiá, & citra febres ardentes: ab his tamen hoc modo distát, maior quidē in his pinguedinis portio decidit, quod illorũ calor vehementius colliquet, quodq; demũ possunt in iis corporibus incidere, quę adipis nō exiguā quantitatem habeant: in hecticis vero, de quibus nunc loquimur, exigua est pinguedo supernatans, quod calor sit mitior, quodq; nō inuadat, nisi corpora calida & sicca atque sicco corporis habitu prędita. Hæc adipis colliquatio per vrinas educitur. Colliquato autem adipe carnes (q. ait Galenus) vaporis quadā specie digeruntur: idcirco autem pprium est indicium, atq; inseparabile hecticarum febriũ secundi ordinis hæc vrina: quoniam tenues illæ humiditates primæ vaporis vice dissoluuntur, quemadmodũ etiam & carnes, & substantia membranosa, & fibrosa. Hæ enim propter maximā siccitatē, qua præditæ sunt, nullā possunt, neq; per aluum, neq; per vrinas colliquationē ostendere. Si hæc vera sunt, cur igitur Galenus, cum de hecticarum febriũ signis agit, de vrina ne verbum quidem? Ego sane inquam prætermissum; vel quia sibi expositum, atq; eo potissimũ loco, quo is docuit, maxima omniũ febriũ signa ex vrina, ex pulsib. & caloris qualitate desumi: atq; rursus alio, quo præcepit in omnib. febribus, quoniā venenosi generis affectiones existūt oportere potissimũ ad vrinas attendere: vel quia fuerit oblitus, q̃ sane confiteri nolũt, qui iurarunt in verba magistri: sed isti, qui sectis addicti sunt, ducem suum audiant Galenum hisce verbis obiurgantem: *Adeo indelebile malum est, ista circa sectas ambitio, ac scabie quauis ad sanandum rebellior.* Et parum infra: *Adeo, inquit, qui sectis istis sunt addicti, non solum nihil norunt recti, sed ne discere quidē dignantur.* Lib. 1. de nat. fac. c. 13.

De tabe, illius differentiis, caussis ac signis.

Cap. XX.

NVNC vero agendum est de tabe, quæ species quædam est febris in habitu: verum quia non omnis tabes est febris hectica, neque omnis febris hectica est tabida, explicemus diligenter quid tabes, quæue illiusque differentiæ sint.

Tabes

Tabes & marasmus quid.

Tabes itaq; & marasmus eiusdem significationis sunt vocabula.

Est autem marasmus viuentis corporis interitus præ siccitate.

Porro cum genera viuentium tria sint: videlicet animalia, stirpes, & semina, & propter hæc etiam fructus: marasmus, & tabes proprius quidē horū omnium est affectus, quamuis per translationem, & cęterorum etiam interitus cum ex siccitate proueniunt, tabes nuncupari consueuerit.

Admirari autem hoc loco non debes, quod tabem esse interitū docui, quoniam, quod iam interiit sub medicinæ tractationem non cadit.

Interitus dupliciter dicitur.

Dupliciter autem interitus dicitur, tum de eo, qui fit, tum secundo de eo, qui iam factus est: nos hic priorem significationem accipimus: similiter etiam tabes intelligitur: nempe cum iam aliquid omnino contabuit, aut cum adhuc contabescit: de qua quidem significatione secunda in præsentiarum nobis est sermo.

Tabem vero nullam fieri citra maximæ siccitatis exuperantiam dicimus, quoniam primi, atq; simplices modi quibus omnia viuentia intereunt, sunt quatuor. Siquidem & elementa substantiæ eorum quaterno etiam numero ambiuntur solum sane tabescere ea dicimus, quæ ex siccitate id ipsum patiuntur. Rursus autem viuentia corpora dupliciter id pati consueuere: aliquando viuentibus corporibus, secūdum naturā se habentibus, aliquando autem pręter naturam. Illa sane naturalis est senectus: quæ inter omnes tabes vsq; adeo euitari non potest, vt esse secundum naturam videatur. Siquidem ineuitabilia sunt omnia naturæ opera, vtpote habentia necessarium suæ generationis ordinem: at nō eo modo dicimus senescere esse secundum naturam (quo ali & augeri sunt hæc naturæ opera: Senectus autem non opus, sed affectus quidam necessario consequens illa) verum hoc nomine, quod nullū aliquando sit visum animal, q; ortum fuerit, quin idem sit senio obnoxium.

Tabes vero corporibus adueniens præter naturam se habentibus, de qua nunc institutus est sermo, duobus fit modis: vel enim febricitantibus hominibus aduenit: vel non febricitantibus: hæc tabes senium est ex morbo: nam febris nunquam erit eiuscemodi affectus: vbi cor frigidius redditum est, quā ratio naturæ postulet: quod autem per eum affectū talis sit ipsius cordis temperies, indicio est pulsus rarus; & paruus, similiter spiratio rara, simulq; parua, nec non, qui exspiratur aer minime calidus: Hæc sane tabis species sit febribus ob intempestiuam immoderatamq; refrigerationē in eam transeuntibus. Quæ vero tabes aduenit, cum febre, omnis est hectica.

Hæc vero in vniuersum est triplex. Altera sane tabes torrida, quæ sane ortum habet à calore magno, febribusque ardentissimis; maxime vero vbi habitus fuerit siccior: hæcque febris semper est colliquatiua, de qua supra copiose diximus.

Altera vero est tabes syncopalis, quę sane gignitur, quando ii, qui correpti fuerint animi deliquio vbi vehementiam periculi effugerint, aliquid ex eo affectu remanet, vt adhuc defectum illum animi sapiat.

Est porro tertia species febris tabidæ cum hectica connexæ, cū hecticæ simplici, & exquisitæ sequitur. Talem vero nuncupamus hecticam, quæ citra tabem consistit, quæve primi ordinis esse dicitur: non enim omnis hectica simul cum tabe connexa est; sed ea solum, quæ primum gradum, siue principium fuerit egressa. Quamobrem non omnis hectica cum siccitate composita est, vt Galenus expressit.

Tres autem quas diximus tabidæ febris differentiæ, magnā in eo: quod magis, & minus latitudinem habent: nam tunc potissimum febris tabida incipit, cum humiditas illa partium solidarum fuit penitus absumpta. Eius vero perfectum augmentum adest, carnibus, & adipe colliquatis. Status autem & vigor, cum solidę partes, videlicet membranosa substantia & fibrosa nimis exsiccantur, quo ex tribus hecticę partibus vna sola citra tabem consistit: aliç vero omnes tabidæ.

Causæ

Caussæ horum sunt eędem, & signa, quæ supra de postremis differentiis exposuimus.

Hactenus videor primum illud febrium genus, quod in simplici calore præter naturam consistebat, explicasse, nunc de altero genere agendum est, quod in putredine consistere diximus.

De putredine secundum Aristotelis principia.

Cap. XXI.



ALTERVM subsequitur febrium genus explicandum: quod in ipsa humorum, vt iam diximus, putrefactione consistit.

Verum vt ea, quæ de hoc genere dicemus, clarissima sint, omniq; difficultate careant: primum omnium de putredine agemus secundum Aristotelis principia: quandoquidem putridę febres cognosci non possunt, non cognita prius putredine: à qua tractatione expediti agemus postea libro sequenti de putrefactione ex Medicorum sententiis, atq; ipsa methodo, pro nostra consuetudine docebimus naturam omnium putridarum febrium. Sed hæc iam satis præfatum in hunc modum aggredior.

Quatuor sunt qualitates primæ, ex quibus res omnes generantur, & quarum caussa res omnes corrumpuntur: calidum; frigidum; humidum, siccum: ex his duæ sunt actiuæ: calidum & frigidum; illius actio in similariũ productione: huius vero in dissimilium coniunctione consistit.

Duæ rursus passiuæ, humidum & siccum. Humor est prima qualitas, quæ proprio termino non finitur, alieno autem facile obtemperat, omniumque formas facilime recipit, quas tamen retinere propria natura non valet.

Huic contraria est siccitas, quę maxima cum difficultate alieno, suo autem termino facile terminatur, atq; formas rerum, quas tamen cum ingenti difficultate recepit, constantissime retinet. Hæ patientes qualitates nuncupantur: primum quia harum vis in agendo parum lucescit: deinde vero, quia à calore & frigore efficiuntur.

Ex his primis qualitatibus, vt dixi, fit rerum omnium generatio: fit etiam rerum cunctarum interitus.

Generatio quidem agentibus qualitatibus in ipsa temperatione, ac permixtione superantibus patientes qualitates.

Interitus vero contra, quotiescunque maior passiuarum, quam actiuarum vis inest.

Generationis igitur efficientes qualitates sunt calidum & frigidum, nõ tamen in vtraq; par adest efficientiæ facultas: calor quidem per se generationem efficit: frigus illius actionem contemperat.

Cum enim simplex, ac summus calor est, qualem ignis habet, hic sane propter maximam vim agendi nihil generat; sed absumit omnia, & in suam naturam conuertit. Quamobrem pernecessaria fuit frigiditatis, cum caliditate permistio: non quod frigus per se vim generandi possideat, sed quod maximam caloris actionem retringat, atq; contemperet.

Quam vero inuicem actiuæ qualitates proportionem habent, eandem in patientibus inuenire est: frigori siccitas correspondet: calori autem humor: nam humor præcipuam vim conferre ad ipsam generationem videtur, cum impressum à calore formam recipit.

Verum, quia fluxibilis est humiditas, & proprio termino non clauditur, retinere iam receptam formam non valet, propter hanc causam humor alieno auxilio indigebat: quo formæ receptæ conseruarentur: nulla enim alioquin futura esset generatio: hoc auxilium præstitit annexa siccitas, qua humoris fluxibilitas contemperatur velut ingens caliditatis actio frigiditatis permistione refringebatur.

Quamobrem ex actione caloris à frigore temperati in subiectam materiam in ipso videlicet humido per siccitatem confirmato rerum omnium prima, & vniuersalis forma producitur. Atq; hæc sane est rei cuiusq; simplex generatio: cui opposita est corruptio, & interitus. Qui sane interitus accidit, cum calor à frigiditate vincitur: & nõ quemadmodũ in generatione superat. Sic enim ab humore siccum vincitur, & è contra: hic est vnus intereundi modus, à suo contrario, cum reliquis omnibus, quæ intereunt communis.

Primus intereundi modus.

Alter autem intereundi modus est caloris proprius, qui fit ex defectu illius nutrimenti, quo nutritur. Nam quemadmodum ignis inter elementa solus nutriri dicitur, sic calor inter qualitates primas propter maximam vim agendi, quam possidet, solus nutrimento indiget: ex huius defectu contingit calorem dissolui, atq; interitum fieri caloris proprium.

Ex his colligere oportet duplicem esse interitum: alterum violentum, qui à suo contrario fit: alterum naturalem ex defectu alimenti.

Dico autem hunc modum interitus esse secundum naturam, quoniam sic corpora omnia, quæ natura constant nulla etiam adueniente causa violenta tandem necessario, dissoluuntur: vt animalia post senectutem, plantæ postquam inaruerunt: lapides, cum in puluerem dissipantur: mixta enim omnia siue sint animalia, siue plantæ, siue inanima, tandem hoc modo etiam consenescunt, & intereunt, cum scilicet internus ipsorum calor corrumpitur defectu alimenti: neq; minus naturalis est hic modus interitus, quã ipsa generatio, in qua internus calor humorem vincens formabat.

Cæterũ animaduertere hoc loco diligenter oportet, quod quamuis hunc modum interitus naturalem esse diximus, aliquando tamẽ contingit violentum fieri interitum alimenti defectu: cum videlicet humor nimium redundans strangulat calorem, neq; sinit fieri perspiratum, vnde calor retentus fit maior, & absumit breuissimo tempore alimẽtum præparatum, & cum non inueniat nouum nutrimentum idoneum exstinguitur.

Siccitas etiam eatenus potest violenter defectu alimenti calorem exstinguere, quatenus calor debet nutriri humore, tanquam proprio pabulo. Hæc enim natura est caloris.

Verum si alimentum ipsum sensim deficiat ætatis processu, vel paulatim ab ambiente nos aere, vel ab alio, quod illi proportione respondeat, paulatim dissoluatur, hunc nos dicimus naturalem esse interitum, generationi oppositum, tanquam commune contrarium, vt ait Aristoteles.

His in hunc modum constitutis afferenda est, & declaranda Aristotelis definitio de putredine, vt omnes difficultates tollantur: itaq; in hunc modum definit: [illegible], id est: *Putredo autem est eius, qui rei cuiusq; humida proprius est, & naturalis calor, ab alieno calore interitus, hic vero eius est, quod ambit.* Hæc Aristoteles, qui putredinẽ inquit interitũ esse. Quia vero omnis naturalis interitus generationi simpliciter opponitur necessariũ est, secundum naturã putredinem existere, vt secundum naturam ipsa est generatio.

Lib. 4. Meteor. cap. 1.

Putredo quid.

Quamobrem ex his concludendum est, nullos interitus violentos, de quibus satis diximus putrefactionẽ esse; quia putredo finis est eorum omniũ quæ natura constant: nisi si quid violentia interierit: quippe cum fieri possit, vt caro, & ossa, & quiduis aliud exuratur, & intereat præter naturam; quorum tamen interitus naturalis finis est putredo: putredinis itaq; genus est, interitus naturalis, efficiens causa, est alienus calor rem ambiens: patiens vero causa est naturalis calor in humido consistens. Hæc autem diligentius exponenda sunt. Primum quidem per alienum calorem intelligere oportet non solum eum, qui extrinsecus rem ipsam ambit. qualis est aeris: sed eum etiam, qui intrinsecus genitus, eandem autem similem cum ambiente actionem sortitur: ab vtroq; enim calore contingit naturalem calorem exstingui, humido, quo nutriebatur, consumpto.

Text. Arist. ibid.

Exter-

Externus autem calor, qui mixtum corpus ambit, suam vim exercens rarefacit, ac relaxat: ex relaxatione seu raritate sequitur vt intus penetret, & penetrando internum calorem augeat, ac frigus illud vincat, quo internus calor temperabatur. At vbi augetur internus calor vltra debitum modum, & consumit statim alimentum, & pabulum humidi, quo retinebatur: ita, vt nihil restet alimenti, & præparati ad calorem nutriendum, quamuis restet humor, & non totus absumatur. Non tamen est idoneum pabulum caloris: absumpto ergo, quod idoneum erat, deficit calor, & euanescit deficiente alimento, vnde fit interitus naturalis, cum videlicet hæc alimenti consumptio sensim fit, & paulatim: non violenter ac subito. Ille autem humor, qui tunc restat in mixto, cum esset materia formata, à calore destituitur propria forma; vnde non amplius retinetur termino, quo retinebatur: sed ad superficiem rei effluit, & elabitur. Videmus enim quæ sic corrumpuntur, externe humida esse, interne sicca.

Cæterum internus calor in hunc modum putredinem facit. Naturalis calor in humidum agens, vapores quosdam, atq; fuligines suscitat, quod potissimum in igneo calore, dum alimento nutritur, fieri videmus. Hæ itaque fuligines, quoniam ignea natura participant, si in corporibus retineantur, calorem internum adaugent: auctoque præparatum calore alimentum deficit multo citius, quam si corpus illis vaporibus priuaretur. Retinentur autem in corporibus nostris ex prohibita transpiratione, adstrictis, aut obstructis viis, per quas exire debent.

Potest etiam frigus aeris densando corpora animalium & plantarum perspiratum eiusmodi prohibere: efficereque, vt vapor ille igneus retentus vim habeat calefaciendi; tamen res ambiens: atq; hoc modo internam causam interitus habemus.

Naturalis caloris corruptio est à seipso (vt vtar verbis Aristotelis) nam calor interimitur à calore, calor scilicet internus ab externo: à quo absumitur alimentum interni, quemadmodum exposuimus.

Addit porro Aristoteles: *corruptionem calidi naturalis in humido*, vbi illud animaduertere oportet, quod calor ignis, qui penitus est expers humoris, nullo naturali interitu corrumpatur, cum sit omnium agentium efficacissimus: quamobrem si debet naturaliter corrumpi calor, necesse est, non esse calorem igneum, sed qualis est calor aeris, id est, cum humiditate, hic solus secundum naturam corrumpitur, & eius propria corruptio & interitus dicitur putredo.

Ex his igitur, quæ nos hucusque diximus, manifestissima est Aristotelis definitio, atque omnibus numeris absoluta: siquidem omnes dubitationes remouet: docetque non solum quid ipsa res sit: sed etiam propter quas causas existat. Quam definitionem si recentiores Medici contemplati in hunc modum fuissent, quemadmodum oportebat, nullam dubitandi causam contra philosophum habuissent. Atq; his in hunc modum declaratis, finis esto huic libro tertio de febribus ad laudem Dei Opt. Max. qui sit benedictus in secula. Amen.

FINIS LIBRI III.

LIBER QVARTVS.

DE FEBRIBVS PVTRIDIS.

Quid Putredo secundum Galenum?

CAP. I.



NVLLA est tractatio in negotio de febribus: quæ maiores difficultates habeat, quam explicatio putridarum febrium: quandoquidem antiquiores Medici, quemadmodum superioribus libris commonefecimus, multa prætermisere; at vero recentiores, in quibus certe maxime sperandum fuerat, quamuis rem copiosius prosecuti, nihilominus addiderunt difficultates quam plurimas, quibus vniuersam hanc tractationem, multo quam antea obscuriorem, difficilioremve reddiderunt.

Quamobrem mihi maxime laborandum fuit; primum quidem, vt in vnum veluti corpus colligerem, quæ à Galeno sparsim, & aliquando nullo, (vt libere pro mea consuetudine dicam, quod sentio) seruato ordine de hac materia dicta sunt: Deinde vero vt ea, quæ in hoc admirabili homine deerat (non enim omnia possumus omnes) adderem, obscurasq; illius sententias clarissime interpretarer, atq; tandem, vt omnia methodo ipsa docerem, quæ sane, vt à Galeno primum in vsum reuocata, sic profecto à recentioribus Medicis vel intacta, vel perperam exculta videri potest. Propter hasce causas fuit mihi necessarium rem copiosius conscribere, quam ante assueuerim, ac diligentissime docere naturam putredinis secundum Aristotelis principia, quod nos libro superiore præstitimus: quibus hoc modo explicatis, prætermissis peripateticis, tempestiuum est, vt ad ipsos Medicos reuertamur; hoc modo desumpto nostræ orationis principio.

Quoniam propositum nostrum est docere naturam putridarũ febriũ, in primis definire oportet, quid sit ipsa putredo; quoniam omnis tractatio, vt sæpius antea admonuimus, à definitione proficisci debet, vt intelligatur, quid sit id, de quo disputatur.

Gal. 11. method. ca. 8. *Definitio putredinis.* Cæterum putredinem hoc modo Galenus definit. *Putredo est mutatio totius putrescentis corporis substantiæ, ad corruptelam à calido externo*: pro cuius definitionis intellectione, animaduertere oportet; hanc definitionem omniũ, quæ à Galeno traditæ sunt, perfectissimam existere. Siquidem complectitur primum omnium caussarum genera; quæ res constituere solet exactissimas definitiones; deinde vero vno, atq; eodem examine, non solũ explicat, quid ipsa res sit, verum etiam docet, caussam, propter quam existit: quamobrem videtur mihi definitio positione, situve solo diuersa ab ipsa demonstratione.

His adde, quod ex proposita definitione facile deducuntur causæ propriorum accidentium: nam quę tales non exhibent causas, vanę sunt omnes, atq; dialecticæ, vt *in libris de anima* tradidit Aristoteles.

Tandem vero nihil deest eorum, quæ necessaria sunt, pro definitionũ constitutione, nihilq; superflue additum: quæ duo sunt definitionum vitia.

Cum igitur res hoc modo habeat, non sit mirum, si nos dixerimus, hanc definitionem esse perfectissimam Sed interim, quo hæc clariora, & manifestiora reddantur: singulas explicemus propositæ definitionis partes.

Primum igitur inquit, *putredinem esse mutationem*, qua voce significauit nobis commune genus putrefactionis, quod est mutatio: omnis enim putredo mutatio est; at non contra, omnis mutatio putredo. *Duplex mutatio.* Est autem duplex mutatio; vt Aristoteles testatur, quædam scil. in substantia, quædam vero in qualitatibus: putredo est mutatio substantiæ; non accidentis; atq; hæc profecto vniuersalis, est forma putredinis: qua statim apparet, naturam putredinis

in ipso

In ipso fieri consistere: dum.n.permutatur, mouetur\q; corpus ad corruptelam, tunc est putredo & tunc dicitur putrescere: Siquidem hoc nomine Galenus non intelligit motus ipsius terminum (qualem præcipue intellexit Aristoteles in meteoris) sed viam ad ipsum terminum: in qua re videtur etiam philosophos imitatus; qui sane generationem ipsam naturam nuncupant, non quod re ipsa natura sit, sed quia est præuia dispositio & viam ad naturam & formam, vt idem Aristoteles testatur.

Corruptio igitur ex Medicorum sententia est putredinis terminus, ac finalis causa, qualem Galenus expressit dum addidit, *ad corruptelam*.

Materia vero subiecta ipsi putredini est primum substantia corporis: sed non quælibet substantia: sicca.n.arida terrestris; nulloque humore participans aptũ esse nequit subiectum ad putredinem: Quandoquidẽ singula, quæ putrescunt, hoc vnum habent; quod humida sunt; calida vero postea fiunt, si forte talia non extiterint, calido præter naturam: At vero temporis processu, ipsa scilicet putredine subsequente sicca, aridaque fiunt, quæ putrescunt: consumptis humoribus, eisdemque à calido præternaturam dissolutis. Itaque humida substantia siue caro, siue humor, siue etiam ossa (hęc enim etiam humiditate participant, & quatenus talia participant putredine) proximum subiectum est putredinis: Quemadmodum Galenus passim in medendi methodo testatur, & nos infra diligenter docebimus.

Cæterum effectiua putredinis causa est, calor externus ac præternaturam. Cum enim duplex sit in humano corpore calidum, vt *primo libro* tradidimus: aliud sane innatum, & proprium: aliud acquisititium, extraneum ac spurium: à proprio & naturali calore non corrumpitur quicquam; imo potius contra, quicquid in rebus subsistit id gliscit, roboratur, sanum est & viuit, dum proprio calore regitur, ac fouetur; veluti nimirum ipsa animantium corpora, tametsi plurimam substantiæ suæ portionem humidam, & calidam sint sortita; magnum tamen annorum numerum, sine putredine ac sana, viuaq; existunt, si seruetur eorum proprius calor, in cordis quidem corpore per respirationem; in reliquis vero omnibus partibus, tum per communitatem, quam habent cum corde, tum per aliam quandam respirationem, quæ per totam agitur cutem, & transpiratio, perspiratioue dicitur: His vero læsis, vna etiam naturalis calor læditur. Aliud vero calidum, alienum ac præter naturam in corporibus excitatum, primum quidem ipsos succos propter humiditatem & putrefacit, & corrumpit: spatio vero temporis, tum adipem inuadit, tum etiam carnem. Hoc igitur calidum proxima est effectiua causa putredinis.

De generibus, ac differentiis putredinis, ex Medicorum sententia.

CAP. III.

HACTENVS itaq; naturam putredinis explicauimus: nunc reliquũ est, vt illius genera, & differentias prosequamur: in qua re illud inprimis animaduertere oportet, me non explicaturũ præsenti loco omnia genera, atq; differentias putredinis, verum eas, quæ maximo vsui futura sunt huic nostræ tractationi de febribus.

Itaq; putredo suas differentias sortitur à differentiis permutationis; cum enim variæ sint permutationes, quæ fieri in rebus putrescentibus contingunt, varias hinc oriri putredines necesse est.

Quamobrem permutatio à calido innato in humidum ad interitum aliquando exsistere potest adeo parua, vt id subiectum facile ad pristinam bonitatem restituatur, dum scilicet oppositis qualitatibus id vitium corrigitur.

Idem enim in succis accidit humani corporis, quod in vinis acescentibus: paruo enim in ipsis facto momento; ita quod acidum quidem habent saporem, nondum tamen acetum sunt; multa sæpius pristinam naturam recuperarunt.

Hoc idem in humoribus euenit, nam vbi magna in ipsis facta non fuerit mutatio, facile ad pristinam suæ naturæ bonitatem restituuntur: Hæc quidem leuis nuncupabitur putrefactio; nunquam autem corruptio: quoniam longissime abest ab eiuscemodi termino.

Aliquando vero magna est permutatio in humoribus facta, ita vt non possint iterum ex naturæ coctione ad pristinam bonitatē redire; hæc dicitur simpliciter putredo: dicitur etiam corruptio ab eo fine, ad quem tendit.

Rursus autem putredo ex magna & estatu digna permutatione facta duplex est. Altera quidem fit superante natura, altera vero superata. Et superante sane, sicut in inflammationibus, & similibus collectionibus tumoribus omnibus, pus in humoribus autem, qui in venis & arteriis continentur, quoddam, quod puri proportione respondet, subsidens in vrinis resultat, ac talis putredo adhuc aliquid in se coctionis continet; nam adhuc vi concoquendi valorum manente, qui interim putrescit humor, ad talem peruenit alterationem. Quamuis igitur hic humor amplius ad pristinam bonitatem reduci nō valeat, ex continua tamen ipsius naturæ actione, aliquam coctionis speciem assumens in alienam naturam transmutatur.

Gal. lib. 1. de feb. diff. cap. 6.

Sed & alterum est putredinis genus, cum ea vis, cui concoquendi officium est demandatum, adeo imbecilla facta est, vt nullā amplius facere possit in putrescente superfluitate ad optimum transmutationem: quod quidē visu contingit, nonnunquam, cum eadem vis ad vltimum imbecillitatis peruenerit, etiamsi id, quod putrescit, mediocriter sit vitiatum: at fieri interdum potest, vt vis quidem ipsa non omnino sit imbecillis, humor vero putrescens maxime sit vitiatus.

Gal. ibid.

His addito tertium genus putredinis, quod veluti semiputridum appellatur ex vtriusq; generis permistione compositum. Fit enim non quidem omnino superante natura ipsa, vt in puris generatione contingit: neq; superata, vt in altero genere: sed vtrisque adhuc cooperantibus: neutro tamen euicto: quod genus putredinis innumerabiles differentias habet in eo, quod magis ac minus, consistentes.

Tot sunt primæ ex Medicorum sententia putredinis differentiæ, in quibus omnibus necessarium est calida, & humida esse ea corpora, quæ putrescunt, nam putredo, quemadmodum diximus, ex materia gignitur humida, ex caussa vero efficiente extraneo calore: hinc videmus nunquam putrefieri ea, quæ simpliciter sicca sunt, vt ignis.

Verum quamuis hæ maximæ dicantur putredinis differentiæ, aliæ sunt etiam, quæ, quoniam in medendi methodo maximum vsum afferunt, hoc loco minime prætermittere oportet.

Vel enim putredo, cuius est instituta curatio; præsentem adhuc habet causam, à qua fit, vel non habet; hæcque vna fit differentia putredinis maxime vtilis. Secundo, alia est putredo, quæ per vniuersum animalis corpus diffusa est, alia vero, quæ in determinata quapiam particula continetur.

Rursus vero his addito tertiam; quod scilicet putredo, quæ consistit in determinata particula: vel cum phlegmone sit illius partis, vel citra phlegmonem, atq; hæ differentiæ putredinis ad methodum medendi vtilitatem magnam afferunt, de quibus Galenus hoc modo locutus est; *quoniam putredo vel in omnibus subsistit vasis, vel in maximis, maximeq; principalibus*, (ea porro sunt inter alas & inguina) *vel vna quapiam particula: quæ vel phlegmonem in se habet, vel etiam intra phlegmonem, veluti in febre quadam principium febris suae continens in singulis his differentiis seorsim exercitari conuenit*. Et paulo infra eodem libro: *Sunt igitur* (inquit) *putrarum & humoris putredine eiusmodi differentiæ, vna ex eo, quod causæ ipsius putredinis adsunt, vel non adsunt. Secunda, quod ea per totum animal, aut eius partem aliquam putredo diffusa sit. Tertia, quatenus cum phlegmone aut citra hanc.* Sed hæc satis de differentiis, summisq; generibus putredinis.

Gal. lib. 11. meth. ca. 4.

Cap. 5.

De sum-

De similitudinum capitibus, quibus philosophi in tractatione putredinis à Medicis dissentiant, vel conueniant.

CAP. III.

STATVERE ex his, quæ hucusque diximus, docere oportet ea, quibus Medici à philosophis in tractatione de putredine differant, & conueniant. Sic enim absoluta videbitur proposita disputatio.

Primum itaq; philosophi tanquam terminum, & periodum vniuscuiusq; mixti corporis, putredinem considerant: Medici vero vt admonuimus, tanquam viam, & præparationem ad interitum solius viuentis corporis, & non cuiuscunque, sed solius hominis, quæ potissimum contemplatur medicina quatenus in eo sanitas, vel induci potest, vel conseruari: nam quamuis ea quæ de putredine perhibent, brutis etiam animalibus conueniant: considerantur tamen, qua ratione solis hominibus conducunt.

Deinde vero philosophi putrediné naturalem quandam esse affectionem putant, quæ vnicuiq; mixto ex necessitate accidat: euitariq; non possit. Contra Medici omnem putrefactionem mutationem esse præternaturalem docent: atq; eiusmodi permutationem esse, quæ aliquando exiguo artis auxilio corrigi possit, & ad pristinum statum reduci.

Præterea illi putredinem fieri posse putant, solo ætatis decursu, post longam videlicet senectutem in animalibus: ac post ariditatem in plantis: Hi vero considerant putredinem, qua ratione potest à causis violentis in qualibet ætate aduenire.

Quæ sane considerationes diuersæ originem habent à diuersitate subiecti, circa quod vtriq; versantur. Sanitas enim & ægritudo à philosophis considerantur, quatenus passiones existunt viuentis corporis. A Medicis vero, quatenus illa conseruari, & morbus abigi potest: quemadmodum Aristoteles testatur. His itaq; differunt.

Conueniunt autem dupliciter. Primum in efficiente vniuersali causa: in ipsa videlicet calido extraneo. Deinde in subiecta materia calidi in humido dicentes putredinem affectionem existere.

De causis putredinis ex Medicorum sententia.

CAP. IV.

MISSA itaq; Philosophorum sententia, nunc particulatius doceamus quænam sint apud Medicos ipsos causæ putredinis: quare tum omissis vniuersalibus causis, de quibus hucusq; satis diximus: materia videlicet subiecta calida, & humida: efficiente vero extraneo calore, explicandum est hoc loco, propter quas causas accidat in calido humidoq; subiecto calorem extraneum generari.

Galenus quidem putat omnia calida & humida in calido loco contenta, si non perflentur, atque ventilentur, putrefieri; impeditamq; transpirationem proximam esse causam putredinis.

Verum quia non semper vno modo impeditur transpiratio: Aliquando enim maximum impedimentum adest; aliquando vero paucum: quemadmodum etiam aliquando sese mediocriter habet: nam multi sunt pro maioris, minoris'q; ratione affectus, quorum causa gignitur transpirationis impedimentum. Hoc igitur exiguo existente, quale potissimum ex leui adstrictione cutis, aut meatuum condensatione, aut leuicula obstructione, non est necesse ipsum putredinem insequi: quamuis vere semper subsequatur febris ephemera: qualem nos superioribus libris explicauimus: sed si magnum id fuerit impedimentum transpirationis, in corporibus præsertim mali succi, putrida febris adueniet genita iam in ipsis succis putredine.

Calidorum itaque humorum prohibita transpiratio fit ab hisce tribus causis: à cutis adstrictione: à meatuũ densitate; atq; tertio ab obstructione.

A primis causis; aut nunquam, aut certe admodum raro humores putridi redduntur: à postrema vero vt plurimum; si tamen magna fuerit obstructio.

Porro hæc fieri potest tripliciter, aut ab humorum abundantia, quam Græci πλῆθος καὶ πληθώραν vocant: ab eorundem crassitie: aut à visciditate humorum: ab aliis causis fieri nequit obstructio. Itaq; cum hæc ita se habeant, tot sunt omnes causæ febris putridæ.

Proxima est putridus vapor cor ipsum, aut continuo, aut ex quibusdam internallis afficiens: Huius putridæ euaporationis causa fuit putredo. Putredinis causa impedimentum transpirationis: euentationis impeditæ causa, obstructio. Quæ postremo fit, vel à multitudine, vel à visciditate, vel à crassitie humorum; aut ab omnibus his simul compositis. Hi autem humores referri ad alias causas non possunt, quam ad eas, quæ externæ dicuntur.

Opinio admirabilis Galeni in hunc modum habet: quam omnes vno consensu, nõ modo antiquiores, sed etiam recentiores Medici admiserunt.

Obstructionem non esse necessariam causam putredinis.

CAP. V.



VIA vero quæcunque putrescunt, non semper obstructionem tanquam necessariam causam habent; hoc loco contra vulgarem opinionem docere proposuimus, quando adesse obstructionem, quando autem minus oporteat.

Humores itaque putredinem contrahentes vel ex intima, propriaque ipsorum natura; vel ex aliqua extrinseca occasione in hanc labem incidunt.

Illa dicuntur propria intimaq; causa putredinem obtinere, quæ sponte sua nullo extrinsecus suscitante sensim, ac temporis interuallo corrumpuntur, nulloq; naturæ beneficio emendari possunt.

Variis ex causis humores solent hoc vitium contrahere. Primum sane à cibis putridis, vitiosæque substantiæ; quales sunt oua pisces, carnes, legumina, frumenta, ac id generis alia; quæ propter negligentiam, aut vetustatem putredinem aliquam contraxere; hæc sane alimenta eos generant succos, qui in propria substantia principia & semina putredinis continent.

Contrahi præterea solet ab his alimentis, quæ cum proba sint, magna tamen cum facilitate putrescunt; cuiusmodi est lac horarii fructus omnes, & vitiosam substantiam habentes: ab his quidem humores geniti, quamuis crebram permutationem concoctione ipsa desumpserint, nonnihil tamen etiamnum retinent pristinæ cõditionis, alienæq; substantiæ, à qua oriuntur.

Deinde fieri solet eiusce modi putredo ab alimentis intempestiue, aut ordine præpostero desumptis, vt cum priore alimento nondum confecto alter ingeritur; aut cum duri concoctuque difficiles leuioribus, quorum substantia facile alteratur.

Postremo autem propter aliam causam humores in hanc labem incidunt; cum videlicet mala quædam affectio, aut in ventriculo, aut in iecinore constiterit: hæc enim in alimenta concoctione imprimitur, quæ etiamsi putissima sint; tamen contracta labe inquinantur: quæ vero harum partium affectio sit, cuius causa humores naturam facile putrescibilem acquirant, alibi expositum est à nobis. Quatuor itaq; ex causis humores intrinsecam, propriamq; causam putredinis contrahunt.

Cæterum externa causa putrefactionis humorum duplex est: vna obstructio: altera putridorum occursus.

Obstructio quidem, cum tanta est, vt perspirationem impediat, vel à

crassis,

crassis, vel viscidis humoribus orta, suffocato naturali calore, aut saltem diminuto, genitoq; calore præter naturam putredinem facit.

Eandem vim habet etiam ipsa multitudo, vt alias docuimus; ea præsertim, quæ continentia vasa respicit; quam Græci κατὰ τὸ ἔγχυμα nuncupant.

Altera vero, quæ vires ipsas respicit, dubitationem habet, an obstruendo putredinem faciat.

Ego quidem arbitror hanc plenitudinem, quæ facillime in hoc vitium incidit; alia ratione non putrescere; quam quod neque euinci à viribus imbecillis, neque concoqui potest. Cum enim tantam naturalis calor ferre humorum copiam non possit; relictis illis suæ naturæ, facilis est aduentus putredinis.

Gal. libr. de rat. cur. per sang. miss. c. 5. & 2. aphoris. 2.

Alia est causa externa putridorum occursus: ab his enim spiritus primum; deinde vero humores labefactantur, & corrumpuntur; hoc potissimum solet contingere: ex aeris, halitus, vaporisque putridi inspiratione: idem præterea iis aduenit; qui cum inquinatis, aut lue venerea, aut scabie accubuerint: Addito hic febres malignas, quæ solo contactu contagiosæ sunt.

Ab his præcipue causis fit putredo. Quæ si vera sunt, quemadmodum putantur, obstructio non est necessaria causa putredinis; siquidem omnia, quæ innatam, atque insitam obtinent causam putredinis, nullo alio ab ipsorum natura extrinseco suscitante hoc vitium subire possunt.

Possunt præterea putrefieri humores propter occursum rei cuiusdam putridæ (id enim necessario putrefit, quod à putrido tangitur) nulla tamen obstructione in corpore ipso existente.

Io. Fernel. lib. 4. c. 4.

Sic euidens & perspicuum est, vitiosos cibos, sæpe in ventriculo, aliisue partibus computrescere: & in pestilenti constitutione tum inspiratu, tum perspiratu humores corrumpi: licet corpus omnino patens, & vndique laxum sit: ac omnia spiracula dehiscant; aereq; frigido perflentur.

Multis quippe aliis ex causis potest citra obstructionem innati; humidique caloris substantia minui; alienusque calor induci, qui efficiens est putredinis causa.

ibid. Fern.

Dictorum confirmatio ex Galeni sententiis, & dubitationum, quæ his dictis accidunt, explicatio.

CAP. VI.

CÆTERVM, vt noster hic labor iis etiam satisfaciat, qui in magistri verba iurantes, nihil verum putant, nisi quod vel Galeni, vel illustris cuiuspiam hominis autoritate confirmatum sit, nos ea, quæ supra diximus, illorum consuetudine comprobemus.

Atque Galenus inprimis dum loquitur de putredinem efficientibus causis, propositum negotium hisce verbis confirmat; *Putrescunt autem nonnulla quidem à medicamentibus, quæ vim habent putrefaciendi: aut ab iis, quæ in ipsis animalibus oriuntur superfluitates; nonnulla vero ob id, quod minime euaporant.* Hæc Galenus, quibus colligere est, tres existere putredinis causas, in quarum numero obstructionem adesse, quæ prohibeat euaporationem; hancque vnam, ex tribus, quas ponit, causam esse.

Gal. libr. de caus. morb. cap. 8.

Quod autem recentiores quidam hic dixerunt Galenum putrefactionis nomine corruptionem intelligere, non veram putredinem, de qua egit in libris methodi medendi; diuerticulum est quidem, quod minime potest consistere. Namq; is nomine putredinis nihil aliud intelligit, quam viam ad corruptionem ipsam; quemadmodum nos suo loco explicauimus.

Ant. Doni in methodo meden. febr. 1. parte c. 43.

Alius est præterea in Galeno locus, qui videtur omnem controuersiam dirimere, qui in hunc modum habet: *porro accendi febrem, & citra plegmonem*

Lib. de inæqual. intemperie c. 7.

nem ex solis humoribus putrescentibus licet; neq; enim ea solum, quæ inculcata sunt, & perspiratu prohibita putrescunt (verum celeriter ea, maximeq;) cæterum putrescunt, & alia multa, quæ putredini sunt oportuna. Et rursus alio quodam in opere confirmat his verbis: *Putrefacientia autem, etiamsi quantitate minima sumantur, omnino tamen corrumpunt; quia videlicet, quæ putredini obnoxia sunt, calore humido atq; putrescere solent; atqui calidus humidusq; sanguis est. Itaq; putrescere nunquam cessare possunt; simulq; vicissim putrefacere.* Vides hic Galenum obstructionis non meminisse, quod sane minime fuerat prætermittendum, si omnia, quæ putrescunt, id duce obstructione sortiantur.

Gal. lib. 3. de simplic. med. fac. 21.

Deinde in ventriculo, in intestinis, quæ humani corporis patentes regiones existunt, humores putrefiunt, ex quibus aliquando vermes fiunt, nulla obstructione præcedente.

Lib. 9. meth. 3. & c. 5. & 2. aph. 17.

His addere est plenitudinem, quo ad vires bonam permanere non posse; at omnino necessarium esse, quod putrescat, quemadmodum Galenus ait; nulla tamen adest obstructio, non multitudo, quo ad vasa obstruens, non viscididas humorum; non eorundem crassities; propter quam vero causam accidat in hac plenitudine putredo, expositum supra, & definitũ est à nobis.

Gal. lib. 1. de feb. diff. cap. 4.

Amplius febris pestilens, de qua nos suo loco tractabimus, originẽ habet ab aere ambiente. *Magna enim ex parte* (inquit Galenus) *ex inspiratione incipit aeris circumstantis à putrescibili euaporatione vitiati.* At in aere putrido non adest obstructio: Deinde vero aer hic putrefactus solo contactu humores corporis afficiens in illos non solum putredinis vitium, sed etiam malignitatem imprimit, quæ propria est pestilentialis febris idea.

Rursus ex putredine pituitæ in vẽtriculo, aut intestinis, sine aliqua obstructione in illis partibus existente visa est febris quotidiana breuissimo tẽporis spatio perdurans, quod sane præsente obstructione impossibile fuisset. Rem sic habere confirmat Stephanus Atheniensis philosophus dum ait; *quod vero nos in ipsis artis operibus vidimus, id dicamus; dictum sane etiam ab antiquis, quanquam raro; nempe fieri sæpe numero quotidianam febrem ex pituita putrescente in ventriculo, & intestinis, eiuscemodiq; febrem cessare intra quartam, vel quintam diem, causa febris per clysteres solos vacuata.* Nunc doceamus quomodo Galenum interpretari debeamus, qui passim in methodo medendi putredinem fieri sine obstructione non posse scribit; indicationemq; vnam in putridis febribus curandis esse obstructas vias recludere, hoc enim reliquum est, vt omnem de putredine tractationem absoluamus.

Stephanus Athen. lib. 2. ad Glauconem com. 46.

Putridæ febres vel sunt pestilentes, vel simpliciter putridæ.

In illis necessaria non est obstructio, eum sine obstructione meatuum fieri compertum habeamus: atq; hæc potissima causa est quod pestilentiali febre affecti remediis adstringentibus curantur.

Gal. lib. 1. de febr. diff. cap. 4.

Aliquando autem obstructio, & materia putredini præparata, vt ait Galenus, non est tamen hoc necessarium, vt supra admonuimus.

Secus autem de putridis febribus dicendum; in his quidem, vt plurimum putridos humores cernimus propter impedimentum transpirationis ab obstructione factum. Quandoq; tamen aduenit fieri putridas febres ex vitiosis humoribus, vel in ventriculo vel intestinis commorantibus: raro tamen accidit, Galenus itaque de putridis febribus loquitur: quæ pestilentes non sunt; de his autem minime. In his vero sic loquitur, vt mos est apud probatos autores appellatione desumpta ab eo, quod vt plurimum accidit; id quod raro aduenit, prætermittens.

Quid sit febris putrida? CAP. VII.



QVONIAM itaque hucusq; docuimus, quid sit putredo, quæ illius causæ, & quæ differentiæ, tum secundum philosophorum decreta tum secundum ipsos Medicos; reliquum est modo, vt accedа-

ſuccedamus, ad explicationem definitionis putridæ febris, cuius cauſa tot à nobis hactenus dicta ſunt.

Nos igitur febrem putridam hoc modo ſuperioribus libris definiuimus. *Febris putrida eſt, quæ vapores putrids, aut putridus, totaq́. ſubſtantia infectus aer cordi moleſtiam infert.* Febris putrid.

Hæc ſane quatenus febris eſt, communem quandam cum aliis febribus naturam habet, quatenus autem putrida, à reliquis differt.

Communia quidem hactenus expoſita ſunt à nobis: propria vero nunc explicantur.

Eſt autem harum proprium, quod ab ipſa fiant putredine, cuius cauſa putridæ febres nuncupantur: & ab illis febribus diſtinguuntur, quæ in ſimplici caloris naturalis efferueſcentia conſiſtunt.

Verum ipſa putrefactio duplicem habet originem, altera eſt cum intrinſecus putrefactis humoribus corporis, ac ex illis vaporibus elatis cor ipſum aut continenter, aut ex interuallis quibuſdam afficitur. Altera vero cum aer non ſolum putridus, ſed etiam tota ſubſtantia moleſtus, humores ſolidas corporis partes, ſpiritus, atque præcipue omnes noſtri corporis facultates inuadit.

Ex duplici hoc ortu putredinis, duplex oritur febris putrida. Nam alia nomen generis ſortita, ſimpliciter putrida nuncupatur febris: alia vero non ſimpliciter putrida, ſed putrida peſtilens, putridarum omnium, atq; vulgarium morborum pernicioſiſſima.

Quoniam igitur duplex eſt harum febrium genus, vtrumque ſumus propoſita definitione complexi.

At vero ſi particularem definitionem quæris, quæ videlicet ſolis ſpeciebus conueniat, in hunc modum definias. *Febris ſimpliciter putrida eſt, quæ vapores putridi cordi vel continuo, vel ex interuallis quibuſdam moleſti ſunt.* Febris ſimpliciter putrida.

Peſtilens autem vniuerſus morbus, quo putrefactus aer, totaq́. ſubſtantia infectus, cor, omnemq́. noſtram ſubſtantiam inuadit.

Hæ quidem propriæ ſunt propoſitarum febrium naturæ; quæ quoniam communem cauſam habent putredinem; idcirco nos hucuſq; tot de ipſa putredine diximus.

De generibus, ac differentiis putridarum febrium.

CAP. IIX.

At vero nunc illud ſupereſt, vt doceamus, quænam ſint genera & differentiæ putridarum febrium. Omnis enim medendi methodus, quemadmodum ſupra definiuimus, non ſolum vniuerſalium cognitionem exigit; ſed etiam ſi perfecta eſſe debet omnium particularium, quæ ſub vniuerſali genere continentur, notitiam habeat oportet, quod ſane quoniam fieri non poteſt, niſi diuidendo per ſummas differentias, ad ea tamen perueniamus, quæ amplius recipere nullam ſectionem poſſunt.

Propterea nos poſtquam inueſtigauimus naturam putridæ febris eiuſdem differentias doceamus. Sit autem huiuſce diuiſionis principium rei natura in hunc modum. *Febris putrida eſt, quæ cor, aut à venenato putridoq́. aere, aut à vaporibus putridis intrinſecus genitis afficitur.* Febris putrida peſtilens.

Duæ ſunt continentes cauſæ naturæ febris huius: altera aer malignus: altera vapor putridus.

Ex his duæ primæ inſurgunt putridarum febrium differentiæ, quarum primam putridam peſtilentem dixeris: Secundam vero putridam ſimpliciter: nos præſenti libro, veluti etiam ſequentibus prætermiſſis peſtilentibus febribus, de quibus ſuo loco diligentiſſime tractabimus; de hiſce diſſeramus, quæ ſimpliciter putridæ nuncupantur.

Hæ ſe-

Hæ febres differentias habent quam plurimas, à duobus tamen fontibus desumpras: quorum primus est locus, in quo ipsa purredo continetur: secundus vero est id subiectum, quod putrefactionem recipit. Quamobrem ab his fontibus differentias in hunc modum deducere oportet.

Vapor putridus, aut humor putrefactus, ex quibus proxime fit febris putrida; vel continuo cor ipsum lacessit: vel quibusdã interpositis interuallis.

Cum continenter cor, vel à putredine, vel à vaporibus putridis afficitur, febris fit putrida continua.

Cum aurem leuior est putredo; aut certe longius à corde dissita, vt non assiduo id afficere queat, febris est intermittens.

Itaque prima putridarum febrium diuisio est in continuas & intermittentes.

Rursus autem continuæ diuiduntur in minores partes.

Hæc enim putredo, ant vapor continenter cor afficiens; vel in venis, arteriisque maioribus inest. Vel extra hasce consistens in parte aliquapiam continetur, è qua, aut putredinis quiddam, aut teter putridusque vapor assiduo in cor obrepit. Hanc febrem, quoniam extra maiores venas, ac arterias continetur, nonnulli recentiores absolutissimi quidem homines, & quorum ingenium admiramur: symptomaticam vocauerunt: illam vero simpliciter primariam, quod putredo in venis consistat.

Ioan. Fernel. in Pathologia libro 4.

Quot autem sint differentiæ febris symptomaticæ, & à quibus causis fiant, infra explicabimus: nunc vero primariam, quæ per se continua dicitur, in minores partes, quæ amplius recipere sectionem non possunt diuidamus.

Putrida hæc febris, species sortitur ex vincentis humoris natura: etenim venarum, arteriarumue sanguis (inquit Fernelius) si cum purredine incendioue prehenditur, bene temperatus est, & ex quatuor humorum æquabili permistione constitutus: febrem accendit synochum putridam: de qua iam iam differemus: si calidior is est, plusq; bilis, quam cæterorum humorum continet, absolute tertianam facit continuam: at vero si pituirosus est sanguis incensus, ac putrescens, febrem profert continuam quotidianam: si vero melancholicus continuam quartanam profert.

Hæc de putridarum febrium differenriis: nam quæ reliqua sunt capita, intermittentes febres alibi explicabunt: de his vero, quo certior habeatur notitia; placuit sequentem tabellam scribere.

Febris putrida est, qua vapores putridi, aut putridus, & inquinatus aer cordi molestiam infert: estq; vel
- *Pestilens: quæ fit ab aere coinquinato, de qua infra differemus.*
- *Putrida simpliciter fit à vaporibus, & est vel*
  - *Intermittens.* — *de hac infra.*
  - *Continua, eaq; vel*
    - *Primaria vt*
      - *Synochus.*
      - *Tertiana continua.*
      - *Quotidiana cõtinua.*
      - *Quartana continua.*
    - *Symptomatica* — *de qua itidem infra.*

De signis, & accidentibus putridæ febris, horumq; causis.

Cap. IX.

QVID sit febris putrida, quæ proxima, & continens eiusdem causa, quid putredo, & à quibus causis fiat, iam abunde dictum est: nunc explicemus, quibus iudiciis putridam febrem cognoscere, & ab aliis distinguere valeamus. Itaq; signum putridarum febrium in hunc modum habent.

Primum

Primum quidem est caliditas per vniuersum corpus acris, & mordax; quod sane signum maximum est. Nihil enim in ea febre suaue; neque moderatum reperitur, neq; vllo pacto caliditas similis est ei, quæ in diariis febribus adest, verum, quemadmodũ dixi, mordax sentitur, ac tactui molesta haud. n. secus calor in putridis febribus perceptus tactum erodere videtur; quam fumus, nares, oculósq; ipsos mordicet. Hoc indicium non solũ conuenit febribus ex putredine ortis; sed ẽt iis, quæ in habitu sunt. Cum enim Hippocrates *libro de morbis vulgaribus* tradidit, nonnullas febres existere tactui mordaces, atque alias mites; mordacium nomine intellexit hoc genus ex aduerso distinctum ab ipsis ephemeris, quod nullum commune nomen sortitum est.

Gal. lib. 1. de feb. diff. cap. 7.

Hip. 6. epid. sect. 2. com. 29.

Gal. ibid. & lib. 1. de febr. differ. cap. 1.

Quomodo itaq; putridas febres ab hecticis distinguemus?

Nempe quod caliditas febrium in habitu cum primum admonentur manus, suauis sentitur, atq; fere naturalis videtur, contra vero si diutius manum admoueas, acrimonię sensum affert: in putridis autem cum statim pulsum tetigeris, illico mordicantem caliditatem offendes: cùm vero diutius tangendo immoraueris, caliditas à tangente manu, vt plurimum euincetur.

Animaduertere autem oportet, hoc indicium obseruandum non esse in accessionum principiis, vt in quibus calor suffocatur, humiditatesq; intus succenduntur; quamobrem admota manu acrimonia caliditatis non statim percipitur. At increscentibus, & consistentibus febribus, humoribus ipsis iam succensis, caloreque putrido ex intimis partibus ad superficiem delato prędicta caliditatis species instar acris medicamenti tactum erodens cognoscitur, hic igitur calor putridus acrimoniam præ se fert, ac tactũ erodit, cum quis primum manus admouet.

Porro quod nos supra definiuimus, omnem febrilem calorem acrem & mordacem esse, iis non opponitur, quæ nunc diximus: nos enim eo loco naturalis caloris ab extraneo, & febrili differentiam docebamus, nunc vero speciatim agentes vnius febrilis caloris ab altero discrimen docemus. Quamobrem calor febrilis ephemeræ acris est, natiuo collatus. Suauis autem collatus febribus ab ipsa putredine obortis; atque iis, quæ habitum corporis occuparunt.

Causa vero huiusce caliditatis est fuliginosum quoddam excrementum acre, & mordax à puttefactis humoribus vi febrilis caliditatis elatum: hoc enim cum tenuior & acrior sit pars humoris; conditionem illius ostendit. Igitur hoc, quod iam diximus, certissimum signum est putridarum febrium.

Alterum non minus certum existit vrinæ cruditas in illarum principiis, aut certe exigua quædam concoctio: neque enim cruda, neque concocta debiliter in febribus ephemeris apparet. Ac harũ quidem alterutra seorsum est proprium eiuscemodi febrium indicium: Simul autem vtraq; dicta, secundum disiunctionis proloquium; omnino inseparabile. Huic enim febrium generi primæ vrinæ, vel omnino crudæ, vel debiliter coctæ in principio videntur: neque vnquam magnum, & effatu dignum concoctionis indicium in eiuscemodi febribus in primis vrinis apparet; si excipiamus eam, quæ fit ex ephemeris febribus per mutationem, de qua antea à nobis sufficienter dictum est.

2. signum. Gal. 1. de feb. dif. c. 7.

Cæterum hæc vrina in putridis febribus accidit, quoniam nondum natura morbi coctionem aggressa fuit; quamobrem cum nihil ex humore putrido per vrinas à natura transmitti possit eo tempore, crudas vrinas existere oportet, aut certe parum concoctas; exigua portione per vrinas confluente.

Dubitationem autem habet hoc loco, quod dictum fuerit, crudas vrinas maximum esse atque inseparabile putridarum febrium indicium, quoniam in quibusdam febribus videntur vrinæ statim concoctæ.

Verum animaduertere oportet, hoc ex eorum esse numero, quæ rarissimo adueniunt, quod autem vt plurimum accidit, apud Medicos pro vniuersali desumi consueuit, vt supra declarauimus.

Vt plurimum itaq; eum vrinæ sint crudæ, hoc inseparabile signum esse à Medicis traditum est.

At si tibi solutio hæc non satisfacit, quæ certe deberet omnem litem dirimere, eam vrinam concoctam, dicito nihil significare supra febrem putridam, sed illud sedimentum effluxisse à crudiori alimenti parte, non ab humore febrem faciente, quam rem alibi diligenter docuimus.

Gal. ibid. Præterea proprium, atque inseparabile est febrium, quæ in humoribus accenduntur; submissionis pulsuum, quam Græci συςολὴν appellant; velocitas: quæ manifestius quidem increscentibus febribus, non obscure autem incipientibus, ac consistentibus fit.

Comitatur autem has febres in initiis quidem pulsus paruus, ac velox; cum vero consistunt magnus simul ac velox sic & quæ in exteriori quiete existit frequentia, in eiusmodi febribus manifeste deprehenditur, cuius similis neque in ephemeris, neque in hecticis apparet.

Gal lib. 3. de præsag. ex puls. c. 7. Hic autem animaduertendum est, systolen in putridis febribus omni tempore velociorem esse ipsa diastole, quemadmodum Galenus *libro de præsagione ex pulsibus* obseruauit: sed non tam aperte sentitur in accessionum principiis, in quibus augeri celeritas incipit: quantum in augmento febris: nam illo tempore cum adhuc calor suffocetur, & superfluitates intus succendantur, naturaque adhuc potens non sit easdem vincere, exigua admodum erunt fuliginosa excrementa expurganda; propter quam causam accidit non tam manifeste sentire hanc contractionis celeritatem. At in incrementis natura ipsa incumbente ad abstergendum fumosum illud excrementum, vtpote incipiente iam euincere materiam succensam, systoles celeritas manifestissime apparet.

Ant. Donat. resp. in r. morb. sua cap. 20.

In vigoribus autem ipsis, quamuis videatur æqualis tum contractionis, tum distentionis celeritas plurimum adaucta caliditate febrili, nihilq; diminuta expurganda materia; nihilominus maior adest contractionis celeritas; quamuis admodum obscure sentiatur.

Explicatio Io. Arcul. in Auic. Deinde vero aliud etiam in proposito signo adnotandum est, celeriorem esse systolen ipsa diastole in putridis febribus, facta collatione eiusdem pulsus; atque etiam in comparatione ad alias febres: siquidem semper in putrida febre contractio pulsus celerior est eiusdem dilatatione.

Celetior existit etiam ipsa systole in febribus putridis; quam in ephemeris, aut hecticis. Si enim hoc modo propositum intelligamus, nihil reliquum est, quod amplius facere dubitationem possit. Nam quæ de systole efferuntur temperata, vel de illa contractione, quæ naturalis est, quamuis temperata non sit, amplius locum non habet.

Sic igitur habet pulsus putridarum febrium, qui proprii, atque inseparabiles sunt: namque aliquando adsunt pulsus proprii, tamen minime inseparabiles; vt est ipsa pulsus afflictatio (sic enim nomino, quando incipiente accessione satis paruos, atque inæquales pulsus habent ægrotantes) alicui tamen generi febrium hoc signum commune non est, quemadmodum neq; inæqualitas ipsa, nisi alicuius casus ratione superueniat.

Gal. lib. 2. de diff. feb. cap. 7.

Febres biliosæ propter humorum tenuitatem hunc pulsum aliquando non habent, qui tamen neque in ephemeris, neq; in hecticis apparet.

Gal. ibid. Proprium quoq; harum febrium indicium est, sed nõ inseparabile initium sumere à vigore, vbi neq; ardor solis, neq; vehemens frigefactio præcesserit; omnibus tamen non inest; quia sunt quamplurimæ febres continuæ,

quæ

quæ sine rigore inuadunt, neq; etiam horrore ab eiusmodi febribus sunt inseparabiles; licet quandoq; ab his exordiantur: quid aût sit rigor, quid horror, & à quibus causis fiant, sequenti libro explicabimus, in quo de intermittentibus febribus pertractabimus.

Postremo vero proprium est putridarum febrium, quod nulla earum causarum, quæ procatarcticæ, seu præincipientes dicuntur, eas antecedit: non est tamen hoc signum inseparabile: quoniam quamuis hoc solis adueniat putridis, non tamen omnibus accidit: cum ex causa procatarctica quædam concitentur: quod si proprium, atque inseparabile indicium facere volueris, dicere oportet: nullam causam antecedentem immediatam, recentem & manifestam putridam febrem efficere: nam si quando ab his concitatur putredo, id solet fieri duplici ratione: vel quod febribus ephemeris factis, transmutatio fit ab his in putridas: aut quod diuturne agens extrinseca causa, internis iam commotis in iis corporibus: quæ sunt ad recipiendam putredinem præparata, fit putrida febris: est autem Galeni vtraque expositio *libro de febrium differentiis*. Omnia itaque signa tam propria, & inseparabilia, quam propria tantum earum febrium, quas putredo concitat: iam videor abunde prosecutus.

Gal. lib. 2. de feb. diff. c. 8. & 1. lib. 3. de præsag. puls. cap. [illegible]

Quid febris continua primaria, quæ eius causa, & quæ signa.

Cap. X.

EXPLICEMVS autem hoc loco diligenter, quid sit febris cõtinua, quæ efficientes causæ, & à quibus signis dignoscantur: quæ sane non solum de hac febre in vniuersali docebimus: sed etiam de singulis speciebus, quæ sub hoc genere continentur.

Veteres itaque bifariam vti continui nomine videntur: nam continuas vocant febres, quando non omnes, quæ accessione nunquam vacant: sed solas extra ordinẽ illas, quæ omni carent vsque ad iudicium permutatione. At Medici quidem iuniores, quæ non magnam mutationem habent, non continuas, cæterum synochos nominant: continuas vero hasce solas, quæ non veniunt ad integritatem, & intermittunt singulis accessionibus: has vocant antiqui interim continuas, interim vero intermittentes: nam sunt censere inter continuas, & desinentes ad integritatem mediæ. Proinde recte si cum synochis conferuntur intermittentes appellantur: cum ad integritatem venientibus continuæ.

Gal. in lib. 1. de morb. vulg. sect. 3. comment. 2.

Galenus vero in tractatione de crisibus, continuam febrem in hunc modum definit. *In vniuersum autem voco continuam febrem, quæ ad infebricitationem antequam ex toto soluatur, non desinit, etsi declinatio aliqua sensibilis in ea deprehendatur.*

Gal. lib. 2. de crisi. c. 8. Paul. Aegin. lib. 2. cap. 30.

Ex his colligere oportet, duas esse præcipuas continuæ febris significationes: quarum prima solas complectitur synochos siue à sanguine putrido, siue à flaua bile in maioribus venis, arteriisque putrescente. Altera vero omnes, quæ ad febris vacuitatem minime perueniunt, Græci [illegible] nuncupant.

Nos quidem, quoniam in hac tractatione nomine continui, tanquam genere ad omnes continuas febres vtimur, continuam febrem ex Galeni sententia definiendam putauimus.

Itaque omnes febres, quæ ad infebricitationem minime perueniunt, sunt continuæ: qua definitione nos non solum eas complectimur, quæ primario tales nuncupantur, verum etiam eas, quæ symptomaticæ sunt: hæc est igitur continuæ febris communis definitio.

Definitio communis.

Particulariter vero ea, quæ per se continua est, in hunc modum definitur. *Febris continua primaria est, quæ nunquam ad infebricitationem perueniens, fit à pu-* [illegible]

Alia definitio.

 tredi-

tredine humorum in venis existentium. Hæc enim definitio omnes complectitur continuas, quæ per se tales sunt.

Verum quia nomen cõtinui est analogum, prius quidem de vna, quam de altera febre dicitur; namque sunt nonnullæ febres continuæ, quæ originem habent ab humoribus in omnibus venis, aut maioribus, atque principalioribus computrescentibus: quædam vero ab iis, qui putrefacti sunt in minoribus venis. Vtraq; fane est, febris continua primaria; illa tamen per se primo; hæc autem per se secundo.

Alia definitio.

Quamobrem nos alió in opere definientes febrem primariam sic illius naturam expressimus. *Febris continua primaria est, quæ nunquam ad infebricitationem perueniens fit à putredine humorum in maioribus venis, atque arteriis, existentium.* Hæc itaque putredo in hisce venis existens proxima causa est febris continuæ.

Cæterum quo hæc magis pateant, doceamus, quid humorum nomine intelligamus, & quomodo ab iis originem habeant febres continuæ.

Veterum opiniones de humoribus à quibus fiunt febres putridæ.

Fuit olim vetus opinio, quod cum humores quatuor existant, à quibus nostrum corpus constituitur: sanguis, vtraque bilis, & pituita: febres ipsas non solum continuas, at omnes, quas putrescens humor concitat, fieri à flauæ bilis putredine, vel abundantia, vel excandescentia.

Quidam vero contra ab hac bile non concitari febres, sed à pituita tradiderũt, eo quod sit ad subeundam putredinem atq; ad obturandos meatus peridonea, cum temperamentum humidum habeat, & substantiam viscidam, indicareque illud dicebant pituitæ vocabulum, quod φλέγμα Græce dicitur ἀπὸ τοῦ φλέγειν, quod est inflammare.

Præterea ex veteribus nonnulli ab humore melancolico nunquam fieri putridas febres putarunt; hoc potissimum argumento, quod frigidus, & siccus natura sit, nihilque humidi, aut calidi contineat, ex quibus fit putredo.

Quin imo non defuere alii quamplures, qui in vniuersum contenderunt nunquam fieri febres ab humorum putredine, cum humores in venis exardescant, minime autem putrefiant. Si namque hoc esset (inquiunt) cur tandem non etiam lumbrici, aut aliæ quædam bestiæ in vasis, si putrefactio est, gigni cernuntur; quemadmodum in ventre, & aliis particulis.

Impugnatio ex Gal. & Alex. Tral.

Hæ veterum opiniones fuerunt circa humores, à quibus febres concitantur; quas ego hic, vt minime approbo; sic profecto, quoniam à Galeno reprobari videntur, atq; ab Alexandro Tralliano manifestius impugnantur, non redarguo. Non enim nostrum propositum est, aliorum sententias refellere; sed methodum docere medendi febres.

Quamobrem horum opinione prætermissa, ab omnibus humoribus, qui in venis continentur, putridas febres concitari doceamus.

In ipsis itaque venis solus sanguis cum sero continetur, qui diuersas partes habet.

Altera enim est temperata, quæ vere sanguis dicitur.

Altera calidior, & siccior, quam flauam bilem, siue sanguinem biliosum rectius nuncupant: alia pars est crudior, frigida quidem, & humida; hanc pituitam, pituitosumue sanguinem appellitant.

Quarta est terrena quædam substantia frigida, & sicca: quæ succus est melancholicus. Idem enim contingit in sanguine, quod in vino iam recenter ab vuis expresso, in quo substantiæ diuersæ sunt: fæci enim vini, quæ crassior, & terrestior illius est pars, proportione respondet succus melancholicus: flori autem sanguis biliosus; crudiori parti, pituitosus. Et tandem vino syncero sanguis ipse.

Gal. lib. 2. de nat. fac. c. 9.

Omnes igitur substantiæ, quæ in venis consistunt, sanguinis appellatione dicuntur; atq; ab hoc vno sanguine febres omnes continuas concitari tradendum,

dendum est. Hoc enim consequitur: quoniam continuæ febres fiunt ab humoribus in venis omnibus, aut saltem maioribus, & principalioribus putrefactis; at in venis, cum nihil sanguine excepto contineatur, hic solus vnamquamque febrem continuam facit.

Verum, cum sanguis in duplici sit differentia: vnus quidem syncerus, aliorum succorum expers, vtriusq; scilicet bilis, ac pituitosi succi: altera vero non syncerus; sed horum omnium succorum particeps: cum diximus ab vno sanguine fieri omnes continuas febres, intelligemus sanguinem hunc permistum; non syncerum; quando is nunquam syncerus est; semper enim tribus illis succis, quos partes sanguinis nuncupauimus, participat.

Gal. lib. 2. de hum. natur. t. 27.

Gal. lib. de mult ituditudine c. 10.

Rursus autem contingere id ipsum, quod de generatione febris continuæ ab vno sanguine diximus, dupliciter potest.

Primo sane, quod ab omnibus succis æquabiliter adauctis veteri tamen ipsorum proportione seruata febres continuæ accendantur; hunc affectum Græci πληθώραν, Latini multitudinem, vel plenitudinem simpliciter dicunt.

Ex Gal. lib. de multitudine.

Deinde vero contingit propter exuperantiam, & putredinem vnius succi, ex illis quatuor, qui simul cum ipso sanguine; vt puta adaucto sanguine tenuiore, quem bilem in præsentia nuncupamus. Simul cum abundantia temperatioris partes, quæ vere sanguis est, ac dicitur, augetur. Cumq; hoc vitium acciderit in sanguine, affectio plenitudo etiam dicitur.

Cæterum quomodo hę plenitudines differant, inuicemq; conueniant, in eo opere diligenter expressimus; cui titulus est, De eo, quod vere indicat missionem sanguinis.

Secundo putrefieri possunt aliqui humores in venis; cum ii nimirum abundauerint, & suam proportionem excesserint, sine maiori sanguinis excessu; sanguine videlicet habente secundum naturam, in substantia, qualitate, & quantitate; vocant Græci eiuscemodi affectum, κακοχυμίαν, Latini, vitiũ humorum in qualitate; de quo Hippocrates locutus est in aphorismis. *Si talia purgentur, qualia conueniunt, confert, ac facile ferunt; sin minus contra.*

Sect. 1. aph. 2.

Putrida igitur febris continua fit ab ipso sanguine in venis existente, siue is veteri seruata portione nimium fuerit adauctus; siue vnus, siue duo ex succis simul cum sanguine redundauerint: siue vnus humor vel duo sine sanguinis vltra naturalem mensuram redundantia magnum excessum habuerint: Hinc variæ continuatum febrium differentiæ, atque species emanant, de quibus paulo infra disputabimus.

Huius autem humorum putredinis duplex est ratio: alia in omnes, aut saltem maximas venas æquabiliter inuadit; alia ex vna quapiam initium ducens in cæteras continuatione proreptat. De quibus in hunc modum Ioan. Fernelius vir inter nostrates Medicos admirabilis ingenii scripsit. *Quæ in venas omnes pariter inuadit, licet earum sanguinem: non omnes tamen eius partes, æqualiter occupat. Cum enim non omnino simplex sit sanguis, sed ex multorum humorum permistione compositus, & sero multo perfusus, primum quidem illius portionem putredini magis obnoxiam prehendit: ab hac deinde aliam sibi permistam, atq; confusam, quæ minus quam illa sit vitiosa: hocq; modo sensim obrepens simul cum calore præter naturam augetur, & inualescit, nec ante desinit, quam partes omnes sanguinis putredini obnoxias absumpserit: hoc perinde accidit, atq; in ingenti phlegmone, in qua collectus sanguis non statim vniuersus, sed eius pars alia citius, alia tardius, & putrescit, & suppurat: sic sensum augescens putredo in summum vigorem fertur. Quemadmodum & dum ignem accendimus aridiores primum stipula, deinde virgulta, postremo ligni materia suo quæque concremantur ordine: omnibus, quæ putrescere apta fuerunt absumptis, putredo, calorque febrilis cessat: manet tamen pars sanguinis melior, quæ quoniam minus erat putredini obnoxia, huic inuiolata resistit; eaque licet putridæ permisceretur; illius tamen contagione minime computruit;*

Ioan. Fernelius lib. 4. sua patol. c. 6.

sed duntaxat incaluit; refrigerata proinde sedataque putredine in pristinam illa puritatem redit; atque tunc vrina pura, atque prorsus laudabiles apparent, qua crassa, turbida, ac sine sedimento fuerunt: itaque ea putredine (nisi forte extremo exitio fuerit) neque sanguis vniuersus, neque totus labefactatur, nam soluta febre non omnino exhausta vena manent, sed aliquid in his etiamnum inesse deprehenditur; idque vtile, & alendo corpori idoneum; quod tamen olim miscebatur putredini, idipsum contingit etiamsi nihil sanguinis recens genitum, nihilque cibi toto morbo assumptum fuerit, quod in extreme acuto fieri iussit Hippocrates hac propemodum ratione putret sanguis in synocho putrida, nec multo secius in causo, in continua tertiana, in aliisue continuis: in his quidem non vniuersus corrumpitur; nec omnes pariter humores, ex quibus constituitur (ita enim permiscerentur omnia continuarum febrium genera) sed is duntaxat, qui maxime omnium vitiosus est: atque vt huius est natura, ita & consentaneum febris continuae genus accendit. Tertianam quidem continuam, si bilis flaua, quae in sanguine est: quotidianam continuam, si pituita, & quartana continua, si melancholia putrescat.

Altera putredinis est ratio, qua non in omnes pariter venas, sed ab vna quapiam (à qua forte initium sumpserit) continuatione in caeteras, in earumque sanguinem, & humores irrumpit.

Obtingunt haec, cum putrescens causa vni sit, quam alteri venae propinquior, aut cum sanguis non in omnibus aeque venis sui similis habetur. Nam in qua magis ad putredinis conditionem accedit, in ea primum labi tentatur; dein vero (in periculo prouideatur) in iis, quae ordine succedunt, nec antea serpere ea putredo, febrisue detinet, quam omnes venas sensim peruagata, quicquid in his putrere aptum erat, absorbuerit.

Varietas, atque mutatio venae sectae saepe animaduertitur: nam interdum primus sanguis emanat syncerus, mox dein corruptus; nonnunquam contra. Et interdum è naribus purissimus, è secta cubiti vena vitiosus: quod & Hippocrates autoritate celebratum est.

Hinc dissimilium symptomatum origo: aliis per febres lumbi maxime ingrauescunt aut ardent: aliis praecordia siti, aestuque fragrant: aliis vel animi defectio, vel summa spirandi difficultas molesta; aliis capitis dolor, vigiliae, aut deliria; vt partis natura fuerit, quam putredo occupat.

Hinc & inordinatae febres, cum priore relicto humore corruptela alterum prehendit.

Hinc febrium implexus, cum humores obsidentur varij; hinc & praedictiones fallaces, cum priore humore iam fere edomito, victoque, alius alioue loco putrescere incipit: qui post concoctas vrinas crudiores alias de se profert. Haec ille. Quae voluj diligenter in medium afferre, quandoquidem nullus vel iuniorum vel etiam veterum autorum melius propositum negotium explicasse visus est.

Corollaria. Ex his itaque, quae nos hucusque diximus, haec sunt summatim, atque per capita (vt dici solet) colligenda.

Primum. Atque sane primum, putridarum omnium febrium proximam causam esse vapores putridos, aut ipsam putredinem cordi molestam; at vero quatenus putrida continua est, continentem causam existere, quod putredo, aut vapores continenter, nullo videlicet interposito spatio, cor ipsum afficiunt, quemadmodum diximus.

Secundum. Alterum, putredinem in his febribus adesse solius sanguinis, quo nomine omnes succos, qui in venis consistunt, intelligemus.

Tertium. Tertium, hunc sanguinem putridum in omnibus venis, & arteriis, aut si nō in omnibus, in magnis tamen, ac principalibus existere; potissimum in his febribus, quas primo loco primarias supra nuncupauimus. In aliis enim venis potest sanguis putrefieri, & febrem continuam facere, si vapores continenter transmissi cordi fuerint. Quamuis etiam aliquando intermittēs febris ab eiuscemodi putredine cōcitari possit, vt sequenti libro disputabimus.

Quartum. Postremum vero his addamus, in hisce venis humores putrefieri non posse, nisi impedimentum transpirationis adfuerit; quod ab obstructione originem duxerit.

Hinc

Hinc ſane venatum putredo non facile reſtringitur: quod coarctata non libere perfletur ob loci denſitatem; quodq; adhæſu apparatos humores inquinet, & continuatione in propinquas, ab hiſque in alias venas prorepat, transferaturque, nec antea deſinat, quam quicquid in venis vitioſum ſit, depopulata fuerit.

Quamobrem concludendum eſt, veriſſimam eſſe eam definitionem, quam de continua febre tradidimus: nam qua ratione minime ad infebricitationem peruenit, ea omnibus continuis conuenit, tam primariis, quam iis, quæ ex accidenti tales exiſtunt. Verum quatenus ab humoribus fit in omnibus, aut principalioribus venis putreſcentibus; aut in minoribus venis, modo tranſmittantur cordi continuo ipſi vapores putrefacti; ſolis primariis febribus conuenit, ſymptomaticis autem minime. *Propoſitæ definitionis explicatio.*

Definitio itaq; propoſita, non ſolum explicat; quid ſit res ipſa, ſed etiam cauſſam explicat, propter quam res exiſtat. *Epilogus.*

Hactenus videor omnia explicaſſe, quæ ad cauſſas, & eſſentiam continuæ febris pertinent; nunc doceamus, quibus indiciis continuam febrem cognoſcere, atq; ab intermittenti diſtinguere valeamus. *Indicia.*

Continua itaq; febris primum cognoſcitur, quod anteaquam ex toto ſoluatur, & ſi aliqua inclinatio appareat, ad infebricitationem minime peruenit: Hoc enim proprium, atq; inſeparabile ſignum eſt. *Primum.*

His addito alterum etiam nõ minus proprium; nempe, quod neq; cum horrore, vel rigore, vel extremarum partium refrigeratione aduenit ſingulo quoq; die, quemadmodum ipſe intermittentes febres faciunt: neque etiam cum vomitibus, aut ſudoribus, aut ſenſibilibus nonnullis euacuationibus ſingulę acceſſiones terminantur. *Alterum indicium.*

Horum cauſa eſt, quoniam humor peccans in venis coercitus continetur in continuis febribus: in intermittentibus vero per ſenſitiuas partes detruditur, vt poſthac copioſius explicabimus. *De hoc argumento habes à Galeno lib. 2. de cauſſis ſymptom. c. 4.*

Sed habet hoc loco dubitationẽ, quod aliquando febres continuæ à rigore ortum habent, qua ratione ab intermittentibus febribus minime vidẽtur differre. Deinde vero multoties accidit febres nonnullas ſingulo quoq; die, cum aliquo rigore, aut typo aduenire; quæ nũquam ad infebricitationẽ perueniunt; Hæc igitur propter hanc cauſam ſub continuis contineri videntur; quatenus vero cum typo accedunt, ſub interpolatis. *Prima dubitatio.* *Secunda dubitatio.*

Hi nodi videntur inextricabiles noſtratibus Medicis; quos tamen in hunc modum ſine aliqua difficultate perſoluimus.

Continuæ febres aliquando in earum principiis cum rigore inuadunt; qui tamen poſtea minime ſubſequitur: hoc autem non accidit iis, qua ratione continuæ ſunt, ſed propter humorum tenuitatem, aut copiam, quæ cum in venis contineri nequeat, pars quędam à valida virtute expulſa ad ſentientes corporis partes confluit, ex qua tandẽ rigor producitur. At vero temporis progreſſu humoribus ipſis, iã multo craſſioribus redditis, magiſq; in venis cõcultatis exiſtentibus; & aliqua ex parte imbecillioribus viribus factis propter morbi violentiã; nihil extra venas peccantiũ humorum expellitur ad ſentientes particulas; quamobrẽ eo tẽpore, nec rigor, nec frigus, nec horror producitur. Horũ itaq; ſymptomatũ cauſa nõ eſt is humor, qui in venis cõcluſus continuam febrẽ facit, ſed is, qui extra venas pulſus ſenſitiuas particulas afficit. Proprium autem continuarum febrium diximus, q hęc ſymptomata ſingulis diebus nõ aduenіant, vel ſtatutis quibuſdã temporibus, quemadmodũ in febribus intermittentibus accidit. Non eſt igitur inconueniens, quod in prima continuarum acceſſione, quædam cum hiſce ſymptomatis aduenіãt: at maxime inconuenit, quod ordinate ſubſequatur. *Ad primã difficultatis reſponſio.* *Ad ſecundam difficultatem ſolutio.*

Quod ſi aliquãdo videmus ſingulo quoq; die, vel ſtatutis temporibus hæc ſymptomata in quibuſdam febribus accidere, quæ nunq̃ ad infebricitationẽ

definunt, ſcire oportet, has non eſſe ſimplices febres, ſed compoſitas; quales maxime ſunt ſemitertianæ, aut alia id genus; quod Galenus aduertens in hunc modum ait: *Quod ſi cum paruo rigore inceperit, tunc magis alia ſigna attendere oportet: quoniam non quotidiana intermittens tantum, atque quartana, ſed etiam hemitritens, aut aliqua alia ex continuis eſſe poteſt.*

Gal. l. 2. ad Glauc. ca. 5.

Hip. lib. 6. epidem. ... com. 22.

De his etiam compoſitis febribus locutus eſt Hippocrates in epidemiis, cum inquit: *Continuæ vero febres omnino nunquam intermittebant, ſed inuadebant omnes more febris, naturam tertianæ referentis, & vno die aliquantum remittebantur, altero ingraueſcebant, omnium erant; quæ in id tempus inciderant, violentiſſimæ longiſſimæ, laborioſiſſimaq; leues à principio; de cætero inualeſcebant indies, ac decretoriis diebus accedebant multo deteriores, rigores autem omnibus inordinati, & errantes erant, ac pauciſſimi his, minimiq;, in aliis vero febribus, maiores.*

Cum itaque intermittens febris cum continua complicatur, rigores adueniunt: quod non accidit, quà ratione continua febris eſt: verum quę compoſita.

Sunt præterea nonnullæ febres lipyriæ, ſeu valde malignæ dictæ, in quibus fortis extremarum partium refrigeratio fit, ob maximam inflammationem, ſeu eryſipelas in viſceribus ortum, de quibus nos inter ſymptomaticas febres diſſeremus.

Alia dubitatio.

Verum dubitabit fortaſſe aliquis, quid de iis febribus dicendum ſit, quæ continuo cum aliquo ex dictis ſymptomatis aduenientes, minime tamen ad ἀπυρεξίαν deſinunt, quæ ſimplices ſunt, & continuę à neotericis per ſubintrantiam dicantur.

Solutio.

In hunc modum dubitationi ſatisfacere oportet: Nempe haſce febres cum per ſe ſint ex numero intermittentium, continuas tamen dici per accidens, atq; rigorem aduenire non quatenus continuæ, ſed quatenus intermittentes exiſtunt; atque in hiſce febribus humores putrefactos eſſe in venis, ad extra venas propelli, aliquam illorum partem, quæ proxima cauſa ſit: horum ſymptomatum, vt infra docebimus. His ego videor, omnia continuarum febrium ſigna explicaſſe; nunc agendum de illarum differentiis.

De primariarum febrium differentiis.

CAP. XI.

IAM vero ea febris continua, quam primariam nuncupaui, duas præcipuas, maximeque communes differentias habet. Nam quædam eſt febris, quę nullum tempus habet, in quo manifeſtum circuitum cognoſcamus; quin omni caret vſq; ad iudicium ipſum permutatione. Hæc ſynochus vocari, à Medicis conſueuit: quædam vero eſt huic oppoſita, quæ videlicet per circuitus obrepit, nouaſque quotidie, aut alternis diebus, aut ſaltem aliis temporibus acceſſiones habet; atque nomine generis continua ſimpliciter dicitur.

Quę febres à continuo feruore ſynochæ appellantur, in vnica acceſſione conſumuntur, quę à principio vſq; ad finem pertingit, quarum differentias (nam duæ ſunt) infra explicabimus. Cauſas autem in hoc capite docemus. Synochę febres idcirco hominem inuadunt nullo ſtato excandeſcentię ordine, quia ſanguis putrefactus eſt in venis & arteriis, quę vel in corde ſunt, vel certe illi plurimum vicinę.

Vide Gal. li. 2. de febr. diff. cap. vltimo.

Ab his quidem venis putredo, vel vapor putridus cordi continenter moleſtus continentem febrem facit; quę videlicet ſemper eodem modo habent, vel augendo, vel diminuendo, vel nec augendo, nec diminuendo, vt poſthac dicemus.

Hęc igitur eſt proxima cauſa continentium febrium.

At vero earum, quæ per circuitum repetunt, causa itidem est sanguis, sed qui non in omnibus venis, cordiq; proximis putrefactionem subiit; verũ in iis, quæ à corde longius distant, continetur.

Quoniam itaq; hic putridus sanguis longe à corde dissitus, vapores quosdam & fuliginem emittens propter viarum distantiam pari impetu, atq; vehementia semper afficere cor ipsum non potest; hinc febres istæ, quamuis nunquam intermittant, remittentes sunt tamen, atque excandescunt, aliæ quotidie, aliæ alternis diebus, aliæ quarto quoque die, de quibus postea sigillatim disputabimus: quamobrem vapores pari vehementia, & æquali impetu cordi perpetuo molesti febrem efficiunt synochum: qui vero non sunt molesti æquali vehementia, verum nunc magis, nunc minus, eam febrem faciunt; quæ nomine generis continua dicitur.

Quid synochus febris, quæ eius causa, quæ signa, quæ differentiæ.

CAP. XII.

PVTRIDA synochus febris est ex putrescente sanguine tum copioso, tum bilioso progenita. Ab vno siquidem sanguine continuas omnes febres fieri, satis dictum est supra: at vero secundum varias differentias sanguinis, variæ fiunt continuarum febrium species: Synochus fit ab ipso copiosiori sanguine, quod est dictum, ab omnibus humoribus simul permixtis, veteremque proportionem seruantibus sanguine supra reliquos humores adaucto.

Hunc affectum Græci πληθώραν, Latini vero plenitudinem nuncupare supra declaratum est à nobis.

Est autem plenitudo, siue multitudo, quemadmodum alibi diximus, ipsius sanguinis supra mediocritatem redundantia: eam vero mediocritatem intelligimus, quæ in corporibus adesse secundum naturam debet: in homine optime temperato, ac bene sano, minus est flauæ bilis, quam melancholiæ, minus huius, quam pituitæ; & pituitæ minus, quam sanguinis puri. Iusta illa: & conueniens omnium humorum proportio consentanea, & naturalis est æquabilitas, atque is sanguis optimus, & benignus censetur, qui ex quatuor succorum naturalium æquabilitate constat, non sic quidem, vt is parem habeat omnium portionem, sed pro ratione, quam dixi, cuique idonea.

Cum igitur secundum portionem expositam, vel omnes humores augentur, vel si non omnes, purior tamen sanguis, vel cum puriore sanguine vnus vel duo ex aliis succis increscant, tunc sane hanc plenitudinem nuncupamus.

His enim tribus modis contingit sanguinem augeri, ex quibus tres fiunt plenitudinis apud Galenum differentiæ, vt alibi diligenter exposuimus. Synochus itaque febris fit à sanguine, id est, ab omnibus humoribus simul cum sanguine adauctis; vel à puriori sanguine supra mediocritatem adaucto, vel cum vno, aut duobus humoribus nimium excrescentibus. Semper enim, cum in hunc modum redundat sanguis, plenitudinem adesse dicimus, atque hic vnus est modus generationis ipsius synochi. [illegible]

Alter vero longe diuersius est, cum sanguis putrefit, non purior pars, non omnes simul humores, sed is tantum, qui proxime propter tenuitatem, atq; acrimoniam flauæ bilis naturam referens, bilis nuncupatur; biliosus itaque sanguis febrem synochum facit, cum in omnibus venis; vel in iis, quæ cordi proximæ sunt, putrefactus fuerit.

Ex hoc duplici generationis modo, duo sunt prima genera synochi febris; quorum alterum sanguineum, alterum vero biliosum dicitur.

Multa

Multa quidem sunt, quibus inuicem conueniunt: primum quod vtraque putredinem eodem in loco continet, in venis sane & arteriis omnibus corporis, aut in iis, quæ vicinæ sunt cordi: necessarium est enim in hisce venis humores putridos contineri, si fieri debeat continens febris; à quibus continenter vapores pari vehementia elati cordi molestiam inferunt, vt superiori capite diximus.

Communicant etiam in propriis symptomatis synochi; quod videlicet hæc febris vna quæpiam videatur accessio à principio ad finem vsque. Nulla enim in his noua accessio; nullus circuitus apparet.

Conueniunt prætetea in efficientibus caussis, omnium autem caussarum efficacissima est cutis non simplex quidem stipatio, sed ab impactis multis, crassis viscidisq; humoribus vera obstructio: quæ non cutem solum, sed etiam tenues iecoris, habitusq; corporis venas infarciat.

Tametsi igitur integre sanum corpus fuerit, omnesq; humores secundum naturam, ac synceri; quia tamen valida obstructio perspirationem impedit, neque vis refrigerans foràs intro subit, neque tenuia, acria & fuliginosa, excrementa intus foras erumpunt; hinc & natiuum calorem, strangulari, & quæcunq; illic calida humidaq; sunt, putrescere necesse est.

Gal. lib. 9. meth. med. cap. 9. Preterea in his pulsus non modo magnus, sed etiam vehemens, celer & frequens, inæqualis & inordinatus.

Vtraq; igitur tam biliosa, quam sanguinea febris non solum in his conuenit, sed etiam amplius communes differentias habet.

Tria enim sunt vtriusq; synochi discrimina, vel enim semper febris adaugetur, à Græcis [illegible], hoc est, increscens, seu incrementum suscipiens nuncupatur.

Quædam vero paulatim decrescunt, & minuuntur, quas [illegible], hoc est, decrescentes appellant.

Aliæ rursus similem tenorem seruant à principio, siquidem ad finem vsq; æquali magnitudine, ac vehementia perdurant: quas Græci [illegible] vocant. Hæ sunt vtriusque synochi communes differentiæ, quarum etiam in simplici synocho, de qua inter ephemeras egimus, mentionem fecimus.

Differentiarum causa. Harum differentiarum proxima caussa est, vaporis, qui à putrido sanguine attollitur, conditiosi enim plus illius generatur, quam dissipatur, febris increscens gignitur. Si vero tantum augetur, quantum dissipatur: æqualis, & homotona febris proficiscitur: si vero minus generatur, plus vero discutitur; decrescens fit synochus.

Communia itaq; vtriusq; synochi putridæ, iam dicta sunt, nunc reliquum est, vt doceamus, quæ cuiuscunq; sint propria.

De synocho biliosa, caussis & signis.

Cap. XIII.

QVÆ nos hoc loco de synocho à putredine biliosi sanguinis orta docebimus, ea sane manifestissime confirmabunt opinionem de simplici synocho à flauæ bilis excandescentia.

Nam quemadmodum ab efferuescentia sanguinis in omnibus venis, aut maximis, quæ sunt inter alas, & inguina, fit synochus simplex, atq; ex eodem sanguine putrido in eisdem vasis oritur synochus putrida: sic profecto ex bilis excandescentia diaria fiet febris, ex eiusdem in omnibus vasis putrefactione, synochus fiet putrida à billioso sanguine.

Hanc quidem Galenus, primus omnium confirmauit tum *libro de differentiis febrium*, tum *libro de crisibus*. Quoniam vero huius admirandi hominis opinio nobis pro hypothesi inseruit, nos illius verba referemus, quæ sic habent:

bent. *Continuarum autem*(inquit)*quæ ex flaua bile proueniunt, duplex est species: altera earum, quæ à continuo feruore synocha appellantur, quarum vniuersum tempus in vna consumitur accessione, quæ à principio vsq; ad finem pertingit. Altera earum, quæ idem cum genere nomen sortiuntur, & continuæ appellantur, & in pluribus circuitibus terminantur.* Gal. lib. 2. de diff. feb. cap. 2. Et in alio opere sic ait: *Continuam quidem nomino febrem, quæ ad infebricitationem antequam ex toto soluatur, non desinit, etsi declinatio aliqua sensibilis appareat: cum autem neque declinatio aliqua sensibilis fiat, semper vero à primo principio febris vsque ad crisim similis perseuerauerit, erit & hæc ex genere febrium deurentium, ab eisdem vero acutie differt: sed neque in primo die, neque in secundo est eiusmodi febrem dignoscere, neq; aliter vtile. Sufficit enim cognoscere, quod scilicet biliosa sit, atq; deurens, & peracuta, neq; enim si etiam synochum ipsam nominaueris, vt quidam Medici faciunt, appellationis ratione à febribus deurentibus differt.* Gal. lib. 2. de cris. cap. vlt.

Ex his itaq; perspicuum sit omnibus, dari synochum aliquam febrem ex putrefactione flauæ bilis, id est, quemadmodum nos interpretamur, ex bilioso sanguine.

Verum quoniam recentiores Medici in hac admittenda febre plurimũ lapsi sunt, anteaquã reliqua prosequamur, videamus, quæ summa sit illorum sententia, atq; amplius contemplemur (quantum tamen postulat ipsius methodi ratio) quid ab illis bene, & quid non bene dictum fuerit.

Itaque synochum febrem à flaua bile fieri in hunc modum putant nostrates Medici, quod biliosus sanguis paruum excessum habens, atq; simul cum sanguine copioso permistus, putrefactusque in maioribus venis; febrem accendat, vocarique hanc redundantiam plenitudinem, non simpliciter, quod ea sit, vt, inquiunt, quando omnes humores adaucti æquales fuerint, veteri seruata mediocritate; sed esse plenitudinem secundum quid nuncupandam, & hac ratione Galeni sententias, quas in medium iam attulimus, interpretantur.

Verum non solum à flaua bile synochum fieri, sed etiam à pituita, & ab humore melancholico, cum videlicet exiguum quendam excessum habuerint, & cum redundantia temperati sanguinis cõmisti fuerint. Galenum vero de synocho pituitosa, atq; melancholica ne verbum quidem fecisse, quod raro admodum adueniat: eaq; solitum esse Galenum exponere, quæ frequenter adueniunt, aut certe non admodũ raro, & propterea synochum à sanguine fieri, dixit in methodo medẽdi: illiusq; curationẽ docuit, quia frequenter aduenit: mox autẽ eandem febrem à flauę bilis putredine admisit, quia quãuis rarissime adueniat, multo tamen frequentius obtingit, quã à pituitæ aut melancholiæ putredine: quas idcirco febres (pituitosas & melancholicas synochos) prætermittit: quia rarissime adueniunt. Ant. Don. lib. 2. c. 7.

Quo autem facilius numerum differentiarum febrium tueri possint (nam Galenus sex admittit, tres, inquam, intermittentes, ac tres illis oppositas: cõtinuas) sub nomine continuarum febrium, continentes ipsas comprehendere significant: pituitosam itaq; continuam & melancholicam duplicem faciunt, continentem, & nomine generis continuam.

Afferunt præterea, quod cum Galenus tradidit sex in vniuersum esse putridarum febrium differentias, intelligat illas febres, in quibus humores magnum excessum adepti fuerint, & sine sanguinis augmento putrefacti, à quo numero excludendæ sunt febres, quas humores concitant, qui paruũ excessum habuerint, & simul cum sanguine copioso redundauerint.

Multa dein addunt in opinionis huius confirmationem, ex Hippocrate & Galeni *libro de ratione victus acutorum*, de generatione causi tam legitimi, quam nothi, ex quibus synochum à flaua bile fieri docent. Hæc est recentiorum opinio. Lib. 4. ca. 1. & 13.

Sed maxime homines isti decipiũtur, meo quidẽ iudicio: nã si biliosa synochus admittitur, necesse est, sanguinẽ biliosũ sine dominio synccrioris partis Impugnatio multis rationibus.

putre-

putrefieri: alioqui non eſſet ſynochus à flaua bile, ſed à ſanguine, & ab ipſa multitudine: ab eo enim quod præſtantius eſt, quodque magis abundat denominationes fieri debent; ſi præ cæteris omnibus magis redundat ſanguis, bilis vero parum exceſſum habuerit, quemadmodum iſti fatentur, non biliosa, ſed ſanguinea febris eſt. *Prima ratio.*

Similitudo. Perinde namque res habet, atque in tertiana notha, quæ fit ex putredine pituitæ, ac bilis, magis tamen abundante bile, quam pituita, quamobrem non pituitoſa febris, at cholerica & tertiana dicitur: ſic in propoſito negotio quia ſanguinis adeſt redundantia ſupra humores reliquos, ſynochus ſanguinea, non bilioſa nuncupanda eſt.

Secunda ratio. Falſum eſt præterea, quod aiunt, Galenum idcirco melancholicam ſynochum, aut pituitoſam prætermiſiſſe, quia raro adueniat: is enim earum febrium meminit, quæ rariſſimæ ſunt, cuiuſmodi eſt leipyria febris, epiala, qualis eſt febris quintana, ſextana, ac, ne ſingula explicem, id genus alia, quorum rarus eſt euentus.

Tertia ratio. Deinde vero ſtatuatur melancholicam ſynochum eſſe, in qua putrefacta fuerit melancholia iuxta copioſum ſanguinem, vel oportet ſanguinem eſſe putrefactum, aut minus.

Si putrefactus eſt, vtique ſanguinea, non melancholica.

Sin minus, cur Galenus, quemadmodum tertianam continuam in ſynochum, & continuam diuiſit; ſic pariter quartanam continuam, & quotidianam in partes duas non diſterminauit? diſtinctamque non fecit à quartana continua ſynochum à melancholia? aut pituita?

Quarta ratio. Poſtremo quod aſſerunt ſex eſſe ſummas differentias putridarum febrium ex Galeni placitis, cum ſcilicet humores magnum exceſſum habuerint, excludendasque eſſe ſynochos ab hoc ordine; non recte hominis huius admirabilis opinionem olfecerunt: quandoquidē is omnem ſynochum, tam à ſanguine, quam à bile ſub genere complectitur bilioſarum febrium, quemadmodum poſthac euidentiſſime monſtrabimus.

Quod itaque inquiunt, noſtrates Medici ſynochum fieri ab omni plenitudinis differentia, id profecto veritatem habet, vt nos ſupra declarauimus: omnes tamen hæ ſynochi à ſanguine originem habere perhibendæ ſunt, non à bile, non à pituita, non à melancholia, vt perperam ab illis dictum eſt. Siquidem tres illæ ſunt differentiæ plenitudinis: cū ſanguis ſolus omnes alios ſuccos ſuperat; cum omnes ſucci veteri ſeruata proportione adaugentur, cum vnus, vel duo ex ſuccis mediocrem exceſſum cum ſanguine copioſo habuerint, à quibus omnibus ſemper fiunt ſynochi.

Quod itaque Galenus habet de bilioſa febre, longe diuerſum eſt: quale autem id ſit, in præſentiarum exponendum eſt.

Opinio Horatii Aug. Nos igitur à bile ſynochum febrem admittimus à ſanguinea ſynocho diſtinctam; cum videlicet ſanguis tenuis, atque bilioſus in omnibus venis, aut ſaltem maximis, quæ inter alas, & inguina conſiſtunt, putrefactionem ſubierit: nam cum omnes venarum ſucci putredinem ſubeunt, ſynochus putrida fit; cur eadem fieri non poterit bilioſo ſanguine putreſcente?

Natura quidem ſynochi eſt, quod vna veluti ſit acceſſio à principio ad finem vſque perdurans, in qua nec nouus circuitus, neq; aliquis alius caſus adueniat, eorum, quæ ſolent accidere aliis febribus.

Hic eſt profecto caracteriſmus, hęc vero idea ſynocharum omnium febrium, quemadmodum nos ſupra commonefecimus. Hanc vero naturam non aliunde adeptæ ſunt hæ febres, quam à loco, in quo putrefacti ſunt ſucci: quod videlicet in omnibus aut maioribus venis exiſtant, à quibus poſſunt fuliginoſa excrementa cor ipſum continenter ſemper ſcilicet æquali vehementia afficere. Ergo ſi putridus in eiſdem venis bilioſus ſanguis fuerit; qui magnum etiam exceſſum habuerit, cum vapores propter viciniam poſſint

cordi

cordi continentē molestiā afferre, alia profecto febris generari non poterit, quā synochus: in hunc modū admisit à bile synochum admirabilis Galenus, distinctam à febre continua, eamq; synochū aliquando appellauit causum, id est, ardentem febrem, à perpetuo (quemadmodum ipse inquit) incendio. Verum quia causi nomen, vt posthac dicemus, satis ambiguum est, rectius meo quidem iudicio hanc febrem synochum nuncupabimus.

Biliosus igitur sanguis in omnibus venis, aut maioribus putrefactus cōtinentem febrem facit, siue ea fuerit ex earum numero, quæ perpetuo adaugentur, siue ex illarum, quæ semper diminuuntur, vel æquali modo se habēt: nam tot sunt huiusce febris differentiæ, quot supra declarauimus, quo loco causas docuimus communes, communiaq; signa.

Nunc vero explicemus, quæ huic proprie conueniant, & quorum causa inuicem distinguantur.

Primum itaq; differt, quod hæc fit à biliosi sanguinis putredine: illa vero ab omnibus succis, aut vno, vel duobus cum abundantia sanguinis.

Hæc febris in corporibus aduenit gracilibus, biliosis, pauco sanguine abundantibus: illa contra, in corporibus pinguibus, copiosoq; sanguine refertis. Huius calor est admodum acer, & mordax, conditionem scilicet eius humoris redolens, à quo defluxit: hic vero suauis & mitis est.

Vrinæ in vtraq; synocho diuersæ, in priori quidem biliosæ tenues, acres, igneæ: in altera vero sanguineæ, crassæ & minime mordaces.

Biliosa præterea synochus in iis corporibus aduenit, qui sese plurimum exercent: & vitam in laboribus degunt, & curis, & mœstitiis: Sanguinea vero contra in illis, qui cum εὔσαρκοι sint, pauco exercitio vtuntur hæc summa est eorum, in quibus vtraq; synochus differt.

Quot modis nomen causi intelligendum sit?

Cap. XIV.

HÆc itaq; febris, quam nos cum Galeno biliosam synochum nūcupauimus, vera est febris ardens, καῦσος Græcis dicta.

Cæterum quoniam nominis huius causi multiplex est significatio distinguendum hoc loco duximus, quot modis nomē causi intelligendum sit.

Nomē causi æquiuocum.

Causi nomen est ex eorum numero, quæ æquiuoce dicuntur, nam non solum febres continuas, sed etiā intermittentes, quas tamē flauæ bilis putredo concitauit, sub vocis huius appellatione continentur, atq; nō modo continuas ex bile signant, verū etiā illas, quæ fiunt ex salsæ pituitæ putrefactione.

Quod autem Græci intermittentes febres ex bile aliquādo nomine causi significent, ex Galeni verbis colligendum est, qui quodā in opere sic inquit: *Verum igitur ita tantummodo sit causus, vt dixit, cum scilicet acres & biliosas. quæ tenues sunt, humiditates ad se traxerint venulæ? an ne & carne id ferente, erit causus? siue in toto corpore, siue in parte patieā contigerit: ostendimus enim eam vim habere eorū, quorū indiga est attractoriam.* Fiunt autem omnes intermittentes febres, cum bilis extra venas per loca sensitiua defertur, atq; alibi de tertianis intermitentibus inquit: *atq; de genere ardentis est*, alio loco: *Ita nunc satis erit, tantum, quæ illis in libris demonstrauimus commemorare, acutissimas scilicet & ardentissimas febres à flaua bile oriri, & tertianam ex numero ardentium esse.*

De febre intermittente dictum.

Gal. lib. 4. de rat. vic. acut. com. 1.

Gal. lib. 2. de diff. feb. 3. lib. 8. de placit. c. 6. lib. 2. de cris. c. 6. & lib. de trem. rig. & palpit.

Cæterum hæc causi significatio nimis est communis, & parum insequitur vocis ethymologiam, nihilq; conuenit nostro proposito.

Hoc itaq; causi genere prætermisso, quod improprie tale dicitur, de vero causo dicamus. *Est autem verus causus continua febris, vel ex flaua bilis putredine, vel à salsa pituita originem desumens:* At vero qui à bile fit, is non solum proprius est causus, sed etiam exquisitus, atq; legitimus, alter vero spurius: nam quomodo tertianis in febribus appellatione eiusmodi vti consueuimus, ita duo causorum genera esse intelligemus.

Verus causus secūdum. Primus duplex.

Gal. lib. 4. de rat. vict. acut. c. 4. & 13. com. Tertianarum genera duo quidem sunt; vnum exquisitum, legitimumque: alterum vero nothum, ac spurium, cui videlicet ex legitimi quidē symptomatis nonnulla insunt, quædam autem non. Sic profecto is legitimus est causus, cui omnia veri, legitimiq; causi signa adsunt, is contra spurius, cui quędam adsunt: quædam autem minime.

Est igitur spurius causus, qui ex salsa pituita fit: legitimus, qui ex flauæ bilis putredine.

Gal. ibid. Paul. Ægin. lib. 2. ca. 28. Porro hic multis fit modis, quemadmodum Galenus retulit.

Primus cùm bilis ad paruas venas, prope cor existentes eum exsiccatæ sunt, atque præter naturam affectæ in hepate videlicet ventriculo, huiusq; ostio, pulmone, ac ieiuno intestino putrefit: ab iis tamen partibus attracta, aut ab aliis ad easdem expulsa.

Lib. 2. de dif. feb. ult. Hic causus habet accessiones continuas; nam attractio & expulsio humorum, si Galeno credimus, proxima est earum febrium causa, quæ per circuitum adueniunt.

Gal. 4. de rat. vic. 18. & lib. 5. de loc. affect. 6. Alter etiam fit causus, cum sanguis biliosus expellitur, aut attrahitur, extra venas ad carnes videlicet ventriculi, iecinoris, ac pulmonis, in quib. vel erysipelas, vel phlegmone, quæ erysipelate participet, concitetur. Ex hac enim affectione carnium, tum ardor maximus per vniuersum corpus, tum incompescibilis sitis excitatur, quæ duo propria sunt, & inseparabilia signa, veri ac legitimi causi, ex quorum defectu contingit febrem, quamuis ex bile factam, & continuam existentem, verum causum non esse.

Hi duo causi sunt ex affectione vnius determinatæ partis: quamobrem merito particulares nuncupandi sunt, siquidem alter etiā vniuersalis est causus, qui scilicet ex putredine concitatur biliosi sanguinis in omnib. venis, aut certe maioribus inter alas & inguina putrefactione.

Gal. lib. 4. de rat. vic. acut. ibid. lib. 5. de loc. aff. 6. lib. 2. de crif. c. 6. fect. 3. & 4. aph. com. 59 Atq; hic rursus duplicem originē habens, duas differentias constituit.

Nam hic sanguis vel idcirco in hisce venis putrefit, quod fuerit ab illis attractus, vel in illas expulsus; atq; hic causus febris quædam est continua nouas accessiones habens.

Altera vero longe diuersa est ratio, cum sanguis tenuis acrimonia participans in iis venis abundans totus simul putrefactionem subiit, prȩterquam quod ab illis fuerit, vel attractus, vel expulsus: atque hic non solum verus, & legitimus est causus; sed inter legitimos præcipuus nuncupatur, hic prætereca est illa synochus putrida, quam flaua bilis concitat, in hac febre nulla *Gal. lib. 2. de dif. feb. c. 2. & lib. 2. de crif. c. 8. Paul. Ægin. lib. 2. cap. 28.* adest secundum circuitum accessio: nec secundum eundem circuitum sensibilis declinatio; sed vna quædam videtur accessio à principio ad ipsam iudicationem vsque. Hac postrema significatione vsi dicebamus synochum biliosam à Græcis καῦσον nuncupari.

Quamobrem si vera sunt, quæ supra diximus, æquiuocum est nomen causi, cum nullam communem rationem habeat, quæ tum intermittenti, tum continuo causo conueniat. At verus causus vox quædam est ex eorum numero, quæ ad vnum, & analoga nuncupantur: prius enim legitimum causum respicit, quam nothum, atq; inter legitimum primo loco de primario dicitur, & ipsa videlicet synocho biliosa, quam de reliquis.

Dubitationum, quæ his dictis accidunt, solutio.

Cap. XV.


CÆTERVM quo magis hic noster labor iis satisfaciat, qui nimis Galeno addicti sunt, nihilq; verum putant, quod vel Galeno contradicat, vel illius viri sententiis confirmatum non sit; soluendæ sunt hoc loco dubitationes, quæ his dictis accidunt.

Atq; in

Atq; in primis non mediocris controuersia videtur, an à bile flaua synochus concitari possit, quoniam Galenus in eo opere, in quo synochorum curationes prosequitur, huiusce synochi nihil penitus meminerit, quinimo fieri solũ docuit à sanguinis putredine. Idem enim sanguinis nomine intelligimus, quod omnium succorũ vocabulo, quemadmodum Galenus docuit *libro de multitudine*, atq; in iis adueniat corporibus, quæ optimo habitu præditi sunt, copiosumq; in sese sanguinem contineant: quæ sane cum in hunc modum habeant, minime admittenda videtur synochus febris à putredine biliosi sanguinis. Deinde vero dubitationem habent, quæ de causo diximus: an videlicet is solus sit nothus atque illegitimus, qui non ex putredine flauæ bilis; sed pituitæ salsæ concitatur. Hæc præcipua sunt, quæ declarationem postulant.

Gal. lib. 9. meth. cap. 3. & 4.

Secunda difficultas.

Galenus, quamuis synochum à putredine sanguinis fieri docuerit, non proptereà tamen negauit, quin etiam à flaua bile fieri possit: nam vt plurimum quidem fit ab omnium succorum putrefactione, aliquando etiam, vt iam docuimus, à flauę bilis putredine. Quod igitur Galenus in medendi methodo consulto prætermisit, id sane in aliis operibus, quorum erat propria tractatio, diligenter exposuit: nam in methodo communes indicationes pro synochorum curatione docuit: & quoniam pauca sunt, in quibus inuicem differant, tum biliosa, tum sanguinea synochus, quantum ad ipsam curandi rationem pertinet; proptereà Galenus hanc distinctionem prætermisit; at in iis operibus, in quibus tum differentias omnium febrium, tum illarum cognitionem docet, fuisset sane redarguendus, si biliosam à sanguinea non distinxisset. Hæc itaq; est potissima causa, propter quam *9. meth.* prætermissa synocho à flaua bile: solum meminit synochi à sanguine.

Solutio primæ difficultatis.

ad secundã.

De ardente autem febre dicendum in hunc modum putamus: synochus quidem à bile exquisita est, & principalis febris ardens, quæ vero fit ardens à salsa pituita, notha est, & illegitima. Notha est etiam, quæ fit continua à flaua bile hyemali tamen tempore. Quam ego idcirco notham nuncupo, quod ex iis signis, quæ ardentium febrium propria sunt; alterum quidem adest; alterum vero deest: deest equidem calor maxime adurens; idcirco cum non sit simpliciter ardens, erit sane talis secundum quid. Eiuscemodi sunt omnes ardentes febres, quarum diuinus Hippocrates meminit, *libro primo de morbis populariter vagantibus.*

Gal. 4. de rat. vict. ac.

Gal. 1. epid. sect. 2. com. 13. 16. 18. & 20.

De sanguinea synocho disputatio.

Cap. XVI.

NULLA est inter omnes difficultates, quæ solent agitari de rebus Medicis, præstantior ea, qua inquiritur, an aliquod genus febris fiat & putrescente sanguine (cernimus enim ipsum aliquando putrefieri) in qua difficultate: quamuis recentiores Medici plurimum laborauerint; negotium tamen ipsum non ita illustrarunt, vt omni è medio difficultate sublata, nihil sit amplius in proposito negotio, quod difficultatem efficiat.

Quamobrem nos pro nostra consuetudine propositæ disputationis ipsa methodo explicationem aggredimur. Atq; in primis doceamus, quid sit sanguinea synochus, quam citra controuersiam, non Galenus modo, verum omnes, qui post eum viguerunt Medici, admisere.

Deinde quid sanguineæ febris nomine intelligamus, & in quo genere collocanda, an sub biliosis, quod videtur Galeno placuisse, an autem sit sub altero genere reponenda, quod fortasse rationabilius videbitur.

Postremum vero erit, vt omnibus quæstionibus, quæ maximæ videntur, satisfaciamus hæc sane potissima sunt propositæ difficultatis capita, quorum ego explicationem in hunc modum aggredior.

Quid sanguinea synochus?

CAP. XVII.

SYNOCHVS *itaq; sanguinea est febris, ex omnium succorum, qui in venis totius corporis, aut principalibus consistunt, putrefactione congenita.* In hoc enim à biliosa synocho differt; quod hæc non ex omniũ succorum puttedine, verum ex totius biliosi sanguinis labe concitatur: propter quam etiam causam tum in symptomatis diuersa est, tum etiam in efficientibus causis, atque in habitudine corporis. Namque biliosa synochus admodum mordacẽ habet calorem, sitim inexstinguibilem parit; hæc vero quamuis certe satis ingentem calorem possidet, magis tamen est suauis, ac halituosus: illa fit ex obstructione prohibita exhalatione eorũ humorum, qui acres & biliosi sunt, hæc sanguinis cuius vapores mites, atque suaues existunt: illa postremo in eusarcis & quadratis (vt aiunt) corporibus, qualia sunt corpora sanguine prædita; vt plurimum adueniens, ea solum inuadit, quæ gracili, atq; tenui habitu sunt.

Hæc quidem harum febrium differentiæ: reliqua vero vtriusq; synochi communia supra diligenter exposuimus, quando scilicet propriam synochi naturam, causas omnes, signa differentias, siue species docuimus.

Synochus igitur hæc exposita, quam omnes admittunt, febris est à putredine sanguinis, de qua recentiores Medici perperam contendunt, quemadmodum nunc explicandum proposuimus.

Quod febris à sanguine putrido admittenda sit; & quomodo à Galeno in biliosarum febrium numero collocetur?

CAP. XVIII.

PERPERAM (vt dixi) contendunt omnes recentiores Medici cum arbitrantur ex putrido sanguine febrem admittendam nõ esse, siquidem nõ vident, quod synochus putrida tot rationibus atq; exemplis à Galeno *9. libro methodi medendi* confirmata, nihil aliud sit, quam febris ex putrido sanguine.

Quamobrem quod istis hominibus incognitum fuit, id nunc clarissime doceamus principio desumpto ab eo, quod omnes confitentur: id autem est, quod synochus exposita ex omnium succorum, qui in toto corpore consistunt, aut in maioribus maximeq; principalioribus vasis resident, puttedine constet. Hoc quidem adeo manifestum est, vt videatur mihi in Medicis tractationibus, dignitatis, atq; axiomatis locum continere. *Hypothesis prima.*

Huic autem supposito addere oportet, etiam alterum non minus notum, sanguinis videlicet nomine esse intelligendos omnes humores, nihilq; differre, an omnes humores, an autem sanguinem dixeris. Siquidem substãtia sanguinis, quamuis similaris videatur; eiusmodi tamen non est: sed quatuor partes continet inter se temperamento, & nomine diuersas. quæ tamen partes vnius sanguinis appellatione nominantur: atq; hoc illud est, quod supra commonefecimus, dum scilicet de continuis febribus agebamus; in venis ipsis nihil præter sanguinem contineri, omniumque continuarum febrium proximam causam existere venarum sanguinem. *Secunda.*

Hæc sane si vera sunt, quemadmodum putantur verissima, nihil est, quod in proposito negotio facere dubitationem possit: quoniam si putrida synochus ex omnium succorum putredine consistit, sanguis autem nihil sit aliud, quam omnes succi, qui in eisdem venis consistunt, manifestissimum est febrẽ admittendam esse à putredine sanguinis. Hunc enim (quemadmodũ Galenus inquit) aliquando putrescere necessarium est: vt enim è venis in pectus, in ventriculum, in intestina, aut in aliam capacitatem sanguis præter naturã effusus *Conclusio.*

effusus vitiatur, & quasi in venenatam substantiam conuertitur, & putrescit, & in musculos irrumpens tumorem præter naturam, phlegmonemq; parit, atq; putrescit primum, deinde suppurat: ita dubitari non debet, cum validis ex caussis, vt in putrida, atq; pestilenti cœli constitutione in venis maioribus putrescere: quin etiam cum phlegmone tentatur iecoris substantia, sanguis totus nõ modo putridus, verum etiam nonnunquam purulentus existit: sed & omnes fatentur sanguinem, tam magna interdum mutatione deprauari, vt non amplius ad habitum redeat naturalem nec possit iterum per naturæ coctionem ad primam humoris bonitatem redire.

Ioan. Fern. lib. 4. path. cap. 2.

Denique per febres, qui detrahitur sanguis, sæpe animaduertitur non modo fœtidus, & graueolens; sed & putridus adeo, vt nec sibi cohærere, nec concrescere queat; omnibus scilicet eius febris putredine consumptis; hoc igitur modo cum sanguis corrumpetur, synochus accendetur putrida.

Cæterum quo hæc illustriora fiant, paulo diligentius propositam opinionem explicemus, atq; in eorum gratiam, qui plurimum Galeno addicti sunt, illius sententiis confirmandis.

Omnes igitur succi, qui sanguinis nomine in præsentiarum dignantur, vel in omnibus vasis, & maximis, principalioribusq; venis putrescunt, vel extra venas in loco aliquo circumscripti, vt puta in phlegmone, putredinem assumunt. Vtraque ratione fit synochus, quam rem Galenus hisce verbis confirmat: *Alterum vero synochorum genus est, quando in omnibus vasis, potissimum maximis, æqualiter succi putrescunt.* Semper enim, vbi in his venis putredo consistit, febris fit, quæ vnam à principio vsq; ad finem accessionem habet; qualis est synochus, vt Galenus confirmat, dum inquit: *At qui in venis, & arteriis omnibus insunt humores, atq; ii præsertim, qui in maximis, atque calore abundantibus, aut ab alia quauis causa, quemadmodum in ephemeris, aut ob putrefactionem feruentes, febrem accendunt, vnam synochum appellatam, quæ à principio ad finem vsq; nullam habet intermissionem.* Nam quæ febres intermittunt, atque exardescunt, manifestosq; circuitus habent, hę ex putredine consistunt, in paruis remotisq; venis consistente. Totum vero negotium exemplis confirmauit, *libro nono methodi medendi*, vt videre est in historia serui Palestritæ, atque aliorum, de quibus eo loco mentionem facit.

Gal. 9. method. med. cap. 9.

Cap. 4.

Porro hæc Galeni opinio multo reddetur manifestior, si addiderimus, non vna ratione putredinem ipsum sanguinem inuadere. Namq; aliquando adeo magna est, vt impossibile sit redire posse ad pristinam humoris bonitatem; aliquando vero contra eiuscemodi est, vt leui facta in ipsum permutatione facile possit ad propriam naturam restitui.

Idem enim in sanguine contingit, quod in vino: quod equidem acescere potest aliquando, minime tamen postea transmutabitur in aceti perfectam naturam: at vero aliquando perinde acescit, vt exuta vini forma acetum fiat, vinumque amplius non dicatur: sic sentit Galenus de putredine sanguinis. Cum igitur sanguis leuem putredinem assumit, manetque sub propria sanguinis forma, fit sanguinea synochus, siquidem is adhuc sanguis est, ac dicitur, quamuis bonus non sit.

Lib. 2. aph. com. 7.

Verum si in sanguine magna adfuerit putrefactio, febris in alienam naturã, quemadmodũ etiam sanguis ipse, degenerat: amittit enim sanguis propriam formam, quoniam propter caliditatem putrefacientem magna adueniente adustione, quod in eo tenue, ac pingue existit, in bilem flauam degenerat: quod vero crassum, atq; terrestre in melancholicũ humorẽ vergit, atq; hæc sanguinis degeneratio verius nuncupari debet corruptio; quã putredo, si Medicorũ opinionem, quã supra declarauimus, de putredine sequamur.

Gal. lib. 2. de diff. feb. cap. 9.

Itaq; sanguine in alienam naturam degenerante, non est amplius sanguinea febris, sed vel biliosa, vel melancholica; prout vna pars aut altera ad putredinem fuerit magis præparata, de qua re sic Galenus ait: *Nam si sanguis*

Gal. ibid.

ſupra modum aſſetur, pars quidẽ eius ſubtilior, ac pinguior omnino in flauam conuertitur bilem, quæ autem craſſior, in atram, quod in his tumoribus, qui carbunculi dicuntur, apparet. Atq; in alio opere: *Liquet autem* (ait) *quod cum is putreſcere cœperit, non amplius bonus remanet, ſed iam ad amaræ bilis naturã tranſit, atq; in hoc illud ſeruatur, triplex eſſe in vniuerſum genus ſimpliciũ febrium: quæ enim ex ſanguinis putredine fit, iam quodammodo bilioſa eſt.* Hoc loco obſeruari velim hęc verba: *Sed iam ad amaræ bilis naturã tranſit:* Et rurſus illa: *Iam quodammodo bilioſa eſt.* In quibus putrefactum ſanguinẽ non eſſe iam flauã bilem, ſed incipere ad bilis naturã tranſmutari, manifeſtiſſime docuit, atq; febrẽ ipſam, nõ eſſe vere bilioſam, ſed quodammodo talẽ exiſtere atq; fieri permanente putredine, aduſtioneq; ſubſequente: quia permanẽte ſanguine ſub propria natura ſanguinis, alia febris eſſe non poteſt, quã ſanguinea; quamuis hæc temporis proceſſu in bilioſam degeneret.

Gal. libr. 2. de criſ. c. 12.

Pulchra obſeruatio.

Corollaria.

Ex his igitur concludendum eſt, nullam difficultatem habere, quod ſanguis poſſit putreſcere, quod hoc in omnibus vaſis, aut maximis contingat, quodq; poſtremo leui exiſtente putredine ſub forma ſanguinis permanens ſanguinea fiat febris.

Altera obſeruatio ex proprio ingenio.

Cæterum animaduertere oportet, non ſolum fieri ſynochum putridam, cum æqualiter ſucci omnes in maioribus venis putreſcunt, ſed etiã cum aliquando extra venas ſanguis putrefactionẽ ſubit: quod quamuis pauci tradiderunt, quoniã tamen veriſſimum eſt, diligenter exponendum venit.

Natura, & idea ſynochorum propria alia non eſt, quam quod continenter & æquali vehemẽtia vapores putridi cordi moleſtiã inferant, quemadmodũ iam dictum eſt ſupra. Si igitur extra venas putridus ſanguis, vt puta in inflammatione partis cuiuſpiã præcipuæ, in qua venæ maximæ, & arteriæ principales adſint, quales potiſſimum in ipſo vtero exiſtũt, quid impedimẽto eſſe poterit, quin febris ſynoch⁹ fiat? putredo præſens adeſt ipſius ſanguinis, præſentes etiam ſunt venæ maximæ, per quas continenter putrida fuligo in cor tranſmitti poteſt, quamobrem oportet ſubſequi ſynochum febrem.

Cõfirmatio ex Galeni verbis.

Sed ne videar hæc ſomniaſſe, quamuis certe maximam probabilitatem ex hac ratione habere videantur, hanc noſtram ſententiam admirabilis Galeni verbis confirmabimus quæ ſane in hunc modum habent: *Inter omnes corporis partes plurimas, grandiſſimasq; venas vteri habent, cumq; eos, aut menſes ſuppreſſi, aut à partu purgamenta, aut phlegmone aliqua vtcunq; orta male accipiunt; ipſoſq; ſanguine impleri neceſſarium eſt, quo deinde putreſcente ſi febris concitetur inter ſynochorũ ſpecies ipſam connumerari opus eſt, nam id genus febrium ex putrido ſanguine accendi oſtenſum eſt.*

Lib. 6. epid. ſec. 2. c. 1.

Corollaria.

Hæc Galenus: quibus verbis citra omnem controuerſiam concludendũ eſt, non omnem ſynochum fieri ex putredine ſanguinis omnium venarum, aut principalium vaſorum, quæ ſunt inter alas, & inguina: ſed aliquando fieri extra venas putrido ſanguine, ea tamen in parte, in qua maximæ venæ conſiſtant. Opus eſt igitur pro conſtituenda natura ſynocharũ omnium febrium omnes, aut maximas venas continere putredinem ſanguinis: vel certe quod putridi vapores ſanguinis, qui, vt iam admonuimus, cordi moleſti ſunt, æquali impetu, vehementia & continenter afficiant.

Nota.

Maxima difficultas.

Sed habet hoc loco dubitationum maximam, quænam febris ſpecies oriatur ſanguine extra venas putreſcente, in iis videlicet partibus, in quibus magnæ, præcipuæque venæ non conſiſtunt.

Reſpondendum eſt: Minime fieri ſynochum febrem; verum aliquando quidem ephemeram; aliquando bilioſam, quod ſane iam iam explicandum venit.

Solutio maxima quæſtionis.

Partes corporis, quæ phlegmone affectæ ſunt, vel ſunt externæ, vel internæ: in externarum partium phlegmone fit primum diaria, deinde ſubſequente febre fit putrida tertianum maxime circuitum habens, ſanguine enim in affecta parte malè concoctato, cum nõ diffletur, atq; minime tranſpirare poſſit, neceſſe eſt, ipſum putreſcere: ea vero putredo ſtatim cordi communicari

municari non poteſt.tum quia non adſunt maximæ venæ; tum quia ſanguis ipſe circa locum putridum circunſcriptus permanet. tum etiam, quia intermediæ ſunt ſolidæ partes, verum quamuis propter has cauſas putrida fuligo non tranſmittatur ſtatim ipſi cordi, caliditas tamen ſucceſſiuè per partem vnam poſt alteram illico cordi moleſtiam infert, atq; in hunc modum ſpiritibus excalefactis ephemera febris gignitur, quemadmodum Galenus admonuit, dum inquit: *Cum vero ipſe ſecundum naturam ſe habens ſanguis impactus in loco fluxioni obnoxio putruerit, hic quidem affectus inflammatio eſt ſimplexq; ex ipſa febris accenditur ſimilis maxime ephemeris, quæ ex inflammationibus inguinum accidunt, nã & ipſa ſanguinis inflammatio ex bono ſanguine fit.* In phlegmonibus itaq; extrinſecus genitis ex putredine ſanguinis principio quidem gignitur febris diaria; at principio tranſacto, & plurimum adaucta putrefactione ſanguinis, febris accidit putrida: quoniam propter vehementiam caloris præter naturã ſanguis adeo putridus euaſit, vt impoſſibile ſit amplius ad priſtinam bonitatis ſuæ naturam redire: quamobrem quod in ipſo ſanguine pingue ac tenue exiſtit, id omne in bilis naturã conuerſum febrẽ non ſolum putridã (putridis videlicet vaporibus cordi communicatis) ſed etiam bilioſam febrem facit: nam ſtatim propter maximã coarctationem ſanguinis in locis inflammatis, atq; propter ingens impedimentũ tranſpirationis magna in ſanguine permutatione facta in bilis flauæ naturam degenerat, atq; propter hanc cauſam Galenus dixit, hanc febrem quam ſanguis putridus efficit, quodammodo bilioſam eſſe, & ſanguinem bilioſum eſſe: quoniam breui admodum tempore in phlegmone ſanguis ſuam naturam obſeruans, permanet, verum in amaram bilem conuertitur ſtatim poſtquam vehementer computruerit. De inflammationibus externorum membrorum ſic profecto ſentiendum eſt.

Confirmatio ex Galeno.

Lib. 2. de diff. feb.

Quæ febres fiant ex externis inflammatu.

Verum ſi partes aliquæpiam internæ, phlegmonem patiantur, in quibus partibus venæ magnæ non adſunt, quemadmodum contingit in pleuritide, tunc ſane putrida febris gignitur, quæ breuiſſimo temporis interuallo in bilioſam febrem vergit, non enim fit febris ephemera, vt in partium externarum inflammatione contingit, quoniam vapores putridi propter maximam propinquitatem loci affecti cum corde, atq; propter viarum rectitudinem, ſtatim cordi moleſti ſunt, quam ob cauſam putrida ſane fit febris; bilioſa vero idcirco dicitur: quia promptiſſime in bilem putridi ſanguinis tenuior pars conuertitur. Hanc rem Galenus confirmauit his verbis: *Quare non procul à vero eſſe eſt exiſtimandũ, ſanguinem ipſum nonnunquã in his, quæ inflammationem patiuntur particulis ſubire putredinem, ex qua, ſimpliciores quidem, quam ex aliis humoribus febres fieri, ſimilem vero acceſſionum portionem aſſumere, qualem maxime tertianæ febres oſtendũt: nam ita in his, qui laterum inflammationes patiuntur obſeruatum, quo tempore maxime rubidum exſpuunt: quod ſi ſanguis ſupra modum æſtuet, pars quidem eius ſubtilior, ac pinguior omnino in flauam conuertitur bilem; quæ autem craſſior, in atram, quod in his humoribus; qui carbunculi appellantur, apparet; nam in his ex ſanguine ſupra modum efferueſcente ad atræ bilis humorem fit tranſmutatio.*

Quæ febres fiant ex internis inflammation. ex Galeno. Nota.

Galeni verba lib. 2. de dif. feu. c. 9.

Febris itaque ex internarum partium phlegmono concitata eſt ex numero bilioſa- um febrium, cum ſanguis in phlegmone putridus proxime ad flauæ bilis naturam conuertatur. Hæc noſtræ opinionis in propoſita diſputatione capita ſunt.

Concluſio.

1. Febrem ſanguineam admittendam eſſe ex omnium ſuccorum, ſeu ſanguinis, putredine in omnibus vaſis, aut maximis venis, quæ ſunt inter alas & inguina.

2. Synochum febrem fieri aliquando humoribus extra venas putrefactis, in iis tamen partibus, in quibus plurimæ ac maximæ venæ conſiſtunt: vt in vtero.

3. Ex ſanguine putrido in partibus extrinſecis, in quibus exiles venæ adſint, fieri primum ephemeram, deinde vero bilioſam febrem.

Inflammatione partium internarum biliosas febres ab ipso statim principio facere.

Dubitationes. His itaq; in hunc modum expositis afferamus dubitationes, quæ his dictis accidunt, quibus explicatis pro dignitate propositi negotii, omnia videbor dixisse, quæ ad præsentem disputationem pertinent.

Prima. Hic igitur tria potissimum veniunt declaranda. Primum propter quam causam febrem ex putrido sanguine genitam simpliciorem aliis febribus ex Galeno nuncupauimus.

Secunda. Deinde cur accidat, quod sanguinea febris à Galeno passim biliosa nuncupetur, dicaturq; tertianum circuitum assumere.

Tertia. Postremum vero ad quod genus febrium reducere oporteat, febrem ex putrescente sanguine ortam: eo tamen sub sua specie propriaque forma permanente. Hæc enim ea sunt, quæ circa propositum negotium controuersiam faciunt.

Ad primũ.

Cur sanguinea febris simplicior. Li. 2. de feb. 9. & 2. de diff. cap. 12. Quantum itaq; ad primum pertinet, arbitramur Galenum febrem sanguineam simpliciorem nuncupasse propter naturam sanguinis: nam caliditas succi huius halituosa est, mitis ac plurimo humore abundans; quamobrem caliditas febrilis, quæ à putredine humoris huius concitatur, collatione facta cum aliarum febrium putridarum caliditate, mitissima est, atq; plurimum halituosa, & quamuis temporis processu in bilis naturam sanguis conuertatur, nihilominus acrimonia humoris huius ex sanguine geniti, tũ ꝓpter aliorum succorum admistionẽ, tum etiam quia à suaui, & humida substantia defluxit, minor est, quam si ex flaua bile in principio fuisset genita.

Cur simplicior febris sanguinea. Febris ergo sanguinea simplicior dicitur, quoniã illius caliditas, mitior ac suauior est caliditate aliarũ febrium, quas putrescens humor concitat: atq; hæc sane vera est causa: siquidem ea, quam recentiores Medici afferunt veritatem non habet: contendunt enim sanguineam febrem idcirco simpliciorem dici, quoniã componi & cum aliis febribus complicari non possit: quod sane nullam habere probabilitatem alibi diligenter ostendimus.

Cur sanguinea febris biliosa Galeno dicatur. Lib. 2. de anima, c. 49. lib. 2 phys. cap. 14. Porro sanguinea febris à Galeno biliosa dicitur, ab ipso scilicet fine, atq; termino, ad quem tendit: nam vnumquodq; à proprio termino denominari solet, quemadmodum princeps Philosophorum admonuit.

Nam sanguis putridus, vbi magna in ipso adfuerit permutatio, in bilem flauam conuertitur ex transmutatione tenuioris, atque pinguioris particulæ: cuius degenerationis causa febris à sanguine iam quodammodo biliosa dicitur; exquisite tamen biliosa non est, nisi postquam vehementer putruerit sanguis, & in bilis naturam fuerit conuersus: anteaquam vero hoc accidat, in sanguinea febris principio biliosa fit febris, vt Galenus ait, quamuis re vera sit sanguinea.

Ardua dubitatio. Sed habet hoc loco non contemnendam dubitationem, quid sentiendum sit de illa putredine sanguinis, quæ cum leuis existat, ad naturæ suæ pristinam bonitatem reduci potest, quemadmodum viuum; quod iam incipiat acescere, nondum tamen sit acetum.

Ponamus ex hoc sanguine putrido febrem fieri, hancq; sanam febrem non transmutato sanguine in alienam naturam; quæ nam igitur erit febris? hæc sane ad biliosas referri non potest, cum sanguis putridus minime valeat ad bilis naturam conuerti, propter leuem putrefactionem: Quartum itaque febrium genus admittere oportebit à tribus illis distinctum, in quo sanguineas febres reponamus, quod sane magis disputationem auget, quod Galenus tria tantum putridarum febrium genera, siue primas differentias admiserit, febremque sanguineam sub biliosam febrem visus fuerit collocasse.

Responsio ex Galeni principiis. Nos huic dubitationi, primum quidem satisfaciemus ex Galeni principiis: deinde vero ex propriis, quæ nos supra posuimus.

Galenus itaq; omnem febrem à sanguine sub genere complectitur biliosarum febrium, quia iam tales fiunt; suntq; in via, & proxima dispositione, vt tales euadant.

Quod autem de iis febribus dicitur, quarum sanguis putridus minime ad bilis naturam conuertitur, tum cohibita à medicamentis putrefactione, tum caleui existente ad propriam naturam sponte restituto; id sane nõ prohibet, quin dicatur febris biliosa, ab eo, quod, vt plurimũ accidit, putrescente sanguine: quod autem accidit, est, putridi sanguinis tenuiorem, & pinguiorem partem in bilem conuerti; quod autem in rebus Medicis frequenter accidit, id sane perinde accipitur, atque si semper adueniret: quam rem supra declarauimus. Hæc vna est loci huius explicatio, quæ videtur mihi omnem litem dirimere.

Altera vero est, quam video celeberrimis quibusdam hominibus placuisse, vt dicamus, Galenum in proposita diuisione putridarum febrium nõ explicasse omnes illius differentias, sed eas tantummodo fuisse prosecutum, quæ sane fiunt ex putredine vnius determinatæ particulæ, in qua maximæ venæ non adsunt: quæ febres omnes suos circuitus habent: harũ tria sunt genera. Tertianum, quartanum & quotidianum, tã intermittens, quam continuum, de illis autem febribus, quæ carent periodis, alibi disseruit, tum in *nono meth. med.* tum *in fine prioris libri de diff. feb.* quibus ostendit synochas febres, tum biliosas, tũ sanguineas, idcirco circuitibus carere, quod putredinẽ contineant, in omnibus vasis, aut certe principalibus, quæ magnę sunt venæ: alias autẽ febres ab his in loco putrefactionis diuersas esse, quã ob causam habere has proprios circuitus, & periodos: Sic quidem ex Galeno sentiendum est. *Al. a solutio ex Galeni principiis.*

Cæterum nos, qui in alicuius magistri verba minime iurauimus, differentias putridarum febriũ, vt superioribus sententiis admonuimus, ab humorũ diuersorum putredine sumendas esse arbitramur; Cũ itaq; humores quatuor existant sanguis, vtraq; bilis, & pituita, quatuor erunt primæ differentiæ harũ febrium: sanguinea, de qua iam disputauimus; biliosa, pituitosa & melancholica: multo videtur hoc rerum naturis magis cõuenire, atq; iis principiis, quę omnes Medici ponunt, quam quatuor existentibus humoribus tria solũ putridarum febrium genera constituere; quasi, quod sanguis nunquam possit putrescere, & si putrescit, illico fit flaua bilis, semperq; tertianũ desumat circuitũ, & nunquam sub propria natura permanens febrem faciat à biliosa diuersam: opinio igitur nostra in hunc modum habet, eam tamen poterit insequi vnusquisque, quam voluerit. *Opinio propria.*

Auicennæ rationes nihil contra Galenum concludere quodq; Auicennas minime sit propterea reprehendendus, dum Galenum refellit.

Cap. XIX.



Hoc autem loco doceamus, an Auicennæ rationes de sanguinea febre quippiam contra Galenum concludant: nam quamuis illius interpretes, atque recentiores quidam Medici Galeni opinionem refellant, nos quidem his prætermissis, ne videamur extra propositum vagantes longissimam methodum conscribere solius Auicennæ rationes contemplabimur, quod is vnus, tum propter maximam doctrinam, tum propter ingentem apud omnes homines æstimationem sufficere pro omnibus videatur.

Quoniam itaq; Galenus febrem à sanguine admittere non videtur, cum eam quodammodo biliosam nuncupet, tenuioremque sanguinis partem in flauam bilem, crassiorem in melancholiam conuerti contendat, opinionem hisce rationibus refellit.

Hæc propositio inquit, *Sanguis, cum putrescit, fit cholera*, duplicem sensum habet. *Rationes Auic. contra Galen.*

Primus:

Primus: quod sanguis, postq̃ fuerit putrefactus, in bilem flauam conuersus sit, adeo, quod bilis flaua facta sit; non, dum sanguis putrescit; sed post illius putrefactionem. Si hoc modo Galenus intelligit, tripliciter venit redarguendus: primum quia sanguis post illius putredinem totus non degenerat in flauam bilem, sed pars pinguior, & tenuior flaua fit bilis; crassior vero in melancholiam deuergit. Itaque febris, post sanguinis putredinem facta, non magis biliosa, quam melancholica nuncupati debet, quod tamen Galeno satisfacit.

Primo.

Secundo.

Secundum, in quo refellenda est hæc opinio, est hoc: nam dum sanguis in ipso putrefieri consistit, febrem efficit, quænam igitur erit hæc febris? non biliosa, quoniam nondum facta fuit eiusce modi transmutatio in flauam bilem: relinquitur igitur, quod sit sanguinea: siquidem proposita quæstio est de sanguine dum actu putrescit, non postquã fuerit putrefactus.

Tertio.

Tertio si proposita opinio veritatem habet esset necessarium, quod omne, quod post putrefactionem gignitur, putridum sit, cum tamen constet, hoc falsum esse: nam post humoris alicuius putredinem, quæ relinquuntur veluti cineritia, non sunt putrida; vt quotidie in aliis febribus obseruamus, post quarum resolutionem crassioris partis causa, quæ post putredinem remansit, nulla fit febris.

Vermium præterea generatio rem facit manifestam: nam ij fiunt ex pituitæ putrefactione, non sunt propterea putridi, cum in viuentium numero constituantur.

Hæ sunt rationes Auicennæ contra primum intellectum verborum Galeni, quarum solutiones afferamus, anteaquam secundum intellectum enarremus.

Responsio ad rationes Auicennæ.

In primis itaque positis iis, quæ supra in explicatione verborum Galeni posuimus; dicamus post sanguinis putredinem in loco inflammationis primum fieri febrem ephemeram: deinde biliosum tertianumque circuitum habentem; hocque necessarium esse propter eas rationes, quas supra posuimus.

Quod autem hoc loco affert Auicennas de crassioris sanguinis parte, quæ æqualiter in melancholiam degeneret; dicamus, id non esse necessarium; non enim oportet, quod æque cito, sicut eius tenue, & pingue fit bilis: sic eius crassum fiat melancholia, quoniam maiori indiget sanguinis assatione, vt fiat melancholia, vt Galenus testatur, quam vt ex eo fiat bilis, & sanguis biliosus. Potest igitur prius fieri febris biliosa, quam melancholia, quoniam crassum illud nondum factum est melancholia, sed in confinio ponitur inter sanguinis & melancholiæ formam, vt Galenus ait.

Lib. 2. de feb. diff. c. 9. Lib. 2. de rat. vict. & lib. 1. de inst. cap. 11.

Præterea id vltro concedamus Auicennæ, quod tamen esse falsum ostendimus, id crassum sanguinis æque velociter factum esse melancholiam, quoniam tamen paucum est quod subsidet, veluti cinis, & terrestre quoddam ac melancholicum plurimum vero, quod in bilem vertitur, quamobrẽ sequitur non posse fieri febrem melancholicam quod autem paucum sit id, quod subsidet, Galenus *lib. 2. de diff. feb.* explicauit, dum in crassionibus humoribus paucam, aut nullam subsidentiam remanere tradiderit.

Cap. 11.

Verum quod ex eo pauco, quod residet, melancholica febris fieri non possit, hoc vnum præ cæteris testatur (Galeno autore *libro secundo de causis morborum*) quod ad actiones nedum qualitas, verum præter hanc tempus debitũ, ac debita etiam quantitas exigatur: paucum igitur illud quantitatis defectũ febrem melancholicam excitare non valet: multum vero tenue, ac pingue potest biliosam febrem facere.

Cap. 2.

Ad secundum.

Nullam præterea vim habet, quod secundo loco contra propositum Galeni sententiam affers quoniam quamuis disputatio sit de sanguine dum putrescit, dicere tamen possum, quod dum putredo fit, febris illa fit; quodammodo

quodammodo biliosa, sic desumpta denominatione, à proprio fine; ac termino, ad quem necessario sanguis putridus, in locoq; inflammationis contentus terminabitur.

Ad tertiã. Ad tertiam difficultatem respondendum est, quod etsi vniuersaliter ex putrido non opus sit fieri putridum, ex putrido tamen sanguine, & à calore vim putrefaciendi obtinente, ipsum quod ex eo generatur, putrescere aptũ est, cum videlicet non difflεtur, nec à natura euincatur, qualis est bilis ex putrido sanguine genita febrisq; tertiana, non autem melancholica, ex causa antedicta ab eadem causa putrefaciente generari potest: in hunc igitur modum primæ Auicennæ rationes soluendæ sunt.

Secundus contra Galenum ex Auicenna. Erat alter sensus verborum Galeni, quod fiat flaua bilis ex sanguine in hunc modum, dum scil. is actu putrescit, in bilem conuertatur, ac transmutetur; hunc sensum Auicennas hisce verbis expressit: *Quod vero intelligitur secundo, est mendacium, quoniam putredo est via corruptionis, & putredo quidem nõ habet tempus, & conuersio sanguinis in choleram non fit, nisi in tempore, & putredo quidem est corruptio accidens sanguini, & est sanguis, sicut accidit phlegmati, & est phlegma, & non cholera, neq; melancholia, nisi conuertatur post illud cum complemento putredinis, verũ veritas sana est sermo Hippocratis, quod ex putredine sanguinis generetur febris.*

Responsio pro Galeno contra Auicennam. Hæ rationes nihil contra Galenum concludunt, quoniam, cum Galenus ait, sanguinem putridum fieri bilem, non intellexit ipsum actu bilem esse: Diuersæ quidem sunt hæ propositiones *sanguis putridus fit bilis*: & hæc: *sanguis putridus est bilis*: Habet quidem veritatem prior propositio: secunda autẽ minime: contra quam videtur Auicennas argumentari, quem sensum haud quaquam Galenus intellexit: sed priorem vt diximus.

Nihil enim aliud vult, quam quod sanguis putrefactus in proxima dispositione, ad formam bilis recipiendam existat, quod sane adeo verum est, quod nullam prorsus habeat difficultatem. Rationes igitur Auicennæ nihil penitus contra Galenum concludunt.

Defenditur Auicenna contra recentiores. Neque tamen propterea is redarguendus est, quemadmodum putant recentiores quidam Medici: nam quamuis Auicenna re ipsa Galeno contrarius non sit, eum tamen sensum verborum Galeni refellit, quem facere videntur: ne quis fortasse ab illorum praua intellectione decipiatur, quam rem contra diuinum Platonem fecisse Aristotelem legimus: cuius rationes multoties contra Platonem, ne quicquã concludunt, sed eum sensum, quem facere videntur illius verba, refellunt: id quod diligentissime prosecutus videtur mihi Cardinalis Bessarius, Picus Mirandulanus, Marsilius, Ficinus, Simplicius, aliiq; celebratissimi homines, qui Platonis contra philosophũ tutelam susceperunt: sic etiam quantum ad præsentẽ disputationem pertinet, de ipso Auicenna dicendum est: sed hæc in præsentiarum de vtraq; synocho dixisse sit satis, nunc de reliquis eadem methodo agamus.

De febribus continuis primariis quæ circuitus habent, quæ harum causa, quæ differentia, & quæ signa?

CAP. XX.

Nos itaq; hactenus prosecuti videmur omnes primarias febres, quæ circuitibus carent, & in quibus vna sola accessio videtur à principio ad finem vsque: hasque non solum primo ordine, atque simpliciter primarias nuncupauimus, sed etiam communi, atque veteri vocabulo synochos appellauimus. Nunc vero quoniam citra illas, quædam etiam continuæ sunt febres, quæ statutis quibusdam temporibus, ordinatisque circuitibus inuadunt: de his, ne quid huic nostræ lucubrationi desideretur, iam iam, sic desumpto nostræ orationis principio tractemus.

Primum

Primum autem omnium illud animaduertere oportet, quod nos alio in opere patefecimus, in venis nihil contineri præter sanguinem, eumq́; solum humani corporis partes nutrire, nullumque in venis humorem syncerum contineri: Atque illam substantiam sanguinis non vniformem esse; sed variis partibus præditam: quarum temperatior, vere sanguis est, ac dicitur: tenuior, atq; calidior flaua bilis: crudior, pituita, crassior, & quæ veluti fæx residet, melancholia.

His vero, quæ citra omnem controuersiam verissima sunt, addamus, continuarum omnium febrium proximam causam esse, quod aut ipsa putredo, aut saltem vapores putridi cordi continuo molestiam inferunt: hæc supra sunt clarissime exposita: duplici autem ex causa cordi hæc continua alteratio inferri solet: vno quidem modo, cum continenter, & æquali impetu nulloq; stato excandescentiæ ordine, inuadunt: quod in synochis accidit: alio autem, cum vapores intenduntur, & remittuntur, & quamuis continuo affligant, remissiones tamen, manifestasque declinationes habent in eo, quod magis, ac minus satis conspicuas: Si cor ipsum primo modo, pati contigerit, febris fit synocha: si secundo modo, febres fiunt continuæ circuitus habentes: & quia illius febris proxima materia in venis maioribus, quæ præcipue sunt inter alas & inguina consistit, aut certe in illis locis putruerunt humores, in quibus arteriæ magnæ, & venæ sunt, necessarium est huius materiam in venis paruis, atq; minoribus cötineri, à quibus elati vapores, propter eam, quam habent, cum corde distantiam, nö possunt cordi parem inferre molestiam, qualem potissimum inferunt magnarum venarum affectus; sed nunc magis, nunc minus, prout putredo, aut intenditur, aut remittitur. Loco igitur & fomite inter se dissident. Differunt etiam subiecta materia.

Nam in synochis omnes humores putrescunt: idem enim est dictum, quod sanguis aut certe solus biliosus sanguis: in his vero vna quædam sanguinis portio putrescit, aut biliosa, aut melancholica, aut pituitosa, atq; ab his tribus partibus secundum veterem omnium Medicorum consuetudinem, cötinuarum febrium differentiæ desumptæ sunt.

Sanguine enim tenuiori putrescente, tertiana fit febris: Pituita quotidiana: Melancholico autem sanguine, quartana continua.

Dicendorũ propositio. Sed anteaquam nos ad particulares hasce differentias accedamus, nonnulla prius explicabimus, quæ maximam lucem iis afferent, quæ nos postea dicturi sumus.

Primum. Primum, propter quam causam continuæ febres ad infebricitationem non perueniant, Græci ἀπυρεξίαν nuncupant.

Secundum. Secundum, propter quas causas humores in venis putrescant, à quibus continuæ febres concitantur.

Tertium. Tertium, quid intelligamus per febres, quæ per circuitus adueniunt, & quæ circuituum causæ sint.

Quartum. Postremũ vero, an semper in venis minoribus febres continuas faciant cum circuitibus humores putridi, an autem aliquando concitari possint synochæ febres omnibus scilicet humoribus, qui in illis continentur, æquabiliter putrefactis: Hæc enim maximæ videtur mihi difficultates circa propositum negotium, quas profecto nisi nos diligenter prius absolueremus, recte intelligi, quinimo nec recte declarari, quæ nos infra dicemus, nö valebunt.

Quamobrem continuæ febres ad infebricitationem non perueniunt duabus de caussis.

Cur febres continuæ ad febricitationem non veniant. Prima causa. Cap. 6. Prima, quia humores, à quibus continuę febres concitantur, nö expurgantur: sed in venis cötinentur, donec vero putrefactio in illis consistit, calor febrilis perdurat: hanc rem Galenus hisce verbis expressit in *lib. 2. de crisibus, & palam est, quod neq; rigor in ea accessionei antecedet, neq; sequetur sudor, sicut & in*

febre

febre ardente sit horum uentrum, neq; statim ab initio, neque deinceps, vsque ad crisin fieri possibile est, At in febribus intermittentibus singulis, quibuscunque accessionibus humores, aut per sudorem, aut vomitum, aut secessum expurgantur.

Secunda causa. Altera causa est, quod cum humores ipsi inuicem adhæreant ac continui sint, suoque contactu vicinos ad putredinem trahant, quando in venis continentur, priusquam desinat vna accessio, alterã incipere oportet: quod sane in ipsis intermittentibus febribus non contingit, in quibus humores per sensibiles corporis partes delati, ceu qui continui cum aliis amplius non sunt continuam febrem facere non possunt: de qua re nos sequenti libro latius disputabimus. Sed iam doceamus, propter quam causam humores in venis putrescant; quo exposito similiter patebit causa, propter quam aliquando extra vasa corrumpantur.

Lib. 12. cap. 1. Opinio Alex. Trall. Alexander Trallianus insignis profecto Medicus, putat idcirco in venis humores putrescere, atq; in illis contineri, cum propter multitudinem crassitiemq; impacti foras effluere non possunt sic enim cõtinuas fieri febres: intermittentes vero loci ratione à continuis non differre, cum in his etiam humores in venis contineantur: in eo tamen differre, quod intermittentes febres tenuiorem, & vt in extimam cutem efferatur, magis idoneam materiã habere putauerunt, quam rem Aetius confirmasse videtur his verbis; *Causa vero, cur non excidant humores extra vasa in febribus continuis, est aut multitudo, aut crassities, aut viscositas ipsorum.* *Lib. 5. c. 19.* *Opinio Aetii.* Ex his colligere est humores in venis putrescere, febremque continuam facere, propter ipsorum multitudinem, crassitiem, & visciditatem: contra vero intermittentes febres oriri propter eorundem tenuitatem, ac paucitatem.

Impugnatio. Verum hæc opinio mihi nõ satisfacit: nam sequeretur raras admodum esse febres continuas à putrescente flaua bile progenitas: Frequentissimas vero à pituita, & melancholia; cuius profecto contrarium indies experimur. Deinde rarissimas esse intermittentes ex pituita, & melancholia, à quibus tamen fiunt frequentissimæ, vt experientia indies nos certiores reddidit.

Quid vero de loco putrefactionis intermittentium febrium dicendum sit, sequenti libro explicabitur.

Opinio propria ex Galeno. Nos igitur dicamus hasce causas veras esse non tamen sufficientes, quãdoquidem aliæ etiam sunt, à quibus humores in venis putrescentes febres continuas faciant, atq; eisdem etiam rationibus intermittentes: quæ vero sint hæ causæ, Galenus hisce verbis doctissime expressit; *Gal. lib. 2. de feb. diff. cap. 4.* *Semper enim suis naturæ viribus vtens, quicquid optimum fieri contigerit, his, quæ aluntur partibus assimilare, quicquid vero alienum, conatur expellere: quod si aliquando ob crassitudinem, aut multitudinem, aut tenacitatem materiæ inutilis, aut aliquam meatuum obstructionem, aut propter sui imbecillitatem, totum, quod est vitiatum nequeat expellere necesse est, vt si id diutius in animalis corpore perdurauerit corrumpatur: neque enim fieri potest, vt quispiam ex humoribus talis permaneat, qualis erat ab initio ne dũ, qui ita est deprauatus, vt naturæ cultus sit expers: sed alterum omnino sequitur, vt scilicet concoquatur, atq; assimiletur solidis partibus animalis, aut corrumpatur, & putrescant.* Hæc Galenus. *Explicatio sim Gal.* Ex quibus colligere est, humores hisce quinque ex caussis putrefieri, febresq; facere: ex multitudide, crassitie, visciditate, obstructione & imbecillitate facultatis expultricis. Ponamus igitur, in venis ipsis humores vitiatos adesse, aliqua ex hisce caussis, atq; vasorum expultricem facultatem imbecillam esse, vt scilicet non possit, quod in illis vitiatum est, expellere, necessarium est eos putrefieri, intus contineri, ac febrem continuam facere.

Conclusio contra communem opinionem. Hic velim obiter adnotare, falsam esse communem omnium Medicorum sententiam, qui in omnibus febribus putridis vnam obstructionem necessariam esse admiserunt, putaruntq;, fieri non posse putredinem, nisi ob-

structione interueniente: hic enim vides Galenum voluisse non vnica causa humores computrescere; sed quinque causas longe inter sese distinctas attulisse. Omnes enim humores, qui euinci à natura non possunt, nutrireque humanum corpus, putrescunt, si extra vasa non expellantur.

Propter quam vero causam facultas expultrix eos extra venas non expellat, dicendum est, vel propter illorum multitudinem, vel crassitiem, vel visciditatem, vel obstructionem, vel propter imbecillitatem expultricis facultatis in propria substantia.

Altera conclusio citra modertos.

Alterum etiam colligito, tametsi inauditum nostratibus Medicis, vetissimum illud quidem, quod humores possint aliquando putrefieri nullo in illis vitio existente. Pone enim facultates naturales venarum imbecillas esse, atque propterea humores non posse concoqui, apponi, neque assimilari solidis animalis corporis partibus, cum tamen omni prorsus vitio careant, necessarium est (inquit Galenus) vt corrumpantur, ac putrefiant: *Neque enim fieri potest, vt aliquis, quispiam ex humoribus talis permaneat, qualis erat ab initio, nedum qui ita deprauatur, vt naturæ cultus sit expers; sed alterum omnino sequitur, vt scilicet concoquatur, apponatur & assimiletur solidis partibus animalis, aut corrumpatur, ac putrefiat.* Sed vt in vnum colligamus, quæ hac de re dicta sunt; febres continuæ fiunt, cum humores in venis putrefacti extra vasa expelli non possunt.

Confirmatio ex Galeno.
Lib. 2. de diff. feb. c. 5.
Epilogus.

Cæterum non expelluntur, aut quia natura propter sui imbecillitatem non possit: aut propter multitudinem, aut crassitiem, aut visciditatem, aut obstructionem.

Quod si hæ causæ non adsint, in venisque humores contenti extra pellantur, febres intermittentes fiunt, de quibus infra dicemus.

Sexta causa ...

Altera etiam caussa generari possunt febres continuæ, attractis scilicet in ipsis vasis serosis, acribus, atque biliosis humoribus à carnoso corporis habitu, de qua Galenus *libro 4. de ratione victus acut.* sic loquitur: *Verum si venæ totius corporis supra modum exsiccatæ calidas carnosis è partibus humiditates traxerint, in toto corpore fiet, quæ causum referet, affectio.* Et Hippocrates *primo contextu: Causus id est, febris ardens fit, cum venulæ tempore æstiuo exsiccatæ acres, & biliosas, quæ tenues sunt, trahunt ad se humiditates, quas ἰχῶρας vocant.*

Com. 1.
Hip. tex. 1.

Confirmat. opinionis nostræ, & prima conclusionis contra recentiores.

Ex his colligito nostræ opinionis confirmationem, quod ad putredinē non sit semper necessaria obstructio; quandoquidem videmus in hac febris continuæ generatione, quam causum vocat, humores in venis putrescere nulla tamen obstructione præuia: sed satis hæc de causa, qua contingat continuas febres fieri. Nunc de febribus per circuitum inuadentibus agamus, de quibus hic particulariter tractatio instituta est.

Circuitus quid.
Sect. 1. aphorism. 12.

Morborum quidem circuitus est similis accessionis ad idem reditus, vt Galenus in aphorismis testatur: Febres autem per circuitum afficientes, sunt, quæ statis quibusdam temporibus ad eandem, similemque accessionem videntur redire.

Disputatio de circuituum causis.

Cæterum disputatio de horum causis plena est dissensionum, & controuersiarum, in qua alius aliam rem dicit, & adhuc propter negotii obscuritatem sub iudice lis est.

Ego hic, quoniam libro sequenti multa hac de re subtiliter differemus, ostendemusque quid bene, & quid non bene à neotericis atque antiquioribus dictum fuerit, solum Galeni sententiam afferam, quam (vt diximus) postea diligentius perpendemus.

Galeni opinio refertur.

Non solum in febribus, sed in omnibus morbis, qui per quosdam circuitus inuadunt, tribus ex causis contingit per ipsos circuitus accessiones fieri, quarum prima est, cum partes robustiores ad imbecilliores excrementa transmittunt.

Secunda, cum ipsæ eadem partes aliis haudquaquam transmittentibus sibi ipsis præter naturam excrementa trahant, dolore, aut calore affectæ.

Altera

Altera, & tertia, cum eędem partes sibi ipsis excrementa generent, quę autem ob earum imbecillitatem, vel earum obstructionem nequeant expellere. His igitur tribus de causis febres ipsæ, quæ plures accessiones habent excitari solent.

Namque vel à maioribus, & robustioribus cordique propinquioribus vasis redundantes humores detruduntur ad imbecilla, ac minora, seu etiam à corporis habitu ad eadem effluunt, vbi imbecilliora fuerint, & carnes validiores. *Primus modus.*

Aut eadem parua vasa à corde dissita calore immodico, aut dolore affecta, nedum ex iam dictis vasis maioribus, sed ex reliquis etiam corporis partibus eosdem humores præter naturam attrahunt. *Secundus modus.*

Vel in eisdemmet geniti eos nequeuntia detrudere propter imbecillitatem, aut meatuum obstructionem in eisdem quoque detenti, ac putrefacti febrem generant: in qua per circuitus accessiones fiunt. *Tertius modus.*

Hanc rem Galenus hisce verbis confirmat: *Quęcunq; per circuitus aliquos ægritudinum accessiones fiunt, ex membrorum dispositionibus ortum habent; quæ scilicet membra, vel mittunt, vel suscipiunt, vel generant, vel attrahunt superfluitates, eo quo nuper diximus modo, sed quæ circuitum non habent, in his nulla est corporis pars, quæ præcipue sit offensa: Sed qui in venis, & arteriis omnibus continentur humores, atque hi præsertim, qui in maximis, atque plurimo calore abundantibus sunt, aut ob aliam quampiam causam, quemadmodum in ephemeris, aut ob putrefactionem feruentes febrem accendunt synocham appellatam, quæ à principio vsque ad finem nullam habet intermissionem ac tandiu perseuerat, hominemq; deurit, donec, qui ei causam afferunt humores, aut ex toto absumantur, aut coquantur, aut vtrumq; patiantur.* Hæc Galenus. *Confirmatio ex Gal.* *Gal. lib. 2. de differ. febr. cap. vlt.*

Erat autem postrema dubitatio, an in minoribus venis possit sanguis putrescere: & si putrescit, quam febrem faciat. *Ad quartam dubitationem.*

Et mihi quidem, vt ingenue secundum meam consuetudinem dicam, quid sentiam: hæc difficultas vna videtur ex maximis, quæ cõtingere potuerunt circa propositum negotium, quam tamen plurimum admiror, neminem, aut antiquorum, aut recentiorum scriptorum explicasse: quamobrem mirum non sit, si ego primus hanc rem ea diligentia non exposuerim: dilucidauerimque, vt forte fuisset necessarium; dicam nihilominus, cum Augustino Suessano cum protestatione aliter dicendi, si aliter alibi occurrerit. *Responsio.* *Excusatio.*

Sanguis itaque in venis ipsis putrefieri potest tam maximis, quam paruis.

Quod in illis aliquando putrescat, satis dictum est à nobis in disputatione de febre sanguinea. *Sanguinem in paruis venis posse putrescere.*

Quod autem in his corrumpi possit, rem clarissime ostendit hæc ratio.

Sanguis, qui naturæ thesaurus est, in venis maioribus, in quibus maxima vis residet naturalis caloris, putrescit, multo certo magis in paruis venis putrescere poterit, in quibus non viget tantum facultatis naturalis robur: quantum in illis, quæ sunt prope cor. *Responsio.*

His addito, quod ab eisdem rationibus, quibus nos supra conficiebamus, in maioribus venis sanguinem putrefieri posse: ab eisdem profecto persuadere possumus etiam in minoribus corrumpi.

Confirmatur ex Galeno in *libro 2. de febr. diff.* ac *nono meth. medendi*, qui de synocho putrida agens, in omnibus venis, aut maioribus putrefactum esse sanguinem tradit, ergo, si in omnibus, in paruis etiam venis putrescet: quid igitur erit impedimento quin in paruis solis possit aliquando putrescere? *Lib. 2. de diff. febr.*

Quamobrem ponamus, quod, quemadmodum humores alii à sanguine seorsum in paruis venis putrescere possit, sic etiam sanguinem ipsum suscipere eandem labem posse. *Conclusio.*

Dubitatio. Dubitationem habet hoc loco non contemnendam, quodnam genus febris suscitabitur?

Qua sit febris. Primum videtur eam synochum febrem non esse: primum quia oporteret maximam esse, atque deurentem caliditatem; & quæ vno eodemq; tenore cordi continentem molestiam afferret. Quam rem facere non potest putredo in paruis venis, & longe à corde dissitis: non enim propter distantiam possunt facere ea symptomata, quæ propria sunt synocharum.

Ex altera parte non potest esse febris alterius generis: quia nō vnus particularis humor putrefactus est, sed tota sanguinis massa, quid igitur dicēdū?

Responsio. *Non esse synochum.* Ego probabiliter sic respondeo. Synochum non fieri, primo quia in synochis nulla est corporis pars, quæ sit affecta: sed omnes æqualiter patiuntur; in casu tamen proposito determinata quædam pars afficitur.

Secundo synochus fit putrefactis humoribus in venis prope cor existentibus, quæ magnæ sint: hæc febris fit in venis paruis putrefacto sanguine, & longe à corde distantibus, confirmariq; potest iis rationibus, quas supra de symptomatis attulimus.

Esse pestilentem. Sed putamus febrem fieri aut pestilentem, aut biliosam: illam quidem contingere, si simul cum sanguinis putredine mala quædam qualitas ab aere putrido contracta fuerit immixta; quam Hippocrates morbidam excretionem nuncupat.

Esse biliosam. Biliosam vero fieri, quoniam si citta hanc excretionem fuerit, putridus sanguis in loco angusto conclusus, & putrefactus, breuissimo temporis interuallo in bilem flauam transmutabitur; febrisq; tertiana fiet: & circuitus erunt similiter tertianarii: nam talem, qualem nos supponimus, febrem per circuitum fieri oportet affectis particularibus venis, atq; sede determinata. & hæc satis de propositis dubitationibus.

Epilogus. Signa. Hactenus exposuimus causas, ac differentias communes, earum febrium quæ per circuitus inuadunt; nunc reliquum est, vt signa explicemus, à quibus ego me breuissime expediam, quandoquidem particularia differentiarū signa infra explicabuntur. Naturalia vero signa sub vno fonte comprehenduntur: nempe sub genere circuitus, vel tertiani, vel quartani, vel quotidiani: sed hic finem dicendi facio, quoniam hæc ex iis, quæ infra dicemus, manifestissimam fidem habebunt.

Quid continua tertiana, quæ eius causa, quæ signa: quod ab ardente febre differat tertiana continua: quodq; ab vtraq; differat leipyria.

Cap. XXI.



IAM vero particularius doceamus, qualis sit earum febrium natura, quæ per circuitus inuadunt: & quamuis eæ tres sint, tertiana, quotidiana, & quartana; à tertiana initium sumentes primū docebimus quid ea sit, quæ illius causæ, quæ signa; demū vero ostendemus à causone, hoc est, ab ardēte febre diuersas esse tertianas, & ab vtrisq; diuersas esse febres leipyrias.

Definitio. *Itaq; tertiana continua febris est à putrefactione biliosi sanguinis proficiscens, qui in venis minoribus, longeq; à corde dissitis continetur.*

Explicatio definitionis. Qua ratione à bilioso sanguine fit, ea sane cum synocho biliosa conuenit: quæ vero in paruis venis putrefactio consistit, ea sane ab illis differt: atq; ex hoc fonte accidit, hasce febres per circuitum obrepere; quandoquidem, *Libr. 2. de febr. diff. cap. viii.* vt recte Galenus admonebat, eæ febres, quæ vnica quapiam accessione à principio ad finem vsque contineri videntur, eæ putrefactos humores habent in omnibus venis, aut in maximis, ac principalioribus, nullaq; est determinata corporis pars, quæ magis afficiatur: at vero, quæ per circuitus obrepunt, habent illæ quidem, vnam particulam quæ magis altera affecta sit.

Causas

Causas habet easdẽ, nam vt iam diximus, putrefactus est biliosus sanguis. *Caus.*

Propter quam vero causam, is putredinem subierit, nihil est, quod hoc loco afferam, ne scilicet, quod est in prouerbio, actum agere videar: ex iis enim, quæ supra de aliis febribus diximus, hæc satis clarissime apparent.

Cæterum hoc modo internoscitur.

Apparet in tertiana continua, quamuis nunquam ad infebricitationem perueniat, manifesta remissio, sensusque exacerbationis; nullo frigore, aut rigore prehendens, nulloque insequente sudore mitescens: Cæteræ vero, quæ in causo notæ, at leuiores apparent. Siquidem ardens febris hisce signis se prodit. *Signa.*

In primis conspicuæ sunt communes putredinis notæ, perpetuus & constans est ardor, isque fere æquabilis, nec manifeste tertiano motu excandescens: vehemens est præcordiorum æstus; spiratio difficilis, ac pene suffocans; iactatio inquietudoque indefessa; vigiliæ, deliriumque frequens, sitis inexhausta; lingua nigricans, sicca, scabra, fereq; amara. *Causi notæ & symptomata.*

Ex his colligere est, quantum inuicem differant tertianæ continuæ, ab ardentibus, & quantum conueniant. *Conuenientia.*

In his enim videntur conuenire: Primum, quia vtraque est continua: secundo, quia ab eodem humore, nempe bilioso sanguine, vtraque fit.

Differunt autem in locum putrefactionis: quoniam ardens in omnibus venis, ac arteriis, aut certe in maioribus, maximeque principalibus putredinem continet: tertiana vero in paruis venis, & longius à corde dissitis. Illa à principio ad finem vsque vna quæpiam accessio videtur exacerbatione, periodoque, saltem manifesto carens. *Differentia.*

Hæc vero tertio quoque die exacerbatur: illa sitim inexhaustam profert, atque siccam, nigricantemque linguam efficit, quæ duo propria sunt, & pathognonomica signa causi, vt Galenus testatur: in continua tamen tertiana hæc necessario non adueniunt: nam aliquando sine his symptomatis conspicitur: aliquando vero multo leuiora sunt, quam in ardente febre. *Lib. 4. de rat. vict. in ac. c. 6. & 7.*

Nunc vero doceamus, quid sit febris leipyria, quæ certe maximam affinitatem cum hisce febribus, causo videlicet, atque continua tertiana habere videtur.

Est itaque febris leipyria quædam febris ardentissima, in qua propter putredinem biliosi sanguinis, ardorem, maximamque malignitatem partes interiores aduri videntur, extremis omnibus partibus refrigeratis; Hæc quidem omnium ardentium febrium est deterrima, magisq; maligna. *Febris leipyria.*

Propter quam vero causam accidat interiores partes aduri, exterioribus refrigeratis, haud facile est inuenire. *Causa.*

Ego tamen puto maximam illam caliditatem, quæ in partibus internis comprehenditur, attrahere caliditatem innatam externarum partium: perinde atq; cucurbitula attrahit. Hanc sane verissimam causam arbitror.

Verum an fiat leipyria ab aliis humoribus, quam à bilioso sanguine; videtur ambiguum, quandoquidem Auicennas ex pituita fieri tradat. *Dubitationis solutio.*

Ego vero quidquid hic maximus auctor dixerit, puto rarissime quidem à pituitosis humoribus fieri; vt plurimum vero à calidis, atque ab inflammatione internarum partium concitari; quemadmodum à Galeno non semel dictum est, qui sane aliam caussam non cognouit ab ea, quam nos retulimus.

Ex his autem patet, quo nam ab ardente febre differat: quam rem hic pluribus minime prosequimur: quoniam in nostris epistolis medicinalibus rem distinctæ prosecutus videor; plurimaque huic proposito pertinentia attulisse.

De continuis phlegmaticis, & quartanis.

CAP. XXII.

QVÆ ex febribus continuis, quas primarias nuncupauimus, superesse videntur, quartana scilicet, & quotidiana continua de quibus hoc loco breuiter dicendum: nam, quęcunq; hic pro exacta harum febrium natura desiderari posse videntur, ea sequēti libro agente de febribus intermittentibus, explicabuntur.

Febris quartana continua quid. *Est igitur quartana continua febris ex sanguine melancholico, eoq; putrescente in venis minoribus progenita, quæ quarto quoq; die nouas accessiones edit.*

Diximus *ex sanguine melancholico* factas fuisse: quandoquidem omnes febres continuæ, quæ primariæ sunt, ab vno sanguine originem habent; non tamen ab vna eius determinata portiuncula omnes, ardentes enim à biliosi; quartanæ à crassiori; & quotidianæ à crudiori sanguine, synochi vero ab omnibus humoribus simul permistis fiunt: vt supra diximus.

Signa. Cæterum his potissimum signis deprehenditur: quod accessiones quarto quoque die inualescunt: quod vrinæ sunt crassiores; quod calor mordacior, & acrior intermittentium: quod nullo sudore terminatur, quodque pulsus non repræsentat eam celeritatem: & frequentiam, & inæqualitatem, quam in aliis febribus ostendit. His addere est ea indicia, quæ naturalem totius corporis temperiem ostendunt, quęque sanguinis conditiones significāt. Poterunt que ex anteacta viuendi ratione, quam hactenus obseruauit, & ex pręcedentibus morbis coniecturari.

Continua quotidiana. *Quotidiana vero continua est febris à pituitoso sanguine putrefacto in paruis venis originem habens, quæ singulo quoq; die inuadit, hominemq; afficit.*

Signa. Signa quidem febris huius ab eodem fonte peti debent, à quo supradicta, & hæc sane multo manifestiora fient, si quis ea attentius perlegerit, quæ nos conscribemus sequenti libro.

Hoc autem hic ego prætermittere non possum, quod quartanę & quotidianæ continuæ sint febres rarissimæ; quæ vix à me ipso non nisi semel obseruatæ sunt: & Ludouicus Augenius charissimus & Clarissimus meus pater, qui artem Medicam annis totis quinquaginta quinque exercuit, bis solū aut ter animaduertit.

De continuis febribus symptomaticis.

CAP. XXIII.

HACTENVS videor omnia diligenter exposuisse, quæ ad febres primarias pertinebant, nunc reliquum est, vt de accidentalibus, & symptomaticis transigamus.

Quid symptomatica febris. Nuncupamus symptomaticas febres illas quidem, quæ alterius cuiuspiam morbi occasione hominem inuadunt: & non per se primo que afficiunt: has merito recentiores Medici febres accidentes nuncupare consueuerunt: de qua appellatione *lib. 5. nostra huius tractationis* abunde diximus. Quamobrem ad propositum reuersi, scire oportet, omnes symptomaticas febres continuas esse, nec aliquam reperiri posse, quæ ex continuarum numero non sit. Sunt autem accidentalium febrium, quatuor summa genera (hoc loco parum moror, an genera, an autem differentias dixeris) quarum vnum illud est commune, atque vulgatissimum, quod ipsarum partium inflammationem, vel erysipelas insequuntur.

Quot sympt. febrium genera.

Primum genus. Si pars inflammata longe ab ipso corde dissita fuerit, febris fit ephemera communicato calore simplici per continuationē partium ipsi cordi: qualem diximus aliquando contingere ex inguinum bubone.

Causa. Verum si ea fuerit ex principalium numero; vel ex iis, quæ cum corde maximam communicationem habent, febres putridę fiunt transmissa cordi putredine, vel tetro, putridoq; vapore: at non solum putridæ fiunt hæ febres,

sed o-

sed omnes, vt dixi, cõtinuæ, & acutæ. Sic ab angina, à phrenitide, à peripneumonia, phtisi, pleuritide, hepatide, splenetide, & nephritide febris fit phlegmonodes: & ab erysipelate typhodes; eo quæq; grauior, quo cordi proximior, nobiliorue pars fuerit.

Nonnunquam vero accidit, quod inflammatio, à qua febris proficiscitur, in morborum principiis lateat; symptomatica tamen, & accidẽtalis illa febris conspicua est, hisq; notis facilime deprehenditur; à primariaq; febre distinguitur. Symptomatica febris nullis ordinatis periodis exacuitur, sed omnis habet inordinatas accessiones: qua ratione à synochis dicitur: quæ ẽt à principio ad finem vsq; accessione carẽt: ab aliis primariis, quod accessiones ordine carent. Vrinæ nullum habent putredinis indicium, nisi ex affecta sede putredo forsan obrepat in venas: apparebit præterea pars, quæ inflammationem patitur; si non statim in ipso inquam principio, procedente tñ tempore: rarissime quidẽ die septimo, vndecimo, quartodecimo, aliisue iudicatoriis diebus iudicatur, & mutatio oẽ facit: quod sane in primariis continuis minime aduenit. Hoc modo habet primum genus symptomaticæ febris. *Signa.*

Alterum genus eam continet febrem, quam recẽtiores lentam simpliciter vocant: hæc sane non consistit ex alicuius visceris, partisue inflãmatione: sed ex obstructione, & putredine in parte quapiam adeo vehemẽter, atq; tenaciter impressa, vt etiam plerunq; partis affectæ substantiam labefactet. *Alterum genus.*

In hac febre aliquando contingit nonnihil putredinis foras in venas erumpere, & cum ipso sanguine permisceri. *Causa.*

Cognoscitur autem hisce notis. Omnium putridarum febrium mitissima est; æger nullo graui symptomate premitur: sæpe nec se ægrotare putat.

Putredinis autem notæ interdum elucent in vrinis; pulsus est frequens, celer, & inæqualis, non tamen magnus, ac vehemens, vires imbecillæ, & languidæ collabuntur, vt ne progredi quidem æger possit: Corporis moles, etiamsi alimentum sumitur, sensim liquescit. Diuturna etiam hæc febris est, quæ reliquarum continuarum terminos prætergreditur, nec vigesimo, nec interdum quadragesimo soluta. *Signa.*

Huius cum suspicio est, fomes quærendus est, omnesq; corporis partes, sensu animoq; lustrandæ sunt, dum signis conspicuum sit, in qua is parte consistat. Sæpe enim in ventriculo aut in iecore, interdum in liene, aut mesenterio, nonnunquam in pulmonibus, cuiuspiam humoris seminala putredo cumulata hãc excitat. Sedulo igitur obseruanda sunt hypochondria, num in his tumoris cuiusdã sensus insit: sæpe etiam vel in cacheria, vel in fœdis virginum coloribus serosæ pituitæ in corpus effusæ leuis putredo illam protulit. *Obseruatio.*

Altera est lenta febris longe periculosior iam dicta, quæ non solum ex impacti humoris, verum ẽt ex visceris, cui insedit, corruptione, putredineq; emergit. Iecoris, pulmonis, cerebri, ac lienis, interdũ etiam renũ, distantiorumq; partium corruptela, simplexque putredo, tametsi nullo putri humore comitatur, quoniam tñ expiratione graui cor assiduo lacessit, continuam febrem non aliter q̃ putridus humor suscitat, eamq; symptomaticam, ac omnino lentam. Hanc pleriq; rerum affinitate ducti, hecticam dixerunt. *Tertium genus.* *Causa.*

Iisdem notis se prodit, atq; nunc exposita. *Signa.*

Internoscitur autem, quod seorsim editur, multoque tempore procedit: aliis fere morbis succedit: nihil vel minimum, vacuatione mitescit, nullis cedit remediis, sed iis sæpe exasperatur, vires plurimum offendit, ac debilitat, leuique occasione syncopen accersit: sensim ac plerunque sine sensu hominem extenuat, & marcorem conficit.

Hoc genus est febris, quæ phrisin comitatur: hectica quippe non est, sed putrida ex putrescente pulmonum substantia.

Nec enim necesse putridam omnem in humore constitui. *Obseruatio.*

Quartum est præterea symptomaticarũ febrium genus: cum videlicet

 humo-

humores extra venas putrefcunt: fed quid inquies, humorum putredo extra vafa continuam faciet? Sic ego inquam, non per fe tamen, fed ex accidenti hac ratione, quam nunc explicabo.

Si extra venas humoris putridi magna quantitas contineatur, hic fane poteft vapores cordi continuo tranfmittere, febremque continuam facere: eft enim hæc continuarum febrium caufa, quod aut ipfa putredo, aut faltem vapores putridi continuam cordi moleftiam afferant: quid igitur eft impedimento, fi extra vafa magna fit putredinis copia, quin hæc continuos vapores cordi afferat.

In hoc quidem genus funt reponendæ omnes intermittentes febres, 19
quæ ad infebricitationem non perueniunt; quales profectò funt frequentiffimæ, & cõtinuæ per fubinerrantiam à recentioribus appellantur. Nam quatenus cum typo inuadunt, fub intermittente collocari videntur: quatenus vero ad infebricitationem non perueniunt, inter continuas: quamobrem mediam quandam naturam fapiunt. His ego videor omnia explicaffe, quæ ad febres continuas pertinent.

Eorum quæ hoc libro dicta funt fumma per Tabulas iftas methodo diuifina digefta.

Tabula prima, de qua Capite quarto.

Definitio.

Febris putrida eft, qua vapores putridi; aut putrid° aer cordi moleftiã infert: Eftq; vel
- *Peftilens: quæ fit ab aere inquinato & putrido, de qua infra.*
- *Putrida fimpliciter, quæ iterũ duplex; aut fcil.*
  - *Intermittens, de qua lib. fequenti.*
  - *Continua, eaq; vel*
    - *Primaria.*
    - *Sympomatica.*

Tabula fecunda.

Primaria febris continua, eft vel
- *Talis per fe primo: quo in genere eft fynochus qui eft vel*
  - *Sanguinea, eaq; aut*
    - *vniuerfalis*
      - *increfcens.*
      - *decrefcens.*
      - *eodem tenore permanens.*
    - *particularis*
      - *increfcens.*
      - *decrefcens.*
      - *eodem tenore permanens.*
  - *Biliofa: dicitur caufon.*
    - *increfcens.*
    - *decrefcens.*
    - *in eodem tenore permanens.*
- *Talis per fe fecundo, eftque vel.*
  - *Tertiana continua vel*
    - *notha.*
    - *exquifita.*
  - *Quartana continua vel*
    - *notha.*
    - *exquifita.*
  - *Quotidiana continua vel*
    - *fpuria.*
    - *exquifita.*

Tabula tertia.

Symptomatica continua febris oritur vel ex

- *Inflammatione ut ab*
  - *Angina.*
  - *Hepatide.*
  - *Phthisi.*
  - *Peripneumonia.*
  - *Splenetide.*
  - *Phrenitide.*
  - *Nephritide, ac aliis.*
  - → *Febris continua phlegmonodes.*
- *Erysipelate earundem partium, quæ cum corde proximitatem habeant, vel sint ex nobilium partium numero, fiuntque febres à Græcis typhodes dictæ.*
- *Obstructione viscerum, ut*
  - *Hepatis.*
  - *Ventriculi.*
  - *Pulmonum.*
  - *Mesenterii.*
  - *Lienis.*
  - *Renum, ac aliarum partium.*
  - → *Oritur febris lenta continua.*
- *Putredine viscerum.*
  - *Cerebri.*
  - *Hepatis.*
  - *Pulmonum,*
  - *Renum aliarũq; partium:*
  - → *Continua lenta periculosissima fit febris.*
- *Putredine humorum extra venas.*
  - *Intermittentes per se febres continuæ per subintrantiã & ex accidente.*

FINIS LIBRI QVARTI.

LIBER

LIBER QVINTVS.

DE FEBRIBVS PVTRIDIS INTERMITTENTIBVS ET COMPOSITIS.

Quid sit febris intermittens?

CAPVT I.

HACTENVS quidem omnia videmur profecuti, Ludouice pater chariſſime, quæ ad vniuerſalem putridarum febrium naturam; & ad ipſas continuas febres pertinebant: nunc reliquum eſt, vt de intermittentibus febribus diſſeramus, & compoſitis: quandoquidem hæ ſolæ inter omnes reſtant putridas febres: quibus pro dignitate negotii declaratis de peſtilentibus febribus diſputabimus omnium putridarum pernicioſiſſimis.

Verum quoniam omnis tractatio à definitione exorditur, vt intelligatur, quid ſit id, de quo diſputatur; nos primum intermittentem febrem definiemus; poſtraque definitione, ac ſingulis partibus pro noſtra conſuetudine declaratis, nihil amplius in propoſito negotio dubitationem faciet.

Itaq; primo loco illud animaduertere oportet, veteres Medicos vario modo vti nomine intermittentis febris, vt ſuperiori libro adnotauimus.

Nam vocant quandoq; intermittentem febrem, quæ vnam acceſſionem non habet à principio ad finem vſque: qua ſignificatione videntur, omnes putridas febres intermittentes nuncupare, exceptis tamen ſolis ſynochis; quas ex ſanguinis efferueſcentia fieri ſupra diximus.

Sed alia eſt, atque meo iudicio proprior ſignificatio, vt hac voce non omnes putridas febres notemus; ſed illas putridas, quæ habent aliquod tempus acceſſione vacuum. Nam intermittere idem eſt, quod deſinere; quoties igitur cunque acceſſio febrilis aliquando deſinit, & tempus aliquod inueni-tur ipſis acceſſionibus liberum, quo dicere poſſimus hominem non febricitate; tunc ſane dicemus febrem adeſſe intermittentem.

Febris intermittens quid secundum Gal.

Hanc febrem videtur Galenus hiſce verbis definiuiſſe: *intermittens febris eſt, quæ ad febris vacuitatem, &c. vt ſic dicam, infebricitationem peruenit: Græci ἀπυρεξίαν vocant.* Et recte quidem ſic definit, quoniam ſi continuæ, & intermittentes opponuntur tanquam contraria: neceſſarium eſt eſſe ſingularũ definitiones oppoſitas. Et ſi continuæ ſunt, quæ nunquam ad infebricitationem perueniunt, priuſquam ex toto ſoluantur; erunt intermittentes febres, quæ ad ἀπυρεξίαν peruenient.

Verum quoniam propoſita definitio optime, quid ipſa res ſit, exponere videtur; non tamen propter quas cauſa exiſtat; neq; omnes difficultates perſoluit: Tales enim conditiones habere optimæ definitiones debent, vt alias ex Ariſtotele docuimus; idcirco nos experiamur, an meliorem afferre definitionem poſſimus.

Febris intermittens quid secundum auto.

Febris intermittens eſt, quæ vapores putridi ab humoribus elati extra venas contenti cordi moleſtiam continuam non afferunt. Perfectiſſima videtur mihi propoſita definitio, quandoquidẽ vno & eodem examine, vt inquit luculentiſſimus Themiſtius, docet non ſolum, quid ipſa res ſit, ſed etiam propter quam cauſam ſit: quam rem ne gratis legum latorum conſuetudine dixiſſe videamur; hoc loco diligenter expendemus.

Illud certe præ cæteris omnibus nullam habet difficultatem, quod cõtinens putridarũ febrium cauſa ſit vel ipſa putredo, vel putridi vapores, continuarum vero proxima eſt, quod ii continuam moleſtiam cordi afferunt; intermittentium vero quod interuallis quibuſdã interpoſitis cor laceſſitur.

Atq;

atq; hæc vera est, & contentiua causa, propter quam intermittentes febres ad infebricitationem perueniunt, quia videlicet putridi vapores non continuo cor ipsum afficiunt; nam cum totum corpus idcirco febricitet, quia cor primum febrem patitur, id vero febrem pati non possit, nisi eatenus, quatenus aut putredo, aut vapores à putredine lati cordi febrem committunt: quoniam vero intermittentibus vaporibus, febris in corde intermittit: hæc eadem similiter per vniuersum corpus eo tempore deficiet: ex his igitur patet causa, propter quam fit, simul vero quid ipsa sit: quod ex superiori causa facile deducitur.

Cæterum quia locus, in quo humores continentur, qui putrefacti sunt, maximam partem conferre videntur ad quod quid est: idcirco locum addidimus: eos scilicet contineri extra venas: nam in continuis febribus humores putridi in venis coercentur. Diximus eos extra venas contineri, quoniam nullam apud omnes Medicos difficultatem habuit, quin in hisce febribus humores extra venas contineantur. Omnes enim hoc vno ore confitentur.

Sed quod maximam habet difficultatem, est, quo loco ii putrefacti sint. Nam quidam sunt, qui extra venas putrefactos esse docuerunt: quorum sane adhuc duplex est opinio. Siquidem horum alii in habitu corporis, hoc est, vt illi intelligere videntur, in corporis superficie putrefieri putarunt. Alii vero in primis venis: hoc est, circa ventriculum, omentum, pancreas, hepar, lienem, mesenterium, & intestina putrefactionem consistere tradidere.

Rursus vero alii in venis putrefieri putarunt, pelli tamen extra venas, vt dicemus. Quamobrem cum hæc sit plena dissensionis controuersia: à nobis diligenter expendenda est: ne videamur in negotio tam vtili studiosis defuisse.

Disputatio de loco, in quo humores putrescant in febribus intermittentibus.

CAP. II.

INTER omnes difficultates, quas aliquando Medici proponunt, nulla est magis controuersiæ plena; nullaq; vtilior ea, qua inquiri solet, quo loco putrefacti sint humores in febribus intermittentibus: difficultas quidem maxima est: quoniam viri quidam, quorum ingenium in veritate inuenienda plurimum potest, in proposito negotio minime consentiunt.

Nam Ioannes Argenterius in omnibus hisce febribus putrefactos esse humores in venis tradit: accessionis autem principio extra venas propelli, eaq; facere symptomata, quæ propria sunt intermittentium febrium. *Opinio Argenterii.*

Fernelius vero vir mehercle subtilissimus, & cui plurimum debemus, extra venas consistere putredinem docuit; non tamen circa corporis superficiem; sed in corporis profundo, in ventriculo scilicet, atque ea tota regione, quas primas vias appellarunt. *Fernelii.*

Altimarus autem, qui postremus de febribus conscripsit, hanc Fernelii opinionem chimeram vocat; putatq; humores in habitu corporis perpetuo putrefactos esse: quod est dictū, vt ille videtur asserere, in superficie corporis: & per omnes sentientes corporis partes. Itaq; ex harum opinionum diuersitate colligitur maximam esse difficultatem. *Altimari.*

Porro autem maxime vtilem esse inuentionem veritatis in proposito negotio, possumus hac ratione ostendere: ex loci affecti conditione varia resultat medendi ratio: alia enim conueniunt præsidia, si in venis: alia si extra venas: rursusque alia si in ambitu corporis totius: alia si in primis viis putredo consistat.

Quoniam igitur proposita difficultas, tum per se ipsa maxima est; tum

etiam

etiam admodum vtilis, propter has causas diligenter laborandum, vt veritatem pro nostra consuetudine inueniamus.

Verum quo rectius, & clarius id fieri à nobis valeat, hunc ordinem obseruabimus.

Primo loco in medium afferemus quasdam Galeni sententias, in quibus is de febribus intermittentibus agens, nobis viam præbere ad veritatis inuentionem videtur.

Secundo deinde loco, methodo ipsa, pro more maiorum docebimus, quid sentiendum sit circa propositam difficultatem.

Postremo autem adnotabimus, quid circa aliorum opiniones bene & quid perperam dictum sit: putamus enim in omnibus aliquid desiderari posse: Et ita simul omnibus difficultatibus, quæ iis dictis accident, satisfaciemus.

Galeni sententia de intermittentibus febribus.

Cap. III.

QVONIAM vt nos arbitramur, ex Galeni verbis deducitur vera opinio de loco, in quo humores putrefacti sunt in febribus intermittentibus: idcirco nos hoc loco in medium afferemus varias illius sententias; ex quibus nos capite sequenti veritatem deducemus. Is igitur primum sic habet *libro secundo de febrium differentiis; de ea* Cap. 2. *autem, quæ est rigoris forma inter causas accidentium abunde exposuimus: vbi etiam generis febrium diximus differentiam, quod ex ipsis, quæ quidem sunt intermittentes (ita enim appello, quæcunq; ad insensibilem infebricitationem perueniunt) ortum habent ab humore febrem generante, qui per omnes corporis partes suo motu defertur.* Et parum infra: Cap. 1. *nam quæ ex flaua bile per sensibiles corporis partes delata cum rigore inuadit.* Et rursus eodem Cap. 5. *libro de eisdem febribus* agens ait: *Sæpius aut hepatis, aut splenis affectus attulit febrem, quando scilicet hæ, quas diximus nuper passiones aut ex inflammatione, aut obstructione contigerint.* & *primo libro de ratione curandi ad Glauconem;* inquit. Cap. 5. *Quartana itaque eas quæ errabundæ, aut erraticæ dicuntur, insequitur; quotidiana vero intermittens raro aduenit, quin os ventriculi patiatur: quemadmodum quartana ex male affecto splene generatur: tertiana ex iecore laborante.* & *libro secundo de crisibus;* Cap. 6. *etiam quæ in sola flaua bile febris accenditur, sine aliquo visceris affectu: siquidem manente adhuc intra vasa bile accendatur exquisita febris ardens nuncupatur: si vero per totum corpus deferatur tertiana: & si ab atra bile sit febris, cum per totum corpus delata fuerit; quartana efficitur: cum immobilis ea, quæ quarto quoq; die extrescit. Sic si ex pituita ortum habeant, vel quotidianæ sunt, vel quæ singulis diebus accenduntur. Nam quæ ad infebricitationem desinunt febres tertiana, quartana, & quotidiana, eandem hypothesim cum continuis, de quibus diximus, habent: vno solo differentes, quod per venas, vel per totum corpus in eis deferuntur humores.* & *quarto de ratione victus in morbis acutis;* Commentario 2. *vtrum igitur (ait) sic tantummodo fit causus, vt dixit, scilicet cum acres, & biliosas, quæ tenues sint humiditates ad se attraxerint venulæ? Anne & carne id ferente erit causus? sine in parte, siue in toto corpore eam pati contigerit? Ostendimus etenim eam vim habere eorum, quorum indiga est, attractoriam. Præterea fieri potest, vt altero modo similis affectio fiat: modum alterum dico, cum ex validioribus partibus ad imbecilliorem aliquam mittantur excrementa.* Ex libro quarto aphorismorum Com. 59. idem confirmauit his verbis; *tertiana febris ab ea, quæ ardens nominatur, humore faciente non differt: vtraq; enim à flaua bile fit: differunt autem, quoniam febris ardens habet in venis vna cum sanguine bilem plurimam ebullientem. Tertiana vero tantundem bilem habet in toto corpore latam, ac motam.* Et *superiori commentario,* dum interpretatur hanc Hippocratis sententiam Com. 58. *causone habito rigore superueniente fit solutio,* hæc habet de causis rigoris; *ostensum enim est in sermone de rigore ob flauam bilem, quæ per membra sentientia, veloci motu defertur, fieri rigorem; post quem videlicet, & aluus soluatur, & sudores, & vomitus biliosi superueniunt.* Et *libro de palpitatione, tremore, rigore,* inquit; Cap. 7. fol. 14. lit. C. *Medicamentum enim calidorum vsu quandoque horror solus, multoties*

toties etiam rigor superuenit, sicut in ardentibus, & tritaeis flaua bile non in vasorum cauis; sed per carnes mota: vel quod in illis supra metrum generatus fuerit, vel quod mediis illis natura expurgetur. Hoc enim solo distant ab ardente tritaei: ardentes enim in vasis bilem delatam: tritaei per sensitiua loca extra habent, super quibus dum fertur acuitate lædens dolorem infert. & addit; *quo duo fiunt, sanguinemque in corporis profundum ferri, eoq; corporis exteriora frigesieri: partesq;, in quibus bilis adest expultrice vi in proximum vnamquamq; hanc reiicere, quousq; ab omnibus expulsa sudoribus, vomitibus, & citata alioqui aluo expurgetur.* Ex his Galeni locis, ac etiam aliis, quos nos ipsi tamen breuitatis studio, tum quia putamus hos sufficere, prætermittimus.

Hæc colliguntur de intermittentibus febribus. *Corollaria ex Galeno.*

Primum humorem extra venas consistere.

Deinde per partes sensitiuas deferri.

Tertio in motu esse humores intermittentium febrium; magis autem quietos continuarum.

Quarto, quod vel per totum corpus, vel per vnam aliquam sentientem particulam humores contineri, ac deferri.

Postremo, quod calor innatus & spiritus in principio intermittentium febrium ad internas partes colligitur. Hæc ex Galeno, vt iam dixi, colliguntur: quomodo vero ex his propositæ disputationis veritas elicienda sit, nunc docebimus.

Febrium intermittentium humores tum in primis venis; tum in corporis totius ambitu, tum in ipsis venis aliquando contineri, ab hisq; partibus per sensitiuas partes suo impetu deferri. Contra omnium Medicorum sententiam.

Cap. IV.

ANTEAQVAM propositam veritatē doceamus. In primis illud supponere oportet, febrem, quęcunq; ea sit, vniuersalem esse affectum, quo omnes corporis partes, & actiones, eo, quo exposuimus, modo, labefactantur: idcirco autem vniuersalis est, quoniam cum fieri non possit, non affecto corde; huius causa calor febrilis simul cum actuali calore cordis, & cum sanguine, ac spiritu, vt dicebat Auicennas, per vniuersum corpus distribuitur.

Viæ autem, per quas defertur, sunt præcipue venæ, & arteriæ, Secundo loco cæci meatus ac ductus insensibiles: hac ratione interpretari oportet cōmunem illam Medicorum sententiam, quam passim Galenus inculcat; febrem affectionem esse venosi generis; quoniam in omnibus febribus semper venæ, ac arteriæ per vniuersum corpus caliditatem febrilem deferunt: non quod sit necessarium, materiam quæ in venis continetur, fomitem esse febribus: quandoquidem in ephemeris fere omnibus humores ne minimum patiuntur: in pestilentibus nonnullis idem aliquando accidit; putredinem scil. extra venam consistere, vt suo loco docebimus, atq; similiter in omnibus fere intermittentibus febribus, de quibus nunc agimus, humores extra venas putrefacti sunt. Esse igitur febrem affectionem venosi generis intelligendum est ratione ea, quam iam exposui.

Simili modo interpretanda est alia etiam Galeni sententia, qua is asseruit, per omnes sensitiuas corporis partes humores deferri, à quibus fiunt intermittentes febres. Non enim arbitrari oportet, nullam esse corporis partem, per quam humores minime deferantur; hoc enim est impossibile: cum multæ sint, quas ne minimū quidem attingunt humores putrefacti. Etenim esset ridiculum, putare, per omnes intermittētes febres putrefactionem deferri vsq; ad aurium lobos, ad nates, extremos digitos, pedesque, in quibus partibus primum elucescit febris.

Qualis igitur est sententiæ huius explicatio? Nempe vt dicamus deferri per omnes, id est, plurimas: qua significatione frequenter vtuntur Medici:

id quod raro, aut in paucioribus accidit perinde accipientes, atq; si nũquam, & si in nullis adueniret. Vel, dicendum per omnes sensitiuas corporis partes deferri, aut actu, vel potentia, nisi scilicet sit, quod prohibeat: quemadmodum dicitur de febrili calíditate, quæ per vniuersum corpus distenditur, nisi tamen sit quod prohibeat.

Humor extra venas putrefactus, suoq; motu per sensitiuas partes corporis delatus, potest per omnes sentientes partes deferri, nisi aliquid impedimento fuerit.

Sed his in hunc modum expositis propius accedamus ad explicationem propositæ quæstionis. Sed qua via veritatem inueniemus? duplex enim est instrumentum inueniendæ veritatis, ratio scil. & experimentum, vt Galenus passim affirmat; nos vtramq; prosequemur, namque tum ratione, tum experimentis ad inueniendam veritatem vtemur: à ratione tamen ipsa primum exorsi.

Verum cum multiplex ratio afferri soleat ego regiam illam prosequar, quam Galenus, & Aristoteles passim insequitur, à posterioribus scilicet ipsisque rerum effectibus ad superiora, & priora: nam ex notioribus nobis procedendum est ad notiora naturæ.

Positis igitur omnibus iis, quę cunctis notissima sunt, quæue omnes admittunt, ab his definiemus in cognitionem eius, quod obscurum ęst: hac ratione vniuersam philosophiam miro ordine constituxit Aristoteles, sic Galenus methodum medendi confecit, vt legere apud ipsum est *primo eiusdem tractationis libro.*

Effectus intermittentium febrium. Cæterum, quia notiores sunt nobis effectus proprii intermittentium febrium, quam earum causæ; ab horum notitia in hunc modum ordiamur.

Proprius quidem effectus omnium intermittẽtium febrium est, quod inuadunt in principio illarum cum rigore, aut horrore, aut extremarum partium refrigeratione. Proprius item, quod incboantibus febribus vrinæ sint tenues, albæ, crudæ, & declinante accessione, crassiores, & flauæ. Quod nonnullis adueniat vomitus in principio, at in declinatione sudor totius corporis, quod crebræ quibusdam appareant oscitationes: & aliquando alui deiectiones. Hæc sane contingere in intermittẽtibus febribus, certius est, quam quod explicari debeat. Sed explicanda nunc est causa, ob quam adueniat.

Rigoris causa quæ. Rigores, horrores, & refrigerationes, vel sunt quidam dolores, vt Galenus dixisse visus est, aut certe sunt perceptiones quadam qualitatum sensibilium. Quoniam vero fieri non potest sine his intermittens febris: necessarium est, eum humorem, qui facit ietermittentem febrem, contineri, vel deferri per partes sensitiuas: nam si partes illæ, per quas defertur, sensu carerent, vtiq; non sentiretur ab humore putrido mordaci, & frigido ille rigor, horror, & refrigeratio extremarum partium. Atq; idcirco ręcte dictum est à Galeno tum proprio libro hisce symptomatis dicato, tum sæpe alibi rigorem fieri acri, & mordaci humore delato super partes sensitiuas; atq; calore naturali ad interiores partes contracto. Duplex enim horum est causa: altera occursus rei sensitiuas partes molestantis: altera vero recursus caloris, & spirituum ad interiores partes. *Rigoris secunda causa positiua, & primaria.* Recte igitur videtur hactenus cõclusum humorem, qui effectiua est causa febrium intermittẽtium, deferri in sensitiuis partibus: quia rigor fieri non potest, nisi sensatio fiat: atq; sine hisce symptomatis nulla est (vt diximus) intermittens febris.

Sensitiuæ partes quæ. Porro sensitiuę corporis partes sunt carnes, musculi, membranæ, nerui, cutis, ac id genus aliæ: in his igitur, vel per hasce putrefacti humores deferri debent.

Verum duplex est harum ordo, quædam extrinsecæ sunt, quæ scilicet ambiunt, humanum corpus: quædam intrinsecæ: in vtrisque contineri possunt.

In ambi-

In ambitu enim corporis, atq; in ipsa superficie rigores fieri posse, indicant nobis, (vt Galeni autoritatem taceam, qui *libro de rigore, palp. & tremore* id clarissimis verbis testatus est) ephemeræ febres à densitate cutis & nimio solis ardore contractæ, in quibus rigores adueniunt: vt *libro tertio huius nostræ tractationis* docuimus. *Rigores fieri in ambitu corporis.*

Ratio præterea ipsa idem persuadet: nam si quis per cutem humores solitus sit acres, & mordaci qualitate præditos expurgare, densata in hoc ipsa cute, necessario superueniunt rigores; aliquando sane cum febre, si fuerint putrefacti; aliquando sine febre; eiusdem Galeni testimonio *libro de causis symptomatum*; sed prætermittamus hoc, quoniam nullam habet difficultatem. *Rigor cum febre. Rigor sine febre.*

Internæ etiam partes, quæ sentiendi facultatem habent, si ab eisdem humoribus offendantur, similiter rigores faciunt.

Verum, quæ sunt hæ partes intrinsecæ? multæ sunt, inquam; omnes videlicet, in quibus adest sentiendi facultas: in primis ventriculus, & illius ostium exquisitissimo sensu prædita sunt: intestina, membranæ, quæ sunt circa hepar; lienem; mesenterium; & id, quod pancreas nuncupatur. Quoties enim cunque in his partibus acres, & mordaces humores cumulantur, statim dolores faciunt: atq; hac eadem ratione possunt vel rigores, vel horrores, vel refrigerationem extremarum partium facere: quinimo sic experientia continuo admonet nos per cruciatus colicos rigores frequentissimos aduenire; nec minus frequentes quinimo magis, si affectus fuerit ventriculus, potissimum illius ostium; quod Græci καρδίαν, id est, cor, eiusq; affectionem καρδιαλγίαν, id est, cordis dolorem nuncupauerunt: quoniam maximam habet cum ipso corde communicantiam, illoque affecto statim cor læditur: sic obseruamus, vbi humores biliosi illi parti molestiam inferunt, rigores, & horrores fieri creberrimos, maximosque.

Quamobrem concludendum, & externas partes, quæ videlicet superficiem ambiunt, & internas, quæ sentiendi facultatem habent, rigorem facere, in his q; humores contineri posse, à quibus intermittentes febres fiant.

Duo autem hoc loco dubitationem habent non contemnendam.

Primum, quoniam à nobis statutum est, posse rigorem fieri tam in internis, quam externis partibus sensitiuis, dum per illas putrefactus humor defertur, in quas partes is moueatur, cum statim incipit accessio: an primum in internas; an contra primum in extrinsecas? *Prima quæstio.*

Alterum vero difficultatem facit; quia moueri, ac agitari humores diximus in intermittentibus febribus; à quibus partibus fiat hic motus, tanquam à termino à quo. Nam quæstionem aliquam non habet terminus ad quem: siquidem vt supra commonefecimus; terminus ad quem est pars sensu prædita: sed explicandum est, tanquam controuersum vndenam ii moueantur. Tria enim sunt necessaria in quolibet motu: locus, à quo fit motus: locus, ad quem & via, per quam. Duo hæc postrema nota sunt: quia ad partes sensibiles appellunt, & per partes sensitiuas transferuntur. *Secunda quæstio. Quæ in vnoquoque motu necessaria.*

Hisce tribus addamus quartum, quod à nobis pariter venit explicandum, quæ scilicet sit motus causa.

Quantum igitur ad primam difficultatem pertinet; dicimus humorem putridũ pro maiori parte in intrinsecis partibus, quas primas vias nuncupauimus, contineri: idq; frequentissime contingere. *Humores febrium intermittentium maiori ex parte in primis viis agitari.*

Secundo dicimus, aliquando, raro tamen in corporis ambitu coerceri: vtrunq; diligenter declarandum est.

Quod sæpius inchoantibus intermittẽtibus febribus in primis viis humores recondantur; manifestum nobis faciunt, *vomitus, qui* vt plurimum, sub rigoris finem adueniunt: hic enim fieri nequit non affecto ventriculo, & nisi humor accessionis principio per illum deferatur.

Quid hic ego inquam de crebris oscitationibus, quę sic febricitantibus aduenniunt? quis enim aliquando dubitauit oscitationes fieri tunicis ventriculi affectis?

Quid aliud nobis insinuant tenues vrinæ, & albæ, crudæ, quæ in principio fere semper apparent? nil profecto aliud, quam bilem, à qua vrina potissimum tingitur, interiores partes petere.

Quid significat oris amaritudo, quam omnes comitantur biliosæ febres? nihil equidem aliud, quam bilem in ventriculo contineri, ac per eundem moueri? hæc sane si fidem aliquam facere debent, debent autem facere maximam, quandoquidem sunt proprii rerum affectus; citra controuersiam concludendum est, sæpius intermittentes febres ab humoribus in primis viis contentis originem habere.

Sed his addamus maximam rationem, qua id non solum persuaderi, sed etiam facile poterit demonstrari.

a. de febr. diff. c. vlt. lit. A. 43. Vbicunq; accenditur, atq; augetur caliditas, isthac ab aliis partibus sanguis confluere solet: quo vero tempore fit hæc sanguinis confluxio, necessarium est illas partes relictas sanguine refrigetari; quod vero patitur membrum grauari, ac distendi, idq; continuo accidit in ipsatum accessionũ principiis. Ergo si verum hoc est, quod verissimum esse, tum ratio testatur, tum Galenus persuadet; colligendum in principio intermittentium febrium humores contineri in prim.s viis; atq; in partibus internis, non autem externis. Nam quotidie obseruamus calorem naturalem, & sanguinem retrahi ad viscera accessione inchoante. Sic enim Galenus testatur *libello de rigore, conuulsione, & palpitatione*, dum ait; *quo duo fiunt; sanguinemq; in corporis profundum ferri; eoq; corporis exteriora frigefieri.* & subsequitur; *parteq;, in quibus bilis adest expultricem vim in proximã vnamquamque, quousq; ab omnibus expulsa sudoribus, vomitibus & expurgata vrina, alioquin aluo expurgetur.* Quid igitur clarius, & verius in nostræ opinionis confirmationem dici potuit. *Cap. 7.*

Confirmatur præterea, eiusdem Galeni verbis *libro de curandi ratione ad Glaucanem*; quo loco is agit, de intermittentibus febribus. Et inquit; *Quotidiana vero intermittens raro aduenit, quin os ventriculi patiatur: quemadmodum quartana ex male affecto liene, generatur. Tertiana ex iecore laborante.* & alibi *libr. scilicet secundo de febrium differentiis; sæpius autem, aut hepatis aut splenis affectus attulit febrem.* Ergo si sæpe intermittentes febres adueniunt horum viscerum causa; manifestum quidem est, vt plurimum inchoantibus accessionibus in illis partibus putredinem contineri. *Cap. 6.* *Cap. 5.*

Hæc itaque in accessionis principio quoquo versum agitata principio quidem per sentientes illas partes delata rigorem facit; atque sub illius finem aliquando vomitum efficit, si per ventriculum bilis obrepat; corpusque vomitionibus præparatum sit: sin minus inanes quasdam vomendi appetitiones efficit: quibusdam vero aluus conturbatur humore puttido per intestina propulso; ac vrinæ eo tempore tenues sunt, & albæ contracto sanguine tenui, caloreque innato ad ipsa viscera: accessione vero procedente, & augescente; redeuntesque calore ad extimas partes corporis; omnes vehemeter incalescunt vaporibus putridis per omnes sentientes corporis particulas delatis; qui tandem sub declinatione accessionis per sudorem aliquando; & quanquam per insensibilem transpirationem discutiuntur. Vrinaque crassiores, magisque coloratæ redduntur, bilis aliqua portione per vrinas etiam pultrice facultate expurgata.

Hac autem ratione apparet modus, quo per omnes sensitiuas partes humor putridus defertur: indicante enim accessione, per profundas partes transfertur: declinante vero, sua vaporis specie per ambitum totius corporis discutitur.

Quid igitur, inquiet fortasse aliquis, humoris putrefacti substantia ad

ipſam ſuperficiem corporis non defertur? minime quidem, ego inquam, deſertur: quandoquidem ſi deferretur, oporter putredinem ipſam actu cũ ſanguine venarum commiſceri, omnemque illius maſſam coinquinare, & putredines augeri, & febres conduplicari; grauioraque continuo ſymptomata aduenire.

Nota. Humoris putrefacti ſubſtãtiam non deferri actu ad ſuperficiem corporis.

Ego quidem imaginari non poſſum, quomodo in febribus intermittentibus humor putrefactus debeat ſingulis acceſſionibus, per venas tranſire ad carnoſum genus, & tamen ſanguinem vniuerſum, aut illius ſaltem portionem aliquam, quæ cum humore putrido analogiam, & ſimilitudinẽ habeat; non coinquinare, non conturbare, non putrefacere; eoque tranſitu exitialia ſymptomata non afferre.

Non tranſmittitur igitur humor per ſentientes corporis partes? tranſmittitur quidem: ſed actu, propriaque ſubſtantia, vt iam commonefecimus, in profundiores partes: potentia vero ſub vaporis videlicet ſpecie tranſacto principio per extrinſecum carnoſum genus: & hoc admonebamus ſupra, intelligendam eſſe Galeni ſententiam actu, aut potentia: quo etiam modo definitio, ſi Auicennæ credimus, intelligitur.

Quomodo humor ſenſibilis omnes partes inuadat.

Hactenus docuimus id, quod ſæpius accidit in febribus intermittentibus; nunc proſequamur id, quod raro aduenit.

Poſſunt in principio acceſſionis humores putridi in extrinſecis partibus contineri, & acceſſionem facere.

Primum in bilioſis corporibus; in quibus vapores acres, & fuliginoſi ſolent per cutaneos meatus expurgari; in his quidem plurimum adſtricta cute, magnaque obſtructione genita (nam parua exiſtente, fit ephemera, vt ſuperioribus libris docuimus) plurimum flauæ bilis generant: quæ quoniam expurgari non poteſt; nec libere tranſpirare, facile putreſcẽs febrem tertianam accendit: poteſtq; idem contingere, ſi ſequatur hæc febrem ephemeram. Nam aliquando ex ephemeris male tractatis fiunt putridæ, in his potiſſimum naturis, quæ hircum fœtent, vt dicebat admirabilis Galenus.

Sed quid dicendum de aliis temperamentis? poſſe quidem hoc idem contingere, ſi in iiſdem partibus melancholica excremẽta, aut pituitoſa diutius collecta, tandem putrefactionem ſubierint: id tamen à nobis nunquam obſeruatum eſt.

Alia quinetiam ratione per ambitũ corporis humores putrefieri poſſunt; atq; intermittentes febres efficere; ſi illæ partes fuerint vel nimium calidæ, aut aliquo affectu dolorifico affectæ: tũc enim attractis propter eas cauſas excrementis, minime tamen expurgatis; aut ob illorum copiam, aut viſciditatem, aut craſſitiem, aut propter imbecillitatem facultatis expultricis, putreſiunt, & eam febrem faciunt, quæ proportione reſpondet putrefacto excremento.

Sed nunc videre oportet, ex quibus partibus humores tranſmittantur ad ſenſibiles corporis partes. Nos reſpondentes huic difficultati; duo dicimus.

A quibus partibus humores tranſmittantur ad ſenſitiuas partes.

Primum quidem, quod ab iiſdem partibus ſenſibilibus ad ſenſibiles fluxio fieri poſſit.

Secundo vero, quod à venis deduci poſſint humores putrefacti, & ad ſenſiles corporis partes tam intrinſecas, quam extrinſecas appellere. Siquidem (vt iam exponamus, quod primo loco docuimus) ſenſibiles partes poſſunt vim quandam habere in ſeſe generandi eiuſcemodi humores, qui in illis partibus geniti, putrefacti, agitati, atque commoti tum vigorem, tum febrem faciunt.

Hunc locum Galenus optime videtur mihi expreſſiſſe, dum ait *libro de tremore, rigore, conuulſione, ac palpitatione; medicamentorum enim calidorum vſu, quandoque horror ſolus; multoties etiam rigor ſuperuenit, ſicut in ardentibus, & triticeis flaua* *bile,*

Cap. 7. Confirmatio ex 4. de rat. vic. acut. agente de causs.

bile, non in vasorum cauis, sed per carnes motæ; vel quod in illis supra metrum generata fuerit, vel quod mediis illis natura expurgetur. hæc ille, ex quibus manifesto colligere est, generari posse in carnibus ipsis bilem, & hanc per carnes agitatam rigorem, & febrem facere.

Dupliciter autem à venis deduci possunt humores putridi. Vno quidem modo ab ipsis venis expulsi: quod sane frequentissime contingit in continuis, & ardentibus febribus; quæ in declinatione in febres intermittentes terminantur; nam à magnis venis ad minores, ab his ad alias, à quibus tandem ad carnes fit humoris putridi appulsus, quo tempore tum rigores, extremarumq; partium frigiditates; tum alia omnia symptomata intermittentium propria apparent. Hoc enim à natura statutum est; quod ea suis viribus vsa, quicquid molestum est conetur expellere ad imbecilliores partes; quæ semper recipiunt: conatur vero id retinere, quod idoneum est alendo corpori. *Com. 1.* De hac re inquit Galenus *libro quarto de rat. vic. acut. præterea fieri potest, vt modo altero similis affectio fiat: modum alterum dico, cum ex validioribus partibus, ad imbecilliorem aliquam mittantur excrementa: ergo fieri potest, vt interdum quidem ex parte vna, interdum vero & ex pluribus acres, & biliosæ, quæ tenues sint, humiditates exactæ ad dictas fundantur particulas, quæ scil. imbecilliores sunt.* Et *libro secundo de febrium differentiis* idem in vniuersali confirmauit de omnibus febribus, quæ per circuitum repunt, his verbis; *Cap. 10.* *quæcunque per circuitus aliquos ægritudinum accessiones fiunt, ex partium dispositionibus ortum habent: quæ scilicet partes vel mittunt, vel suscipiunt, vel generant, vel attrahunt, superfluitates eo, quo nuper diximus, modo: sed quæ circuitum non habent, in his nulla est corporis pars præcipue offensa, quemadmodum de continentibus febribus paulo post declarabimus.* Semper igitur carnes excrementa in hisce febribus recipiunt, & in sese cōtinent: non tamen eadem ratione semper; *Conclusio.* aliquando, quod in se generat, vt iam docuimus: aliquando, quod venæ transmittant, & expellant excrementa; tertio, quod neque his transmittentibus, neque in illis generato excremento, attractio fiat à carnibus, & sensibilibus membris ab ipsis venis; in quibus contiuebantur humores putridi. Atque hic postremus tertius est modus, quo fiunt intermittentes febres humore putrido in venis existente, à quibus antea efficiebatur febris continua.

Cæterum attractio duplici ex causa fieri potest non expellentibus venis: quarum vna est calor maximus, ac præter naturam ipsarum carnium: altera vero earundem partium dolor: ab his enim fit attractio excremētorum ad affectam particulam. *Libr. 2. de feb. diff. vltimo.* De qua re sic doctissimus Galenus asserit. *Duplex autem est huius fluxionis occasio: altera quam nuper diximus: quando materia inutilis ad imbecilliores partes ab aliis detruditur: altera quando eadem attrahitur.* & *paulo post* concludens attractionem causas, de quibus ante fuerat copiose locutus, ait; *videntur itaq; manifeste fluxionum causæ ex ipsis partibus laborantibus originem trahentes duæ esse: quarum altera est in eisdem accensa caliditas, altera a dolor excitatus.* Hæc Galenus.

Habet autem hoc loco dubitationem, propter quam causam dixerimus, carnes à venis attrahere humores putridos: quid igitur, nonne poterūt etiam attrahere humores non putridos; qui sensim postea in carnibus putrefiant, ac febrem faciant?

Nota contra omnes.

Hæc ea est dubitatio cuius causa recentiores fere omnes pueriliter lapsi sunt; putantes à venis humores, non putridos humores attrahi à carnibus, & illos postea in carnibus corrumpi, hūc maximum esse errorem ostendemus hoc modo.

Declaratio.

Diximus humores putridos à carnibus attrahi, quia sic ipsa experientia obseruatum est à nobis, febres continuas potissimum quidem biliosas; aliquando transmutari in febrem intermittentem, expulsa flaua bile à venis ad carnes; aut ab eisdem venis attracta propter calorem, & dolorem sensibilium partium; *Confirmatio ex Hip.* de qua re diuinus Hippocrates natus ante omnem philosophiam,

phiam, sic inquit: *causone habito rigore superueniente fit solutio:* quia is humor, qui in venis conclusus continebatur extra pellitur, ad ignobiles partes, atque siue vnica repulsione fit hic motus criticus; & per vnicum rigorem tota fit solutio febris ardentis; siue paulatim ex ardente in tertianam intermittentem transmutata, quod nos frequentissime obseruauimus; semper humor actu putridus expellitur. Similiter non raro vidimus febrem sanguineam (synochum vocant) primum in tertianam continuam; deinde vero processu temporis in intermittentem transmutari; quod itaq; obseruauimus; & similiter omnes, qui vel mediocriter sunt in rebus medicis exercitati, nullam habere difficultatē etiam ratione ipsa confirmemus hinc orationis desumpto principio. Vel enim præsupponimus, quando scilicet fit hæc attractio à carnibus; humores in venis esse putridos, vel non habere sese præter naturam, nec putridos esse.

Declaratio Hippoc.

Obseruationes.

Si putridi attrahuntur, opus est præcessisse continuam febrem in venis, qualem iam diximus.

Si vero sanitate fruuntur humores, cum alendo corpori sint necessarii; sitq; solus sanguis in venis, minime attrahentur, extra venas: cuius rei hæc est causa: quia intermittentes febres fiunt ab humoribus excrementosis, à pituita, flaua bile, & melancholia: qui perpetuo extra venas continentur, dum illarum humores habent secundum naturam.

Docuimus enim nos in alio opere: in venis nihil contineri, nisi solum sanguinem; verā flauam bilem, luteam & amaram, quemadmodum cæteros humores, quos excrementitios nuncupamus, extra venas propriis quibusdam receptaculis recondi.

Deinde vero illud etiam citra controuersiam verissimum est, quod ab hisce humoribus excrementosis fiant febres intermittentes: Ergo quia venę cum habent secundum naturā, non continent nisi sanguinem: & quia intermittentes febres fiunt ab humoribus plurimum à sanguinis natura distantibus, sequitur attractionem fieri non posse à carnibus eorum humorum, qui in venis secundum naturam reconduntur, vt febrem faciant intermittentem.

Conclusio contra omnes nota.

Secus autem dicendum est, si iam putridi fuerint, tunc enim præter naturam affectus sanguis tenuis (qui tamen propter similitudinem à Galeno, aliisque probatissimis authoribus flaua bilis nuncupatur) in flauę bilis naturam facesset; quemadmodum etiam sanguinis fæx in melancholiam.

Aliæ quidem sunt: & efficacissimæ rationes, quibus id optime persuaderi posset; sed pro multis satis sit hæc vna: tum quia propria ratio est, quæ mihi videtur vim habere demonstrandi; tum quia capite sequenti alias afferemus.

Sed habet hoc loco non contemnendam difficultatem, quod diximus, diuersos esse humores, à quibus fiunt intermittentes febres, ab iis, qui in venis consistunt, cum Galenus passim statuat, continuas febres eandem habere cum suis intermittentibus hypothesim; & fieri ab eisdem humoribus; solum autem differre situ & loco.

Dubium.

Respondemus humores eosdem esse in continuis proportionalibus, atq; in suis intermittentibus, vt Galenus ait: atq; hoc non repugnare nostris principiis: nos enim diuersos esse humores, qui in venis cōtinentur secundū naturā, ab iis, à quibus fiunt febres intermittentes, dubio pcul affirmamus: at si humores venarū fuerint præter naturam constituti, possunt eandem penitus naturā adipisci, quam habent extra venas humores excrementitij. Idcirco autem nos vocamus excrementitios: quia non sunt propter nutritionem corporis constituti, sed sunt quædā veluti excrementa sanguinis, qui in venis continetur. Galenus vero potissimū supponit venarū succum præter naturā

Responsio.

habere, & putredinem in venis contineri: at nos de contrario affectu verba fecimus.

Verum, vt hæc, quæ præcedenti loco diximus, clariora videantur, sic breuiter, & summatim colligemus.

Epilogus dictorum.

Intermittentes febres fiunt, cum humores putridi per sensibiles corporis partes suo motu deferuntur. Quia vero sensibiles partes nō solum sunt, extrinsecæ carnes; sed etiam interni musculi, membranæ, neruique: idcirco tam per externas partes sensitiuas deferri; quam per internas possunt humores putridi. In vtrisque partibus humores reconditi faciunt febres intermittentes: vtplurimum tamen est eorum origo in naturalibus partibus, quas primas vias vocant; hæ enim sæpius affectæ sunt sedes febrium intermittētium: raro tamen per extrinsecas partes, & per habitum corporis deferuntur.

Causa vero, propter quam in his deferantur, est, vel quia in illis partibus supra metrum generatus est humor putridus: vel quia partes illæ calore immodico, & dolore affectæ attrahunt putridum excrementum à venis: (quod accidit in continuis & ardentibus febribus) vel quia non atra sunt, nec generantur, nec generant; sed solummodo recipiunt, vt imbecilliores partes transmissum propter validam expultricem à venis eundem putridum succum: quod similiter fit in febribus continuis; hæc summa est opinionis nostræ, in qua hæc adsunt præter aliorum opinionem.

Contra Altimarum.

Primum contra Altimari opinionem: quod semper non putrescat humor in extrinsecis partibus, & in corporis habitu, vt is tradit: quinimo hoc rarum esse.

Contra Ioanné Fernelium.

Contra Ioannem Fernelium; quod non semper in primis viis putrescant humores in febribus intermittentibus: sed aliquando in externis carnibus: quodq; à venis humores putridi per sensibiles partes corporis deferantur factuti intermittentem febrem.

Contra Ioannem Argenterium.

Contra Argenterii opinionem, quod non semper in ipsis venis humores intermittentium febrium putrescant: sed si quando hoc contingit, rarum esse; solumq; contingere per transmutationem continuarum febrium in intermittentes.

Cōtra communem opinionem.

Verum contra communem, veteremque hactenus confirmatam opinionem: quod attractio, quæ fit à carnibus, humorum existentium in venis, fieri non possit, nisi sint putridi: & eos actu putridos attrahi; inculpatos vero atque habentes se secundum naturam in venis; eos non facere intermittentem febrem.

Deinde vero, quod solus transfluxus à venis nō sit causa, propter quam adueniant febres intermittentes.

Verum quoniam hæc multo certiorem fidem habitura sunt in explicanda aliorum sententia; hac de re quo certior appareat veritas, diligenter disserendum est.

Quæ communis fuerit opinio circa sedem intermittentium febrium, & quid in ea non bene dictum fuerit.

Cap. V.



ANTEAQVAM recentiorum opiniones afferamus; primum docere proposui, quid antiquiores Medici, Galeno tamen excepto, cuius opinionem supra exposuimus: circa propositam difficultatem senserint.

Iam itaq; vetus fuit opinio, & omnium medicorum communis, humorem, qui proxima est causa intermittentis febris, non solum extra venas, sed etiam in habitu corporis totius putrescere: Hunc equidem humorem, minime tamen putridum accessionis principio è venis maioribus expelli in mi-

nore,

nores,& ab his in alias, donec ad corporis habitum peruenerint: hacq; impulsione,& impetu humorum fluentium summas corporis partes, quarum exquisitior est sensus ferientis humoris occursu vel rigere, vel in horrescere: hunc humorem in illis partibus contentum sensim incalescere & inflammari, atque putrescere; tum demum extenuatum caloris in vniuersum in sudores dissipari; sicque accessionem finiri, dum noua similiter recurrat. Hæc summa est communis opinionis.

Verum hic multa sunt, ab ipsa veritate adeo aliena, vt nihil magis. *Impugnatio.*

Primum quidem explicat opinio proposita, eum modum generationis intermittentis febris; qui raro contingit; quoties scilicet ex continuis febribus intermittentes degenerant: fit, verbi gratia, febris ardens, quæ sanguinem tenuem adeo vehementer inflammauit, quod copiosam flauam bilem produxit: hãc sane putridam valida virtus expulsiua potest ad carnes expellere, & febrem facere intermittentem: hunc casum nos obseruauimus: verum potest in ipsis carnibus generari bilis, præterquam, quod ab aliis partibus recipiantur, vel attrahãtur; vt ex Galeno capite superiori demonstrauimus: ex tribus itaq; generandi modis, duos prætermisit. *Prima ratio.*

Deinde in hoc etiam venit reprehendenda, quod non recte modum doceat nam in primis admirabile videtur, post rigorem, aut horrorem humorẽ spatio tam breui computrescere; multo quidem videretur rationabilius, illum in venis fuisse putrefactum; & extra venas iam rigores facere: quomodo enim possumus persuadere, aliquando spatio quintæ partis, aut sextæ vnius horæ sanum humorem putrefieri? *Secunda ratio.*

His addere est, quod humor, qui in venis continetur secundum naturam, cum sit sanguis; non possit esse materia febrium intermittentium, quæ fiunt ab excrementosis humoribus, quorum nullus re vera in venis continetur, vt alio in opere docuimus. *Tertia ratio.*

Confirmatur, quod opinio proposita reddere rationem non potest, propter quam in principio intermittentium febrium adueniant vomitus, oscitationes, nonnullis aluus ciẽtur profluente bile. Hæc enim fieri non possunt, nisi humores putrefacti interiores partes, potissimum ventriculum, atq; intestina inuaserint, oporteret siquidem humores iam primũ transmitti ad habitum corporis: deinde eodem momento transmitti ad profundas corporis partes; motusq; istos duos vno, & eodẽ tempore contrarios fieri; quod absurdum videtur in hisce febribus: nam vt in grauissimis, atque lethalibus morbis hoc aliquando videmus, sic certe in intermitentibus, quæ vel ipsõ Hippocrate autore carent periculo, fieri non possunt. *Quarta ratio.*

Amplius in illis partibus humores putrescunt, in quibus calor naturalis in accessionis principio retrahitur: sed in omnibus intermittentibus, vt Galenus passim testatur, sanguis ad præcordia contrahitur. Quamobrem concludendũ est, in his contineri fomitẽ putredinis, & caloris præternaturã. *Quinta ratio.*

Postremo hæc opinio Galeni principiis repugnat: is enim maiori ex parte fieri intermittentes febres vitio hepatis, ventriculi & lienis, non propter humorum in venis exuperantium copiam, tradidit: & quod per carnes humores affluunt, vel præter metrum in illis generati; vel ab aliis partibus ad illas expulsi: vel ab eisdem carnibus attracti propter calorem, & dolorem, quæ omnia supra diligenter docuimus. Sed satis hæc circa propositam opinionẽ plura enim leges apud Fernelium. *Sexta ratio.*

Opinionis Ioannis Fernelij impugnatio.

CAP. VI.

IOANNES Fernelius, vir pfecto admirabilis ingenii, & cui plurimum debet Medicina, primus omnium, non solum reprehendit veterem, communemque opinionem, sed propriam sedem,

quæ

quæ ſcilicet vt plurimum affecta eſt, inuenit: is enim putat fomitem, atque originem vniuſcuiuſque intermittentis febris conſiſtere circa ventriculum, hepar, lienem, inteſtina, omentum, & id quod pancreas, nuncuparunt: aliam vero ſedem affectam non admittit.

Impugnatio.

Mihi quidem, vt verum in hac re dicam pro mea conſuetudine; hic ſolus viſus eſt in tractatione de febribus ſcopum attigiſſe; ac veritatem propius inſpexiſſe: hoc tamen poteſt deſiderari; quod ex tribus modis, quibus intermittentes oriuntur febres, à partibus internis ſenſibilibus, à carnibus in habitu corporis exiſtentibus, & propter expulſionem à venis factam, vnũ tantum admiſerit, reliquos vero minime tetigerit.

Poſſe quidem in corporis habitu bilem flauam augeri; & putrefieri, dubitationem non habet: qualem igitur (inquam ego, ô doctiſſime Ferneli) febrem faciet? non continuam: quia hæc ſupponit humores in venis exiſtere oportet igitur, vt ſtatuamus, intermittentem fieri.

Deinde vero, quis eſt ex omnibus Medicis, qui aliquando non obſeruauerit continuam febrem ex bile, propter vigorem facultatis expultricis, in intermittentes degenerare? ſed quomodo fit horum generatio? niſi quod extra venas humores ad habitum corporis expellantur, aut ad internas partes tranſmittantur, eo modo, quo ſupra docuimus. Hæc igitur exigua in Fernelio deſiderantur.

Opinionis Donati Antonii ab Altomari; & Ioannis Argenterii Caſtellonoucnſis impugnatio.

CAP. VII.

DONATVS Antonius ab Altomari Medicus Neapolitanus arbitratur, humores, qui proxime intermittentes febres faciant, in corporis habitu, & in extrinſecis carnibus cõtinuo putreſcere, & per illas eaſdem delatos rigorem, horrorem, & extremarum partium refrigerationes facere.

In habitum vero corporis deferri humores propter tres cauſſas: Quarũ prima potiſſima, & frequentiſſima, eſt, quotieſcunque à venis maioribus ad minores, ab his ad carnes fiat expulſio humorum excrementitiorum, qui in vaſorum cauitate continebantur: hæcque excrementa in venis contenta non eſſe putrida; ſed in ipſis carnibus putrefieri: & hanc ſuam ſententiam confirmat authoritate Galeni *libro primo ad Glauconem*, quo loco agens is de febribus intermittentibus, vt plurimum illas fieri dixit vitio ventriculi, aut hepatis, aut lienis.

Secunda cauſa eſt, cum carnes ab eiſdem venis attrahant humores propter calorem, & dolorem in ipſis carnibus exiſtentem; quamvis venæ ipſæ non expellant.

Tertia eſt, cum nec expulſio fit venarum; nec attractio carnium, ſed cum carnes, & ſenſibiles corporis partes in ſe ipſis generant excrementum; quod cum foras tranſmittere non valeant, vel propter expultricis facultatis imbecillitatem, vel propter meatuum obſtructionem, ii neceſſario putrefiunt. Aſſeritque nunquàm aliis in partibus poſſe humores putrefieri, quam in habitu corporis, atque illorum opinionem, qui docuerunt, ſedem affectam omnium intermittentium in primis viis conſiſtere; chymeram quandam eſſe, nihilque rationi conſonum concludere. Hæc quidem ille ſummatim docuit.

Cæterum in hac hominis huius opinione multa ſunt, vt libere dicam, quæ mihi minime ſatisfaciunt.

Prima ratio.

Primo quidem falſa eſt concluſio, quod ſemper humores putreſcant in habitu corporis; extra quidem venas putredinem conſiſtere, verum eſt: at falſum, quod ſemper in corporis extrinſecis, ſummiſq; partibus.

Ego enim sic hominem interrogarem: Humores vel possunt putrefieri in internis partibus extra venas: vel non possunt putrefieri: admittere quidem is non poterit, non posse putrefieri: quoniam quotidie obseruamus circa ventriculum, & intestina putredines fieri: deinde positis causis putredinis: Oportet etiam ipsam putredinem poni: quod igitur putredo fieri possit, nullam habet dubitationem.

Tunc amplius percunctemur: hæ partes internæ, in quibus humores putrescunt, vel habent facultatem sentiendi, vel non habent.

Si non habere dixerit, facile conuincetur, quandoquidem non dolerent: dolor enim sentiendi facultatem exigit: cum sit perceptio quædam qualitatum sensibilium violenter & confestim agentium in sensoria instrumenta: Dolent igitur: quamobrem vim habent sentiendi.

Quid igitur esse impedimento poterit, quin rigor, aut horror adueniat? cum vterque sit quidam dolor, vt Galenus testatur: & Donatus admittit, à vaporibus putridis cordi communicatis fieri febris: & putredine existente extra venas, rigoreque in principio accessionum accedente alia febris fieri non potest, quam intermittens.

Confirmatur, quia per vehementissimos cruciatus colicos, per dolores ostij ventriculi rigores aduenjunt. Habent igitur hæ partes vim sentiendi: quæ itaque erit causa, propter quam humores in illis putrefieri non potetunt? cum sint sentientes corporis partes. *Confirmatio.*

Deinde vero, falsum est, vt plurimũ fieri intermittentes febres expulsis humoribus à venis ad partes sensitiuas: in hoc enim duplex est error. *2. ratio.*

Primus, quod rarus est casus; quandoquidem cum hoc solum fiat, vt supra docuimus, per degenerationem continua tam in intermittentes febres: multo frequentius aduenient propter alias causas: facta scilicet expulsione à parti vna extra venas, ad aliam partem extra venas sensitiuam: vel attractis ab vna parte ad aliam: vel in sensitiuis partibus genitis excrementis. *1. error.*

Secundus error est, quod humores, qui à venis attrahuntur, aut expelluntur, vel sint putridi: vel non putridi. *2. error.*

Si primum, erit ergo alia febris præcedens intermittentem.

Si non sunt putridi: quomodo poterunt putrefieri tam breui temporis momento: cum sit necessarium retentis sudoribus per corporis habitum; diu (vt ipse Donatus ait) permanere, vt postea putrescant? an putabimus contrarium euenturum attractis bonis humoribus à venis, aut eisdem expulsis? quæ causa est, quæ tam repentinam putredinem inducat statim post illorum motum, rigoreque facto?

Præterea male Galenum intelligit, cum opinionem eius verbis confirmat *primo ad Glauconem libro.* Nihil enim habet iis verbis de humorum putredine in venis ventriculi, hepatis & lienis: & merito quidem nihil habet: quia impossibilis est ea imaginatio, quam Donatus sibi, vt chymeram confingit: quomodo enim putrefactam pituita viscidã & tenacẽ possumus imaginari in accessionum principio in corporis habitum transmitti? cũ maxima alioquin difficultate soleat ab vno membro propter viscidítatẽ amoueri: non est hic transitus exiguarũ partium: sed opus est per multas transire, vt ad habitũ corporis perueniat: per mesenteriũ, scil. regionẽ hepatis, venas magnas, venas paruas, venas capillares tandem ad habitum appellere. *3. error.*

Sed dicat is mihi, propter quam causam per venas transiens non faciat in illis sua tenacitate obstructionẽ & febrẽ continuam? cur ipsa putrida existente sanguinariã massam per quam transit, non coinquinet? cur non omnia perturbet? idem iudicium sit de melancholico humore. De flaua bile quid dicendum: nonne ea poterit in cysti fellis abundans, quod est dictum extra venas, putrescere, & violenter deferri per concauitatem hepatis, ad mesenterium, ad ventriculum, ad intestina? & quam febrem faciet, si hunc motum

motum fortita per sensibiles partes fuerit? quomodo hæc ad supremas corporis partes perueniet? per venas, inquiet Donatus? verum hoc ego inquam duplici ex causa periculosum.

Primum, quia in venis attrahentur humores putridi, quorum causa fieri non potest, quin massa sanguinea plurimum alteretur; sem per quidem Galenus veretur mittere sanguinem, si in primis viis praui humores reconditi fuerint, quoniam is veretur eorum attractionem in venas.

Deinde quia natura contra suum institutum operabitur: quia scilicet expellere conabitur humores biliosos existentes in partibus ignobilibus, per partes nobiles & præcipuas, quales sunt venæ.

Præterea qua ratione possumus persuadere vomitum concitari putrefacta bile in cysti fellis, si oportet primum ad habitum corporis transferri? fortasse, inquiet, ab habitu corporis ad partes internas rursus & eodem veluti tempore redibit: sed est hæc imaginatio hominis illius, qui parum in medicina, & in philosophia sit exercitatus: frustra enim fit per plura, quod per pauciora fieri potest, & æque bene: si factura est vomitum natura, cum habeat promptam, & expeditam viam; cur aliam perperam quæret, virtus ad eandem reditura?

Amplius reddat is causam, propter quam tertianæ notæ vomitu post cibum sanantur? *multos enim vidi* (dicebat admirabilis Galenus) *solo vomitu post cibum fuisse sanatos*. An vomitus indicium erit eorum, quæ sunt in corporis habitu? igitur vomitus non erit propria passio eorum humorum, qui in ventriculo continebuntur? aut certe ad ventriculum transmittentur.

Opinio Ioannis Argenterii. Hæc quidem atq; id genus alia quam plurima hanc Altomari opinionē vrgent? Quamobrem hac prætermissa ad sententiam Ioannis Argenterij perpendendam accedamus.

Is itaq; putat, simul cum reliquis omnibus humorem, à quo fiunt intermittentes febres, deferri per sensitiuas corporis partes; verum ab illis eum generari, nec ab eisdem attrahi autumat: Solum quidem expelli à venis ad corporis habitum: putredinemq; in venis perpetuo contineri: eo autem potissimum argumento id arbitratur, quod omnes febres affectiones sunt venosi generis; quodq; vrinæ omnium putridarum febrium signa sunt inseparabilia, nullumq; certius signum sit in putridis febribus, quam pulsus, & vrina. Ergo si darentur putridæ quædam febres, quæ non haberent putredinem in venis, primum quidem, neque vrinæ essent, vt Galenus ait, maximum signum, neque febris esset affectio venosi generis, sic summatim arbitratur Argenterius.

Impugnatio opinionis Argenterii. Contra quem hominem multa sunt, quæ afferri possent.

Atque illud in primis, quod ipsa experientia admonet nos, aliquando humores extra venas putrefieri, vt in ventriculo, & intestinis, aut etiam aliquando, vt supra admonuimus in habitu corporis: cum igitur duplex sit ratio inueniendæ veritatis: experimentum; & ratio: & ipsa experientia cognitum habeamus, non semper in venis putredinem intermittentium febrium consistere: colligendum est, veram non esse Argenterii sententiam.

Hic adde, quod si semper in venis adesset putredo, oporteret vrinas continuo putredinem ostendere; in multis tamen putridis febribus obseruatum est, venas ne quidpiam putredinis per vrinas ostendere.

Quantum vero hæc proposita opinio Galeno repugnet; nullus est, qui vel tantillum sit in eius doctrina exercitatus, qui non cognoscat, & nos potissimum id diligenter ostendimus eo capite, quo illius sententias retulimus.

Propter hanc itaque causam, quoniam manifesta falsitas apparet opinionis huius; docebimus, quomodo dubitationibus hominis huius satisfacere oporteat.

Est, inquit, febris affectio venosi generis: id equidem fateor non quod venæ actu contineant putredinem, vt is falso colligit: sed potius, vt iam antea exposuimus, quia febrilem caliditatem per vniuersum corpus deferunt simul cum sanguine, & actuali caliditate.

Quantum porro ad ipsas vrinas pertinet, videtur mihi puerilis ea ratio: quandoquidem vrinæ in febribus semper spectandæ sunt, vt quodam opere Galenus tradidit: in putridis quidem, vt indicent locum putredinis: Si enim actu putredinem indicant, in venis adest: sin minus, extra venas, hoc solum habere certitudinis dicentur: quod venarum humores optimi & inculpati erunt. 6. Epid.

Quod autem vera hæc sit loci huius expositio, duo sunt, quæ nobis fidem faciunt manifestissimam; primum febres ephemeræ: in quibus vrinas inspiciendas esse, Galenus passim admonuit, nihilominus eæ non indicant nobis venarum humores affectos esse; nisi forte in synocho biliosa, & sanguinea.

Deinde vero idem significari potest, per nonnullas pestilentes febres, in quibus per totum febris processum, ne minimum quidem adest, indicium venarum putredinis.

Hactenus ergo videor sedem affectam propriumque fomitem inuestigasse, idque ipsa methodo pro more maiorum fecisse: & veritatem multis, ne dicam omnibus, hactenus occultam exposuisse: aliorumque omnium, vno excepto Galeno, sententias reprobauimus, & dubitationibus singulis satisfecimus, quæ possent hisce dictis accidere. Quapropter his prætermissis ad alia accedendum.

De propriis symptomatis febrium intermittentium: quid rigor, quid horror, & quid refrigeratio extremarum partium.

CAP. VIII.

QVONIAM ipsa methodus propositæ tractationis postulat, vt iam explicata intermittentium febrium natura, nos de symptomatis agamus, hoc loco illorum naturam, caussasque breuiter docebimus.

Verum quia de illis nonnulla capite superiori diximus: idcirco iis prætermissis, quæ iam sunt exposita: hic solum exponemus quid rigor, horror, & refrigeratio sint, sine quibus nulla est intermittens febris: & quæ horum sint caussæ.

Deinde vero quia proprium est harum febrium, quamuis non inseparabile, quod habeant proprios quosdam circuitus (Græci περιόδους vocant) de horum caussis diligenter etiam disputabimus; quandoquidem hæc vna est de maximis difficultatibus, quæ circa negotium de febribus agitari solent.

De symptomatis igitur intermittentium febrium hæc veniunt explicanda.

Ergo quantum ad primum pertinet Galenus *libello huic tractationi dicato*, sic rigorem definit: *Morbosus rigor refrigeratio quædam est dolorifica, cum in æquali totius corporis concussione.* Rigoris definitio ex Galeno.

Pro explicatione definitionis propositę animaduertere oportet ex duplici affectu rigorem aduenire posse: quorum alterum est in sano, alterum vero in ægrotante corpore.

Sanis quidem accidit aliquando ab animi affectibus, aliquando statim assumpto alimento, & aliquando ab extrinsecis caussis, quæ tamen non ita fuerint vehementes, quod morbum valeant inducere; de hoc itaque rigore nihil dicendum est à nobis, qui nunc morborum naturam docemus: sed solum de altero, qui ægrotantibus aduenit. Rigor secundum in sanis, & in ægrotantibus.

Quamobrem hic est quædam refrigeratio. Sed cur quædam, & non refrigeratio simpliciter? rigor enim & horror, & frigus extremarū partium, in hoc vno conueniunt, tanquam in suo genere, quod sint quædam refrigerationes: quoniam vero refrigerationum, quæ humanis adueniunt corporibus, quædam sensim, & paulatim fiunt, quædam vero subito, & confestim, quod Græci ἀθρόως nuncupant: illæ sane dolore carent: quod enim dolorem inferre debet, oportet, quod in sensum subito, atque violenter agat, quemadmodum nos exposuimus *secundo libro nostræ tractationis de doloribus.* Non est itaque rigor ea sensatio quæ sensim fit: sed ea, quæ confertim, & subito, & violenter percipitur, qua ratione recte dictum puto à Galeno, rigorem esse quandam refrigerationem dolorificam: nullumq; rigorem esse sine dolore.

Rigor cur sit quædam refrigeratio.

Porro, vt pars aliqua dolore sit particeps, hæc sunt necessaria; primum, quod ea pars sit alterabilis; quod enim alterari non potest, atque vt sic dicam, aliud & diuersum fieri ab eo, quod prius erat, dolore affici non potest.

Secundo opus est, eam partem, quæ dolorem cuiuscemodi debet perpeti, sensibilem esse. Nihil enim dolorem habet, quod non sentiat: hæc quidem sunt necessaria ex parte patientis subiecti.

Ex parte vero agentium qualitatum requiritur, quod in sensum agant, quodq; subito, & violenter id faciant: quia, vt supra diximus, quod sensim agit, id magis voluptuosum videtur, quam dolorificum.

Ex his, quæ diximus, multa colligenda sunt.

Primum quidem oportere ad hoc, quod rigor fiat, refrigerationem fieri totius corporis.

Secundo, cum dolore, ex quo alia etiam deducuntur: nempe quod sit necessarium rigorem fieri in partibus sensitiuis: est enim dolor, & tristis quædam sensatio.

Demum vero, quod causa, quæ rigorem imprimit in partibus sensitiuis, violenter atq; impetuose per easdem deferatur.

Hinc patet explicatio sententiæ illius Galeni; qua is passim affirmat, rigorem fieri ab humoribus violenter, magnoq; impetu motis, atq; agitatis per sensitiuas corporis partes: iam igitur dictum est, rigorem esse refrigerationem quandam dolorificam.

Sed quid voluit sibi Galenus, dum ait; *cum inæquali totius corporis concussione.* Nonne etiam trementibus nobis totum corpus inæqualiter concutitur? Eritne igitur rigor idem, quod tremor? minime vero inquam, plurimum enim inter se differunt.

Differentia inter rigorem & tremorem.

Ex Gal. lib. de tremore c. 95.

Nam primum à rigore distinguitur tremor: quod tremor quidem non sine consilio mouendi partem contingat. Quassatio vero, quæ vehementer rigentibus insidet, adeo violenter, valideq; concutiat corpora, vt quietem agere minime queant, vel si quis viriliter illis resistat.

1. Insuper tremor vnius duntaxat particulæ; rigor vniuersi corporis est affectus.

2. Ad hæc tremere quidem nonnullos absque vlla refrigeratione sensibili compertum: at rigere absque hoc, vt videatur corpus perfrigeratum, est impossibile: non tamen refrigeratum esse, & rigere idem esse fatearis.

3. Motus præterea in rigentibus inuoluntarius omnino est, in trementibus vero non absque imperio voluntatis consistit. Hisce igitur inter se differunt tremor, atq; rigor.

4. Sed iam dictorum causas expendamus.

Rigor itaq; quoniam est quædā secundū sensum refrigeratio singularū corporis partiū, necessariū est, calorē innatū, qui à corde cōtinuo pducitur, actua-

Causa rigoris quæ.

actualemq; caliditatem, membris ipsis communicat, ab illis partibus, in quibus refrigeratio sentitur, recedere; rursusq; non solum ad internas partes atq; ad suũ principium appellere, sed etiã foras prumpere: quoniam, vt Galenus optime admonuit, substantiæ semper mobili; qualis est innatus calor, quies mors est. ex partib. itaq; internis exiliens calor infestantibus, reluctantibusq; rebus occurrit, ac nunc pellit illas, nunc pellitur: idq; impulsibus, & conflictibus variis: tunc sane corpus mira quassatione ob duplicẽ illum, atq; inæqualẽ motum, haud citra dolorem concutitur, quamdiu molestantia adfuerint.

Concussio igitur quassatioq;, nec non omnium membrorum fremitus, omnisq; irregularis, inordinatus, ac inuoluntarius motus, ob calidi innati, factiq; iã vaporosi, inæquales, validos, violentos occursus, atq; resultationes, rigoris tempore perficiuntur. Quamobrẽ hæc innati calidi contractio, hæcq; reluctatio ad res, molestantes proxima est rigoris causa.

Sed propter quam causam à sensibilibus partibus retrahitur ad internas, & ad suum principiũ? non me hercle alia de causa, nisi quia in partibus illis aliquid adest, quod illas vehementer offendat, & quod in illis dolorem, & tristem sensum faciat? facit autem dolorem hunc humoris cuiuspiam motus subito, & confertim factus per sensibiles partes. *Cur calidũ innatum ad suum principium retrahatur.*

Sed qualis est is humor? calidus, ne an frigidus? *A quo humore fiat rigor.*

In febribus quartanis rigor adest, & is quidem vehementissimus, à frigido tamen humore, qualis est, melancholicus originem habet: in tertianis febribus rigor similiter aduenit: quę tamẽ à flaua bile, omnium humorum calidissimo, & siccissimo, prouenit.

Quam ob causam concludendum est, tum à calidis, quam à frigidis humoribus rigorem fieri posse.

Quæstionem tamen habet hoc loco, à qua causa maiores fiant rigores? *A qua causa rigores fiant maiores.*

Hanc nos ipsi sic breuissime dissoluimus, à calidis, acribus & tenuibus humoribus, quales sunt biliosi, rigores, fieri intensiores, breuiori tamen tempore perdurantes; quoniam humores illi per cutim, aliasve regiones nõ multo momento discutiuntur. At à frigidis causis, siue sit melancholia, siue vitrea pituita, rigores fiunt magis extensi, propter maiorem pugnã calidi innati cum causa morbifica, & propter eiusdẽ causæ maiorẽ reluctantiam, difficilioremq; discussionem ob viscidítatem, vel crassitiem humorum. Hæc lucida est solutio difficultatis huius, in qua tantopere implicantur recentiores Medici, quod se ipsos vix extricare possunt.

Rursus autem aliam difficultatem habet proposita tractatio, an rigores fiant maiores à virtute valida, an ab imbecilla. Nam Auicennas asserere videtur validiores fieri rigores causa validioris virtutis, dum ait; *Et de causa vehementis rigoris est vehementia virtutis expulsiuæ in lacertis, & propter illud quanto est causa rigoris viscosior, tanto rigor est vehementior.* *An rigores maiores fiãt à virtute valida an imbecilla.*

Galenus tamen *decimo methodi medendi* contrarium videtur dixisse hisce verbis: *Ac concussio quidem succedet propter eorum, quæ feruntur excrementorum tum multitudinem, tum acrimoniam, tum impetus celeritatem: tum laborantis virium infirmitatem; nam & quæ multa paucis, & quæ qualitate sunt insigni, iis, quæ ita non sunt, mordent magis, pari modo, & quæ cum celeritate feruntur, iis, quæ tarde. Iam vires vbi valentes sunt, omnia contemnunt, ac tolerant, vbi infirmæ sunt redditæ, vel absq; quouis offenduntur.* Ex his Galeni verbis colligere est imbecillam virtutem rigores vehementiores facere: cuius tamen oppositum non solum ipse Auicennas, sed etiam Galenus *libello huic tractationi dicato* dixisse visus est, dum inquit: *Igitur nec dum alimenti defectu innatum calidum obscuratur, nec dum pabuli copia obruitur, nec dum ob imbecillitatem collabitur, rigorem fieri cõtingit: sed quoties ipsum validum existens, intenditur, ac dein coercetur, reprimiturque, quod solet flamma, vbi confertim aqua illi instillatur. Calor itaq; per rigores, nec substantia, nec robore læsus ad vniuersas corporis partes extendi ferriq; properat, &c.* *Cap. 4.*

Cum itaq; hæc manifestam contradictionem faciant, quâ methodo nos veritatem inueniemus? & diuersas hasce sententias componemus? ea videlicet, qua nos hactenus vsi sumus, à notioribus inquam nobis, & à rerum euentis: sic enim facile in horum, quæ obscuritatem faciunt, notitiam veniemus.

Sit igitur huiusce rei principium, quod nullus rigor fieri possit, nisi refrigeratio quædam adueniat extremarum partium: hoc enim sensu ipso satis manifeste conspicitur.

Sed propter quam causam nobis rigentibus extremæ partes refrigerantur? proxima quidem causa est, caloris innati contractio ad interiores partes: quæ retractione externæ partes, quæ influentis calidi præsentia actu incalescebant, refrigerantur: quamobrem rigor videtur esse quædam affectio calidi innati, vt Galenus testatur *libello huic tractationi dicato*, quia in eo violenta, atque simultanea retractione: ac simul eiusdem innati caloris subita reuocatione ad externas partes, necessarium est illum aliquid perpeti. Porro hæc illius passio fieri non potest sine aliqua eiusdem imbecillitate: nam quod patitur, ea ratione, qua patitur, imbecillum est. Ex his colligendum calidum innatum, siue facultates, quæ in eo resident, imbecillas esse.

Alia etiam ratione eadem imbecillitas colligitur. Nempe, quod humores, à quibus rigores in febricitantibus fiunt, putridi sunt: at putredo fieri non potest, sine imbecillitate calidi innati: quia putredo est corruptio innatæ caliditatis in humidum ab externa caliditate: hæc autem ambientis est, vt ex Aristotele superioribus libris docuimus.

Ergo in ipso calido innato, tum ratione putrefactionis, tum ratione violenti motus, & pugnæ, contractionis, retractionis, atque reluctantiæ ad humores peccantes adest imbecillitas. Nullus igitur rigor sine imbecillitate caloris & facultatum.

Recte itaque à Galeno dictum est *libro decimo methodi medendi*, virtutem validam omnia contemnere, quod est dictum, quantum ad propositum pertinet, rigorem non facere, aut certe admodum exiguum: quoniam putrefactiones non fiunt, aut exiguæ, calorq; ipse non multum pugnabit, quandoquidem statim humorem peccantem expurgabit, neq; violentet ad partes externas appulsus, rursus ad internas remeabit, sed statim atq; fuerit ab internis partibus ad extrinsecas reuocatus, nullo negotio humorem putridum expellet. Magnum enim rigorem non solum facit contractio caloris, sed vehemens & pugna, vehemensque reluctatio, caloris innati cum humore peccante; Hæc quidem non erit vehemens, si virtus valida fuerit, supposita tamen aliqua humorum putredine: contrarium tamen accidet, cum imbecilla fuerit; quia præterquam quod violentet contrahetur, plurimum cum putredine pugnabit nunc illam superans, nunc contra superata, eoq; occursu & pugna vehementissimi rigores fiunt.

His in hunc modum expositis particularibus ad quæstionem accedentes, cum quæritur, an maiores fiant rigores à valida virtute, an autem ab imbecilla: dicimus maiores fieri proculdubio ab imbecilla virtute, quam valida: quoniam maior aduenit pugna & reluctantia in debili virtute, quam in valida, vt supra demonstrauimus.

Sed tamen nota, vt recte intelligantur Medicorum sententiæ, quas attulimus, quod imbecilla virtus multos gradus habet.

Quædam enim est ad extremũ debilis, hæc nullius rigoris est causa, quoniam cum morbo reluctari non potest, ac fieri nequit sine reluctatione.

Quædam vero imbecilla est sano corpori collata, quæ tamen relatione ad ægrotantem valida nuncupabitur: hæc sane rigores maximos facit, quia propter imbecillitatem non statim expellit putredinem, sed vehementer pugnat cum morbifica causa.

Hunc

Hunc sensum, meo quidem iudicio habuit Auicennas cum dixit, fieri rigorem vehementem à valida virtute: quæ scilicet valida est in latitudine ægrotantium non autem in latitudine sanorum, quandoquidem hæc omnia contemnit, vt recte admonuit admirabilis Galenus: hæc igitur quanto validior, tanto intensiores rigores faciet.

Cæterum quid ad Galeni sententiam dicemus? Cum validam virtutem, atq; (vt is inquit) nec pabuli copiam obrutam, nec ob imbecillitatem collapsam, rigorem facere testatur? sed recte is quidem meo iudicio. Nam dum veri fiunt rigores, virtutem validam esse oportet, ea præcisa ratione, quam supra retulimus: nempe relationes habitæ ad ægrotantium corpora, non autem ad ea, quæ in latitudine sanitatis consistunt. Hæc sane est propositæ difficultatis explicatio.

Verum hic multo maior occurrit ex Galeni principiis desumpta; quomodo rigor sit quædam refrigeratio secundum sensum caloris innati: vt Galenus clarissime testatur *libello de rigore, tremore, &c.* dubitandi autem ratio est, quod hoc videatur impossibile. Nã si in rigore calor innatus confertim, atq; subito mouetur: motus, calefacit: quomodo igitur est refrigeratio? Deinde ad partes internas vnitur, vt ad ipsam expulsionem fortior accedat, quomodo is refrigeratus dici debet? Maxima difficultas.

Præterea, si rigor fieri nequit, non præcedente reluctatione innati calidi, cum causa morbifica, quomodo potius non intenditur caliditas, quam remittatur?

Hæc maxima est in præsenti negotio difficultas; quam tamen ego sic probabiliter diluo. Quod in rigore re ipsa minime refrigeretur innatum calidum, sed potius, vt optime conclusimus, intendatur, magisq; calefiat. Sed tamen si rem perpendamus iudicio sensus, contrario quodam modo se habere existimabimus. Siquidem eo tempore sensu iudice omnia iudicantur refrigerata, qua ratione etiam dictum est de calore quandam esse refrigerationem. Sed ne quis arbitraretur esse veram refrigerationem, addidit, secundum sensum refrigerationem esse, quasi dixerit, non re ipsa, sed sensus existimatione. Verum hæc de rigore sufficiant, nunc de horrore, & refrigeratione pauca disseramus.

Horror leuior quædam est affectio, quam rigor: eo enim solo non vniuersæ corporis partes, sed solum quæ in superficie potissimum sunt, inhorrescunt; & quantum à rigore distat, tantum simplicem extremarum partium refrigerationem superat. Quamobrem horror medio quodam ordine inter rigorem, & refrigerationem constituitur. Horror.

Quantum vero ad causas pertinet, habent duo hæc symptomata easdem causas, in eo tamen quod magis & minus differentes: quid fieri ex iis, quæ de rigore supra diximus, manifestum potest.

De causis periodicationis in febribus disputatio.

Cap. IX.

QVONIAM omnibus intermittentibus febribus hoc, tanquam proprium inest, certis quibusdam periodis, atq; circuitibus inuadere; necessarium est hoc loco, nos horum causas perquirere: atq; eo sane diligentius, quo proposita disputatio vna est ex maximis, quæ in tractatione de febribus explicari solent: Hinc sane factum est recentiores Medicos plurimum inter sese dissentire; atq; quod dici solet, tot esse sententias, quot capita. Ego vero, vt rem methodo prosequar, primum docebo, quid in hac re admirabilis noster Galenus senserit: deinde vero explicabimus, an aliquid in Galeno desiderari possit: si quid vero desideratur; prætermissa illius opinione in medium afferemus propositæ difficul-

tatis explicationem, verum quia maximæ difficultates emergent, omnes equidem persoluemus: nihilque iis expositis pro dignitate negotij, desiderabitur.

Quantum itaq; ad Galenum spectat, hæc summa est eius opinio, quam colligere est *lib.2. de febrium differentiis cap. vlt.* quod omnium morborum, qui per circuitum obrepunt, causam referre oporteat in dispositiones partium ipsius corporis: hocq; quoddam commune esse tum febribus, tum aliis omnibus morbis, qui per defluxus humorũ fiunt. Porro affectas partes excrementa transmittere, vel suscipere, vel generare, vel attrahere, atque donec adest causa in eisdem partibus, propter quam sic circa superfluitates dispositæ sunt, eatenus circuitum perdurare. Galeni verba sic habent; *Quacunq; per circuitus aliquos ægritudinum accessiones fiunt, ex partium dispositionibus ortum habent, quæ scilicet partes, vel mittunt, vel suscipiunt, vel generant, vel attrahunt superfluitates eo, quo nuper diximus modo: sed quæ circuitum non habent, in iis nulla est corporis pars præcipue offensa, quemadmodum de continentibus febribus paulo post declarabimus.* Hæc Galenus.

Quamobrem si quis quæsiuerit, propter quam causam tertiana febris, cuius origo est ex flaua bile, tertio quoq; die inualescat: quæ autem à pituita fit extra venas singulo quoq; die circuitum faciat, & quam concitat melancholicus humor, quarto die suas habeat exacerbationes, huic secundum Galenũ respondendũ esset, quia partes affectæ excrementa putrefacta, aut quotidie, aut alternis diebus, aut quarto quoquo die, transmittunt, vel suscipiunt, vel generant, vel attrahunt.

Alia quidem causa secundum eius principia afferri non potest, siquidem ego quantũ potui magno studio, & diligentia, in eius voluminibus perquirere, nihil aliud inuenio, quod responderi possit.

Verum quamuis absurdum videatur ab huius hominis opinione discedere, tum quia re ipsa omnes alios Medicos superauit suo illo admirabili ingenio, tum quia nostris hisce temporibus tam magna est hominis existimatio, quod nihil verum putetur, nisi fuerit illius authoritate confirmatum; Ego tamen, qui eatenus Galenum admiror, quatenus is vera profert, & cum ratione loquitur, neq; in illius verba iuraui; sed eo feror, quo me rationes ipsæ attrahunt, putaui me operæprecium facturum, si adnotarem, quę in Galeno mihi parum satisfaciunt.

Atque in primis illud est, quod adhuc inquirendum venit, propter quam causam accidat, partes affectas sic dispositas esse, quod vel tertio quoque die, vel singulis, vel quarto accessiones faciant. Hoc enim illud est, quod controuersum est, quodque difficultatem facit.

Fateamur (si ita placet) partem nimium dolorificam attrahere flauam bilem putridam: quærerem ego, propter quam causam non attrahat singulo quoq; die, aut generet, aut recipiat, aut transmittat? nõ est igitur adhuc exposita vere causa circuitus.

Deinde supponamus causam ex Galeno esse humorum attractionem propter partium dolorem, aut immodicum calorem; hanc enim vnam inter alias admittit; dicat is mihi, propter quam causam accidat, quod continuo existente calore, aut dolore, attractaque flaua bile non fiat circuitus quotidianus magis quam tertianus: præsente enim vera causa semper effectus sequitur; vti scilicet nulla adsit in contrarium resistentia.

Supponatur adesse in partibus dispositionem tanquam mouentem, humores esse præparatos, motuique obedientes, quid erit impedimento, quin quotidie accessiones similes fiant.

Idem etiam de aliis causis dicamus: nihil enim certi afferre possumus, propter quod accidat, quod in partibus affectis generatio cholerę fiat alternis diebus, pituitæ singulis: melancholiæ quarto quoq; die.

Præterea

Præterea reddat causam, si copiosa flaua bilis in quibusdam partibus (extra venas tamen) recondatur, ab illisque propter validam expultricem expellatur, transmittaturque ad alias sentientes partes, cur motus tertianos potius, quam continuos faciat? Idem prorsus esto iudicium de reliquis. Quamobrem cum hæc Galeni sententia controuersiarum sit plena; reliquum est, vt doceamus, quid pro ipsa veritate sit sentiendum.

Opinio proprio de causis periodicationis.

Cum itaque videamus nos hoc ipsum perpetuo inesse, quod flaua bilis tertio quoque die accessionem facit: pituita singulis diebus; & melancholia febrem efficiat quarto quoque die affligentem: necessarium est, cum huiusce certi euentus determinatique effectus causa, in partium dispositiones referri non possit, quemadmodum putauit Galenus; causam veram consistere in humoribus ipsis putridis: nam inueniri non potest alia causa, si hasce duas excipias, atque è medio tollas; hinc omnes, qui circa propositam difficultatem versati sunt; aliquando id contingere putarunt vitio affectarum partium: aliquando autem propter humores peccantes.

Verum quia in humoribus hæc adsunt, natiua illorum temperies, quantitas, & putredo, putredinisque qualitas, & pecularis conditio. Oportet humores periodos facere propter aliquam ex dictis causis: non potest autem contingere propter temperiem, & quantitatem: ergo relinquitur, quod ortum habeat à peculiari conditione putredinis.

Quod humorum forma (idem enim est forma, quod temperies) circuituum causa non sit, hinc potissimum colligito, quod in sanis corporibus similes circuitus fierent, in quibus humores reperiuntur: qua de re, cũ præsenti temperie humorum periodicatio non adsit; oportet in humoribus aliud adesse, quam temperiem.

Deinde vero determinatæ causæ non efficiunt, nisi determinatos & proportionatos effectus: illi vero, qui nullam cum efficientibus causis proportionem habent, ab illis fieri nequeunt; sed periodicare humores non habet proportionem cum qualitatibus & formis humorum, Siquidem humores calidi, per se calefaciunt: frigidique refrigerant; aliosque effectus edunt, qui manifesto ad calidum, & frigidum referri possunt.

Simili modo dicendum est de qualitatibus passiuis.

Ac ii dicant, quæso, quam proportionem haber periodicatio de tertio in tertium cum caliditate, & siccitate flauæ bilis: aut de quarto in quartum cum siccitate, & frigiditate melancholiæ: aut singulis diebus; cum frigiditate, & humiditate pituitæ.

Sunt, qui humorum quantitati acceptas referunt eiusmodi causas in hunc modum: quia pituita, cum sit humor admodum familiaris naturæ humanæ, idcirco plurimum abundat, magna eius copia facit, quod putrefactione existente in pituita, singulis diebus accessiones faciat: melancholiæ vero minima est omnium humorum portio; idcirco accessiones facit, quæ quarto die hominem inuadunt. At flauæ bilis medio modo sese habens, tertianum circuitum efficit.

Sed maxime iudicio meo decipiuntur.

Quoniam quantitates rerum non possunt esse causa determinatorum effectuum, nisi in quantum à propriis formis determinantur.

Sed periodicatio, quidam est certus, atq; determinatus effectus, qui continuo sequitur humores extra venam putrefactos.

Quamobrem per se fieri non potest ab humorum quantitate.

Rationem confirmat magnus ille Commentator Auerrhoes, dum libro tertio de cælo commentario septuagesimo secundo sic ait: *Causa non est causa alicuius propter suam quantitatem, nisi accidentaliter: quantitas enim non est terminata: causæ autem agentes, & patientes sunt terminata, quod scilicet non qualibet causa facit quodlibet*

causatum; causa autem, & causata sunt determinata propter suas formas. hæc ille.

His addito, quod si pituita propter copiam quotidianam facit: cur similiter quotidianam non faciet bilis putrefacta, quæ quotidie accessiones facit, vt quotidie obseruamus in duabus tertianis. Adest enim sufficiens copia, qua quotidie accessiones inuadunt; cur igitur non sunt magis in figura circuitus quotidiani, quam tertiani? his rationibus manifeste concluditur, consequentem causam periodicationis non esse.

Relinquitur igitur hoc esse referendum ad putredinem.

Quoniam vero duo sunt in putredine: alterum sane naturalis putredinis forma, de qua nos supra tũ ex Medicorum, tũ ex philosophorum sententia disputauimus: Alterum vero peculiaris quædam conditio, & peculiaris quædam qualitas insita putredini.

Dicimus periodicationem non insequi putredinem, quatenus est putredo, nempe secundum communem rationem putredinis, quia oporteret hunc effectum adesse in omni putredine; cuius tamen oppositum obseruamus; cum videamus potissimum insequi humores extra venam putrefactos: quamuis etiam contingeret in illis, qui putrefacti sunt in paruis venis: quod enim sequitur putredinem, quatenus est putredo, id sane in omni putredine reperitur, in omni tempore, & in omnibus humoribus, siue intra venas, siue extra venas putrefacti sint.

Dicimus secundo periodicationem insequi peculiarem conditionem, & propriam qualitatem putrefactionis, hoc modo.

Sed primum doceamus, quid intelligamus per peculiarem conditionem putredinis.

Scire igitur oportet, putredinem satis magnam latitudinem habere: quædam enim est, in qua humores leuiter à propria natura dehiscunt, possunt sic leuiter, & superficietenus putrefacti ad pristinum bonitatis suæ statum reuerti; quemadmodum de sanguinis putredine à Galeno *2. aphorismorum com. 17.* scriptum legimus.

Idem enim accidit, quod in acescentibus vinis, in quibus cũ nondum plane ad aceti naturam facta fuerit conuersio, possunt ad naturam suam reuerti.

Est rursus quædam putredo adeo profunda, adeoque sordida, quod nulla ratione aut remediis (vt rectius dicam) tantum abest, vt sponte possit ad bonitatem naturalem redire. Hæc perfecta est putredo, consumataq́ue, quę sane recte etiam corruptio nuncupari potest.

Cæterum non sunt hæ solæ putredinis differentiæ, sed reperiuntur etiam aliæ satis frequentes.

Nam quædam est putrefactio adeo maligna, quod statim totam corporis nostri substantiam inuadit, labefactat, dissoluitque. In hoc genere sunt illæ putredines, quæ concomitantur febres pestilentes, de quibus nos sequenti libro disputabimus.

Quædam vero contra benigna est putredo, quæ ne minimum quidem totam substantiam inuadit: hæc in febribus accidit putridis citra malignitatem, & pestilentiam.

Porro aliud etiam animaduertere oportet; nempe humoribus putridis, cum mouentur ad putredinem, peculiarem quandam adesse naturam, quod certis circuitibus homines inuadant. Sed duo requiruntur, vt hæc determinata periodus accidat: Primum, quod humores sint putridi: alterum, quod vel moueantur extra venas, vel in venis paruis, ab ipsoque corde longe dissitis reperiantur. Hæc particularis cõditio putredinis est proprietas quædam inseparabilis ab illis humoribus; non equidem secus, quam in humano corpore risibilitas. Statim enim atq; nos admiserimus, humores extra venas putrefieri, deferriq́; per sensibiles corporis partes, aut in minoribus venis re-

condi,

condi; ſtatim, inquam hoc, tanquam proprium accidens, & inſeparabile admittimus; habere videlicet certas quaſdam, & determinatas periodos: hæc eſt illa peculiaris conditio putredinis, quam ſupra nominauimus; quoniam non ineſt in omni putredine; ſed propria eſt ſolum illius putredinis quam nos hactenus expreſſimus: hæc vera eſt cauſa periodicationis, qua poſita ponitur, & qua remota remouetur periodus. Quam putredinis qualitatem ſi dixeris inſequi ſpecificam formam illius putredinis, meo quidem iudicio non errabis: neque etiam reprehendendus fueris, ſi hanc occultam quandam proprietatem nuncupaueris: ſiquidem eſt vel hoc nomine appellanda; vel eo, quod diximus: quomodocunque tamen voces occulta quædam videtur natura, quæ rebus ipſis inſita eſt; quam cum nos alio modo aſſequi non poſſimus, quam obſeruatione, & experientia; fit ſane merito occultam nuncupari poſſe.

Magnes lapis (vt rem clarioris doctrinæ cauſa exemplis proſequar) hoc ſibi à natura inſitum habet, quod ferrum attrahat: ſed propter quam cauſam? non propter temperamentum, & formam: quia intemperie, & forma cum multis aliis lapidibus conuenit, quæ tamen ne minimum hoc munere participant? qualis eſt igitur cauſa huius manifeſti, atque perpetui effectus? cum manifeſta reddi non poſſit, ad occultas confugere oportet proprietates; dicereque hoc illi à natura inſitum eſſe, vt hoc munere perfungantur: ſic igirur de humorum circuitu, deque ipſa periodicatione dicere oportet.

Cæterum quo mainfeſtior fiat hæc noſtra opinio, primum rationibus confirmanda eſt, deinde vero illuſtrium Medicorum ſententiis corroboranda.

Prima quidem ratio ſit hæc *Omnis effectus eueniens circa determinatam ſpeciem omni tempore, qui non poteſt reduci in cauſas manifeſtas; debet reduci in formas quaſdam ſpecificas, & in proprietates occultas illas inſequentes.* Nam duplex eſt cauſarum ordo, quædam enim manifeſtæ ſunt, quædam autem occultæ; *atque quotieſcunque effectus in apertas cauſas referri nequit, neceſſarium eſt illum fore in occultas referendum, cum aliæ cauſæ non ſint.*

Porro quod humor pituitoſus quotidie periodum faciat: flaua bilis tertio quoque die: humor melancholicus periodum faciat de quarto in quintum diem. In manifeſtas cauſas referri non poteſt. Quamobrem oportet illorum cauſas occultas eſſe.

Quod autem huiuſce effectus manifeſta non ſit aliqua cauſa; ſatis colligitur inductione facta circa manifeſtas cauſas, de quibus nos ſupra docuimus, quibus adde, quod ſi copioſiſſima flaua bilis extra vaſa contineatur; deferaturque per ſentientes corporis partes, hæc tertianos circuitus faciet: ſi vero exigua ſit putrefactæ pituitæ quantitas, quotidianam periodum excitabit. Hoc enim ſatis manifeſtum eſt ex iis, quæ à nobis quotidiana experientia obſeruantur.

Secundo, *quilibet effectus finitus, & determinatus habet cauſam finitam, & terminatam. Sed periodicatio flauæ bilis de tertio in tertium eſt effectus determinatus & finitus. Ergo habet cauſam immediatam determinatam, & finitam. Sed diſpoſitiones membrorum mittentium aut recipientium ſunt variabiles in infinitum, & ſimiliter diſpoſitiones humorum. Ergo tales diſpoſitiones ſunt in infinitum variabiles. Ergo tales diſpoſitiones manifeſtæ, ad quas referuntur circuitus, non ſunt illius effectus cauſa adæquata, & immediata. Sed præter illas nulla poteſt poni præter quam occulta proprietas illorum humorum eo modo, quem expreſſimus, quare ipſa erit illorum periodicationis cauſa.*

Quod autem in infinitum humorum, & membrorũ diſpoſitiones ſint variabiles, hinc poteſt facile perſuaderi, quod in infinitum poteſt virtus partium debilitari; & in infinitum poteſt materia pauca fieri.

Tertio, *quicunque effectus reperitur in omnibus indiuiduis alicuius ſpeciei, niſi in aliquo ſit notabile & accidentale impedimentum, debet habere cauſam communem omnibus*

illis in-

illis indiuiduis. Sed periodicatio de tertio in tertium est effectus communis omnibus indiuiduis cholera, nisi adsit in aliquo eorum aliquod impedimentum accidentale valde notabile. Ergo debet habere aliquam causam communem omnibus suis indiuiduis. Sed nulla causa potest esse omnibus hisce communis, nisi sit de essentia speciei cholera putrefacta extra venas, aut in paruis venis, vel ab ipsa essentia profluat; quare talis causa erit, aut forma substantialis cholera, aut proprietas illam insequens.

Et confirmatur, quia educere choleram est effectus communis cuicunq; indiuiduo speciei reubarbari, nisi sit accidentaliter impeditum, propter antiquitatem, aut putredinem. Et huic effectui correspōdet causa communis; scilicet proprietas specifica illius.

Similiter attrahere ferrum est effectus communis cuicunque indiuiduo magnetis, nisi sit accidentaliter impeditus, vtpute per inunctionem allii. Et huic correspondet causa communis; scilicet proprietas specifica illius.

Idem potest explicari in his, in quibus est ꝓprietas passiua, sicut in ferro & similibus; quare idem accidet in flaua bile, atque in reliquis omnibus humoribus, qui certas quasdam, atque determinatas periodos faciunt.

His itaque rationibus satis persuasum puto rationem, immediatamq; causam circuitus in febribus non esse aliunde petendam, quam ab occultis proprietatibus: quas nos, recentiores quosdam Medicos imitati, diximus peculiares quasdam esse conditiones qualitatesve putredinis.

Huius opinionis primus inuentor fuit subtilissimus ille Gentilis Fulginas omnium interpretum Auicennæ celeberrimus.

Hanc eandem opinionem deinde, vt alios quamplurimos taceam, sequutus est Ioannes Fernelius vir maximi nominis, qui hac de re disputans, sic propositam quæstionem illuminat; *non igitur sola* (inquit) *excrementi copia, sed alia quadam vis maior necessario vnumquemq; humorem ordine certaq; regula ciet, atq; impellit. Hac autem propria est contracta putredinis, qualitas siue natura, atque conditio, qua omnem corporis statū naturalem immutat. Vt Epilepsia insultus, aut hydrophobia impetus non humoris genus, sed qualitatis natura in humore sita excitat. Et menstruam mulierum purgationem statis periodis mouet, non sanguinis exuperantia (nam siue paucus, siue multus est in muliere, mensibus tamen singulis, nisi quid naturæ ordinem interpellet, erumpit) sed vis orta qualitatis: ita & vis quadam, seu qualitas in humore genita efficit, vt putrescens pituita quotidie, flaua bilis tertio, atra quarto die impetum faciat. Humor autem superuacaneus plenior cumulatus, quia vix natura beneficio, & calore regi potest, corrumpitur & quodam modo putrescit, ac tum qualitatem eam adipiscitur, qua hunc illumue motum impetumq; habet; atq; vt sua est cuiusq; humoris species, ita & sua cuiusq; putredo, vel qualitas, suus cuiusq; motus.*

Alium igitur qualitatem, aliumue motum pituita, alium bilis flaua, aliam melancholia putredine contrahit.

Hac autem ratione accessio ordine recurrit (cum febris inuasura est, humor in suo quasi foco coercitus concitatur, & quasi turgescens excandescit: ipsoq; impetu & multum de se tetrum vaporem quoquo versum in corpus omne diffundit; & interdum exiguam sui portionem eructat, excutitq; in præcordia & ventriculum nonnunquam, & per iecur in maiores venas, eaq; manet accessio, dum sedetur impetus: & dum quicquid è foco excussum est, calore crematum dissipetur, aut in sudores abeat.) hæc Fernelius, qui sane videtur mihi clarissime totam hanc difficultatem illustrasse.

Cæterum ne, quæ à nobis supra de occultis proprietatibus dicta sunt, absurda videantur, placet hoc loco Alexandri Aphrodisiensis verba referre, quæ de hisce proprietatibus transigunt, vt vnusquisq; possit citra controuersiam cognoscere. Maximos peripateticos occultas hasce proprietates admisisse. Sic enim habent in præfatione Problematum; *quæstionū igitur ratio, quam proposui, partim ex se certa, manifestaq; est partim inexplicabilis, modumq; penitus humani ingenii excedens, Deo duntaxat cognita immortali, qui rerum omnium parens, atq; autor est, operis quidem solertissimi cuiusdam rationē artifex, qui extruxit, integre tenet: cæteri*

vero,

uere, qui artis illius sunt ignari, rationem nullam reddere queant, sed tantummodo rem inspectant, & demirantur.

Quæstiones, quas inexplicabiles dixi, huiuscemodi sunt. Quam ob causam ridere scilicet soleant, quos in alis aut costis, aut pedibus titillamus. Cur nonnulli, cum mutuum marmorum attritum, sectionemue, aut ferri stridorem, limarumue sentiunt: dentibus obtorpescant, qui fieri possit, vt stupori dentibus à frigidis fructibus iniecto portulaca herba, quæ frigida est medeatur, cum non res similes, sed contraria remedio contrariis esse debeant. Qua de causa lapis, qui magnes vocatus est; ferrum solus attrahere, ramentisq́; ferri innari valeat. Electrum siue succinum floccos festiculasq́; sibi ita coniungat, vt hærentes possint attrahere. Vnde fiat, vt leo gallum tantummodo extimescat. Quid sit, quod gallina edito ouo festuca aliqua se, & ouum lustret. Quare veratro coturnices, cicuta sturni vescantur, quæ toxica hominibus esse certum est. Quamobrem scammonia bilem ducat; cucurbita agrestis, agaricum, veratrum album, euphorbium, granum gnidium, pituitam. Veratrum autem atrum, aut epithimus bilem atram. Cur aluus nonnullorum iis rebus adstringatur: quibus aliorum resolui consueuerit: contraq́; his resoluatur potius, quæ adstringere possunt. Quamobrem alius alio cibo delectetur; eundemq́; alius facilius, alius difficilius concoquere valeat; cum nulla ratio vel caloris, vel alicuius rei eiuscemodi intelligatur. Nemo sane vel torpedinem piscem torporem per funiculum nostro inuehere corpori; vel triglam obtentam vitium à torpedine acutum tollere ignorat. Permulta id genus licet enumerare, quæ nosci tantum experimento potuerunt: vnde apud Medicos abdita illa, delitescentesq́; causæ his in rebus habentur: quarum nulla ratio reddi poterit. Quocirca temere sane agunt, qui genus id quæstionum solutionibus mandare contendunt. Hæc ille. Ex quibus manifestissimum est, occultas proprietates quibusdam rebus inesse, quas profecto alia ratione cognoscere non possumus, quam experimento: & ex harum quæstionum numero propositam consistere, qua inquirimus causam, propter quam humores putrefacti, aut extra venas, aut in paruis, atq; remotis venis certas quasdam periodos habeant. Hæc quoniam sufficienter sunt explicata, reliquum est, vt omnibus dubitationibus satisfaciamus, quæ contra propositam opinionem maximæ videntur.

Hugo Senensis, vir profecto subtilissimi ingenii, hanc opinionem, quam proposuimus, pluribus rationibus impugnat. Sic enim ratiocinatur. *Rationes Hugonis Senensis contra propositam opinionem.*

Hæc proprietas occulta, quæ ponitur causa periodicationis in humoribus, vel in humoribus, vel in membris collocatur. Si in humoribus, aut est virtus actiua talis motus, aut virtus passiua. Si actiua, aut vno tempore intendit motum, & alio tempore non intendit: aut quantum sit merito sui, semper intendit motum, non semper tamen mouet, quia patiens non est semper æqualiter dispositum. Sed nullo modo admittenda est eiuscemodi virtus, siue proprietas occulta, ergo sequitur opinionem propositam falsam esse.

Ostendit autem primum hanc proprietatem non esse virtutem agendi, quæ videlicet intendat mouere vno tempore, & non alio, quoniam, inquit, data veritate propositæ cõclusionis, insequuntur quãplurima absurda. Et horum primum fit, quod non sit vniuersaliter verum, quod causa, quare motor non moueat, sit, quia non habet sufficientem dispositionem ad mouendum, intelligẽdo per talem dispositionem sufficientem totum, q requiritur ex parte dispositionis agentis & passi, & explicationis vnius ad alterum consequens falsum est, quandoquidem his positis necessarium est, quod agens aut agat aut agere incipiat: & est contra Auerrhoen *in 8. phys. com. 6.*

Consequentia tamen arguitur, quia in die quietis tertianæ, etiamsi omnia alia concurrant ad motum, tamen quia proprietas non intendit mouere, nec incipit mouere, & tamen pro tunc nulla res deficit de requisitis ad mouendum, sicut nulla deficiet die sequẽti, & cætera erunt paria: si igitur in secunda die nulla res deficit, nec in agente, nec in patiente, nec in applicatione & tamen non mouet: nec tamen causa non mouendi adest, quia non

habeas

habeat sufficientem dispositionem ad mouendum: quod si dicatur, quod deficiat intentio ad motum, tunc oportet assignare causam, quia tunc deficit intentio, & non deficiet in sequenti die, cum omnia sint paria nunc, & in sequenti die.

Secundo sequitur, quod ab agente mente naturali possit prouenire nouus motus absque causa noua.

Consequens falsum, & contra sententiam Aristotelis & Auerrhois *8. phys. com. 6.*

Nam secundum Aristotelem si motor non mouet, nec incipit mouere, & post mouebit, tunc cum non mouet, est in potentia, & quando mouet, erit in actu.

Sed hoc esse non potest absq; causa noua, aut in mouente, aut in motu, aut in applicatione vtriusq;, aut in remotione impedimenti propter quæ fiat in actu, vbi prius erat in potentia.

Ergo impossibile est, quod fit motus nouus post quietem absque causa noua illius motus.

Sed quod hoc sequatur, patet: quia proprietate manente eadem, & aliis dispositionibus ex parte agentis & patientis, & applicatione motoris ad mobile, & remotione impedimẽti proprietas choleræ mouet in tertia, quia ita appetit, & non mouet in secunda, quia non appetit etiam omnibus existentibus paribus: motus igitur in tertia die erit de nouo, & nulla causa motus erit noua.

Quod si dicatur, quod appetitus proprie talis erit causa noua: patet, quod hic appetitus cum prius non esset, sit opportunum, quod producatur: & ideo erit aliqua causa appetitus, quam oportet esse de nouo, & producetur in infinitum: aut dabitur aliquid, quod sit de nouo, absq; causa noua.

Tertio ex positione proposita, sequitur, quod stat, agens naturale esse in dispositione, in qua aptum est mouere, & habeat quicquid ex parte sui requiritur ad motum; & passum esse in dispositione, in qua aptum est moueri, habens quicquid ad hoc requiritur vt moueatur, & deductum esse impedimentum, & agens sufficienter esse applicitum passo, & tamen mobile non moueri, nec incipere moueri: ponitur enim, quod proprietas choleræ sit motiua tertia die, & non hodie, quæ est in secunda, tunc cholera mouebitur cras, & habebit omnia requisita ad motum, & tamen non mouebitur hodie: cum tamen hodie habeat omnia, quæ habebit cras, & habebit omnia requisita ad motum. Ergo sequitur conclusio, quæ repugnat Auerrhoi *com. 8. lib. 8. phys.* dicenti, cũ ergo vtrumq; eorum fuerit in dispositione, ergo hoc mouet, & hoc mouetur, & fuerit propinquum vnum alteri, & non fuerit illis impediens, necesse est, vt hoc moueat, & hoc moueatur.

Hæ quidem potissimæ sunt rationes Hugonis: alias autem non affero, tum quia ex harum solutione videtur dependere illarum solutio, tum quia alium sensum refellunt, ab eo plurimum diuersum, quem nos insequemur.

Solutio prædictarũ rationũ Hugonis.

Rationes subtilissimi huius hominis tantũ apud clarissimos meos præceptores valuerunt, quod omnino putauerint, falsam esse eam opinionem, quam nos supra tum rationibus, tum autoritatibus comprobauimus. Ego vero, dum rem diligentius contemplarer, manifeste perspexi propositas rationes nihil concludere. Quæ res, quo illustrior fiat, omniq; difficultate careat, nunc docere proposuimus.

Igitur pro solutione propositarum quæstionum scire oportet, hanc conditionem peculiarem, siue qualitatem putredinis, siue insitam, atque innatam proprietatem: (idem enim hæc sunt) quam nos ponimus esse causam periodorum intermittentium febrium, habere hasce conditiones.

Prima, quod sit in humoribus extra venas putridis, aut in venis paruis, & longe ab ipso corde dissitis.

Secun-

Secunda, quod non reperiatur in humoribus, qui non sunt putridi: sed insequi putredinem humorum in eis locis existentium.

Tertia, quid hæc proprietas inueniatur in humoribus illis genita, dum illi mouentur ad motum periodicationis: & non amplius in illis permanere completo motu periodicationis.

Quarta, quod genita illa proprietate, illa sit immediata causa circuituum.

Quinta, quod in die quietis non repetiatur hæc virtus motiua, siue hæc proprietas actiua in humoribus putridis.

His hoc modo stantibus dicimus pro conclusione, quod hæc proprietas sit in humoribus.

Secundo, quod sit actiua, non passiua.

Tertio, quod aliquo tempore moueat, aliquo autem non.

Quarto, quod eo tempore, quo non adest motus, causam esse, quod ea proprietas nondum fuerit genita.

His sic se habētibus, ad primam difficultatem, cum ait Hugo, q̃ sequatur, q̃ non sit vniuersaliter verum, q̃ causa, quare motor non moueat sit, quia non habeat sufficientem dispositionem ad mouendum. Neganda est consequētia: & cū probat consequentiam, quia in die quietis nulla conditio desit ad motum. Rursus negatur: nam is præsupponit semper adesse hanc proprietatem in humoribus puttidis, quam rem sane nos minime admittimus: sed illam genetari putamus in instanti motus, & periodicationis, at in tempore quietis non adesse nisi potentia.

Ad secundam rationem respondemus; quod non sequitur ab agente naturali fieri posse nouum effectum, sine noua causa: quia continuo ad nouam humorum in locis supra narratis puttedinem sequitur perpetuo noua generatio, ac productio malæ illius qualitatis & occultæ proprietatis, quam nominauimus.

Ad tertiam similiter negatur consequentia: atque dicimus in hoc vno adesse deceptionem, quod in die quietis primum non adsit illa proprietas, nisi in potentia: secundo, quod humores non sint eo tempore præparati ad periodum; quam ob causam sequitur, neq; agens esse bene dispositum, cùm sit in potentia, non in actu; neq; etiam passum illi propinquari. *Vide aliam opinionem de causis circuituum in Altimari parte 2. c. 10. sui operis de febribus.*

His quidem videor hisce rationibus satisfecisse. Atque hic esto finis propositæ difficultatis, prætermissis aliorum opinionibus, quæ mihi visæ sunt patū firmæ, illisq; solum telatis, quæ principales erant ad laudem Dei optimi maximi gloriosi, qui sit benedictus per infinita secula seculorū. Amen.

De longitudine, breuitate, & ordine accessionum, deq; earundem permutatione.

CAP. X.

HACTENVS quidē de circuituum causis diximus, nunc reliquum est, vt doceamus causam longitudinis, & breuitatis, & ordinis paroxysmorum, quæ res in omnibus fere intermittētibus febribus obseruatur: simulq; perpēdamus, propter quam causam accidat, ordinem horum accessionum per circuitum euerti, atq; perturbari.

Sed in primis illud animaduertendū est; quod nos hic de industria prætermisimus enarrare, propter quā causam aliqui circuitus fiant per quintum, septimum, & nonū diem: quū quæ de aliis satis longo sermone diximus, hæc eadem propositis circuitibus conueniunt, tum etiam, quia satis manifestum videtur, aut hosce circuitus nusquam reperiri: nam Galenus quantū ipse potuit, diligenti studio perquirere, nunquam tñ inueniri eiusçemodi circuitus: aut si repetiuntur (quod nos negamus, vtpote qui nuuquam simul cum Galeno obseruauimus) fere sunt imperceptibiles, & potius imaginarii: Ergo his prætermissis doceamus dictorum causas.

Libr. 2. de febr. diff. cap. 9.

Accessiones & paroxysmi plurimā habent in eo, quod magis & minus, differentiam triplici ex causa; vt admirabilis Galenus obseruauit. Prima, humoribus ipsis est referenda. Secunda, viribus corporis. Tertia vero, habitudini corporis.

Humores quidem, vel ob eorum copiam, vel qualitatem, seu substantiam & consistentiam hoc faciunt.

Vires eandem vim habent propter illarum imbecillitatem, aut fortitudinem.

Corporis habitus propter raritatem, aut densitudinem. Quod autem hic ego inquam, tale est.

Multus equidem humor eo: quod paucus est, longiorē affert accessionem, & crassus tenui: Robustæ vires breuiorem; quemadmodum imbecillæ longiorem: Corporis autem dispositio rara quidem breuiorem; densa longiorem affert: & vbi omnes, aut plures iam dictæ causæ copulantur, breuissimam, aut longissimam efficient accessionem: tantoq; tempore eorundem accessionum ordo seruabitur, donec in partibus, quæ accessionū causæ existunt, similis seruatur affectus, qui quidem duplex existit Galeno autore *libr. 2. de febr. differ.* Alter quidem imbecillitas partis, ex qua fluunt superfluitates. Alter vero, qui ex iisdem quotidie genitis oritur. Peruertitur autem earundem accessionum ordo, aut ob transmutationē humoris; aut ob victus errorem. Arqui maxime transmutatur, ac in alteram naturam transit sanguis cum putrescit; cum eius pars vna in flauam bilem, altera in melancholiam terminetur.

Cap. vlt.

Accedit etiam interdum, quod qui putrescere incipit humor, in aliquo membro consistat: alter vero ex aliis defluat partibus, qui vel in ipsis solis continebatur, aut in vniuerso animalis corpore redundabat: quantum igitur in animalium corpore humores permutantur, tantum etiam & accessionum circuitus. Sic quoque & quæcunque circa victus rationem errata ab ægrotantibus fiunt, nihilominus hæc circuitus ordinem euertunt. Etenim quodcunq; offensionis genus effatu dignum interuenerit, vel circuitus anticipare, vel alios diuersæ naturæ à prioribus oriri est necessarium, à quibus accessionum ordo peruertitur.

Animaduersione tamen dignum est, quod sæpius ob circuituum complicationem, quæ à Medicis ignoratur, videatur absque ordine accessiones in ægrotantibus fieri. Sed non ita re vera res habet, quemadmodum videtur: nam tunc vere ordo euariatur, vt diximus, quando, qui febrem faciunt, humores in alteram naturam transierint: aut in victu errare contigerit, & ob id aut diuersæ naturæ à prioribus circuitus fiunt, aut anticipant, vel remorantur.

De differentiis intermittentium febrium.

CAP. XI.



NVNC quidem tempestiuum est, vt particularius ad propositum negotium de intermittētibus febribus transeamus: nam omnia videmur hactenus prosecuti, quæ in genere ad harum febrium essentias pertinere videntur: verum quia hoc fieri non potest, non cognitis primum, atque diligenter perpensis intermittentium febrium differentiis, de illis primum transigendum est à nobis.

Totitaq; in vniuersum differentiæ sunt harum febrium, quot sunt humores, à quibus illæ constituuntur.

Tres autem sunt humores, nec plures, neque pauciores: quoniam tametsi quatuor sint in humano corpore: à sanguine tamen nulla fit febris intermittens; sed omnis fit continua, vt superioribus libris docuimus.

A flaua

A flaua tamen bile ea fit, quæ, quoniam tertio quoque die inuadit, tertiana nuncupatur; à Græcis quidem dicitur τριταῖος, à pituita vero quotidiana gignitur: quam Græci vocant ἀμφημερινόν. Et ab humore melancholico quartana Græcis dicta τεταρταῖος.

Hæ tres febrium differentiæ ab hisce tribus humoribus fiunt, quando illi vehementiori quodam motu, impetuue per sentientes corporis partes deferuntur.

Verum hoc dupliciter potest contingere: nam aliquando isti humores soli putrescunt: aliquando autem cum aliis complicantur.

Soli quidem, vt pituita syncera, vel flaua bilis, vel melancholia.

Complicati vero bilis flaua, & pituita; melancholia, & flaua bilis, & sic de reliquis.

Hinc accidit fieri aliquando tertianas exquisitas, quæ videlicet à syncera, solaque flaua bile pendent: aliquando spurias, & nothas: quæ à flaua bile dominante fiunt simul cum aliqua portione pituitæ permista.

Idem autem est iudicium de quotidiana & de quartana.

Verum hæc sequenti figura clarius innotescent.

Intermittentes febres fiunt ab his humoribus
- *biliosis, iisque*
  - *Synceris, vt* — *exquisita tertiana.*
  - *Permixtis* — *notha tertiana.*
- *Pituitosis, vel*
  - *Synceris, vt* — *Quotidiana exquisita.*
  - *Permixtis, vt* — *Quotidiana spuria.*
- *Melancholicis, & iis etiam vel*
  - *Solis & synceris, vt* — *Quartana exquisita.*
  - *Permistis, vt* — *Quartana notha & spuria.*

Quid tertiana exquisita, quæ eius causa, & quæ signa.

CAP. XII.

TERTIANA *exquisita est, quæ syncera flaua bilis per sentientes corporis partes vehementer defertur.* Nos equidem synceram flauam bilem diximus, quoniam aliud febris genus oritur, si quando contigerit, simul cũ flaua bile alium quempiam humorem, vt pituitam, vel melancholiam putrefieri. Proxima igitur, & totius essentiæ huiusce febris contẽtiua causa est, putredo flauæ bilis, quæ tamen minime in venis permaneat, sed velociter agitata per sentientes corporis partes deferatur.

Hic autem animaduertere oportet; quod cum dico flauam bilem, excrementitiam intelligo, non eam, quam venæ secundum naturam continẽt. Bilis enim, quæ in venis reconditur, sanguis est & dicitur: verum quoniam eius variæ sunt partes, ea, quæ tenuior est, atq; magis spirituosa: propter similitudinem, quam habet cum bile, & quia facile in eum humorem degenerat, flaua bilis nuncupatur.

Hinc differentiam colligito humorum, qui in continuis febribus con-

tinentur. Ab iis qui concitant intermittẽtes febres. In illis enim semper putrefit sanguis, vel secundum omnes, aut plures partes, quod in synocho contingit: vel secundum partem aliquam determinatam; quæ triplex est, tenuis, flaua bilis nuncupata: viscida, & crudior pituita appellata; fœcalis & crassior, melancholia dicta.

At in his febribus semper humores excremẽtitii putrefacti sunt, vt bilis flaua, quæ in cysti fellis continetur: melancholia, quæ circa lienem reconditur: pituita, quam ventriculus, & intestina continent; quocirca fit in hisce sedibus, tanquam in sentina, & in proprio fomite contineri humores putrefactos in hisce febribus, vt satis longo sermone supra, cum hac de re disputaremus, commonstrauimus.

Quid igitur, dicet fortasse aliquis, in venis nunquam putrefiet syncera flaua bilis? Quod si non putrefieret, quomodo circuitum per tertium diem obseruaremus? qualẽ sane non raro videmus in febribus continuis accidere?

Hic ego inquam, putrefieri quidem, dupliciter posse; vno modo cum flaua bilis à causis nimium calefacientibus in venis generatur; altero vero est sanguis tenuis à sua natura degenerat. Sed hæc sufficiant obiter dicta.

Ad rem igitur ipsam reuersi, quantum ad causas pertinet febris huius: scire oportet, intrinsecas causas esse putredinem flauæ bilis in sensibilibus partibus motam, atq; violenter agitatam.

Idcirco autem putrefactam esse bilem coniectari oportet, quod magis, quam par sit, abundans, cum à naturali calore optime gubernari non queat, putresit.

Adaugent autem bilem extrinsecæ causæ; vt victus ratio sicca, curis plena, in adolescente, ac bilioso corpore, aeris nos ambientis, cœli status calidus & siccus; immoderatæ vigiliæ; labor excedens, animi curæ; potissimum frequens iracundia; & id genus alia.

Signa in hunc modum habent. Repente quidam hæc prehendit insigni rigore, quo plerunque corpus omne concutitur, sub cuius finem excussa bilis sæpe vomitione redditur. Namq; flaua bilis, cum per sensitiuas corporis partes defertur, quoniam acris est & mordax, in illis partibus ingentem rigorem efficit: est enim eo maior, vehementiorq; rigor, quo humores sunt acriores: hinc ægrotantes quendam sensum habent, dum scilicet rigent, rei alicuius pungentis, ac ferientis; educitur autem per vomitum, quoniam cum leuis sit, facile per supernas partes educitur. Non est tamen hoc perpetuum, quandoquidem sub rigoris finem iis potissimum, qui sunt angusto thorace, plerunq; per internam sedem educitur: id quod nunc obseruamus, in Ænea filio corollarii Ioannicoli.

Calor statim ad summum peruenit, acer, & mordax; qui statim mitescit, & quo diutius manum immoratus fueris, eo sane mitior apparet. Hoc enim sequitur naturam flauæ bilis, quæ tenuis, & aerea cum sit, illico discutitur, & statim ad summum vigorem peruenit, veluti stipulæ arefactæ, statim in flammam vertuntur.

Hinc laborantes ita exuruntur, vt & corpus nudent, varie iactitent, & spirandi difficultate oppressi magnum, multumque spiritum ducant, sitique enecti frigidam expetant, vigiliis, capitis dolore, & ira, furoreque perciti: longissima accessio horarum est duodecim, interdum septem, vel quatuor, multo quidem sudore, eoque calido & vaporoso inclinans, quam pura sequitur intermissio.

Pulsus accessionis initio contractus, & paruus, postea vero quam in cæteris celerior, atque crebrior, quid refrigerii maior insit necessitas; vehemens, & validus, sed aliquantum durus ob arteriæ siccitatem minimum inæqualis ob tenuitatem materiæ, cuius est facilis inflammatio,

ob id

ob id etiam, quod non minor sit refrigerii ex dyastole, quam expellendorum putridorum ex systole, necessitas.

Vrina flaua aut flammea, substantia mediocris, & odore grauis. Atque hæc pura quidem & exquisita tertiana est, quam censuit Hippocrates septem periodis, quod longissimum est, iudicari. Vrina.

Sed est hoc loco coronidis loco obiter adnotandum contra illos, qui abditas hasce causas non admittunt; de quibus nos supra disputauimus, quod cum tertiana exquisita septem periodis terminetur, nunquam ne illos pertransire valeat, cum huius euentus aliqua manifesta causa referri non possit, soloque experimento constet nobis, ita rem habere, opus est ad occultas causas, proprietatesque recurrere, quemadmodum etiam hoc est alterum, cur accidat, quod exquisita flaua bilis putrefacta extra venas, & per sensibiles partes velociter mota accessionem horarum duodecim, si Galeno credimus, faciat, nec eum terminum prætereat. Pone enim q. libram bilis horarum duodecim accessionem faciat; quæstione dignum est, propter quam causam adueniat, si eadem mensura libræ vnius cum dimidia putrescat, longiorem accessionem non faciat? Ego certe, quid hic afferam, non habeo, si occultæ proprietates remoueantur: nec aliquando alterum inueni, qui manifestam rationem reddiderit.

Quod tertiana exquisita non sit morbus acutus, contra Donatum Antonium ab Altomari.

CAP. XIII.

NVNC vero eam disputationem lucidemus, an videlicet exquisita tertiana morbus sit acutus, quod ego quibusdam recentioribus Medicis placuisse video: verum quo id rectius, atque clarius fieri possit, inprimis horum hominum rationes afferamus, quibus perpensis facile patebit, quid bene, & quid non bene ab illis dictum fuerit.

Prima illorum ratio est hæc: *Morbus acutus est, qui velociter propria tempora vsq. ad finem pertransit.*

Febris tertiana est huiusmodi.

Ergo tertiana morbus est acutus.

Assumptio patet, dicente Hippoc. *4. aph. 49.* tertiana exquisita septenis circuitibus, quod est tempus longissimum iudicatur: & quandoq; tertio circuitu finem assequitur, vt à Gal. *2. de crisibus* traditum est.

Secunda ratio est. si tertiana exquisita non erit morbus acutus, in quo morborum genere numerabitur: non inter πολυχρονίους id est, longos, cū ipsa exigui temporis sit, *4. aphor. 59.* non inter tardos, nam hæc celeriter mouetur: illi vero segni, tardoq; motu: neq; inter βραχυχρονίους id est, breues; nam præterquā quod breui tempore ægrum affligit, etiam celeriter mouetur, quod illis nullo pacto conuenit: quare concludunt, cum neq; inter longos, neque inter breues, neq; inter tardos, numerari possit, merito inter acutos numerandam esse.

His adde: *quod hi morbi acuti sunt, qui celeriter iudicantur, & magnitudinem habent. Tertiana exquisita est huiusmodi. Est igitur morbus acutus.*

Porro, quod magnus quidam sit morbus, sic probari potest. Morbus magnus est, *4. meth. 6.* tum ratione partis, tum ratione suæ essentiæ, tum quia cacoethe: tertiana nō solum ratione partis est morbus magnus (lædit enim cor ceu princeps membrum) sed etiam ratione suæ essentiæ: quia magna, & vehemens si ad diarias comparetur, & putridas ex frigidis humoribus ortas.

Præterea, morbus acutus dupliciter fit, vel ratione humoris biliosi, qui nullum obsidet locum, sed æqualiter in omnibus animalis partibus aptus est

ex sua natura generari: vel loco aliquo patiente, vt in morbo laterali, pulmonis inflammatione, & angina, *2. aph. 19.* Tertiana autem ex calidis succis, biliosisque generatur, qui nullum obsidente locum, sed per totum corpus deferuntur, *vt 2. de crisib. & de diff. febrium*: Ergo tertiana exquisita morbus est acutus.

Amplius in morbis continuis acutorum morborum terminus est dies quartusdecimus, peracutorum septimus, sicut in intermittentibus longissimi temporis existens tertiana febris terminum habet circuitum septimum: ex quibus verbis colligunt dari intermittentes febres acutas: declarat hoc dictio illa *continuis*: quandoquidem sicut in morbis continuis acutorum terminus est quartusdecimus dies: ita in acutis intermittentibus febribus est idem terminus.

Item Galenus habet *8. libro de placitis Hippoc. & Plat. c. 8.* quod tertiana eadem sit cum febre ardente: & ardens febris morbus est acutus.

Deinde habet idem Galenus *2. prognost. 4.* acutos morbos aliquando cum rigore incipere: at febres cum rigore inuadentes, sunt tertianæ exquisitæ, & quartanæ, sed hæc, omnium iudicio non est acutus morbus, quia est quidam affectus diuturnus: relinquitur igitur cum sola supersit tertiana, quod hæc sit morbus acutus.

Argumentantur præterea, semitertianam esse horrificam, continuam, & acutam, vt *primo epidem.* horrorem suscipere à quotidiana, & tertiana simul iunctis: quoniam horror medius est inter tertianæ rigorem, & frigus quotidianæ: continuitatem habere à quotidiana, quia hæc continua est: acutiem autem non quotidianæ tribuendam, cum ipsa & tardus morbus sit & diuturnus: nec vtrisque simul iunctis: quandoquidem nemo dat, quod non habet: si enim quotidiana sua natura acuta non est, alteri iuncta, quomodo acutiem habere poterit? Cum ergo ex quotidiana non sit acuta, consequitur ex tertiana acutiem habere. Erit igitur morbus acutus.

Postremo idem autoritatibus Galeni & Auicennæ confirmant. Galenus enim 3. *aph. 29.* tertianam acutam febrem appellat his verbis: *sed acutas tertianas maxime, & febres ardentes*: quo loco per tertianas exquisitam, & intermittentem intelligit secundum Galeni consuetudinem. Nunquam enim repertus est locus, in quo per tertianam absolute prolatam continuam tertianam intelligat: sed semper intermittentem audit.

Auicennas vero *fen 1. lib. 4. tract. 2. cap. 4.* tertianam exquisitam acutum esse morbum tradidit. Hæc sunt quæ recentiores Medici afferunt, quo opinionem suam de acutie tertianæ febris confirment.

Verum quia veritatem non habet proposita opinio, nostræ modo sunt partes ostendere validissimis rationibus tertianam exquisitam nó esse morbum acutum.

Harum rationum prima in hunc modum dirigatur.

Omnis morbus acutus est cum periculo. Sententia est nostri Galeni *lib. 2. de dieb. decret. c. 12. & lib. 3. eiusdem tract. vltimo & primo de ratione vic. 8.* Quo in loco Hippocrates & Galenus acutos morbos, vt plurimum enecare tradiderunt. Huic autem minorem addamus. *Tertianam* videlicet non esse morbum acutum, ex eo quia periculosa non est. Nam Galenus *lib. 2. de feb. diff. cap. 3.* esse mitissimam tradit hanc febrem. Idem habet *3. epidem. & lib. 1. ad Glauc. 8.* dixit eam minime periculosam esse. & *4 aphor. 43. quecunq; autem modo,* inquit Hippocrates, *intermiserint, periculum abesse significans.* & Galenus *in eiusdem loci com. Sola enim illa, quæ in quietem febrem vacantem desinunt, periculo carent, etiam si vehementissimam, & satis longam accessionem habuerint.* Si enim adeo breuis, vt quemadmodum in tertianis legitimis minori duodenis horis tẽpore circumscribatur, non modo sine periculo talis est febris; sed etiam cito iudicatur. Quomodo ergo erit acuta hæc febris, quæ omni prorsus caret periculo.

Sed vi-

Sed videamus, quid respondeat Donatus Antonius ad hanc nostram rationem, quam nos ipsi merito demonstrationem nuncupamus. Conatur hic vir distinguendo respondere hoc modo: quod scilicet acutorum morborum natura sit duplex, vt Galenus asserit *secundo aphorism. com. 19.* vel enim in humoribus calidis solis, qui nullum obsidēt locum, sed æqualiter in omnibus animalis partibus apti sunt ex sua natura generari: vel loco patiente fiunt, seu inflammatione affecto, præsertim si princeps membrum fuerit, & inflammatio magna. Hac distinctione posita inquit periculum esse tantummodo in acutis morbis, qui aliquo loco patiente fiunt: hi enim peracuti sunt, & maxime lethales, vt ait Hippoc. & Galen. *2. de rat. vict. 8.* vt acuti morbi, qui ex calidis humoribus solis, qui nullū obsident locum, minime sunt cum periculo. Tertianæ igitur febres nō aliquo patiente loco fiunt, & inflammato, sed ex humoribus calidis, qui nullum obsident locum: hanc ob causam mitissima, periculoq; immunis existit: non est tamen propterea explodenda ab acutorum morborum numero.

Sed hoc profecto diuerticulum est, neque aliqua ratione potest consistere.

Primo, quia ratio & natura acuti morbi est esse cum periculo, *lib. 2. de dieb. dec. c. 12. & 3. eiusdem, cap. vltimo.* Ergo nullus acutus morbus est sine periculo: quia quodcunq; competit acuto morbo, quatenus acutus est, id omnibus acutis morbis conuenit.

Quod vero res hoc modo habeat, recordari oportet eorum, quæ nos supra diximus, dum febrium differentias docebamus, quod morborum acuties consistit in ipsius motus velocitate: at velocitas semper sibi periculum associat, vt supra diximus.

Deinde constat, febrem causonidem appellatam, acutum esse morbum, vt testatur Hipp. *lib. 1. de rat. vict. acut. t. 8.* hæc tamen periculosa est, & lethalis, & fit ex humoribus calidis, & minime particula aliqua patiente, Galeno authore *lib. 2. de crisib. cap. 6.* cum ait: *Namq; in sola flaua bile febris accenditur sine aliquo visceris affectu, si quidem manente adhuc intra vasa bile accendatur, exquisita febris ardens nuncupatur.* Ergo acuti morbi, qui non ex aliqua particula patiente fiunt, adhuc periculo non carent.

Præterea febres synochæ, in quibus nulla est præcipua corporis pars, quæ sit offensa, cum fiunt in humoribus omnibus venarum & arteriarum, vt Galenus ait *2. de febr. differ. c. vltimo*, periculosæ tamen sunt, vt Galenus passim docet *lib. 9. method. meden.* & ipsa experientia rem certissimam facit. Ergo falsum est, quod non sint periculosi ij acuti morbi, qui fiunt nullis patientibus locis.

Accedit adhæc, quod Hip. *in lib. 5. aphor. 30.* ait: *Mulierem vtero gerentem concipi aliquo acuto morbo periculosum & lethale*: in vniuersali locutus est de omnibus morbis acutis: vt Galenus in eius loci commento testatur: Et Celsus idem confirmat *libro secundo, cap. quinto.* Ex his igitur tanquam verissimum deducamus, quod cum tertiana febris periculo careat, eam non esse in acutorum morborum numerum collocandam.

Sed statim hic dubitaret aliquis, contra determinationem à nobis factam, quia Galenus *libro primo de crisibus, cap. 16.* apertissime asserit dari aliquos morbos acutos sine signo periculoso: Erit igitur morbus aliquis acutus sine periculo.

Huic difficultati respondemus, hanc propositionem: *morbus acutus est periculosus*, semper veram esse.

Hanc vero aliam similiter veritatem habere, *morbus acutus est sine signo periculoso.* Non enim sunt eædem propositiones, sed de diuersis enunciantur, suntque compatibiles, vt sic dicam cum dialecticis: quia potest aliquis morbus esse acutus, & idcirco sua natura periculosus, qui tamen in

causatum; causa autem, & causata sunt determinata propter suas formas. hæc ille.

His addito, quod si pituita propter copiam quotidianam facit: cur similiter quotidianam non faciet bilis putrefacta, quæ quotidie accessiones facit, vt quotidie obseruamus in duabus tertianis. Adest enim sufficiens copia, qua quotidie accessiones inuadunt; cur igitur non sunt magis in figura circuitus quotidiani; quam tertiani: his rationibus manifeste concluditur, consequentem causam periodicationis non esse.

Relinquitur igitur hoc esse referendum ad putredinem.

Quoniam vero duo sunt in putredine: alterum sane naturalis putredinis forma, de qua nos supra tū ex Medicorum, tū ex philosophorum sententia disputauimus: Alterum vero peculiaris quædam conditio, & peculiaris quædam qualitas insita putredini.

Dicimus periodicationem non insequi putredinem, quatenus est putredo, nempe secundum communem rationem putredinis, quia oporteret hunc effectum adesse in omni putredine; cuius tamen oppositum obseruamus; cum videamus potissimum insequi humores extra venam putrefactos; quamuis etiam contingeret in illis, qui putrefacti sunt in paruis venis: quod enim sequitur putredinem, quatenus est putredo, id sane in omni putredine reperitur, in omni tempore, & in omnibus humoribus, siue intra venas, siue extra venas putrefacti sint.

Dicimus secundo periodicationem insequi peculiarem conditionem, & propriam qualitatem putrefactionis; hoc modo.

Sed primum doceamus, quid intelligamus per peculiarem conditionem putredinis.

Scire igitur oportet, putredinem satis magnam latitudinem habere: quædam enim est, in qua humores leuiter à propria natura dehiscunt, possunt sic leuiter, & superficietenus putrefacti ad pristinum bonitatis suæ statum reuerti; quemadmodum de sanguinis putredine à Galeno *2. aphorismorum com. 17.* scriptum legimus.

Idem enim accidit, quod in acescentibus vinis, in quibus cū nondum plane ad aceti naturam facta fuerit conuersio, possunt ad naturam suam reuerti.

Est rursus quædam putredo adeo profunda, adeoque sordida, quod nulla ratione aut remediis (vt rect ius dicam) tantum abest, vt sponte possit ad bonitatem naturalem redire. Hæc perfecta est putredo, consumatáq;, quę sane recte etiam corruptio nuncupari potest.

Cæterum non sunt hæ solæ putredinis differentiæ, sed reperiuntur etiam aliæ satis frequentes.

Nam quædam est putrefactio adeo maligna, quod statim totam corporis nostri substantiam inuadit, labefactat, dissoluitque. In hoc genere sunt illæ putredines, quæ concomitantur febres pestilentes, de quibus nos sequenti libro disputabimus.

Quædam vero contra benigna est putredo, quæ ne minimum quidem totam substantiam inuadit: hæc in febribus accidit putridis citra malignitatem, & pestilentiam.

Porro aliud etiam animaduertere oportet; nempe humoribus putridis, cum mouentur ad putredinem, peculiarem quandam adesse naturam, quod certis circuitibus homines inuadant. Sed duo requiruntur, vt hæc determinata periodus accidat: Primum, quod humores sint putridi; alterum, quod vel moueantur extra venas, vel in venis paruis, ab ipsoque corde longe dissitis reperiantur. Hæc particularis cōditio putredinis est proprietas quædam inseparabilis ab illis humoribus; non equidem secus, quam in humano corpore risibilitas. Statim enim atq; nos admiserimus, humores extra venas putrefieri, deferriq; per sensibiles corporis partes, aut in minoribus venis recondi

condi; statim, inquam hoc, tanquam proprium accidens, & inseparabile admittimus; habere videlicet certas quasdam, & determinatas periodos: hæc est illa peculiaris conditio putredinis, quam supra nominauimus; quoniam non inest in omni putredine; sed propria est solum illius putredinis quam nos hactenus expressimus: hæc vera est causa periodicationis, qua posita ponitur, & qua remota remouetur periodus. Quam putredinis qualitatem si dixeris insequi specificam formam illius putredinis, meo quidem iudicio non errabis: neque etiam reprehendendus fueris, si hanc occultam quandam proprietatem nuncupaueris: siquidem est vel hoc nomine appellanda; vel eo, quod diximus: quomodocunque tamen voces occulta quædam videtur natura, quæ rebus ipsis insita est; quam cum nos alio modo assequi non possimus, quam obseruatione, & experientia; fit sane merito occultam nuncupari posse.

Magnes lapis (vt rem clarioris doctrinæ causa exemplis prosequar) hoc sibi à natura insitum habet, quod ferrum attrahat: sed propter quam causam? non propter temperamentum, & formam: quia intemperie, & forma cum multis aliis lapidibus conuenit, quæ tamen ne minimum hoc munere participant? qualis est igitur causa huius manifesti, atque perpetui effectus? cum manifesta reddi non possit, ad occultas confugere oportet proprietates; dicereque hoc illi à natura insitum esse, vt hoc munere perfungantur: sic igitur de humorum circuitu, deque ipsa periodicatione dicere oportet.

Cæterum quo mainfestior fiat hæc nostra opinio, primum rationibus confirmanda est, deinde vero illustrium Medicorum sententiis corroborandæ.

Prima quidem ratio sit hæc *Omnis effectus eueniens circa determinatam speciem omni tempore, qui non potest reduci in causas manifestas: debet reduci in formas quasdas specificas, & in proprietates occultas illas insequentes.* Nam duplex est causarum ordo, quædam enim manifestæ sunt, quædam autem occultæ; *atque quotiescunq. effectus in apertas causas referri nequit, necessarium est illum fore in occultas referendum, cum alia causa non sunt.*

Porro quod humor pituitosus quotidie periodum faciat: flaua bilis tertio quoq. die: humor melancholicus periodum faciat de quarto in quintum diem. In manifestas causas referri non potest: Quamobrem oportet illorum causas occultas esse.

Quod autem huiusce effectus manifesta non sit aliqua causa, satis colligitur inductione facta circa manifestas causas, de quibus nos supra docuimus, quibus adde, quod si copiosissima flaua bilis extra vasa contineatur, deferaturque per sentientes corporis partes, hæc tertianos circuitus faciet: si vero exigua sit putrefactæ pituitæ quantitas, quotidianam periodum excitabit. Hoc enim satis manifestum est ex iis, quæ à nobis quotidiana experientia obseruantur.

Secundo, *quilibet effectus finitus, & determinatus habet causam finitam, & terminatam. Sed periodicatio flaua bilis de tertio in tertium est effectus determinatus & finitus. Ergo habet causam immediatam determinatam, & finitam. Sed dispositiones membrorum mittentium aut recipientium sunt variabiles in infinitum, & similiter dispositiones humorum. Ergo tales dispositiones sunt in infinitum variabiles. Ergo tales dispositiones manifesta, ad quas referuntur circuitus, non sunt illius effectus causa adæquata, & immediata. Sed præter illas nulla potest poni præter quam occulta proprietas illorum humorum eo modo, quem expressimus, quare ipsa erit illorum periodicationis causa.*

Quod autem in infinitum humorum, & membrorũ dispositiones sint variabiles, hinc potest facile persuaderi, quod in infinitum potest virtus partium debilitari; & in infinitum potest materia pauca fieri.

Tertio, *quicunq. effectus reperitur in omnibus indiuiduis alicuius speciei, nisi in aliquo sit notabile & accidentale impedimentum, debet habere causam communem omnibus*

illis in-

illis indiuiduis. Sed periodicatio de tertio in tertium est effectus communis omnibus indiuiduis cholerae, nisi adsit in aliquo eorum aliquod impedimentum accidentale valde notabile. Ergo debet habere aliquam causam communem omnibus suis indiuiduis. Sed nulla causa potest esse omnibus hisce communis, nisi sit de essentia speciei cholerae putrefactae extra venas, aut in paruis venis vel ab ipsa essentia profluat; quare talis causa erit, aut forma substantialis cholerae, aut proprietas illam insequens.

Et confirmatur, quia educere choleram est effectus communis cuicunq; indiuiduo speciei reubarbari, nisi sit accidentaliter impeditum, propter antiquitatem, aut putredinem. Et huic effectui correspōdet causa communis; scilicet proprietas specifica illius.

Similiter attrahere ferrum est effectus communis cuicunque indiuiduo magnetis, nisi sit accidentaliter impeditus, vtputa per inunctionem allii. Et huic correspondet causa communis; scilicet proprietas specifica illius.

Idem potest explicari in his, in quibus est ꝓprietas passiua, sicut in ferro & similibus; quare idem accidet in flaua bile, atque in reliquis omnibus humoribus, qui certas quasdam, atque determinatas periodos faciunt.

His itaque rationibus satis persuasum puto rationem, immediatamq; causam circuitus in febribus non esse aliunde petendam, quam ab occultis proprietatibus: quas nos, recentiores quosdam Medicos imitati, diximus peculiares quasdam esse conditiones qualitatesve putredinis.

Huius opinionis primus inuentor fuit subtilissimus ille Gentilis Fulginas omnium interpretum Auicennæ celeberrimus.

Hanc eandem opinionem deinde, vt alios quamplurimos taceam, sequutus est Ioannes Fernelius vir maximi nominis, qui hac de re disputans, sic propositam quæstionem illuminat; *non igitur sola* (inquit) *excrementi copia, sed alia quadam vis maior necessario vnumquemq; humorem ordine certaq; regula ciet, atq; impellit. Hæc autem propria est contractæ putredinis, qualitasue natura, atque conditio, quæ omnem corporis statū naturalem immutat. Vt Epilepsiæ insultus, aut hydrophobiæ impetus non humoris genus, sed qualitatis natura in humore sita excitat. Et menstruam mulierum purgationem statis periodis mouet, non sanguinis exuperantia (nam siue paucus, siue multus est in muliere, mensibus tamen singulis, nisi quid naturæ ordinem interpellet, erumpit) sed vis orta qualitatis: ita & vis quadam, seu qualitas in humore genita efficit, vt putrescens pituita quotidie, flaua bilis tertio, atra quarto die impetum faciat. Humor autem superuacaneus plenior cumulatus, quia vix naturæ beneficio, & calore regi potest, corrumpitur & quodam modo putrescit, ac tum qualitatem eam adipiscitur, qua hunc illumue motum impetumq; habet; atq; vt sua est cuiusq; humoris species, ita & sua cuiusq; putredo, vel qualitas, suus cuiusq; motus.*

Aliam igitur qualitatem, aliumue motum pituita, alium bilis flaua, aliam melancholia putredine contrahit.

Hac autem ratione accessio ordine recurrit (cum febris inuasura est, humor in suo quasi foco coercitus concitatur, & quasi turgescens excandescit: ipsoq; impetu & multum de se tetrum vaporem quoquo versum in corpus omne diffundit; & interdum exiguam sui portionem eructat, excutitq; in præcordia & ventriculum nonnunquam, & per iecur in maiores venas, eaq; manet accessio, dum sedetur impetus: & dum quicquid è foco excussum est, calore crematum dissipetur, aut in sudores abeat.) hæc Fernelius, qui sane videtur mihi clarissime totam hanc difficultatem illustrasse.

Cæterum ne, quæ à nobis supra de occultis proprietatibus dicta sunt, absurda videantur, placet hoc loco Alexandri Aphrodisiensis verba referre, quæ de hisce proprietatibus transigunt, vt vnusquisq; possit citra controuersiam cognoscere, Maximos peripateticos occultas hasce proprietates admisisse. Sic enim habent in præfatione Problematum; *quæstionū igitur ratio, quam proposui, partim ex se certa, manifestaq; est partim inexplicabilis, modumq; penitus humani ingenii excedens, Deo duntaxat cognita immortali, qui rerum omnium parens, atq; autor est, operis quidem solertissimi cuiusdam rationē artifex, qui extruxit, integre tenet; cæteri*

vero,

vero, qui artis illius sunt ignari, rationem nullam reddere queunt, sed tantummodo rem inspectant, & demirantur.

Quæstiones, quas inexplicabiles dixi, huiuscemodi sunt. Quam ob causam ridere scilicet soleant, quos in alis aut costis, aut pedibus titillamus. Cur nonnulli, cum mutuum marmorum attritum, sectionemue, aut ferri stridorem, limarumue sentiunt; dentibus obtorpescant, qui fieri possit, vt stupori dentibus à frigidis fructibus iniecta portulaca herba, quæ frigida est medeatur, cum non res similes, sed contraria remedia contrariis esse debeant. Qua de causa lapis, qui magnes vocatus est; ferrum solus attrahere, ramentisq; ferri iuuari valeat. Electrum siue succinum floccos festiculasq; sibi ita coniungat, vt hærentes possint attrahere. Vnde fiat, vt leo gallum tantummodo extimescat. Quid sit, quod gallina edita ouo festuca aliqua se, & ouum lustret. Quare veratro coturnices, cicuta sturni vescantur, quæ toxica hominibus esse certum est. Quamobrem scammonia bilem ducat; cucurbita agrestis, agaricum, veratrum album, euphorbium, granum gnidium, pituitam. Veratrum autem atrum, aut epithimus bilem atram. Cur aluus nonnullorum iis rebus adstringatur: quibus aliorum resolui consueuerit: contraq; his resoluatur potius, quæ adstringere possunt. Quamobrem alius alio cibo delectetur; eundemq; alius facilius, alius difficilius concoquere valeat; cum nulla ratio vel caloris, vel alicuius rei eiuscemodi intelligatur. Nemo sane vel torpedinem piscem torporem per funiculum nostro innehere corpori; vel triglam obtentam vitium à torpedine acutum tollere ignorat. Permulta id genus licet enumerare, quæ nosci tantum experimento potuerunt: vnde apud Medicos abdita illa, delitescentesq; causæ his in rebus habentur: quarum nulla ratio reddi poterit. Quocirca temere sane agunt, qui genus id quæstionum solutionibus mandare contendunt. Hæc ille. Ex quibus manifestissimum est, occultas proprietates quibusdam rebus inesse, quas profecto alia ratione cognoscere non possumus, quam experimento: & ex harum quæstionum numero propositam consistere, qua inquirimus causam, propter quam humores putrefacti, aut extra venas, aut in paruis, atq; remotis venis certas quasdam periodos habeant. Hæc quoniam sufficienter sunt explicata, reliquum est, vt omnibus dubitationibus satisfaciamus, quæ contra propositam opinionem maximæ videntur.

Hugo Senensis, vir profecto subtilissimi ingenii, hanc opinionem, quam proposuimus, pluribus rationibus impugnat. Sic enim ratiocinatur. *Rationes Hugonis Senensis contra propositam opinionem.*

Hæc proprietas occulta, quæ ponitur causa periodicationis in humoribus, vel in humoribus, vel in membris collocatur. Si in humoribus, aut est virtus actiua talis motus, aut virtus passiua. Si actiua, aut vno tempore intendit motum, & alio tempore non intendit: aut quantum sit merito sui, semper intendit motum, non semper tamen mouet, quia patiens non est semper æqualiter dispositum. Sed nullo modo admittenda est eiuscemodi virtus, siue proprietas occulta, ergo sequitur opinionem propositam falsam esse.

Ostendit autem primum hanc proprietatem non esse virtutem agendi, quæ videlicet intendat mouere vno tempore, & non alio, quoniam, inquit, data veritate propositæ cõclusionis, insequuntur quãplurima absurda. Et horum primum sit, quod non sit vniuersaliter verum, quod causa, quare motor non moueat, sit, quia non habet sufficientem dispositionem ad mouendum, intelligẽdo per talem dispositionem sufficientem totum, quod requiritur ex parte dispositionis agentis & passi, & explicationis vnius ad alterum consequens falsum est, quandoquidem his positis necessarium est, quod agens aut agat, aut agere incipiat: & est contra Auerrhoen *in 8. phys. com. 6.*

Consequentia tamen arguitur, quia in die quietis tertianæ, etiamsi omnia alia concurrant ad motum, tamen quia proprietas non intendit mouere, nec incipit mouere, & tamen pro tunc nulla res deficit de requisitis ad mouendum, sicut nulla deficiet die sequẽti, & cætera erunt paria; si igitur in secunda die nulla res deficit, nec in agente, nec in patiente, nec in applicatione & tamen non mouet: nec tamen causa non mouendi adest, quia non

habeat

habeat sufficientem dispositionem ad mouendum: quod si dicatur, quod deficiat intentio ad motum, tunc oportet assignare causam, quia tunc deficit intentio, & non deficiet in sequenti die, cum omnia sint paria nunc, & in sequenti die.

Secundo sequitur, quod ab agente mente naturali possit pronenire nouus motus absque causa noua.

Consequens falsum, & contra sententiam Aristotelis & Auerrhois *8. phys. com. 6.*

Nam secundum Aristotelem si motor non mouet, nec incipit mouere, & post mouebit, tunc cum non mouet, est in potentia, & quando mouet, erit in actu.

Sed hoc esse non potest absq; causa noua, aut in mouente, aut in motu, aut in applicatione vtriusq;, aut in remotione impedimenti propter quæ fiat in actu, vbi prius erat in potentia.

Ergo impossibile est, quod fit motus nouus post quietem absque causa noua illius motus.

Sed quod hoc sequatur; patet: quia proprietate manente eadem, & aliis dispositionibus ex parte agentis & patientis, & applicatione motoris ad mobile, & remotione impedimẽti proprietas cholerae mouet in tertia, quia ita appetit, & non mouet in secunda, quia non appetit etiam omnibus existentibus paribus: motus igitur in tertia die erit de nouo, & nulla causa motus erit noua.

Quod si dicatur, quod appetitus proprie talis erit causa noua; patet, quod hic appetitus cum prius non esset, fit opportunum, quod producatur: & ideo erit aliqua causa appetitus, quam oportet esse de nouo, & producetur in infinitum: aut dabitur aliquid, quod sit de nouo, absq; causa noua.

Tertio ex positione proposita; sequitur, quod stat, agens naturale esse in dispositione, in qua aptum est mouere, & habeat quicquid ex parte sui requiritur ad motum; & passum esse in dispositione, in qua aptum est moueri habens quicquid ad hoc requiritur vt moueatur, & deductum esse impedimentum; & agens sufficienter esse applicitum passo, & tamen mobile non moueri, nec incipere moueri: ponitur enim, quod proprietas cholerae sit motiua tertia die; & non hodie, quæ est in secunda, tunc cholera mouebitur cras, & habebit omnia requisita ad motum, & tamen non mouebitur hodie: cum tamen hodie habeat omnia, quæ habebit cras, & habebit omnia requisita ad motum. Ergo sequitur conclusio, quæ repugnat Auerrhoi *com. 8. lib. 8. phys.* dicenti, cũ ergo vtrumq; eorum fuerit in dispositione, ergo hoc mouet, & hoc mouetur, & fuerit propinquum vnum alteri, & non fuerit illis impediens, necesse est, vt hoc moueat, & hoc moueatur.

Hæ quidem potissimæ sunt rationes Hugonis: alias autem non affero, tum quia ex harum solutione videtur dependere illarum solutio, tum quia alium sensum refellunt, ab eo plurimum diuersum, quem nos insequemur.

Solutio positarũ rationũ Hugonis.

Rationes subtilissimi huius hominis tantũ apud clarissimos meos præceptores valuerunt, quod omnino putarent, falsam esse eam opinionem, quam nos supra tum rationibus, tum autoritatibus comprobauimus. Ego vero, dum rem diligentius contemplarer, manifeste perspexi propositas rationes nihil concludere. Quæ res, quo illustrior fiat, omniq; difficultate careat; nunc docere proposuimus.

Igitur pro solutione propositarum quæstionum scire oportet, hanc conditionem peculiarem, siue qualitatem putredinis, sine insitam, atque innatam proprietatem: (idem enim hæc sunt) quam nos ponimus esse causam periodorum intermittentium febrium, habere hasce conditiones.

Prima, quod sit in humoribus extra venas putridis, aut in venis paruis, & longe ab ipso corde dissitis.

Secun-

Secunda, quod non reperiatur in humoribus, qui non sunt putridi: sed insequi putredinem humorum in eis locis existentium.

Tertia, quid hæc proprietas inueniatur in humoribus illis genita, dum illi mouentur ad motum periodicationis: & non amplius in illis permanere completo motu periodicationis.

Quarta, quod genita illa proprietate, illa sit immediata causa circuituum.

Quinta, quod in die quietis non reperiatur hæc virtus motiua, siue hæc proprietas actiua in humoribus putridis.

His hoc modo stantibus dicimus pro conclusione, quod hæc proprietas sit in humoribus.

Secundo, quod sit actiua, non passiua.

Tertio, quod aliquo tempore moueat, aliquo autem non.

Quarto, quod eo tempore, quo non adest motus, causam esse, quod ea proprietas nondum fuerit genita.

His sic se habentibus, ad primam difficultatem, cum ait Hugo, q. sequatur, q. non sit vniuersaliter verum, q. causa, quare motor non moueat sit, quia non habeat sufficientem dispositionem ad mouendum. Neganda est consequẽtia: & cũ probat consequentiam, quia in die quietis nulla conditio desit ad motum. Rursus negatur: nam is præsupponit semper adesse hanc proprietatem in humoribus putridis, quam rem sane nos minime admittimus: sed illam generari putamus in instanti motus, & periodicationis, at in tempore quietis non adesse nisi potentia.

Ad secundam rationem respondemus; quod non sequitur ab agente naturali fieri posse nouum effectum, sine noua causa: quia continuo ad nouam humorum in locis supra narratis putredinem sequitur perpetuo noua generatio, ac productio malæ illius qualitatis & occultæ proprietatis, quam nominauimus.

Ad tertiam similiter negatur consequentia: atque dicimus in hoc vno adesse deceptionem, quod in die quietis primum non adsit illa proprietas, nisi in potentia: secundo, quod humores non sint eo tempore præparati ad periodum; quam ob causam sequitur, neq; agens esse bene dispositum, cùm sit in potentia, non in actu: neq; etiam passum illi propinquari. His quidem videor hisce rationibus satisfecisse. Atque hic esto finis propositæ difficultatis, prætermissis aliorum opinionibus, quæ mihi visæ sunt parũ firmæ, illisq; solum relatis, quæ principales erant ad laudem Dei optimi maximi gloriosi, qui sit benedictus per infinita secula seculorũ. Amen.

Vide aliam opinionem de causis circuitus in Altimari parte 2. c. 10. sui operis de febribus.

De longitudine, breuitate, & ordine accessionum, deq; earundem permutatione.

CAP. X.

HACTENVS quidẽ de circuituum causis diximus, nunc reliquum est, vt doceamus causam longitudinis, & breuitatis, & ordinis paroxysmorum, quæ res in omnibus fere intermittẽtibus febribus obseruatur: simulq; perpẽdamus, propter quam causam accidat, ordinem horum accessionum per circuitum euerti, atq; perturbari.

Sed in primis illud animaduertendũ est; quod nos hic de industria prætermisimus enarrare, propter quã causam aliqui circuitus fiant per quintum, septimum, & nonũ diem: q̃m quæ de aliis satis longo sermone diximus, hæc eadem propositis circuitibus conueniunt; tum etiam, quia satis manifestum videtur, aut hosce circuitus nusquam reperiri: nam Galenus quantũ ipse potuit, diligenti studio perquirere, nunquam tñ inueniri eiuscemodi circuitus: aut si reperiantur (quod nos negamus, vtpote qui nuuquam simul cum Galeno obseruauimus) fere sunt imperceptibiles, & potius imaginarii: Ergo his prætermissis doceamus dictorum causas.

Libr. 2. de febr. diff. cap. 9.

Accessiones & paroxysmi plurimā habent in eo, quod magis & minus, differentiam triplici ex causa; vt admirabilis Galenus obseruauit. Prima, humoribus ipsis est referenda. Secunda, viribus corporis. Tertia vero, habitudini corporis.

Humores quidem, vel ob eorum copiam, vel qualitatem, seu substantiam & consistentiam hoc faciunt.

Vires eandem vim habent propter illarum imbecillitatem, aut fortitudinem.

Corporis habitus propter raritatem, aut densitudinem. Quod autem hic ego inquam, tale est.

Multus equidem humor eo: quod paucus est, longiorē affert accessionem, & crassus renui: Robustæ vires breuiorem; quemadmodum imbecillæ longiorem: Corporis autem dispositio rara quidem breuiorem; densa longiorem affert: & vbi omnes, aut plures iam dictæ causæ copulantur, breuissimam, aut longissimam efficient accessionem: tantoq; tempore eorundem accessionum ordo seruabitur, donec in partibus, quæ accessionū causæ existunt, similis seruatur affectus, qui quidem duplex existit Galeno autore *libr. 2. de fibr. differ.* Alter quidem imbecillitas partis, ex qua fluunt superfluitates. Alter vero, qui ex iisdem quotidie genitis oritur. Peruertitur autem earundem accessionum ordo, aut ob transmutationē humoris; aut ob victus errorem. Atqui maxime transmuratur, ac in alteram naturam transit sanguis cum puttescit; cum eius pars vna in flauam bilem, altera in melancholiam terminetur.

Cap. vlt.

Accedit etiam interdum, quod qui putrescere incipit humor, in aliquo membro consistat: alter vero ex aliis defluat partibus, qui vel in ipsis solis continebatur, aut in vniuerso animalis corpore redundabat: quantum igitur in animalium corpore humores permutantur, tantum etiam & accessionum circuitus. Sic quoque & quæcunque circa victus rationem errata ab ægrotantibus fiunt, nihilominus hæc circuitus ordinem euertunt. Etenim quodcunq; offensionis genus effatu dignum interuenerit, vel circuitus anticipare, vel alios diuersæ naturæ à prioribus oriri est necessarium, à quibus accessionum ordo peruertitur.

Animaduersione tamen dignum est, quod sæpius ob circuituum complicationem, quæ à Medicis ignoratur, videatur absque ordine accessiones in ægrotantibus fieri. Sed non ita re vera res habet, quemadmodum videtur: nam tunc vere ordo euariatur, vt diximus, quando, qui febrem faciunt, humores in alteram naturam transierint: aut in victu errare contigerit, & ob id aut diuersæ naturæ à prioribus circuitus fiunt, aut anticipant, vel remorantur.

De differentiis intermittentium febrium.

CAP. XI.

NVNC quidem tempestiuum est, vt particularius ad propositum negotium de intermittētibus febribus transeamus: nam omnia videmur hactenus prosecuti, quæ in genere ad harum febrium essentias pertinere videntur: verum quia hoc fieri non potest, non cognitis primum, atque diligenter perpensis intermittentium febrium differentiis, de illis primum transigendum est à nobis.

Totitaq; in vniuersum differentiæ sunt harum febrium, quot sunt humores, à quibus illæ constituuntur.

Tres autem sunt humores, nec plures, neque pauciores: quoniam tametsi quatuor sint in humano corpore: à sanguine tamen nulla fit febris intermittens; sed omnis fit continua, vt superioribus libris docuimus.

A flaua

A flaua tamen bile ea fit, quæ, quoniam tertio quoque die inuadit, tertiana nuncupatur; à Græcis quidem dicitur τριταῖος, à pituita vero quotidiana gignitur: quam Græci vocant ἀμφημερινόν. Et ab humore melancholico quartana Græcis dicta τεταρταῖος.

Hæ tres febrium differentiæ ab hisce tribus humoribus fiunt, quando illi vehementiori quodam motu, impetuue per sentientes corporis partes deferuntur.

Verum hoc dupliciter potest contingere: nam aliquando isti humores soli putrescunt: aliquando autem cum alijs complicantur.

Soli quidem, vt pituita syncera, vel flaua bilis, vel melancholia.

Complicati vero bilis flaua, & pituita; melancholia, & flaua bilis, & sic de reliquis.

Hinc accidit fieri aliquando tertianas exquisitas, quæ videlicet à syncera, solaque flaua bile pendent: aliquando spurias, & nothas: quæ à flaua bile dominante fiunt simul cum aliqua portione pituitæ permista.

Idem autem est iudicium de quotidiana & de quartana.

Verum hæc sequenti figura clarius innotescent.

Intermittentes febres fiunt ab humoribus	*biliosis, iisq; aut*	*Synceris, vt*	*exquisita tertiana.*
		Permixtis	*notha tertiana.*
	Pituitosis, vel	*Synceris, vt*	*Quotidiana exquisita.*
		Permixtis, vt	*Quotidiana spuria.*
	Melancholicis, & iis etiam vel	*Solis & synceris, vt*	*Quartana exquisita.*
		Permistis, vt	*Quartana notha & spuria.*

Quid tertiana exquisita, quæ eius causa, & quæ signa.

CAP. XII.

TERTIANA *exquisita est, quæ syncera flaua bilis per sentientes corporis partes vehementer defertur.* Nos equidem synceram flauam bilem diximus, quoniam aliud febris genus oritur, si quando contigerit, simul cũ flaua bile alium quempiam humorem, vt pituitam, vel melancholiam putrefieri. Proxima igitur, & totius essentiæ huiusce febris contẽtiua causa est, putredo flauæ bilis, quæ tamen minime in venis permaneat, sed velociter agitata per sentientes corporis partes deferatur.

Hic autem animaduertere oportet; quod cum dico flauam bilem, excrementitiam intelligo, non eam, quam venæ secundum naturam continent. Bilis enim, quæ in venis reconditur, sanguis est & dicitur: verum quoniam eius variæ sunt partes, ea, quæ tenuior est, atq; magis spirituosa, propter similitudinem, quam habet cum bile, & quia facile in eum humorem degenerat, flaua bilis nuncupatur.

Hinc differentiam colligito humorum, qui in continuis febribus con-

tinentur. Ab iis qui concitant intermittẽtes febres. In illis enim semper putrefit sanguis, vel secundum omnes, aut plures partes, quod in synocho contingit: vel secundum partem aliquam determinatam; quæ triplex est, tenuis, flaua bilis nuncupata: viscida, & crudior pituita appellata; fœcalis & crassior, melancholia dicta.

At in his febribus semper humores excremẽtitii putrefacti sunt, vt bilis flaua, quæ in cysti fellis continetur: melancholia, quæ circa lienem reconditur: pituita, quam ventriculus, & intestina continent; quocirca fit in hisce sedibus, tanquam in sentina, & in proprio fomite contineri humores putrefactos in hisce febribus, vt satis longo sermone supra, cum hac de re disputaremus, commonstrauimus.

Quid igitur, dicet fortasse aliquis, in venis nunquam putrefiet syncera flaua bilis? Quod si non putrefieret, quomodo circuitum per tertium diem obseruaremus? qualẽ sane non raro videmus in febribus continuis accidere?

Hic ego inquam, putrefieri quidem, dupliciter posse; vno modo cum flaua bilis à causis nimium calefacientibus in venis generatur; altero vero cũ sanguis tenuis à sua natura degenerat. Sed hæc sufficiant obiter dicta.

Causa. Ad rem igitur ipsam reuersi, quantum ad causas pertinet febris huius: scire oportet, intrinsecas causas esse putredinem flauæ bilis in sensibilibus partibus motam, atq; violenter agitatam.

Idcirco autem putrefactam esse bilem coniectari oportet, quod magis, quam par sit, abundans, cum à naturali calore optime gubernari non queat, putrefit.

Adaugent autem bilem extrinsecæ causæ; vt victus ratio sicca, curis plena, in adolescente, ac bilioso corpore, aeris nos ambientis, cœli status calidus & siccus; immoderatæ vigiliæ; labor excedens, animi curæ; potissimum frequens iracundia; & id genus alia.

Signa. Signa in hunc modum habent. Repente quidam hæc prehendit insigni rigore, quo plerunque corpus omne concutitur, sub cuius finem excussa bilis sæpe vomitione redditur. Namq; flaua bilis, cum per sensitiuas corporis partes defertur, quoniam acris est & mordax; in illis partibus ingentem rigorem efficit; est enim eo maior, vehementiorq; rigor, quo humores sunt acriores: hinc ægrotantes quendam sensum habent, dum scilicet rigent, rei alicuius pungentis, ac ferientis; educitur autem per vomitum, quoniam cum leuis sit, facile per supernas partes educitur. Non est tamen hoc perpetuum, quandoquidem sub rigoris finem iis potissimum, qui sunt angusto thorace, plerunq; per internam sedem educitur; id quod nunc obseruamus, in Ænea filio corollarii Ioannicoli.

Calor. Calor statim ad summum peruenit, acer, & mordax; qui statim mitescit, & quo diutius manum immoratus fueris, eo sane mitior apparet. Hoc enim sequitur naturam flauæ bilis, quæ tenuis, & aerea cum sit, illico discutitur, & statim ad summum vigorem peruenit, veluti stipulæ arefactæ, statim in flammam vertuntur.

Hinc laborantes ita exuruntur, vt & corpus nudent, varie iactitent, & spirandi difficultate oppressi magnum, multumque spiritum ducant, sitique enecti frigidam expetant, vigiliis, capitis dolore, & ira, furoreque perciti: longissima accessio horarum est duodecim, interdum septem, vel quatuor, multo quidem sudore, eoque calido & vaporoso inclinans, quam pura sequitur intermissio.

Pulsus. Pulsus accessionis initio contractus, & paruus, postea vero quam in cæteris celerior, atque crebrior, quid refrigerii maior insit necessitas; vehemens, & validus, sed aliquantum durus ob arteriæ siccitatem minimum inæqualis ob tenuitatem materiæ, cuius est facilis inflammatio,

ob id

ab id etiam, quod non minor sit refrigerii ex dyastole, quam expellendorum putridorum ex systole, necessitas.

Vrina flaua aut flammea, substantia mediocris, & odore grauis. Atque hæc pura quidem & exquisita tertiana est, quam censuit Hippocrates septem periodis, quod longissimum est, iudicari. *Vrina.*

Sed est hoc loco coronidis loco obiter adnotandum contra illos, qui abditas hasce causas non admittunt; de quibus nos supra disputauimus, quod cum tertiana exquisita septem periodis terminetur, nunquam ne illos pertransire valeat, cum huius euentus aliqua manifesta causa referri non possit, soloque experimento constet nobis, ita rem habere, opus est ad occultas causas, proprietatesque recurrere, quemadmodum etiam hoc est alterum, cur accidat, quod exquisita flaua bilis putrefacta extra venas, & per sensibiles partes velociter mora accessionem horarum duodecim, si Galeno credimus, faciat, nec eum terminum prætereat. Pone enim q; libram bilis horarum duodecim accessionem faciat; quæstione dignum est, propter quam causam adueniat, si eadem mensura libræ vnius cum dimidia putrescat, longiorem accessionem non faciat? Ego certe, quid hic afferam, non habeo, si occultæ proprietates remoueantur: nec aliquando alterum inueni, qui manifestam rationem reddiderit.

Quod tertiana exquisita non sit morbus acutus, contra Donatum Antonium ab Altomari.

Cap. XIII.

NVNC vero eam disputationem lucidemus, an videlicet exquisita tertiana morbus sit acutus, quod ego quibusdam recentioribus Medicis placuisse video: verum quo id rectius, atque clarius fieri possit; inprimis horum hominum rationes afferamus, quibus perpensis facile patebit, quid bene, & quid non bene ab illis dictum fuerit.

Prima illorum ratio est hæc: *Morbus acutus est, qui velociter propria tempora vsq; ad finem pertransit.*

Febris tertiana est huiusmodi.

Ergo tertiana morbus est acutus.

Assumptio patet, dicente Hippoc. *4. aph. 49.* tertiana exquisita septenis circuitibus, quod est tempus longissimum iudicatur; & quandoq; tertio circuitu finem assequitur, vt à Gal. *2. de crisibus* traditum est.

Secunda ratio est, si tertiana exquisita non erit morbus acutus, in quo morborum genere numerabitur: non inter πολυχρονίων id est, longos, cũ ipsa exigui temporis sit, *4. aphor. 59.* non inter tardos, nam hæc celeriter mouetur: illi vero segni, tardoq; motu: neq; inter βραχυχρονίων id est, breues; nam præterquã quod breui tempore ægrum affligit, etiam celeriter mouetur, quod illis nullo pacto conuenit: quare concludunt, cum neq; inter longos, neque inter breues, neq; inter tardos, numerari possit, merito inter acutos numerandam esse.

His adde: *quod hi morbi acuti sunt, qui celeriter iudicantur, & magnitudinem habent. Tertiana exquisita est huiusmodi. Est igitur morbus acutus.*

Porro, quod magnus quidam sit morbus, sic probari potest. Morbus magnus est, *4. meth. 6.* tum ratione partis, tum ratione suæ essentiæ, tum quia cacoethe: tertiana nõ solum ratione partis est morbus magnus (lædit enim cor ceu princeps membrum) sed etiam ratione suæ essentiæ: quia magna, & vehemens si ad diarias comparetur, & putridas ex frigidis humoribus ortas.

Præterea, morbus acutus dupliciter fit, vel ratione humoris biliosi, qui nullum obsidet locum, sed æqualiter in omnibus animalis partibus aptus est

Sed videamus, quid respondeat Donatus Antonius ad hanc nostram rationem, quam nos ipsi merito demonstrationem nuncupamus. Conatur hic vir distinguendo respondere hoc modo: quod scilicet acutorum morborum natura sit duplex, vt Galenus asserit *secundo aphorism. com. 19.* vel enim in humoribus calidis solis, qui nullum obsidēt locum, sed æqualiter in omnibus animalis partibus apti sunt ex sua natura generari: vel loco patiente fiunt, seu inflammatione affecto, præsertim si princeps membrum fuerit, & inflammatio magna. Hac distinctione posita inquit periculum esse tantummodo in acutis morbis, qui aliquo loco patiente fiunt: hi enim peracuti sunt, & maxime lethales, vt ait Hippoc. & Galen. 1. *de rat. vict. 8.* vt acuti morbi, qui ex calidis humoribus solis, qui nullū obsident locum, minime sunt cum periculo. Tertianæ igitur febres nō aliquo patiente loco fiunt, & inflammato, sed ex humoribus calidis, qui nullum obsident locum: hanc ob causam mitissima, periculoq; immunis existit: non est tamen propterea explodenda ab acutorum morborum numero.

Sed hoc profecto diuerticulum est, neque aliqua ratione potest consistere.

Primo, quia ratio & natura acuti morbi est esse cum periculo, *lib. 2. de dieb. dec. c. 12.* & *3. eiusdem, cap. vltimo.* Ergo nullus acutus morbus est sine periculo: quia quodcunq; competit acuto morbo, quatenus acutus est, id omnibus acutis morbis conuenit.

Quod vero res hoc modo habeat, recordari oportet eorum, quæ nos supra diximus, dum febrium differentias docebamus, quod morborum acuties consistit in ipsius motus velocitate: at velocitas semper sibi periculum associat, vt supra diximus.

Deinde constat, febrem causonidem appellatam, acutum esse morbum, vt testatur Hipp. *lib. 1. de rat. vict. acut. c. 8.* hæc tamen periculosa est, & lethalis, & fit ex humoribus calidis, & minime particula aliqua patiente, Galeno authore *lib. 2. de crisib. cap. 6.* cum ait: *Namq; in sola flaua bile febris accenditur sine aliquo visceris affectu, si quidem manente ad huc intra vasa bile accendatur, exquisita febris ardens nuncupatur.* Ergo acuti morbi, qui non ex aliqua particula patiente fiunt, adhuc periculo non carent.

Præterea febres synochæ, in quibus nulla est præcipua corporis pars, quæ sit offensa, cum fiunt in humoribus omnibus venarum & arteriarum, vt Galenus ait *2. de febr. differ. c. vltimo*, periculosæ tamen sunt, vt Galenus passim docet *lib. 9. method. meden.* & ipsa experientia rem certissimam facit. Ergo falsum est, quod non sint periculosi ij acuti morbi, qui fiunt nullis patientibus locis.

Accedit adhæc, quod Hip. *in lib. 5. aphor. 30.* ait *Mulierem vtero gerentem concipi aliquo acuto morbo periculosum & lethale*: in vniuersali locutus est de omnibus morbis acutis: vt Galenus in eius loci commento testatur: Et Celsus idem confirmat *libro secundo, cap. quinto.* Ex his igitur tanquam verissimum deducamus, quod cum tertiana febris periculo careat, eam non esse in acutorum morborum numerum collocandam.

Sed statim hic dubitaret aliquis contra determinationem à nobis factam, quia Galenus *libro primo de crisibus, cap. 16.* apertissime asserit dari aliquos morbos acutos sine signo periculoso. Erit igitur morbus aliquis acutus sine periculo.

Huic difficultati respondemus, hanc propositionem: *morbus acutus est periculosus*, semper veram esse.

Hanc vero aliam similiter veritatem habere, *morbus acutus est sine signo periculoso.* Non enim sunt eædem propositiones, sed de diuersis enunciantur, suntque compatibiles, vt sic dicam cum dialecticis: quia potest aliquis morbus esse acutus, & idcirco sua natura periculosus, qui tamen in

 eo sub-

eo subiecto, in quo est, consistet sine signis periculosis, vtpote statim euincente ipsa natura morbumque optime iudicante. Non enim ea est omnium periculosorum morborum natura, quod omnes occidant: sed quantum sit merito sui periculum includere debent. Quod tamen non manifestabitur, postea in aliquo, ratione subiecti.

His adde, quod aliquis laboret ardente febri, cum omnibus signis coctionis: quę iudicij celeritatem, salubritatemq; demonstrat, vt *1. epidem. tex. 2.* Hippocratis: quis adeo erit insulsus, qui eam periculo carere contendat, quę tantum abest, vt tutissima sit, vt omnibus febrib. sit periculosior, ac plerumq; homines enecet? Potest enim natura exstingui, & resolui ex aliquo minimo errore, vel Medici: vel ægroti, vel assistentis: aut propter morbificorum humorum naturam, vt tenuitatem, furiositatem & agitationem subito permutari ad malum, & ex membro minoris notæ, nobiliorem petere: cordis humores putrefacere, ejus vires penitus destruere, citoque ægrum necare, quamuis initio signis esset firmata securissimis. Dantur igitur febres periculum apportantes absq; aliqua periculi significatione.

Hanc ob rem dicebat Hippocrates *2. aphor.* acutorum morborum non omnino certas esse significationes, & pronuntiationes salutis, aut mortis. Et Celsus *lib. 2. Neque tamen* (ait) *ignorare oportet, in acutis morbis fallaces magis esse notas salutis & mortis.*

Amplius dubitaret aliquis, quomodo intelligenda sint Hippocratis verba, *libro tertio prognosticorum*, vbi ait: *simplicissima febres mitissima, ac signis firmata securissimis quarta die aut citius intereunt.* Nam isti recentiores Medici, contra quos hæc scribimus asserunt intelligere, tertianam exquisitam, quam Galenus similiter *libro primo ad Glauconem*, vocauit simplicissimam, & mitissimam.

Sed isti sane non mediocriter hallucinantur, minime enim tertiana exquisita lethalis est, nam quarta die interficeret: neque ita salutifera, quod quarta die soluatur, cum potius quinta non quarta in sæuissimis accessionibus crises fiant, *3. de cris. & 4. aph. 36.*

Præterea febris intermittens non numero dierum, sed circuituum iudicatur: *3. prognost. 7. 4. aph. 59.* sed tertiana cum intermittens sit, non quarta die, sed quarto circuitu, vel quinto, vel septimo, vel citius terminatur, at Hippocrates dicit, *quarta die, aut citius.* Explodenda est igitur illorum expositio, ac illa quam leges apud Galen. *comm. 2.* acceptanda. Satis igitur conclusimus, verissimam esse, & demonstratiuam primam rationem factam contra recentiores Medicos.

Verum non minorem efficaciam habebit hæc secunda ratio: *Omnis morbus acutus cum febre necessarium est habere febrem continuam: At tertiana exquisita non habet sibi connexam febrem continuam. Ergo tertiana exquisita non est morbus acutus.*

Maiorem propositionem probatum reliquit Hippocrat. *5. aphor. 30.* ex Galeno. Si enim sit cum febre morbus, necesse est illum febrem habere continuam: talis enim est morbus acutus. Hoc idem *lib. 1. de ratione vict. cap. 8. sect. 2. aphor. 1. & sect. 7. aphor. comment. 1.* vbi inquiunt febres ab acutis morbis esse inseparabiles, *sicut 2. aphor. com. 9. imo 3. prognost. 10.* Sic habet Galenus: *Et enim morbus acutus est cum magnitudine quadam, ac febre continua intelligitur: Si enim non ita sit, quamquam circa decimumquartum soluatur diem, aut etiam citius eiusdem appellatione nequaquam censemus.* Hæc ille.

Modo videamus, quam pueriliter huic rationi satisfaciant: Tres enim solutiones afferunt: quarum prima est: hisce verbis declarata ab Altomari. Huic primo responsum sit, falsum esse, quod de natura omnium morborum acutorum, etiam eorum, qui cum febre sunt, sit, esse cum febre continua, & cum illud confirmant Galeni authoritate dicimus: quod velut apud Hippocratem

pocratem illud verbum Græcum, ἀνάγκη, quod Latine sonat necessario, non facit enuntiationem talem, quod impossibile sit aliter se habere, seu perpetuam, vt idem met Galenus testatur *com. apher. 58 sexti libri.* Sed quod magna ex parte solet ita accidere, & propterea non tantum in Aphorismis, sed in alhis quibusdam eo vtitur, quamuis res ipsæ non semper eodẽ modo eueniant, & si figura dicendi perpetuitatem quandam indicet: Sic apud Galenum dicendum erit quod per illud verbum ἀνάγκη voluit intelligere, quod magna ex parte consueuit accidere, vt sensus verborum eius sit: *Si enim sit cum febre morbus necesse est ipsum, hoc est, magna ex parte febres habere continuas,* non propter hoc abnegans febrem aliquam intermittentem esse morbum acutum.

Afferunt deinde secundam solutionem his verbis: vel & rectius dicendum falsum esse id, quod primo afferunt, & Galeni authoritatem haud esse ad propositum, nam cum duplex sit acutorum morborum cum febre natura: vna in humoribus calidis, qui nullam obsident propriam sedem: altera, cum loco aliquo patiente, vtpote, ortis in visceribus inflammationibus quibusdam eodem Galeno authore *comment. apher. 19. secundi libri,* cum Galenus dixit: *Si enim sit cum febre morbus, necesse est ipsum febres habere continuas, talis enim est morbus acutus.* De eis intellexit morbis acutis, qui aliquo loco patiente fiunt, inflammatione videlicet viscus aliquod, & præsertim princeps fatigante: quorum morborum natura est, quod necessario, atque perpetuo sint cum febre continua, & non de eis verba fecit, qui in humoribus calidis fiunt, qui nullum obsedere proprium locum.

Id autem apertissime ostendunt verba eius, dum asseruit, *Si enim sit cum febre morbus,* vt secluderet eos ab his, qui sine febre fiunt parte etiam aliqua patiente, vt apoplexia, *necesse est,* inquit, *hunc eundem morbum febrem habere continuam,* præsupponit, itaque primo aliquem fieri morbum acutum, ad quem febris sequatur, illam demum afferens ex necessitate debere esse continuam, quod quidem in nullo alio acutorum morborum veritatem habere posset, nisi in his, quæ supra diximus, inflammationibus ortis, videlicet in viscerũ aliquo, vt in morbo laterali pulmonis inflammatione, angina, & aliis eiuscemodi morbis quasdam determinatas sedes fatigantibus. Ex quibus constat Galenum non id asserere, quod isti putant in prædictis verbis, febrem videlicet omnem acutam necessario continuam esse. Sed eam dixit, necessario esse continuam, quæ ad aliquem morbum acutum sequitur, vt puta, quę aliqua parte determinata sit, veluti in alicuius visceris inflammatione conspicitur, non propterea negans per hæc verba, quod aliqua febris acuta, vt diximus, possit esse intermittens, & propterea hoc falsum est, quod isti dicunt, omnium acutorum morborum naturam propriam esse, vt febrem cõtinuam habeant: cum in ea acutorum natura, quæ in calidis humoribus fit solis, qui nullum obsedere locum, sed æqualiter in omnibus animalis partibus apti sunt, & sua natura generati, veritatem haud habeat, veluti supra probauimus.

Quantum itaq; ad primam solutionem pertinet, nõ parum hallucinatur, quia etsi hæc dictio necessario exponi possit pro maiori parte Gal. test. *6. aph. 58.* in proposito tamen casu hoc modo accipi non potest; nam Gal. *lib. 3. progno.* inquit: *Etenim morbus acutus cum magnitudine quadam & febre continua intelligitur, & qui ita non est, licet citra 14. diem soluatur, aut etiam citius eiusdem appellationis minime censemus:* vide quomodo Galenus se ipsum interpretetur.

Quantum ad secundam pertinet falsitatem huiusce solutionis iam satis superque patefecimus in impugnatione responsionis ad primam rationẽ.

Sed hic aduertere oportet, quod duæ aliæ responsiones afferantur ab Altomari; vna est, quod quando dicit Hippocrates *lib. 1. de ratione vic. acut. 8. continua febres sunt inseparabiles ab acutis morbis,* ait, locutum esse Hippocratem secundum opinionem aliorum, non propriam.

Hæc

Hæc expositio repugnat verbis Hippoc. quia dicit: *Maxime autem laudauero Medicum, qui in morbis acutis, quorum vi enecantur plurimi, secus quã alij in melius procedat.* notes hæc verba: *maxime laudauero*, &c. ex quibus colligitur hominem ex propria mente loquutum.

Quarta solutio est, quod hæc propositio: *Omnis morbus acutus habet febrem continuam:* intelligatur de acutis simpliciter, & de peracutis, & perperacutis: qui in 14. vel 3. & in 4. terminantur in quorum numero non est tertiana exquisita: at non intelligitur de acutis per decidentiam: atq; quod dici solet per degenerationem. Hæc responsio funditus illorum opinionem euertit: quia si tertiana exquisita non est simpliciter acutus: neq; peracutus morbus, oportebit ipsam non terminari in septima periodo, quod longissimum est, vt ait Hippocrates & Galenus *4. aphor. 59.* sed die 20. & 40. qui terminus est omnium acutorum per degenerationem: quod tamen esse falsissimum, nullus est omnium Medicorum, qui nesciat.

Tertia ratio principalis est.

Acutorum morborum non omnino certæ sunt pronuntiationes salutis, & mortis, 2. aphorismorum.

At tertiana exquisita semper certa est pronunciatio salutis, cum sit omnium putridarum mitissima & tutissima, teste Gal. *lib. 1. ad Glauc. c. 8.* hinc recte vulgo dicitur simplice tertiana non segiamai suonar campana: *Quo igitur erit morbus acutus*: cum illi vt plurimum enecent, *lib. 1. de rat. vict. cap. 8.*

Quarto omnibus acutis morbis extreme tenuis victus competit; nam *primo aphor.* recte dicit Hippocrates; *extremis morbis extrema remedia optima sunt*; At Galenus *lib. 1. ad Glauc. cap. 10. vtitur alimentis crassioribus, quæ scilicet minime constituere valent victũ tenuem; vti sunt oua sorbilia fructus; pedes suum, eorundem cerebella; ac id genus alia, quæ non conueniunt tenui victu.*

Quinto & vltimo: *Omnis febris acuta est, quando humores intra maxima vasa continentur*, quia tunc ad infebricitationem non perueniunt. *Tertianæ vero exquisitæ humor intra vasa non continetur: sed insultus tempore transmittitur: extra vasa, secundo Aphor. & quarto, & libro 2. de crisibus, quomodo ergo inter acutos morbos numerabitur.*

Hæ sunt rationes, quibus probatur contra Altimarum, tertianam exquisitam non esse acutum morbum.

Altimari rationes pro confirmatione suæ opinionis.

Altimarus multas rationes affert pro confirmatione suæ opinionis, quas sigillatim refellemus & refutabimus.

Prima ratio est hæc: *Morbus acutus est, qui velociter propria tempora, vsq; ad finem pertransit. Febris tertiana est huiusmodi:* nam septem periodis tertiana ipsa terminatur, quod est longissimus: *Ergo est morbus acutus.*

II. *Tertiana non est morbus longus, quia exigui temporis est 4. aphor. 59. non tardus, quia celeriter mouetur, at vero morbus tardus segnis, tardoq; motu mouetur; neq; est breuis, quia cum temporis breuitatem celeriter mouetur: ergo sequitur quod sit acutus.*

III. *Ille est morbus acutus, qui celeriter vindicatur, & magnitudinem habet. Tertiana celeriter iudicatur*, quia in decimoquarto die, qui terminus est acutorum morborum *2. aphoris.* magnitudinem non habet, quia cor viscus nobilissimum afficit: & quia sua essentia febris est magna collatione facta ad diarias, & hecticas febres. *Ergo, &c.*

IV. *Acutus morbus fit vel ratione humoris biliosi, qui nullum obsidet locum, sed æqualiter in omnibus animalis partibus aptus est ex sua natura generari, vel morbo aliquo patiente, vt in morbo laterali, peripneumonia, & angina 2. aphor. 19. Tertiana febris ex calidis biliosis succis generatur, qui nullum obsident locum, sed per totum corpus deferuntur, lib. 2. de cris. & de feb. diff. 2. Ergo tertiana est morbus acutus.*

V. *In morbis continuis acutorum morborum terminus est 14. dies perentorum septimus. Quamobrem in intermittentibus acutis terminus erit periodus:* septima nisi enim darentur acutæ febres intermittentes, citra propositum addidisset Ga-

lenus

lenus *4. aphor. 59. in morbis continuis acutorum morborum*, &c. sed simpliciter dixisset, *in acutis morbis* sine illa additione *continuis*. Ergo, *&c.*

VI. Semitertiana febris est horrifica, continua & acuta, *1. epid.* horrorem sumit, à quotidiana, & tertiana simul iunctis; quoniam horror medius est inter tertianæ rigorem, & quotidianæ frigus: Continuitatem autem habet à quotidiana, quia hæc continua est. Acutiem autem non quotidianæ tribuendam, cum ipsa & tardus morbus sit, & diuturnus; nec vtrisque simul iunctis: quia nemo dat, quod non habet: si autem quotidiana ex sua natura acuta non est, alteri iuncta, quomodo acutiem habere poterit? cum ergo ex quotidiana non sit acuta, consequens est, vt ex tertiana acutiem habeat. Ergo tertiana acutus est morbus.

Hæ sunt rationes Altimari, quarum solutiones in hunc modum habent singulæ ordine suo.

Ad prædictas rationes responsio.

Ad primam rationem dicimus, maiorem propositionem assumptam falsam esse: quoniam præsupponit acutum esse morbum omnem illum, qui sua tempora velociter pertransit: habet enim hoc veritatem in quibusdam, sed non in omnibus: nam velox motus non solum stat cum acutis morbis: sed etiam cum quibusdam breuibus: non est igitur hæc propria ratio constitutiua acutiei morbi: sed si addiderimus cum Galeno, Archigenis tamen sententia, periculum: tunc veram constituemus ideam acutorum morborum: In hunc scilicet modum, vt dicamus, eum esse acutum, qui sua tempora velociter cum periculo transit: maior hoc modo intellecta veritatē habet: minor autem prorsus est falsa: quia exquisita tertiana vacat periculo: vt dicit Galenus *libro 1. ad Glauconem, cap. 8.*

Ad secundam dicimus tertianam febrem esse inter morbos breues numerandam: nam proprium huius morbi est, quod cito terminetur *libro 3. de dieb. decret. vltimo*: Cito autem terminari morbum dupliciter contingit: vno modo cum periculo: & hoc sane constituit acutum morbum: alio modo citra periculum; & hoc facit morbum simpliciter breuem. Verum non solum inter breues reponitur, sed etiam inter raros, facta relatione ad longas quietes, atque infebricitationis diuturnum spatium, quod accidit in exquisita tertiana, hac ratione dicimus esse rarum morbum, vt recte concludit Galenus *lib. 2. de crisibus, cap. 12.*

Ad tertiam respondemus: minorem esse falsam, scilicet tertianam esse magnum morbum: nam hac ratione, quam affert Altimarus, cordis, scilicet causa: sequeretur febrem omnem ephemeram esse magnum morbum: quod sane abhorret medicina: imo (quod absurdius est) diaria erit morbus maior, quam vulnus in capite, cum illa omnes partes principes lædat, hoc autem caput tantum.

Præterea, *quod est per accidens, & respectiue tale, non est per se, & absolute tale. Tertiana per Donatum est per accidens, & respectiue morbus magnus, scilicet diaria & putridæ ex frigidis succis. Ergo non erit per se, & absolute acuta.*

Deinde vero falsum est ratione suæ essentiæ magnum esse morbum, quoniam mitissima, & tutissima est *libro 1. ad Glauconem, cap. 8.* nullaque sese offerant nostris sensibus symptomata magna & periculosa: quomodo igitur erit acutus morbus.

Ad quartam dicimus, quod non omnes morbi, qui fiunt ab acribus calidis & biliosis humoribus sint acuti: quia icteritia est affectus, ab eisdem humoribus originem habens; acutie tamen caret.

Ad Galeni autem *7. aphor. com. 32. bilis semper acutos morbos facit*: Dicimus illam dictionem *semper*, quæ perpetuitatem significare videtur, hoc loco idem significare, quod, vt plurimum: nec est in solida significatio apud Gal. vt legere est *6. aphor. 58.* & apud Hippocratem *3. aphor. 7.* Quamobrem non sequitur tertiana febris fit ab humoribus biliosis, ergo est acutus morbus.

Ad quintam dicimus, morbos acutos alios esse cum febre, alios autem sine febre; vt apoplexia, morbus comitialis, & alij, qui acuti sunt ratione partis affectæ. At illi acuti, qui cum febre sunt; illam habent continuam: Ergo Galenus addidit vocem illam, *continuis*, duplici ex causa: primum, vt distinctionem tacite notaret acutorum morborum, quorum vt diximus, alij sunt cum febre, alij citra febrem; omnes enim acuti morbi cum febre illam habent continuam; quod vt magis apertius declararet, non intelligere se morborum acutorum nomine eos, qui habent febrem intermittentem, voluit addere, *continuis*.

Ad vltimam; sciendum est, quod semitertiana assumit acutiem ab vtriusque febris permistione: nam bilis propter pituitæ mistionem crassior reddita, porosq; obstruens, non potest penitus à venis transmitti; sed portio eius maior & crassior intra venas continetur, vt *lib. 2. de feb. diff. cap. 9.* & sicut impeditur rigor, & fit horror, medium quid inter rigorem & frigus, ita transmissio impeditur: pars vero retenta membra principalia petens, eorum vires destruens acutum & periculosum morbum gignit, nec vero dissentaneũ est, quotidianam suapte natura ab acutie liberam, cum aliis iunctam talem fieri posse: quando multa sunt, quæ quod sola nequeunt, associata possunt: sicut centum homines nauim trahere non possunt; ac centum & viginti possunt: Vulnus leue & paruum, satis non est ad hominem necandum, at si febris putrida aderit, vel vulnus fuerit in capitibus, vel finibus musculorum, simul iuncta possunt virum etiam robustissimum necare: Ita semitertiana ratione mistionis quotidianæ, & tertianæ ob assignatam caussam acuta fit: præterquã quod quotidiana minime vacat periculo, vt Galenus apertissime significauit *lib. 1. ad Glauc. cap. 8. circa principium.*

De tertianæ nothæ natura, signis, & caussis.

Cap. XIV.



ERTIANÆ autem exquisitæ maxime contraria est, tertiana non exquisita: quam Galenus, & posteriores Medici spuriam, atq; notham vocauere. Hanc nos sic describere consueuimus. *Tertiana notha est, in qua flaua bilis pituitæ permista, vel atra bili; putrefacta per sentientes corporis partes defertur.*

Quod bilis putrida per sentientes corporis partes deferatur, id sane nõ solum huic febri conuenit: sed etiam proprium est omnium intermittentium, vt nos supra demonstrauimus.

Cæterum proprius caracterismus, ac idea huius febris, in hoc consistit quod maior flauæ bilis portio simul cum pituitæ, aut atræ bilis minori quantitate per vniuersum corpus deferatur: Hinc enim essentia, hinc propria tertianæ nothæ natura constituitur: à qua omnia symptomata, quibus ab exquisita tertiana longe differt, proficiscuntur. Sed est interim docendum, qualia, & quot hæc sint, & quomodo ab ea natura deducantur.

Primum quidem febris cum horrore hominem prehendit: Est autem horror symptoma, quod mediam quandam naturam habet inter refrigerationem simplicem, & rigorem: nam rigor fit vel à sola flaua bile; vel ab humore atro, in hoc tamen differt vtriusq; humoris rigor: quod, qui à bile fit, sensum quendam punctionis, & mordicationis inuehit: alter vero concussionis, & confractionis: at horror est quædam non corporis totius concussio, vel cutis potius exagitatio: neque inducit aliquam mordicationem: quoniam tametsi flaua bilis exsuperat: nihilominus à copia vel pituitæ, vel melancholiæ obtunditur, ac propterea inferre rigorem non potest.

His adde, quod nõ adueniat iis corporibus, quæ biliosa sunt id est, iis, quæ synceram flauam bilem accumulant; quin imo potius iis, qui vitam in otio transi-

tranſigere conſueuerunt: qui crapulis, inordinata viuendi ratione, copioſiori ſomno, vtuntur: qui præterea cibis aſſueti ſunt, à quibus tum pituitæ copia tum melancholiæ gignitur.

Adueniit in corporibus pingui habitu præditis: non æſtate (vt plurimum tamen intelligas) ſed autumno, aut etiam aliis temporibus: nam ego frequentiſſimas tertianas nothas vere, hyemeque inuaſiſſe conſpexi, & curaui.

Non ſoluitur hæc febris flauæ bilis vomitu, non per ſeceſſum, neque per ſudores: particulares enim acceſſiones non poſſunt hiſce euacuationibus finiri, quod humoris cum flaua bile permiſti, tenacitas & craſſities, reluctantur.

Sudores quidem aliquando adueniunt in particularibus paroxyſmis: ſed qui vel vniuerſales non ſunt, ſed determinatam ſolummodo partem inuadunt; vt puta ceruicem, & collum, & caput, qui omnes longitudinem morborum inſinuant, vel ſi à toto corpore profluunt, ſunt multoties inutiles; cum febriles acceſſiones neque tollant, neque diminuant: Accidit tamen, vt plurimum vapor quidam humidus per vniuerſum corpus, qui proprie ſolet mador nuncupari.

Hic autem obſeruari velim, quod aliquando, tametſi hoc rariſſimum ſit, criſes in nothis tertianis per ſudores adueniant: purgato tamen primum corpore ab vtroq; humore redundante, atq; viſcidis, & craſſis excrementis abſterſis ac inciſis.

Ego annorum duodecim ſpatio bis eiuſcemodi iudicium obſeruaui: alterum cum medicinam facerem in Marantonio Bettheo: alterum Anxini in clariſſimo I. V. Doctore, domino Thoma Stella, omnium horarum (vt dici ſolet) homine.

Si vero quæſieris, propter quam cauſam rariſſimæ ſint hæ criſes, quæ tamen frequentiſſimæ ſunt in exquiſita: cauſa quidem in promptu eſt; nam hæc humorem continet tenuem, qui per cutaneos meatus expurgari conſueuit: at ſpuriæ humores habent craſſiores: qui magna difficultate per ſudores educuntur.

Hæc eadem eſt cauſa, cur hę febres per vomitum, vt plurimum non ſoluuntur: quia craſſities & tenacitas humoris impedimento eſt, qui bilis per ſupernas ſedes educatur, per quas ſolet ſponte deduci, vt in exquiſitis obſeruari poteſt, vt plurimum itaq; nothę tertianæ per ſeceſſum finiuntur, ea lege, quam nos exprimemus, dum de curatione febrium tractabimus.

Ex eadem febris natura proficiſcitur, quod acceſſionis tempus longior eſt, quam in exquiſitis: in quibus tempus febrilis inuaſionis, horas duodecim non tranſcendit: breuius tamen eſt, nam quatuor, quinque vel ſeptem horis quandoque terminatur: ſed notha habet ſuas acceſſiones multo longius productas, nam horas octodecim aliquando viginti quatuor, quinimo triginta ſex & quadraginta perdurant; magna enim eſt harum febrium latitudo in eo, quod magis & minus quædam enim ſunt extenſæ; quædam magis extenſæ, ſeu ſufficienter extenſę, vt admirabilis Galenus aſſerit: quędã plurimum extenſę; hę autem tales ſunt propter maiorem, aut minorem abundantiam pituitę, vel melancholię.

Quorum etiam cauſa aduertendum eſt, hanc febrem frequentius non terminari ſeptem periodis, quod eſt proprium exquiſitarum, vt diuinus Hippocrates teſtatur; ſed aliquando vſque ad decimamquartam periodum, aliquando vſque ad vigeſimam. Quinimo Galenus ſpuriam quandam tertianam in adoleſcente annos nato decem & octo obſeruauit, quę autumno quidem inuadens verno tempore hominem immunem diſcedens reliquit.

Vrinæ. Quod vero in hac febre ad vrinas pertinet; sciendum est, non esse illas adeo tenues, & flammeas: vt in exquisita: neque tam cito concoctionis indicia ostendunt: nam multoties post septimam accessionem apparent: cum in exquisitis, vt admonuimus supra, in prima die non raro appareant: & nunquã tertia accessio aduenit, quin manifesta præbeantur concoctionis signa.

Pulsus. Simulque (inquit Galenus) eis aduenit pulsus durities in prima, atque in secunda die mediocriter: in tertia autem & quarta, atque sequentibus vsque ad septimam ad magnam peruenit duritiem, qui quidem multorum fore dierum, ac mensium ægritudinem indicant: deinde paulo post tempore paulatim mollescere incipit, ac minores etiam quotidie fient accessiones, vrinæque mediocrem habebunt subsidentiam cum in priore tempore admodum crudæ fuerint.

Signa quidem, & symptomata, quibus inuicem hæ febres differant, iam tradita sunt. Quod autem ad ipsas causas pertinet, nunc dicendum.

Causæ. Remotæ causæ eæ sunt, quas supra diligenter (nisi meum me fallit iudicium) prosecuti sumus, dum de causis intermittentium febrium agebamus.

Proprie vero ac immediatæ sunt flauæ bilis putredo delata per sentientes corporis partes simul cum pituita vel melancholia.

Quibus autem indiciis vtriusque humoris permistionem cognoscere debeamus, hic non est explicandum, cum ex iis, quæ sequentibus capitibus de quotidiana, & de quattana dicemus, omnibus obuiam, atque manifestum fiet.

An autem hi duo humores permisti vnam quandam naturam mediam, & formam sortiantur, docere similiter prætermittimus; quoniam quæstio est vere ridicula, & (quod prouerbio dici solet) de lana caprina: eadem enim curandi ratio, siue mediam naturam, vel distinctam habeant, his febribus competit.

Propter quas autem causas hi humores putrefacti sint, & redundent, satis manifestum puto omnibus iis, qui ea perlegerunt, quæ superiori libro, quinimo antecedentibus capitibus diximus.

Cæterum hoc loco dubitaret aliquis, an aliqua sit inter tertianas nothas, cuius particulares accessiones horas duodecim non pertransseant; & quæ septem periodis terminentur.

Huic quæstioni sic respondent, recentiores quidam, dicentes, quod hoc sit impossibile, idque hac ratione persuadent: quod proprium est vnius contrarii, hoc alteri conuenire non potest: diuersæ enim sunt contrariorum naturæ & proprietates: His addunt exquisitam tertianam & notham, febres esse maxime contrarias, vt Galenus docuit *libro primo ad Glauconem*: verum, eodem authore, hoc proprium est exquisitarum tertianarum, quod horas duodecim accessiones non transeant: quodque septem periodis, quod longissimum est, quemadmodum ait Hippocrates, terminentur: Ex his concludunt, non conuenire tertianis nothis.

Sed quia nos arbitramur secus rem sese habere, idcirco id diligenter explicemus, tum ratione, tum experimento.

Quemadmodum igitur accidit exquisitas tertianas quatuor siue quinque, siue septem horarum, quod Galenus passim inculcat, accessionem habere, sic profecto nihil erit impedimento, quin tertiana notha possit horis decem, vndecim, & duodecim terminari.

Ratio enim, qua ostenditur causa breuissimæ accessionis in exquisita, eadem consecutionem naturalem explicat.

Quænam igitur est ea causa? Paucitatem, inquam ego humoris putridi: vt exigua sit quantitas flauæ bilis, accessionem quatuor horarum faciet: sit maior

maior portio; horarum septem; sit adhuc maior, horarum nouem: hanc altera excedat, fiet febris horarum duodecim.

Sic res habet in nostro proposito; si libra vna commistorum humorum, vt bilis, & pituitæ facit accessionem horarũ decem & octo: libra dimidia accessionem efficiet horarũ nouem; vel decem, vel duodecim? Cur igitur hoc non est admittendum? an non, vt bilis syncera nunc in parua, nunc vero in magna quantitate putrefit? sic non putrefiet ea, quæ alteri humori fuerit permista?

His addere est, quod facilis, & breuis accessionis causa præter paucitatem peccãtis humoris habet etiam alias causas, nempe validam virtutem; & humoris peccantis tenuitatem: quin imo ambientis etiam nos aeris caliditatem: nam citius accessiones finiuntur sub æstiuo cœlo in regionibus calidis, humoribus subtilibus existentibus & virtute valida; quam in horum oppositis.

Quid ergo erit impedimento, quin flaua bilis permista aqueæ pituitæ, quæ tenuis est, in valido corpore, calidoq; cœli statu accessionem faciat breuiorem quam horarum octodecim? Nihil sane impedit.

Hoc profecto obseruatione confirmatur: ego enim tum sæpe alias, tum nunc in ciuitate Anxur seu Tarracina dicta, in qua in præsentiarum medicinam facio, quotidie obseruo: Nunc Ioannes Franciscus Casanus ciuis quidem egregius, annos natus sexaginta, febrem tertianam patitur, cuius accessiones horas non transeunt nouem, vt plurimum: in qua febre omnes adsunt notæ spuriæ tertianæ.

Similiter quidem in aliis accidit, qui hac tempestate febricitant: ergo vt potest aliqua tertiana nota horarum duodecim, aut etiam minorem accessionem facere: sic poterit aliquando vel in septem periodis, vel etiam citius vel arte, quod frequenter accidit; vel natura terminari.

Non valet igitur hæc ratio; *Febris horas duodecim non pertransit; igitur est tertiana exquisita:* quoniam alia sunt attendenda; quæ febrem illam ex necessitate indicant. Rationi autem aduersariorum hoc modo satisfacimus.

Primum illud sciendum est, quod tertiana exquisita, & tertiana notha non sint inuicem adeo diuersa, vt vere contraria dici possint: quandoquidem multa sint, in quibus inuicem conueniunt; quod vere contrariis minime competit.

Quod vero Galenus dixerit maxime contraria esse; intelligere oportet contrarietatis nomine diuersitatem.

Deinde vero; concedatur esse contraria: quod vni contrariorum competit; ita quidem, vt ex propria illius natura profluat, id alteri contrario non conuenit: quia, vt recte concludebatur, quorum diuersæ sunt naturæ, eorum diuersæ sunt proprietates: sed quod competit contrario ex communi quadam causa, id potest alteri contrario inesse: quemadmodũ est hoc euentum, quod febrilis accessio, per horas duodecim, aut etiam minus perduret. Nam cum minime profluat ex propria natura tertianæ exquisitæ, quatenus talis est; potest equidem aliis conuenire.

Et quod hoc veritatem habeat; præter rationem & experientiam confirmari potest hac ratione; quod nos multoties, vel, vt rectius dicam, semper videmus quartanarum febrium accessiones in declinatione vniuersali non transire horas duodecim. Quinimo aliquando neque octo horas attingere; quod aliquando etiam in vniuersali statu obseruauimus. Deinde quartanas obseruaui breuissimas verno tempore inuadentes, quæ tribus paroxysmis exolutæ sunt; testis est huiusce rei doctissimus compater meus Fabius Sauius Tollentinas: qui hoc ipsum tum in aliis, tum in se ipso obseruauit, & quod magis admiraberis, febris hæc hominem arripuit mense septembri: is adhuc viuit, & oculatus est huius rei testis.

Quamobrem si quartanę aliquando breuissimo temporis interuallo terminantur, cur non poterunt, vel in septima, vel ante septimã periodum tertianæ nothæ finiri, ac terminari? Cur accessiones huiusce febris aliquando non terminabuntur horis 12. vel citius?

Quod igitur à Galeno, atq; ab aliis Medicis dictum est de tertianæ nothę duratione, & accessione, id intelligendum est, vt plurimum: quo sane modo verificantur omnes orationes Medicorum: sed satis superque diximus de tertiana notha.

De quotidiana febre deq; eius caussis, & signis.

CAP. XV.

Caussa.

NVNC vero de quotidiana febre intermittente differamus, quæ quidem alterum genus est simplicium febrium.

Hæc sane, qua ratione est intermittens, ab eisdem fit caussis, à quibus tertiana vtraq;: nempe ab eo humore, qui per sensibiles partes defertur: sed quatenus quotidiana, humore differt, à quo ea solum concitatur, non autẽ aliæ, dum videlicet simplices sunt: quãdoquidem compositæ, & confusæ febres, aliquando in humore conueniunt, vt posthac manifestũ fiet à nobis. Is humor est, pituita: qui quoniam hoc habet, quod ex suæ naturæ proprietate singulis, & quibuscunque diebus hominem inuadat, idcirco nomen quotidianæ desumpsit.

Verum quoniam multæ sunt pituitæ species, à quibus sigillatim fieri febres quotidianæ consueuerunt, idcirco primum quidem dicendum est, quibus signis genus febris internoscendum sit: nempe, quod sit quotidiana: deinde particulares causas explicantes in cognitionem veniemus particularum specierum, quotidianæ febris.

Atq; inprimis sciendum est, febrem hanc fieri ex superuacua pituita, (cuiuscunque generis ea sit) vel in intestinis, vel in mesenterio, vel circum ventriculum, viscerumque caua, putrefactionem subeunte: quę idcirco febrilem qualitatem nacta, & quotidie mota vaporem quendam suæ conditionis effundit: qui proxima est, & continens accessionis causa.

Qui sint huic febri maxime obnoxii.

Accidit hęc febris, quibus inest pituitæ copia: natura vel ætate humidis, obæsis, mulieribus, eunuchis, senibus, & iis, qui vel otio, vel somno longiore, vel crebris balneis, vel frigidioribus, humidioribusq; cibis, vel assidua, crapula, vel edacitate, vt pueri, vel ebrietate; cruditatis, & pituitæ copiam congesserunt, maxime vero hyeme, frigidis regionibus, & humido, atque pluuioso cœlo.

Symptomata.

His quibus hæc febris aduenit, subtumida, & subliuida facies adest; quoniam talem calorem fieri oportet, vbi magna pituitę copia congesta fuerit: nam calore insito refrigerato liuiditas gignitur: nec genito sanguine optimo, sed multiplicato propter frigiditatem hepatis flatu, subtumida facies redditur. Accedit oris ventriculi imbecillitas, deiecta appetentia, & acidus ructus: quæ symptomata contingunt propter pituitę redundantiam in ostio, & in capacitate ventriculi.

Accessio non repente, sed sensim inuadit: quoniam cum humor putridus sit viscidus, non tam velociter mouetur, quam moueri solet flaua bilis omnium humorum tum tenuissimus, tum calidissimus. Corporis adest grauitas, & inexpugnabilis dormiendi necessitas; plerunque & hoc initio animus vel defectione, vel syncope languescit: Pituita videlicet sua frigiditate & multitudine calorem innatum, atque vitalem substantiam fere suffocante. Febris initio extremæ duntaxat partes refrigerantur, tum contracto calore naturali ad præcordia, in quibus quotidianæ huius febris fomentũ continetur: tum etiam frigidis vaporibus ad illas partes delatis.

Sed habet hoc loco dubitationem, an rigor in quotidianis febribus adueniat. Galenus enim aliquando rigorem videtur admittere, aliquando autem minime.

Verum quo manifestior sit eius hominis opinio, placet singulos locos afferre, quibus is de rigore quotidianarum agit. Primum quidem ait *libro 2. de febrium differentiis, cap. 4. Hæc febris ab extremorum frigefactione incipit, atq; horrore potius, quam rigore: quinimo rigor eas non antecedit, neq; statim ab initio, sed refrigerationes potius quam rigores*: vt 2. *libro de crisib. cap. 5.* Vides ex hac Galeni serie, quod quotidianas nunquam antecedit rigor. At vero alter exstat huius hominis locus, in quo rigorem aduenire tradit, quinimo vno, atq; eodem tempore rigere, atq; febricitare homines tradit. Verba eius sunt citata 2. *libro de febrium differentiis, cap. 5. & 6.* in hunc modum: *Sed quando huiusmodi in tempore humor putruerit, non modo rigent, sed etiam febricitant: at quæ tales sequitur dispositiones febris, est valde diuturna, & difficulter solubilis, in quotidianæ figuram progredienti ex hoc igitur genere est, & febris ea, qua proprie vocatur epiala: quando simul febricitant, & rigent: atq; eodem tempore in toto corpore, vtrumque sentiunt affectum.* Hæc ille. Cui sane videtur Auicennas maximus omnium Arabum assentire, dum ait: *In illa quidem, in qua causa est phlegma vitreum, aut acetosum phlegma, frigus multiplicatur valde, & rigor in vitreo est vehementior.* (*Lib. 4. fen 1. tract. 2. cap. 47.*)

Quid igitur ad hanc repugnantiam dicendum.

Gentilis asserit contradictionem esse in nominibus: nam per rigorem asseruit intellexisse Galenum horrorem: at vero minime verum rigorem: sed longe decipitur: primum, quia ipsa experientia compertum habemus, in febribus epialis verum rigorem aduenire, non horrorem: quæ tamē febres, vt Galenus ait, in quotidianarum formam progrediuntur.

Deinde vero cum nullibi Galenus de febribus agens rigorem & horrorem inuicem confuderit, sed continuo distinxerit: ridiculum videtur eo loco asseruisse, Galenum rigorem pro horrore posuisse. (*At lib. 2. ad Glauc. confundit in cap. 4. de feb. intermittentib. vide nostrũ commentarium.*)

His addito, quod Galenus eo capite diuersas prosequitur differentias quotidianarum febrium desumptas illas quidem ab humorum pituitosorũ differentia, & de his agens, vt distinctionem explicet, quasdam, ait, cum rigore, quasdam cum refrigeratione sola extremarum partium quasdam cum horrore inuadere, ex quibus manifesto colligitur falsum esse, quod Gentilis tradidit.

Confirmatur, Galenus agens de inditiis *cap. 4.* aiebat, quod febris inuadat potius cum horrore, quam rigore: qui loquendi modus docet manifestam horum distinctionem: & quod illud verbum, *potius*, notet, quod non repugnet, quod aliquando non adueniat quotidiana: sed quod potius sine rigore, id est magis siue rigore adueniat.

Recentiores quidam Neapolitani contradictionem soluunt hoc modo quod duplex sit febris quotidiana, quædam exquisita, quædam vero notha: quemadmodum etiam res habet in tertiana. Legitima & exquisita nũquam inuadit cum rigore: sed semper cum extremarum partium refrigeratione, & aliquando cum horrore. At non exquisita, qualis est ea, quæ fit ex phlegmate vitreo, & epiala nuncupatur, inuadere potest cum vehementi rigore: hac igitur ratione, quæ contrariæ videntur, in Galeno sententiæ componendæ sunt.

Verum, vt hic libere dicam, pro mea consuetudine, quid sentiam, toto quod aiunt cœlo, mihi decepti videntur, nam falsum est, ab omniq; ratione alienum, febrem à vitrea pituita concitatam, non esse exquisitam quotidianam, nam illæ febres, quæ à duobus humoribus, vno, atq; eodem loco permistis, fiunt, illegitimæ nuncupantur, hæc sane, cum ab vna sola fiat pituitæ differentia, nullamq; aut cum bile, aut cum melancholia permistionem sit sortita, necesse est, eam exquisitam esse potius, quam illegitimã: & confirmatur,

 quoniam

quoniam idem esse debet iudicium de hac specie pituitæ, atque de reliquis omnibus, at ab aliis speciebus videmus nos, quod exquisitę fiunt febres quotidianæ, ipsius etiam Altimari testimonio, cur etiam non fiet etiam exquisita à phlegmate vitreo? Quod vero is confirmare contendit non esse exquisitam Galeni authoritate cum dicat progredi illam in quotidianæ figuram, nihil profecto concludit: nam quod progreditur in figuram, formam & speciem alicuius; id participat ea figura, forma & specie; qua progreditur: non enim eo loco dixit Galenus progredi illam in figuram quotidianæ exquisitę, vel similem esse quotidianæ exquisitæ: aliquam enim habuisset si sic locutus fuisset, probabilitatem, eius opinio: sed simpliciter dixit, progredi in figuram quotidianæ.

Pro solutione igitur contradictionis propositæ duo nobis succurrunt.

Primum est, vt dicamus: Febrem quotidianam aduenire sine rigore: id citra omnem controuersiam esse verissimum, vt in pluribus, qua ratione verificari solent omnes fere sermones medicinales, vt in singulis inductione facta omnibus manifestum esse potest: Quinimo id non solum in medicina veritatem habet: sed etiam in philosophia, vt Antonius ille Zimara in Theorematibus suis passim obseruauit. Igitur si hoc modo rem interpreteris, omnis dubitatio, omnisq; controuersia tollitur.

Nam, vt apud omnes Medicos constat rarissimæ omnium sunt febres, epialæ, & quæ ex sexcentis vix vna consistit: Hæc est igitur vna loci huius explicatio.

Altera autem est, & secunda quam Ioannes Fernelius admirabilis ingenii vir attulit *libro quarto pathologia, capite de quotidiana febre*: Is enim hanc difficultatem persoluens sic ait: *Huius causa putatur acida vitreaque pituita, lentius putrescens, & cuius portio incensa iam est, altera vero nedum putredinem experitur. Est autem qui in dignotione febrium diligentius incumbunt, hoc in primis loco monent [illegible] & continuas (quæ biduũ, triduumq; aliquando occupant) & intermittentes omnis generis varie admodum inuadere. Sæpe quidem in horrore, atq; rigore, tum interiora tum externa summe frigent: at nonnunquam interiora frigore perhorrescunt, ac rigent, cum tamen partibus internis, non frigus, sed calor vnus, æquabilisque deprehendatur, nonnunquam partes summæ, externaq; frigent, interiores vero vruntur ac sitiunt, potumque in horrore continenter expostulant.*

Tanta autem varietatis causa non ad vitream, acidamne pituitam reuocanda est: sed eo sane, quod impulsa febris materia dum præcordia feriens horrorem parit partium externarum calorem: alias reuocat, alias non reuocat, alias quoq; horroris materia acris salsane non paucam sitim affert, hæc ille.

Ex quibus videre est, quod illius symptomatis causa non sit referenda in pituitam acidam, ac vitream: sed quia satis de hoc indicio diximus: age nunc eadem methodo reliqua expendamus.

Vrinæ. Vrinæ in quotidianis febribus tales sunt in principio, quales in quartanis incipientibus redduntur, Galeno teste, *2. libro de crisib. cap. 5.* crudæ quidem tenues, ac albæ.

At videtur in *lib. 1. de arte curandi, ad Glauc. cap. 3.* rem aliter distinxisse, in hunc modum: *In quotidianis vrinæ vel albæ sunt, & tenues, vel crassæ & turbatæ, ac rubidæ.* Quæ sententia habere quidem videtur non paruam difficultatem, quia nunquam vrinę inchoantibus quotidianis crassę, aut rubidæ apparuerunt.

Hanc difficultatem sic Aetius persoluit *lib. 5. cap. 85. Vrinæ*, inquit, *in primis diebus albæ, & tenues minguntur: at postea (id est, in ipsis declinationibus) crassæ, & turbatæ fiunt, quoniam humor concoquitur, & euincitur, ac etiam per illas expurgatur, atq; etiam hac ratione rubeæ aliquando minguntur.*

Vomitus. Vomitus etiam pituitosi, & quæcunque per ventrem excernuntur, frigidiora sunt, atque humidiora, crudiora, & aquosiora, & pituitosiora:

Vniuer-

Vniuersum deniq; in his febribus plenum crudis humoribus inuenitur, vt Galenus ait *lib. 1. ad Glauconem*.

Calor deinde pedetentim, & ægre augescit, magna certi inæqualitate, qua modo calor, modo frigus percipitur, cuius inæqualitatis causam Galenus retulit *lib. 2. de febriū diff. cap. 3. ea vero est tenacitas, & viscidit as humoris pituitosi, qui difficulter dissoluitur: nam & in hoc sicut in aliis omnibus primo ea pars omnis expirat, quæ fuerit extenuata; vix autem extenuatur, quicquid valde crassum extiterit; quod si etiam natura frigidum fuerit, tunc & difficultas augetur, non itaq; totus humor, neq; ex omni parte æqualiter, sed ex illa tantummodo, in quam putredo inualuerit, inflatur, atque extenuatus effertur.* Hæc Galenus. Calor.

Accensus dein calor non acet, sed hebes; & halituosus tangenti primum occurrit, quasi ex succensis viridibus lignis vapor sublatus, postea vero aliquantum mordax, & acer. Quum in omne corpus iam effusus est, nullum vehemens incendium corpus nudare cogit, nec ardoris compunctio id variè tactare; nec spirandi difficultas multum, frigidumq; aerem ducere; nec sitis vehemens aquam frigidam exposcere.

Tota accessio horarum est octodecim intermissio sex, quæ raro integra, puraq; existit.

Pulsus paruus languidus, summissus, ac rarus præsertim accessionis initio, & incremento: quod natiuus calor frigidi, crassi, viscosiq; humoris agitatione vehementer prematur: Postea vero creber euadit: sed minus, quam in tertiana atq; quartana: æque tamen velox, atque in quartana: huius inæqualitas omnis accessionis tempore, quam in cæteris intermittentibus maior. Hisce igitur notis febrem quotidianam deprehendes. Pulsus.

Verum cum sint quatuor pituitæ species: dulcis, acida, salsa, vitrea, aut etiam si mauis tres tribus diuersis saporibus distinctæ: nam vitrea Galeni testimonio *libro de multitudine, capite vndecimo* acido sapore participat: dubitaret hoc loco aliquis; à quanam specie pituitæ fiat quotidiana febris: an ab aliqua, an ab omnibus.

Quæstioni perbelle satisfacit Galenus *libr. 2. de febrium differ. cap. 6.* dum asseruit ab omnibus fieri.

Porro, quantum ad rationem cognoscendi pertineat, nihil adest, quod facere difficultatem possit: cum tum ex saporibus diuersis innotescant, qui tum inter gustandum, tum vomendum sentiuntur ab ægrotantibus: tum etiam, quod salsæ pituitæ symptomata vehementiora sunt, & similia tertianis febribus: habet enim pituita salsa nonnihil quod magis mordicat, pungit, & & calefacit: quam aliæ sortiantur pituitæ species: cuius hoc indicium sit: Quod sit ardens quædam febris eadem in venis putrefacta; quod de reliquis minime habere veritatem potest: Omnes itaque pituitæ species, si putredo per sensibiles corporis partes deferatur, quotidianam febrem faciunt.

De febribus quartanis, earum causis, & signis.

CAP. XVI.

NVNC vero de quartanis febribus, quæ ex omnibus intermittentibus febribus restant, agamus.

Harum igitur natura in hoc vno mihi videtur consistere, quod ab humore melancholico concitentur, qui non solum sit putrefactus, sed etiam per sentientes corporis partes deferatur. Reliqua vero communia sunt cum aliis intermittentibus febribus. Verum habet statim non contemnendam difficultatem, quoniam non vna est humoris melancholici natura, quinimo variæ sunt illius differentiæ, quomodo intelligamus ab humore melancholico hanc affectionem fieri. Sunt. n. qui contendunt à qualibet humoris huius differentia fieri posse; in quorum numero sunt Ex quibus humoribus melancholicis febres quartanæ fiant.

sunt fere omnes Arabes, & ex recentioribus Græcis Alexander Trallianus. Quidam vero solum quartanã fieri ab humore melancholico, qui sit veluti sanguinis limus, & fæx: quam esse Galeni sententiam recentiores quidam tradiderunt.

Rursus vero, si forte conclusum fuerit, ab omnibus melancholiæ speciebus fieri, habet difficultatẽ, an etiam ex pituita superassata, quare in melancholiæ naturam transmigrare, Arabes quidam dixerunt, quartana febris generari queat. Hæ summæ sunt difficultates circa propositum negotium.

Hasce igitur controuersias extricaturus, per capita in hunc modum edisseram.

Primum hoc ego constanter affirmo, quartanam fieri ab omnibus speciebus melancholici humoris, excepto solo humore ex flauæ bilis synceræ assatione genito, qui peculiari nomine bilis atra nuncupatur.

Secundo Galenum minime contrarium esse huic opinioni; quicquid hac in re Medici recentiores dixerint.

Quantum itaq; ad primum pertinet; primum docebo veritatem. Secundæ partis prioris conclusionis, in qua videntur mihi recentiores omnes non mediocriter errasse. Sit autem initium propositæ disputationis à natura atræ bilis in hunc modum.

Omnium humorum, qui in humano cõsistunt corpore, nullus est perniciosior, ac malignior atra bile: nam quoniam maximam habet aciditatem, omnes partes exulcerat, exeditque: & tanto magis exulcerat, quanto diutius propter illius crassitiem permanet: in qua re ab aceto non parum dissidet: quandoquidem id, quamuis acidam vim habeat, quoniam tamen nimis tenue est, in partibus non permanens, vim non habet exulcerandi. Atra igitur bilis, quotiescunque in corpore redundauerit, semper perniciosos, & incurabiles affectus facit. Nunquam enim visa est ex ipso corpore excerni sine maximo vitæ discrimine: vt Galenus testatur: non solum de atra bile, quæ fit ex flauæ bilis assatione; sed etiam de ea, quam generat sanguinis fæx, & limus.

Ex his quidem colligere oportet, impossibilem esse generationẽ quartanæ ab atra bile: primum, quia acutissimus esset morbus, qualem continuo afferre solet bilis atra: quartana verò nunquam acutus; semper autem longus, & diuturnus est. Deinde sæua inducerentur symptomata, vt exulcerationes interiorum partium propter eam rationem, quam supra retulimus; vt phrænitides; ardores maximi; sites incompescibiles, inquietudines; aliaque id generis, propria maligni huius humoris: quibus profecto carere quartanam febrem, nullus est omnium Medicorum, qui nesciat.

Sit igitur hoc iam conclusum, ac abunde demonstratum; atram bilem, siue ex sanguine crasso genitam; siue ex flaua bile; nunquam facere quartanam, nisi tamen ipsa putrida (si ita forte contingat) fuerit cum alio humore permista; cuius causa nec exedere corporis partes, nec sæua illa: quæ retulimus, inducere possit symptomata: vt, si cum dulci, viscidaque pituita fuerit commista: nam pituita, quia frigida est, intensam eius caliditatem refrangit: quia viscida; impedimento est, quin minus illius aciditas exedat, corrodatq́. Quamobrem si hunc casum admiseris, posse fieri quartanam, dicam ab atra bile, non impermista, non syncera, sed permista simul cum pituita. Atq; hanc vnam existere ex quartanis maioribus: in quibus scilicet ægrotantes pessime lædantur.

Habet autem dubitationem, quæ diximus, non contemnendam. Ponamus atram bilem synceram putrefieri; hoc enim possibile est; quæritur quænam febris fier: non enim generabitur febris biliosa: quoniam hic humor iam prægressus est naturam bilis flauæ: non sanguinea, non pituitosa: reliquum est, quartanam fieri.

Ex atra bile syncera putrida quæ febris fiat.

Dicen-

Dicendum quæstioni propositæ: atram bilem synceram nunquam ad putrefactionem venire: non enim hæc fit in instanti, sed in tempore, cum sit quædam mutatio; vt superioribus libris ostendimus: tanta vero est malignitas, & pernicies humoris huius; quod prius homines occidat, quã putrescat.

Quod si dixeris contrarium apparere per febres acutas, in quibus aliquando excerni conspicitur, constat tamen adesse putredinem.

Respondemus, minime putrefactam esse, sed talem excerni, qualis ab assatione aut sanguinis crassioris, aut flauæ bilis fuerit genita: Natura enim non potest actem, malignumq; eius humorẽ in corpore perpeti. Quamobrem nititur statim expellere; quamuis vt plurima cum corporis pernicie eiuscemodi fiat expulsio. Secus tamen dicendum est, de atra bile cum pituita permista; nam à permistione sortitur, quod minus lędat. Nunc vero primam partem explicemus.

Melancholiæ differentiæ sunt istæ: altera, quæ fit ex superassata crassiore parte sanguinis; altera ex flaua bile nimium adusta: vocantur hæ duæ differentiæ proprio nomine atræ biles: quas quartanam febrem facere non posse, commonefecimus.

Altera differentia est sanguis ipse crassior, atq; terrestrior.

Altera melancholia excremẽtitia, quæ extra venas in liene reconditur.

His additur postrema, ex pituitæ assatione genita.

A tribus hisce differentiis fit quartana. Quinimo non solum ab his; sed semper: nunquam enim inuenire est quartanam, quæ ab vna ex his differentiis, aut à pluribus originem non traxerit.

Sed nullam habet difficultatem quartanam concitari putrefacta melancholia, quæ in liene consistit, vel putrefacto sanguine crassiori, & terrestri.

Controuersum est tñ, quod de pituita diximus, quandoquidem Leonhardus Fuchsius, Io. Mariardus, Curtius, Antonius Donatus: aliiq; celebres Medici; melancholiam nullam ex pituita generari, pluribus rationibus contenderunt. Verum per peram, meo quidem iudicio.

Nam, vt in tractatione de humoribus diligenter docuimus. Omnis humor, qui acerbam, & acrem qualitatem adipiscitur; is atra bilis nuncupatur; Quid igitur erit impedimento, quin pituita, non dulcis illa quidem, sed acida, salsaue possit, cum fuerit vehementer exusta, in talem naturam transmutari? nec necessarius est transitus per tot humores, quemadmodum sibi Medici illi recentiores confinxerunt.

Cæterum quoniam hæc sunt alibi diligẽter exposita; his positis, sciendum est, non vnam esse quartanæ differentiam à qualibet ex his speciebus melancholiæ profectam. Nam quæ à pituita exusta habet originem, ea sane, præterquam quod rarissime accidit, spuria est quartana illius ardentis febris proportionem habens, quam diuinus Hippocrates à salsa pituita originem ducere tradidit. Aliæ vero legitimam quidem faciunt. Sed animaduertito, q melancholia in liene consistens febrem facit intermittentem: Atq; vt plurimum ex seipsa incipientem quæ aũt in venis consistit, sanguis videlicet crassus, & terrestris aliarum febrium successione aduenit: aut certe, quod rarum est, continua fit febris. Idem profecto dicendum est de febribus biliosis, quæ in quartanas transmutantur, aut de febribus erraticis, nam vtrunq; contingit: fiunt hæc à bile nimium exusta, simul cum aliis humoribus permista.

Sed.n. quia de priori conclusione satis diximus, ad secundã accedamus.

Quantum igitur ad Galenum pertinet, multis quidem visum est ipsum de proposito negocio sibi contraria conscripsisse. Sed hominem hunc sibi constare ostendemus allatis in medium illius verbis: *libro* igitur *secundo de differentiis febrium capite quinto* sic habet. *Alterum intermittentium febrium genus est exquisita quartana, quæ ex solo melancholico humore generatur, qui frigida, & sicca constat temperatura; succenditur aut paulatim, veluti lapis aut testa, aut os, aut tale aliquid eiuscemodi corpus frigidum & siccum.* Hæc ille.

Exqui-

Ex quibus verbis colligere est, velle Galenum, fieri quartanam à melancholia naturali: quoniam aliæ non sunt frigidæ, & siccæ: nam atra biles habent omnes caliditatem quandam igneam, cuius causa exulcerantur particulæ, in quibus continentur, vel per quas transeunt: quod nunquam fieri contingit à naturali melancholia.

Hic Galeni locus ea videtur confirmare, quæ nos suprà diximus, dum ageremus de humore melancholico: & dicebamus ab hoc solo fieri posse exquisitam quartanam, de qua loco citato Galenus loquebatur. Et propter hanc causam nullibi tradidit quartanam fieri ab atra bile, nam *in 3. prog. 27.* cum ait, quartanam ex melancholico humore consistere; atq; ipsum duplici modo generari, tum ex sanguine crassiori, qui respondeat proportione in venis subsidenti fæci in dolio vini: tum etiam flaua bile vehementer assata; id quod etiam confirmare videtur *lib. 3. aph. 22.* Cum (inquam) hæc ait Galenus, non vult fieri quartanam ab hisce duobus humoribus melancholicis; sed quod duplex sit humor melancholicus, alter sanguinis fæx; alter vero bilis adusta: ab illo semper fit quartana, ab hoc autem nunquam, si intelligatur syncerus, & impermistus: at vero aliis permistus spuriam quartanam facit, vt diximus.

Quoniam igitur Galenus dixerat, quartanam fieri ab humore melancholico: ne quis arbitraretur ab omni humore, cui melancholiæ nomen attribuitur concitari posse, distractionem adhibuit. Et quamuis non expresserit, de quo intelligat, illud tamen alibi declaratum, nempe *libr. 2. de febrium differentiis cap. 5.* reliquit.

Vides igitur ex his, quam bene omnia principiis Galeni conueniant; quodq; is sibi ipsi minime contrarius sit, vt recentiores Medici putant.

Sed satis quidem hæc dicta sunt de proximis causis.

Quantum vero ad remotas pertinet, nihil dicendum; quoniam eæ sunt omnibus manifestæ.

Reliquum est modo, vt de signis transigamus; ea solum generatim prosequentes, quæ exquisitam quartanam indicant; iis enim cognitis reliquæ spuriæ quartanæ nullo penitus negotio innotescent.

Atque inprimis illud scire oportet, vtplurimum hasce febres aduenire post febres erraticas, & inordinatas; in oratione autem, *vtplurimum* addidi, quoniam aliquando febres quartanæ veniunt à principio, præterquam aliis febribus succedant: quod ego tum sæpe alias, tum anno hoc præsenti sum expertus, in nobili, atq; doctissimo iuuene, Petro Leone Claudio (quem ego in præsentiarum honoris causa nomino) is enim statim febricitans in quartanam incidit.

Pro huius etiam febris notitia temperamentum hominis, ætatem, & victus rationem, atq; anni tempus animaduertere oportet. Quandoquidem aduenit sæpius in temperamento melancholico, in ætate consistente, aut etiam senili: hominibus, qui alimentis melancholiam gignentibus assueti sunt; & quod ad anni tempora pertinet, in autumno. Non sunt hæc tamen necessaria: namque non semel obseruatum est, quartanas in pueris, ac iuuenibus, æstate, aut etiam hyeme; temperamento sanguineo aut bilioso: ac in iis aduenisse, qui alimentis melancholicis non vescebantur: sed harum euentus non est tam frequens quam illarum; quamobrem recte dixeris has spurias esse, & non legitimas quartanas.

Verum quia hæc sunt communia signa; nunc, quæ propria sunt doceamus.

Vrina. Vrinæ variæ sunt in quartana pro ipsius temporum varietate: in principio sane illius crudæ sunt, pro conditione aliarum putridarum: Etenim impossibile est in principio humores concoctos esse, vt Galenus ait *4. aphoris. 23.* Verũ in hoc ab aliis differunt; quod sunt admodum tenues, & aquosæ; quod meo iu-

meo iudicio, propter humoris crassitiem euenit; cuius causa factis obstructionibus tenuiores partes vix possunt per vrinā percollari. Tales sunt incipiente quartana in die intermissionis: nam homine febricitante magis redduntur coloratæ, iam agente naturali calore in humores: at morbo iam declinante, vrinæ sunt crassiores; quod magis concoctæ, quodque natura per eam regionem aliquam humoris peccantis portionem expurget: atque ob eandem causam sunt aliquando nigræ, vt Galenus *libello de vrinis* testatur: intermediis temporibus medio modo se habent.

Vides igitur, quod recentiores quidam Medici, vt Altimarus, non mediocriter deceptus sit, cum asserat, vrinas continuo crudas existere in quocunque morbi tempore; idque ex Galeno videtur confirmare *libro primo ad Glauc. cap. septimo*. Sed non recte sentit, quoniam augescente morbo vrinæ incipiunt concoctionem ostendere, at consistente optimam coctionem insinuant: multoq; magis morbo iam declinante: hæc enim est vniuscuiusque morbi natura.

Quid autem ad Galenum pertinet, sciendum est loqui hominem inchoante febre: non autem in aliis temporibus vniuersalibus.

Pulsus rarus est toto morbi processu: in principio tamen multo rarior; estq; aliqua ex parte durus: vtriusque symptomatis causa est humoris crassities, durities, ac siccitas: & in hoc sane ab omnibus aliis putridis differt; nullæ enim sunt ex omnibus, quæ tam paruum pulsum afferant, qualem afferre solent quartanæ. *Pulsus.*

Cæterum quod pertinet ad rigorem, scito rem sic habere. Omnes quartanæ originem habent à paruo frigore: quia humor crassus existens non potest velociter per sentientes partes moueri: augetur autem paulatim frigus: donec in rigorem vehementissimum perueniat: quia humores sunt magis attenuati; mobilioresq; redditi.

Differt autem hic rigor ab eo, qui proprius est febris tertianæ, quoniam in hoc sensus adest rei pungentis: in illo autem rei grauantis, & ossa contundentis. *Rigor quartanæ & tertianæ quomodo differat.*

Huius diuersitatis causa est, quia tertiana ab humore fit acuto, acri, & mordaci: idcirco punctionis, mordicationisque sensus ostenditur: at febris quartana à crasso, terrestri, atq; graui humore originem habet: quamobrem habet grauitatis sensum.

Sed habet hoc loco dubitationem, cur videantur ossa confringi, quod est vniuscuiusq; quartanæ proprium. Hic ego (inquam) id contingere propter nutrimentum ossium: Nutriuntur enim melancholico sanguine: hoc itaque in illis partibus vehementer conculcato, elatisque ab eo vaporibus, & membranas ossium ferientis, talem confractionis sensum exhibet. Sciendum est tamen, quod non semper vehementissimi sint rigores: quandoquidem in statu quartanæ rigores mitiores redduntur; atque adhuc multo magis morbo iam declinante: quia non pauca humoris huius portio per vrinas educitur; atq; ita minorata materia fit rigor mitior. *Cur in omni quartana videantur ossa confringi.*

Quod vero ad calorem præter naturam attinet, sic habet: dum calefit corpus, non apparet vehemens caliditas; sed est paulatim accensa, ac paulatim discutitur: quemadmodum res habet in lapide, osse, ac ferro: ideoque accessio ad horas viginti quatuor protrahitur, & aliquando vlterius etiam progreditur: hoc sane in aliam causam referendum non est, quam in frigiditatem, & crassitiem humoris melancholici.

Sequitur autem sudorum copia circa exacerbationis declinationem: nam in hoc humore copiosiores euacuationes fiunt, quam in pituita. Quoniam quicquid atræ bilis fuerit accensum, exhauritur; atque dispergitur.

Inter

Inter signa essentialia quartanæ febris referendus est periodus febris quæ hominem lædit quarto quoq; die: nam vt periodus tertianus flauam bilem per sensibiles corporis partes moueri significat: sic pariter circuitus de quarto in quartum humoris melancholici præsentiam indicanr, vt supra declaratum est à nobis.

Sitis non est admodum vehemens: minor quidem, atq; in tertiana: maior autem, quam in quotidiana.

Dolor capitis aut nullus, aut exiguus, isq; grauitatis sensum exhibens.

Splenis vt plurimum accidit læsio: quia in ea parte, tanquam in proprio receptaculo humores melancholici reconduntur: hinc illis multiplicatis sequitur manifesta læsio lienis: quinimo sæpius quartana subsequitur ad illius affectus, vt recte admonuit Galenus.

Multis vehemens accedit appetitus; corrugato ventriculi ore à melancholiæ acerbitate: At aliquando cõtrarium apparet, obstructis viis, per quas humor niger à liene ad ventriculum transmittitur.

His quidem indiciis præsentem quartanam cognosces.

Quod si iisdem addideris indicium à simllibus, iam habebis omnium signorum syndromen. Si enim frequentes sint eadem tempestate quartanæ, vtiq; sperandum est, eadem febre homines arripi. Sed hæc satis de quartana.

De febribus compositis, & de hemitritæo: horum causis, & signis demonstratiuis.

Cap. XVII.

Hactenvs videmur, omnia diligenter prosecuti, quæ ad omnes simplices febrium differentias pertinebant: nunc reliquum est, vt de compositis febribus agamus: hæ enim solæ restant, vt explicentur, ex omnibus putridis febribus; quæ citra malignitatem aliquam consistunt: de his enim (putridæ enim sunt, ac pestilentes) sequenti libro vberrime disputabimus.

Verum oportet animaduertere hoc loco, recentiores Medicos multa de febrium cõpositione disseruisse; quæ sane, quoniam partim inutilia; partim etiam falsa sunt; hic à nobis prætermittentur: eaque solum afferemus in medium, quæ in methodo medendi maximam vtilitatem præstant.

Quamobrem sciendum est, cõpositas febres duobus modis apud Medicos dici: Aliquando enim tales dicuntur, cum ex pluribus confusis febribus constant: aliquando autem cum ex implicitis, & permistis fiunt: sed ne obscuritas nominum negotium difficilius reddat, quid per confusas, & quid per implicitas febres intelligamus, exponendum est.

Eas itaque confusas febres nuncupo, quæcunq; fiunt ex duobus humoribus simul vno eodemque loco putrefactis: quod vero de duabus diximus, id pariter de tribus dicendum est, ea est harum febrium natura; quod simul incipiunt, simulque desinunt: nec harum aliqua seorsum internosci potest; nec aliquando simplex elucet; sed sunt omnia indicia, symptomataque confusa.

In hoc genere continentur eæ febres; quæ nothæ atq; illegitimæ nuncupantur; vt tertiana quotidiana, & quartana.

In his tamen illud animaduertere oportet, quod si quando duæ febres confunduntur; quarum æqualis sit vis, humoresq; peccantes paritatem habeant; aliquod definitum illarum genus, in quod reponendæ sunt, assignari non potest: vt idem sit æqualisq; modus flauæ bilis putridæ, & pituitæ febris, mediam quandam naturam obtinebit in tertianã, & quotidianam: nec determinate sub altera istarum collocabitur. Verum superante altero istorum humorum, qui putredinẽ subiere; ab illo nomen sortitur: sic enim multoties consue-

consueuerunt à maiore quantitate res ipsas denominare; hac ratione vocatur tertiana illegitima, quæ à duobus humoribus pendet, eodem loco putrefactis; dominante tamen bile flaua: sic idem esto de reliquis iudicium: sed hactenus diximus de confusis febribus.

Implicitæ autem febres sunt, quæ à diuersis humoribus fiunt (in qua re, simul cum confusis conueniunt) non vno tamen loco putrefactis, sed in diuersis; hinc febres duæ concitantur, quæ neq; simul eadem hora hominem prehendunt, neq; simul desinunt. Semper. n. vna præcedit alteram, tam in aduentu febris, q̃ in eiusdem recessu. Hæc igitur ratio, hæcq; natura harum febrium. Sed videamus, quomodo inuicem variæ febres complicari possint.

Primum quidem illud ex omnium consensu veritatem habet, posse febrem generis vnius cum altera alterius generis complicari: vt si putrida cum febre in habitu implicatur: quod sane frequentissime accidit. Vix enim ex sexcentis febribus in habitu, vnam, aut alteram offendes, quæ simul connexam putredinem non habeat: quam rem Galenus videtur etiam animaduertisse; dum *libr. 1. de febrium differentiis* Athenæi autoritate admisit, omnes febres putridas esse, exceptis tamen ephemeris: quæ nullam putredinem annexam secum habent.

Implicantur etiam putridæ febres cum putridis: tripliciter autem hoc ipsum imaginari possumus.

Vno modo, quod continuæ cum continuis.

Deinde, quod intermittentes simul cum intermittentibus.

Postremo, quod intermittentes simul cum continuis implicentur.

Continuæ quidem cum continuis implicari & permisceri non possunt: sed duntaxat confundi. Cuius causa est, quod continuarum materia in venis maioribus consistit, aut saltem in iis, quæ sunt cordi proximæ: non itaque potest ex putredine duorum humorum in vno eodemque loco consistentium implicita febris fieri: sed ea, vt de nothis, ac illegitimis diximus, confusa erit. Si enim ea est implicitarum febrium ratio, vt humores peccantes diuersas sedes habeant; cum in continuis vnam solum, eamq; semper possideant; vnusq; sit locus, in quo putrescant; manifesto, necessarioq; concluditur, continuas cum continuis implicari non posse, sed duntaxat confundi; quicquid in hac re dictum fuerit à maximo Arabum omnium Auicenna.

Sed hoc loco animaduerti velim, loqui nos de continnis primariis, de quibus libro superiori disseruimus; de symptomaticis enim secus dicendum. Quid etenim esse impedimento potest, si cum febre continua ab inflammatione alicuius partis oborta, vt puta vteri, simul putrescant humores in venis maioribus, quæ proximæ sunt cordi? atque si hoc fieri potest (nihil namque impedit) cum duobus in locis, tum in loco inflammationis, tum in venis cordis, aut illi proximis putredo adsit, & vtrobique continua fit febris; nullam dubitationem habet; quin continuæ hac ratione implicari possint. Verum quia possibilis hic casus rarus est, atque admodum insolens, signisque vix perceptibilis; idcirco non erit ab re, si tanquam Medici, qui sensitiui sunt artifices; & qui ea quæ raro adueniant, perinde habent, atque si nunquam contingerent; dicamus continuas cum continuis nunquam implicari posse, sed duntaxat confundi.

Iam vero intermittentes inuicem frequentissime complicantur. Hoc autem bifariam contingit; aut quod intermittentes eiusdem generis permisceantur; aut diuersorum generum. Illud quidem non raro contingit: hoc autem infrequentius. Sed est vtrumque diligentius exponendum.

Intermittentes itaque cum aliis eiusdem generis permiscentur. Si quando contigerit eundem humorem specie duobus in locis putrefieri, tunc enim duæ accessiones fiunt impares quidem tempore, verum symptomatis parum differentes.

Ponamus flauam bilem in ventriculo putrefieri: ex hoc loco putredo cordi communicata febrem faciet intermittẽtem: si vero in alia sede, vt puta in vtero, aut renibus, aut intestinis, aut aliquapiam determinata particula, pars eiusdem bilis putrediñe subierit; altera generabitur febris biliosa: hoc modo duæ fiunt tertianæ: quæ possunt hominem inuadere tum eodem die bis; altero quiescente: tum vero singulis diebus: quæ bis inuadit febris eodem die originem habet ab humore variis locis putrescẽte, cuius tamen putredo mouetur eodem die, non autem eisdem horis: sibiq; accessiones tertio quoq; die correspondent: aliæ vero, quæ singulis diebus inuadunt, quamuis quotidianarum febrium naturam sapere videantur hac ratione quod adueniat quotidie: differunt tamen, quod accessiones similes non sunt, vt in phlegmatica; sed dissimiles: quodq; symptomata non pituitam, sed flauam bilem attestantur: atque quod progressæ causæ non eædem sunt cuiuscunque humoris. In eo autem à prioribus tertianis differt, quod illæ diem intermedium habent quietis: hæc vero minime. Cuius hæc ratio est, quod humoris altera portio tardius ad putredinem mouetur, quam quod sufficiat singulo die duas accessiones facere. Hoc sane modo se habent duæ tertianæ.

An autem tres, & quatuor reperiri possint, nec ne; dicam esse quidem possibile, à me tamen nunquam, nec à quoquam alio hactenus obseruatum fuisse.

Cæterum animaduertere oportet, quod etiam optime notauit Ioannes Fernelius, nunquam, aut certe admodum raro hominem à principio duas tertianas apprehendere: namque semper à simplici initium sumit: cui deinde accedit altera: continuoq; implicitarum vna prior terminari solet, altera permanente.

In hoc etiam implicitarum febrium numero est, duplex quotidiana: quam tamen rarissime conspiciemus: omnium enim maxime insolens est: frequentior est duplex quartana. Quæ simplici succedit: quin etiam ex duplici, non raro fit triplex: quod sane mihi contigit annis præteritis: qui ex inordinata ratione victus ex vna quartana primum duplicem, deinum triplicem passus fui. Similium febrium implexus hoc modo habet.

Quod vero pertinet ad rationem cognoscendi, ego sane hic nihil penitus conscribam, cum ex simplicium notitia omnibus nullo negotio innotescat.

[illegible] Implicantur etiam aliquando inuicem (quamuis non admodum frequenter) febres diuersarum specierum, vt tertiana & quotidiana intermittens, quæ sane hominem prehendit singulo quoque die: altero tamen bis: altero semel. Bis vno, inuadente scilicet tertiana febre, semel; & rursus inchoante quotidiana. Altero vero semel insultu faciente sola phlegmatica febre.

Hanc nos hisce proximis diebus obseruauimus in ciuitate Anxur, in vxore cuiusdam Rogerii.

Vidimus quinetiam, dum in ciuitate noua medicinam faceremus, implicationem tertianæ febris simul cum quartana vtraq; simplici, & exquisita: quartana inuadente die sequenti: antecedente vero tertiana. Quamobrem singulo quoque die accessiones aduenlebant: inuicem vero differebant, & propriis indiciis, & ex motu ægritudinum, & symptomatis: nondum autem obseruaui implicationem quotidianæ, cum quartana febre: possibilis tamen est implexus: à me tamen, vt dixi, minime obseruatus. Quoniam vero rarissimus est harum febrium euentus, idcirco de his Medici, aut parum, aut nihil meminerunt: vtile tamen est hoc sciuisse: quia si quando contigerint, non possunt recte curari, nisi prius fuerint cognitæ.

Reliquum est modo, vt dicamus de implicatione continuarum simul cum intermittentibus.

Eiusce-

Eiuſcemodi autem complicatio eſt duplex: altera cum febris tertiana intermittens permiſcetur cum quotidiana continua; altera vero cum intermittens quotidiana implicatur ſimul cum tertiana continua. Solet autem vtraq; febris tam à recentioribus Medicis, quàm à Galeno ſemitertiana nuncupati: veluti Græcis ἡμιτριταῖος. Quamuis Galenus id videatur manifeſtius aſſeruiſſe; ſemitertianam eſſe, cum febris compoſita eſt ex tertiana intermittente, & quotidiana continua: namque is aſſeruit, continuam oportere ſemitertianam eſſe; & acutam; & horridam; quemadmodum *primo de morbis vulgaribus* ab Hippocrate dictum eſt continuitatem quidem ſumere à quotidiana, horrores à tertiana, reduplicationes vero à pugna mutua ipſarum febrium: nihilominus negare minime videtur, quod etiam hemitritæus dicatur febris ex continua tertiana, intermittente vero quotidiana; vt videre eſt *libro ſecundo de febrium differentiis capite nono in fine.*

Propter quam vero cauſam vocentur hæ febres ſemitertianæ, non eſt, quod nos hoc loco explicemus: quia à Galeno iam traditum eſt; & quia lis eſt de nominibus: parum enim refert, quomodo quis eam febrem nominet, modo in hoc vno conueniat, ad eumque ſcopum omnem curandi legem dirigat, vt quotidianam continuam & tertianam intermittentem abigat.

Quod vero pertinet ad harum febrium naturam, ſcite oportet; quod mali moris ſit febris propter pugnam duorum humorum, qui ex diametro contrarii ſunt: hinc.n. accidit horridam eſſe febrem: quoniam magnam acceſſionis partem horrores aſſumunt: altera dierũ ſcil. in quibus & tertiana, & quotidiana ſimul inuadunt: nam altera dies ſolam habet quotidianam. Etenim cum ab inuaſione inualeſcit: tertianæ quidem ratione cito incaleſcit, ac feſtinat, ad ſummum: at propter quotidianam ex pituita tardatur; atque in aſcenſu retinetur nonnunquam, atque interrumpitur. Eſtque inter varios affectus veluti pugna quædam; cum æger nonnunquam inualeſcente febre tertiana, atq; ad cutem humores impellente, vehementius caleſiat, contra vero remorante, atq; ad interiora reuocante ipſius motum febre, quæ ex pituita ortum habet; vt quæ tardi, ac difficilis motus, frigida, ac lenta exiſtat materia. *Huius febris natura.*

In hoc autem certamine, cum humor frigidus ſuperauerit; ſubmiſſiones, horrores, atque extremarum partium, & cutis refrigerationes ſequuntur, adeo vt videatur altera rurſus acceſſio renouari: cum vero calidior vicerit, tunc ſtatim totum corpus caleſit, vt iam videatur febris fere in ſummo conſiſtere: mox paulo poſt ad pituitam redeunte victoria, ægroti denuo contrahuntur, refrigerantur, & horrent, neque hoc terminum vllum habet, donec febris ad ſummum perueniat: quod quidem citius accidit, quam pro more pituitæ: tardius quidem, quam in bile fieri conſueuit: nam huius quidem celeritatem cohibet pituita: ac rurſus pituitæ tarditatem; atq; hebetudinem excitat bilis. Hoc igitur modo habent acceſſiones hæmitritæi.

Verum animaduertendum eſt generis vtriuſque tres in vniuerſum differentias exiſtere.

Quarum altera eſt ſuperante bile; atque tunc ſymptomata tertianæ febris validiora ſunt, atque manifeſtiora.

Altera ſuperante pituita: ſymptomataque quotidianę febris cum plura ſunt, tum clariora.

Tertia vero neutro humore ſuperante: ſed vtroq; æqualiter affecto.

Poſtrema hæc differentia vetus eſt atq; exquiſitus hæmitritæus: duæ vero hemitritæi quidem ſunt, ſed nothi ac illegitimi.

Verùm habet hoc loco dubium, quia Galenus *lib. de typis*, hæmitritæum inter febres intermittentes numerat, cum tamen tum *2. de febr. diff.* tum *lib. 1. de popul. morb.* aſſerat ex Hip. ſuaq; ſententia, contemnendã eſſe hęmitritæum. *Dubium.*

 Soluen-

Soluenda est in hunc modum contradictio. Primo itaq; putare oportet Galenum ex Agathini sententia locutum fuisse, vt eius verba manifeste videntur explicare. Secundo dicendum, Galenum hemitritæi nomen largiori quadam significatione vsurpasse; pro omni scilicet permistione tertianæ simul cum febre quotidiana. Vel tertio dicendum, per febrem intermittentem non intelligere Galenum eam, quæ omnino ad integritatem peruenit. Sed eam, quæ remittit, inclinatque: quæ opponitur illi febri, quæ à principio ad finem vsque eundem seruat gradum. Sic enim Galenus exponit intermittentis vocabulum, *1. libr. de vulg. morbis*: quo loco docet quid per continuum, & quid per intermittens intelligendum sit, vt nos libro superiori commonefecimus.

Sed hæc satis de compositis febribus: quæ vt facilius pateant; placuit hac tabella ob oculos ponere.

- *Febris composita dupliciter dicitur; vel quia*
  - *Ex diuersis confusa est: simul incipiunt desinuntq́; : ac ex humoribus constant in vno loco putrefactis. Hæ sunt febres.*
    - *Tertiana notha.*
    - *Quotidiana notha.*
    - *Quartana notha.*
    - *Continua notha.*
  - *Ex diuersis implicita, nec simul incipit: nec desinit: & putredo in pluribus locis consistit: implicantur autem vel*
    - *Diuersorum generũ febres: vt febris*
      - *In habitu*
      - *putrida*
      - → *frequenter accidit.*
    - *Eiusdem generis, vt,*
      - *Intermittens cum intermittente, aut*
        - *diuersarũ specierum*
          - *Tertiana, quotidiana.*
          - *Tertiana, quartana.*
        - *eiusdem speciei*
          - *Tertiana duplex.*
          - *Qartana duplex, triplex.*
          - *Quotidiana duplex.*
      - *Intermittens cum continua, vt*
        - *Tertiana intermittẽs quotidiana cõtinua est hemitritæus*
          - *Dominante bile.*
          - *Dominante pituita.*
          - *Neutra dominante.*
        - *Tertiana continua, quotidiana intermittens.*
          - *Dominante bile.*
          - *Dominante pituita.*
          - *Neutra dominante.*

FINIS LIBRI V.

LIBER SEXTVS.

DE FEBRIBVS PESTILENTIBVS.

Quid actum sit superioribus libris: quidue hoc libro agendum sit?

CAPVT I.

IN hoc igitur libro, qui totius nostræ methodi sextus est; Febrium pestilentium naturam docebimus: Hoc enim reliquum est, vt vniuersam tractationem, quę febrium essentias pollicetur, expediam.

Febrium namq; differentiæ supremæ, quas etiam aliquando genera nuncupauimus, duæ sunt.

Vna, in qua calor naturalis sensim de sua temperie discedens, igneus fit; qui à nonnullis appellatur simplex calor præter naturam; atq; febris ab hoc calore genita quodammodo simplex dicitur.

Altera vero est, in qua calor non solum est igneus, sed etiam à putrida euaporatione coinquinatus.

Vtriusq; autem particulares differentiæ duæ sunt.

Illius quidem, cū calor febrilis occupat vel aeream & spirituosam substantiam: cuius causa generatur febris ephemera: vel solidas corporis partes inuadit; quod genus hecticum, quasi dixeris, in habitu nuncupatur.

Huius vero discrimina sunt: cū euaporatio putrida extrinsecus genita simul cū aere attrahitur, atq; cum hæc putredo intrinsecus gignitur: quomodo fit ea febris; quæ simpliciter putrida dicitur? nam quæ fit ex putredine per inspirationem attracta, ea quamuis putrida sit; pestilens tamen dicitur, omnium putridarum perniciosissima.

Quamobrem quoniam nos tribus primis libris, tum in genere de febris natura plurima disputauimus, tum etiam diligenter docuimus naturam & differentias febris diariæ, & febris in habitu. In quarto autem demonstrauimus, quid sit febris putrida, quid putredo, quæ putredinis causę, quæ putridatum febrium differentiæ; atque vniuersum negotium de febribus continuis absoluimus. At in eo, qui quartam sequitur, naturam edocuimus omnium intermittentium febrium; quot sint præterea earum differentiæ; quam singulæ naturam habeant; & quot sint febres compositæ, earumque causæ. His ergo in hunc modum expeditis, nihil aliud reliquum est, pro totius operis perfectione; quam quod ego diligenter edisseram de pestilentibus febribus. Quæ sane tractatio alias omnes tum difficultate, tum etiam vtilitate superat. In hoc enim genere difficultates proponuntur maximæ, quæ adhuc sub iudice consistunt; de quibus nos loco suo methodo ipsa, pro more maiorum, differemus.

Cæterum vtilitas maxima est: quoniam nulla est ex omni febrium genere; quæ vel accidentium sæuitia, vel multitudine, vel mortalitate ingenti magis homines offendat, quam pestilentia: Nam hæc tāquam immanis bellua omnes æqualiter inuadens, non solum in vna regione, sed etiam in pluribus, aut omnibus pabulatur.

Quid sit febris pestilens. CAP. II.

QVONIAM vniuscuiusq; tractationis principium à rei natura exordiri debet, quemadmodū supra exposuimus; acturi hoc loco de pestilentiali febre, illius essentiam afferre in primis oportet, vt intelligatur, quid sit id, de quo disputatur. Sed anteaquam nostram hac de re opinionem afferamus, explicemus primum, quid alii senserint; vt cognoscatur, quid bene, & quid perpetam ac non bene dictū ab illis fuerit. Recentiores igitur quidam in hunc modum definiunt: *Pestilens febris* *Quid pestilens secundum quosdam recentiores.*

est morbus vulgaris perniciosus; nã omnis pestilens affectio morbus est vulgaris: non tamen illico popularis omnis morbus, pestis est: quamobrem inuicem differunt sola pernicie: definitionem videntur ex Galeno desumere; qui *lib. de rat. victus primo* in huius opinionis confirmationem inquit; *morbi multi, qui vno tempore fiunt, si perniciosi sint, pestem appellant; si vero mitiores, altera quadam indicant appellatione epidemios, vel epidemios nominantes: epidemius morbus est, qui tempore anni aliquo in regione aliqua abundat, insolescitq́; pestis vero est epidemia perniciosa.*

Com. 9.

Epidemius morbus quid.

Hæc definitio quãuis optime videatur docere, quid res ipsa sit; nihilominus in hoc certe reprehendenda est, quod causam non doceat, propter q̃ res ipsa sit: nec omnes difficultates persoluat, quæ circa propositũ genus definitum contingunt: Hoc.n. perfectissimæ definitionis munus est, vt doceat breuissime quid sit, & quamobrem sit, & omnes dubitationes soluat; quæ definitiones, quemadmodum Aristoteles tradidit in libris ἀναλυτικῶν ὑστερῶν, sola positione, situue à demonstratione differunt: Nos itaq; propter hanc, q̃ diximus causam, propositam definitionem potius descriptionẽ nuncupabimus.

Alia definitio febris pestilentis.

Alii vero sic definiunt; *febris pestilentialis est morbus complexionalis; aliquando acutissimus contagiosus, & vniuersalis cum qualitate pessima venenosa cõturbans intus & vtplurimum perdens.* Quæ definitio multo minus satisfacit, q̃ prior: namque duo sunt definitionum vitia: primum, q ea, q̃ necessaria sunt, prætermittant: deinde, quod explicant parũ necessaria; & quæ rei definitę ex accidenti conueniant, horum vtrunq; adest in definitione præposita: nam quamuis veritatem habet morbum esse complexionalem, pestilentem febrem; tamen cum in intemperie simplex morbus non adsit; qualis morbus in intemperie sit pestis, fuisset declarandũ. Deinde vero quæ definito conueniunt, vt definitionis partes, ea semper conueniunt, cũ primo, & per se de definito prædicẽtur: quæ autem eiuscemodi non sunt; hæc quidem accidentia sunt: & definitiones ingredi non debent. Eiuscemodi quidem sunt; quod pestem acutissimũ esse morbum dixerint; nam hoc semper pestilenti febri non inest: Sunt enim quædam diuturnæ, vt posthac explicabimus. In hoc etiam genere consistit vitium; quod tradiderint, intus conturbare eiuscemodi febres, atq; plurimũ ægrotantes perdere: Nam hæc ex accidenti conueniunt pestilentialibus febribus; quam rem nos, cum docebimus ea, quæ per se insunt; manifestissime declarabimus. Itaq; proposita definitio non solum necessaria prætermittit; sed addit amplius ea, quæ cum per se non insint, ex accidenti conueniunt.

Quid secundũ Altimarum.

Hac igitur definitione prætermissa; quid alii sentiant, videamus. Altimarus inter recentiores Medicos vir minime contemnendus, in hunc modum definit: *Est itaq; febris pestilens, praua seu pessima, ac perniciosissima communis, ac vulgaris febris ex pestilenti aeris statu proficiscens.* Optima sane videtur hæc definitio, atq; omnibus numeris absoluta; nisi q cum causam contentiuam explicat, principium petere videtur: cum enim dicimus, pestilentem esse febrem, quæ ex pestilenti aeris statu proficiscatur; id videmur supponere, cuius declarationem quærimus: nam amplius explicandum, qualisnam existat pestilens aeris cõditio, quæ pestilentiam faciat. Autor libri definitionum medicarum tres definitiones affert, quarum vna est. *Pestilentia*, (inquit) *est communis affectus plurimorum, qui sub idem tempus per vrbes, nationesq́;, acuta pericula, mortesq́; infert acutas.* Secunda: *Pestilentia est versura aeris, qua de re nec ordinem proprium seruant anni tempora, simulq́; plures ex eodem morbo intereunt.* Tertia vero sic habet: *Pestilentia est morbus, qui in omnes, aut plurimos grassatur ab aeris corruptione proueniens; quo fit vt plurimi intereant.* Harum definitionum optima est postrema; aliæ vero vitio non carent. Nam prior confundere videtur pestilentiales morbos, cum morbis communibus: est enim cõmunis morbus, qui per rationes plurimas mortes affert, & pericula: at pestilẽs aliud etiam habet proprium, cuius causa à communi distinguitur; tanquam species à genere, siquidem pestilens omnis est communis, non omnis autem communis pestilens. Secunda vero

Secundũ autorẽ definitionum.

pesti-

pestilentiæ notio confundere videtur pestilentes morbos cum vulgarib. qui fiunt ex varia permutatione temporum anni. Deinde vero obscurũ est, quid sibi velit, cum aeris versuram esse docuit: si enim intemperiem docet, pestilentiæ naturam non explicat: si vero corruptionem intelligit, versuræ nomine, nimis certe communiter dictum est. Cæterum postrema definitio omni caret vitio: cum enim ait morbum esse, qui in omnes aut plurimos grassatur, communem morbum esse tradidit: quatenus autem ab aere proficiscitur, non solum est communis affectus; sed etiam inter vulgares reponendus est: quatenus vero à putredine aeris (hoc enim in præsentia intelligimus nomine corruptionis) fit, propriam ideam, atq; naturam febris pestilentialis explicat: quam definitionem si reddere clariorem voluerimus, in hunc modum dicemus: *Febris pestilentialis est morbus communis, & popularis ex aeris putrefactione proficiscens.* Hæc enim definitio non solum quid res sit; sed etiam quamobrem sit, explicat: quod nos nunc diligenter exponemus. *Alia defin. prima.*

Quid sit morbus communis: quodq́; febris pestilens in numero communium morborum reponenda sit.

CAP. III.

Vt in hac nostro methodo nihil sit, quod obscuritatẽ faciat; declaremus hoc capite singulas propositæ definitionis partes: atq; primum, quoniam tradidimus, pestilentem febrem communem morbum existere; doceamus, quid nomine communis morbi intelligamus: & à quibus causis fiant morbi communes; quodque febris pestilens sit ex communium morborum numero, quibus expositis pariter alias iam traditæ notionis particulas edocebimus.

Morbus igitur communis est, qui omnes, aut plures æqualiter eadem tempestate homines inuadit. Huic opponuntur morbi dissimiles, sparsim vagantes, qui à Græcis σποράδες nuncupantur: & sunt qui sparsim, priuatimq́; prehendunt, ægrum discrepanter fatigantes, neque secundum communem modum prehendentes. Omnes igitur morbi, qui sunt pluribus communes, siue contagiosi sint, siue minus communes nuncupantur: qui vero particulariter vnumquemque afficiunt, dissimiles appellantur. *Quid morbus communis.*

Cæterum animaduertere oportet; quod quamuis apud Medicos vniversalis, & communis morbus inuicem confundantur; re tamen ipsa differũt; is n. est vniuersalis affectus, qui omnes humani corporis partes afficit; qua ratione febrem appellare vniuersalem morbũ solemus, quod nulla sit pars, quemadmodum supra definiuimus; quæ in febricitante homine non patiatur. Communis autem est morbus, non qui omnes, aut plures afficit partes; sed qui pluribus hominibus conuenit: sic vidimus nostra tempestate contigisse; atque etiam curauimus, communes ophthalmias (sic enim inflammationes loco tunicæ adnatæ, quam Arabes coniunctiuam dicunt) Anginas; intestinorum difficultates; pleuritides, pestiferas febres; atque tusses, quasdam populares aduenisse: quales potissimum illæ fuerunt, quæ anno præterito 1562. vniuersam Italiam inuaserunt, & potissimum locos humidos, depopulatæ sunt. Erant aũt tusses eiusmodi grauis capitis dolor; respirandique angustiæ, ac vocis raucitas initio ægros prehendebant: mox horror, febris, tussisque adeo valida, vt in præfocationis periculum plerique deducerentur. Primis diebus tussis sicca, atque vehemens sine screatu; deinde concocto humore, qui pulmones implebat, post septimum, aut decimumquartum screatus multus, viscidus, lentus nonnullis tennis, & spumosus apparebat. Præcedente autem sputo, tussis, & spirandi difficultas plurimum remittebantur. Verum in omni morbi progressu lassitudo corporis, virium deiectio, inappetentia multa; & à cibis auersio ægros vexabant, inquietudo, languor, vigiliæ ob validam tussim vehementer prehendebant; *Vniuersalis & communis morbus quomodo differant.* *Historia.*

nonnullis alui fluor sub finem, aliis sudores manabãt. In vniuersum vero cuiusvis ætatis, sexus, victus rationis homines eodem morbo, potissimum autumnali tempore, corripiebantur: moxq; vno, in vna quapiam familia correpto in vniuersam domum contagio paulo post obrepebat: moriebantur potissimum senes, infantes, & qui morbis reumaticis erant obnoxij, & in locis humidis degebant. Relatum nobis fuit, hoc morbi genere, plusquam duodecim millia hominum Romæ mortuos fuisse; tantum enim in ea vrbe, propter illius ingentem humiditatem inquit.

Communium morborum causæ. Diximus hactenus, qui sint communes morbi: nunc breuiter docendũ, quæ sint illius causæ, & differentiæ.

Itaq; communium morborum causæ sunt communes, quemadmodum particularium particulares, quę videlicet sunt vniuscuiusq; proprie, à quibus fiunt morbi dissimiles, & sporadici: Horum potissima causa est victus particularis, quo vnusquisq; dissimiliter vtitur. Illorum autem tres potissimum causas ex admirabili Galeno referemus.

Prima est communis victus, quo nostrum vnusquisq; communiter vtitur; vt si leguminibus, aut frugibus semiputridis, omnes homines vterentur, in communem communi de causa morbum inciderent.

Secunda causa est aer nos ambiens, quem omnes ex necessitate attrahimus: cuius vitio perinde omnes afficimur, veluti eiusdem salubritate omnes conseruamur.

Tertia causa sunt communes labores, communesve occupationes: quas omnes causas Galenus his verbis retulit: *Ac præsertim quidem per effectum aeris ambientis: non enim frequenter accidit, vt per ingestos cibos, morbus communis ciuitatem, vel rationẽ, vel exercitum peruadat: sicuti neq; per communes tum occupationes, tũ labores: at continens, nos aer si immoderatius calefiat, frigescat, humescat, vel siccescat, corporum symetriã, quæ sanitas est, confundit, interturbat ac corrumpit, aliis vero causis, neq; omnes similiter obuiamus, neq; in tegrum diem subiicimur, sed aer solus extrinsecus omnes ambit, & inspiratur. Non enim fieri potest, quin corporum animalium temperatura cum eius permutatione afficiantur ac permutentur.* Hæc Galenus.

Ex quibus verbis colligendum est, non mediocriter errasse recentiores Medicos, qui vnã solam esse communium morborum causam tradidere, nos videlicet ambientem aerem: alias vero causas, de quibus nos diximus, nõ admiserunt. Horum autem opinio videtur ab Hippocrate initiũ desumpsisse, qui *libro de flatibus* in hunc modum inquit: *Febris duo sunt genera, alterum commune omnibus, pestis appellatur; alterum propter malam diætã, priuatim iis contingit, qui ea vtatur.* Horum causam paulo post explicat, cum ait: *Vtriusq; autẽ generis auctor & causa aer existit.* At in *com. 2. de human. nat.* rem ipsam multo clarius explicat; *morbi vero fiunt* (inquit) *partim à viuendi ratione, partim à spiritu, cuius attractione viuimus. Vtrosq; autem hoc modo discernes, vbi multi vno morbo homines corripiuntur, vna tempestate in id conferenda causa est, quod sit communissimum: quoq; maxime vtimur vniuersi, hoc est, quod spiritu attrahimus: Tunc enim victũ cuiusq; nostrũ nequaquã in causa esse manifesto constat, cum morbos omnes iuxta attingit tam iuuenes, quam senes: tam fœminas, quam viros: perinde vinum atq; aquã bibentes: tam qui offam, quam qui panem commanducant, tam qui multũ, quam qui parum laborant. Ergo non fuerit victus ratio in causa cũ homines quoq; victu vtentes in eundẽ incidunt morbum: at vbi diuersis eodẽ tempore morbis homines afficiuntur, suus cuiq; victus sine controuersia causa est.*

Propter has itaq; Hippocratis sententias putant recentiores Medici aliam non esse communium morborum causam, quam aerem: sed longe meo quidem iudicio decipiuntur.

Nam morborũ communiũ causa est, id, quod aut omnibus, aut pluribus commune est: esse autẽ pluribus commune, potest non solũ aer, sed alimenta, & potus, & labores & occupationes: possunt equidem eisdem cibis vti plures homines, quorũ causa accidat in communes morbos incidere: possunt etiã ex potu

e x potu communi in eandē labem incurrere: hoc quamuis Galeni testimonio fuerit supra comprobatum; nunc tamen diligentius allatis in medium eiusdem verbis explicabimus. Is enim *com. 2 de hum. nat.* sic loquitur: *At non recte tamen communium morborum ortū in vnum aerem confert, siquidem qui in Æno grassante fame vescerentur leguminibus, cruribus debilitabantur: qui vero erua essent, hos genuum dolor corripiebat. Neq; hoc nos ignoramus: cum in fame quidā frumentum semiputre coacti manducare essent, in communē communi de causa incidisse morbum, aliquando etiam cum vsus infecta aqua esset totus exercitus, similiter afflictos omnes milites fuisse.* Et alibi: *Potest tamē efficere morbum communē haustus aqua infecta: quod quidē memoria proditū est in castris accidisse.* Præterea *lib. 1. de febr. differ.* Ex prauis alimentis genitas fuisse malignas, & pestilentes febres tradidit, atq; horum alimentorū naturā explicans sic scriptum reliquit: *Voco autem prauos cibos, quibus hoc ipsum est à natura insitum, sicuti allia, cepa, nasturtia, porros, brassicas, ocyma & vrticas, & quacunq; alia agrestia dicuntur: veluti qua apud nos lampsana vocantur: & qua præterea natura quidem optima sunt sed ob quosdam putrefactionis modos, aquale prædictis, aut maius aliquando vitiū contrahunt, veluti frumenta, hordea, atq; omnes alia fruges, qua ad vsum cibi assumūtur: Quarum nonnulla temporis longitudine ad putrescibilem ducuntur dispositionem: alia quidem tam male reposita refuerunt, humiditate replentur: quadam vero & in primo ortu rubigine deprauantur. Tales cibos hodie quoq; vrgente fame plures coactis comedere, nonnulli quidem à putridis, ac pestiferis febribus interierunt: nonnulli pustulas instar scabiei, ac lepra in corpore contraxerunt.* Quantum vero possit annonę caritas, ad generationem communium morborum, Galenus testatur *in principio commentarij de cibis boni & mali succi.* Ex his non solum aerem causam esse communium morborum, sed etiam potum & cibum, colligendum est.

Text. 9.

In proœm. lib. epidem.

Cap. 6.

Cap. 3.

Quantum autem pertineat ad communes labores, & occupationes, dicam ego breuissime, quid sentiam.

Ab his possunt communes morbi fieri: rarius tamen, quam à potu & cibo: & ab hac causa minus frequenter, quam ab aere. Ergo frequentissimi sunt communes morbi ab ambiente aere, vt Galenus testatur, minus frequentes à cibis, & potibus; atque postremo multo minus: à communibus laboribus & occupationibus: Omnibus iis, qui in ciuitate noua salib. ex onerariis asportandis præsunt, communes morbi fiunt in humeris propter maximum salis onus, quod in illis portant: ij communes morbi sunt: scapularum grauedines, inflammationes; & tumores prædurij quemadmodum nos, dum ibi medicinam faceremus, obseruauimus.

Quamobrem concludendum tres esse causas communium morborum.

Sed habet hoc loco dubitationem, quid dicere oporteat ad Hippocratē, qui solum aerem admittere videtur.

Huic satisfacere quidem sic oportet; quod is eam causam retulerit, tum quia communissima est, & omnes æqualiter afficit: & quam nos ex necessitate attrahimus: tum etiā à qua morbi communes fiunt frequentius; non enim perinde ab aliis causis afficimur, atq; ab vno aere, cuius iniuriā velimus, nolimus ex necessitate attrahimus. Author solutionis est Galenus, dum ait: *Porro, qui à cibo proficiscuntur & potu, tum infrequentes, tum cognitu sunt faciles: quare in libro de humana natura causam eius, quod multis est morbis commune, communissimam appellauit.* Et parum supra dixerat: *Ab his vero causis, neq; omnibus simul obuiamus, neq; integrum diē subiicimur: sed aer solus extrinsecus omnes ambit, & inspiratur: non enim fieri potest, quin corporum animalium temperatura cum eius permutatione afficiantur, ac permutentur.* Cum itaque hæc sic habeant, doceamus, an pestis communis sit morbus, & ex quo morborum communium numero existat.

Primum itaq; communem esse morbum Galenus his verbis docuit: *Pestis in communibus morbis est.* Et parum supra: *quod morbi, qui perpetui tenent locum quempiam ἔνδημοι vocatur, ex illorum sunt genere: qui multis communes sunt, vt pestis quoque.* Et in alio opere inquit: *Cum enim nullum commune genus pestilentis morbi vulgetur:*

Sed

Sed quid ego rem Galeni autoritatibus prosequor, cum ipsa experientia nostrum vnusquisq; iudicare possit, esse morbū communem: Videmus enim pestem existere tanquam quandā belluam, quæ nō solum multos interimit, verum ciuitates quoq; totas depascit, & male conficit. Atq; non solū ciuitates ipsas male conficit, sed quam plures nationes male habet: est enim patrū nostrorū memoria relatū anno 1528. adeo magnā per vniuersam vrbē pestilentiam inuasisse, quod vix tertia omnium hominum pars fuerit superstes.

Sed quoniam communiū morborum, vt iam prædiximus, triplex in vniuersum differentia constituitur ab iis causis, quæ proxime efficiunt: pestilens febris habet originem ab ambiente nos aere: ab aliis autem causis minime, quæ res, quoniam habet multas difficultates, nunc particularius exponenda est. Pestilentiæ causa referri non potest in communes labores, occupationesq; hominum; quandoquidem in iis solū accideret, qui in illis occupatentur; aliis vero minime: at nihilominus pestis, vt diximus, tanquā bellua quædam existens in omnes homines debacchatur: non minus viros, quam fœminas, non minus laboribus deditos, quam ociosos, pueros & senes, atq; vt vno verbo expediam, communis est omnium affectio.

Causa pestilentiæ.

Quamobrem hoc nullam habet controuersiam, quod scilicet ab hac communi causa pestilentia non fiat: sed maiorem certe difficultatem continet, an ab alimentis putridis pestilens febris proficiscatur: quam rem clarissimis quibusdam viris placuisse legimus: At vero, vt mea fert opinio à solo aere nos ambiente originē ducit, à cibo & potu minime: nam quamuis aliquando dixisse videatur Galenus à putridis vitiosisq; alimentis pestiferas febres genitas fuisse, non is quidem veras pestilentes febres intelligit, sed eas, quæ similes illis existunt, nam quemadmodū in pestilentia multi homines intereunt, ita etiam eæ febres, quas putrida alimenta efficiunt, quam plures occidentes, pestilentialium naturam videntur referre.

Pestilentiā fier. à solo aere, & non etiam à cibo & potu.

Atque hæc certe est expositio loci Galeni, qui recentiores Medicos plurimum decepit.

Cæterum hæc, quæ nos hoc loco diximus, fidem multo clariorem habitura sunt, cum exposuerimus, quod vitio solius aeris in nobis febres pestilentes adueniant, quam rem nunc docere instituimus.

De morbis communibus, qui fiunt ab aere.

CAP. IV.



QVONIAM pestilentem febrem affectum quendam esse communem diximus; atq; ex eorum numero, quæ fiunt ab ambiente nos aere: docere oportet, qui morbi cōmunes ab ipso aere fiant, vt ex his cognoscamus, sub quo genere pestilentia cōtineri debeat. Ab ambiente itaq; nos aere morbi fiunt, cum is præter naturam fuerit permutatus: nam qui secundum naturam se habet, omnibus non mediocrem vtilitatem præstat: cum neq; in secunda, neque in aduersa valetudine sine aere vitam ducere possimus.

Propter quam causam recte dictum videtur, ab authore *libri de flatibus:* aerem mortalibus vitæ auctorem esse, quod eius tanta exstet necessitas, vt eo priuatum animal statim obeat. Igitur quemadmodū salubris est aer secundū naturā hominis: sic morbificam continet dispositionem, qui contrario modo fuerit affectus. Cæterum is aer censeri debet saluberrimus, qui tota sua substantia & essentia purus, nitidus, tenuis, patens & liber fuerit: nullisque inquinamētis obsitus, nulla putredine affectus, nullo vapore malo, aut vligine, crassitie, aut corruptione perfusus: quiq; lenibus, & suauiter spirantibus ventis difflatus modice agitetur, & serenitate multa redundans, spiritus nostros recreet, atq; restauret. Equidem cū eorum, quę extrinsecus homini incidūt, vnum sit id, quod separari à nobis nullo pacto potest: quodq; nobis perpetuo veluti

Aer saluberrimus qui.

veluti cognatum adhæret, aer scil. ambiens: hunc ad vitæ tutelam optimum semper deligere oportet, qualem nunc commemorauimus. Cui sane contrarius is erit, qui aut stagnantiũ aquarũ, aut paludum halitu infectus fuerit, aut ex ꝓfundo specu quodã pestilentem auram spirauerit: quiue aut è cloacis vastam vrbẽ purgantibus vitium contraxerit, aut ex animalium laniena, olerũ, aut leguminũ, fimiue putredine inquinetur: aut ob stagni cuiuspiã vicinitatẽ, vastiq; fluminis nebulosus crassusq; & caligine plenus existat. Nec minus vitiosus haberi solet, qui editis vndiq; montibus, demissoq; loco, ac cauo arctatus, atq; conclusus, nullum recipit perflatum. Suffocãs enim is putrisq; est, ei similis, qui diu nõ difflatus situm, multum squalorẽ, ac putredinem multo nidore coniunctam obtinet. Qui igitur ad hunc modum affectus fuerit aer, omnium ætati, temperamẽto, omnium deniq; animalium generi valde perniciosus est: Nam hic aer ꝓxima est causa, vt suo loco explicabimus, pestilentialium febrium. Verum aer non solum causa est morborum cum hoc modo corruptus, & vitiatus fuerit, sed etiam cum fuerit in primis qualitatibus alteratus: primas intelligo qualitates, calidum, frigidum, humidum & siccũ, quæ alteratio multis ex causis solet aeri contingere, vel propter regionũ, & locorum naturam, vel propter anni tempus; vel propter particularem cœli statum, id est, ambientis aeris propriã temperiem: ab his quidem tribus causis in calido, frigido, humido & sicco, aut in compositis qualitatibus aeri permutationes adueniunt. Quamobrem si vera sunt ea, quæ hucusq; diximus, colligendũ est aerẽ, qui communium morborum est causa, duabus rationib. alterari posse. Primo, secundum primas & manifestas qualitates, secundo in tota eius substantia & essentia, siue in totius ꝓprietate essentiæ, vt puta quando ex puro, impurus: coinquinatus, seu infectus; ob quampiam causam redditur, de qua nos loco suo disputabimus.

Qui insalubris.

Distinctionis author est Galenus *in arte medica*, dum inquit: *Ab aere efficitur, corpus qui aut calefit, aut frigefit, aut exsiccatur, aut humectatur, vel secundum horum pariter coniugationẽ, aut in tota alteratur substantia.* Et *com. 2. de hum. nat.* ait: *Nam non raro stagnorũ respirationes vel paludũ, vel locorũ cœnosorũ, vel eiusce modi terræ eos morbos concitant. Interim solũ temporũ anni temperamentũ. Itaq; in euaporationibus po... totius proprietate essentiæ, quam nuda qualitate offendentibus corpora, ordine curationem tradidit in duo referens proposita hoc vitæ ... & paucula attrahenda vsum animæ.* Ab hac duplici aeris alteratione duplex proficiscitur communium morborũ genus, alterum sane in tota essentia positum, qui nuncupabitur à nobis morbus tota substantia infestus. alterum vero in manifestis qualitatibus commune genus nuncupabimus, quod etiam triplex constituendũ est ab efficientibus causis propter quas aer in primis qualitatibus alteratur: nempe, vel ꝓpter regionẽ, vel propter anni tempus, vel propter particularẽ cœli statum, de quib. nunc diligentius, quantũ scil. ad præsentẽ methodum pertinet disserendum est.

De communibus morbis, qui locorum & regionum causis generantur.

CAP. V.

ANTEAQVAM de communibus morbis agam, qui fiunt regionum, & locorum causa docere oportet, quid per cœli statũ Galenus intelligat: nã plurimum necessaria est præsenti loco rei huiusce declaratio, tũ ad ea, quæ posthac dicentur, tum etiam ne videamur, vel Galeno contradicere, vel illius sententiam perperã intellexisse.

Itaq; hoc nomine, *cœli status*, duo intelligere oportet, namq; aliquando idẽ significat, q. aeris nos ambientis temperies, siue fuerit cõtracta propter anni tempus, siue propter regiones, siue tertio propter particularem aeris constitutionem. Igitur idẽ est cœli status, atq; aeris temperamentum, sub se tres illas particulares causas complectens: de qua re sic Galenus loquitur: *Voco cœli statum ipsum ambientis nos aeris temperiem, sub qua anni tempus & regio comprehenditur: quando horum quoq; vtrumq; ex ambientis temperiẽ indicationem mutuatur.*

Alia

Alia est præterea significatio vocis huius; qua videlicet notamus, particularem aeris constitutionem; à regione, & ab anni tempore diuisam: solet Galenus vocare: *Particularem cœli statum*. Est autem particularis cœli status idem, quod particulare, ac præsens aeris temperamentũ, ac eius præsens constitutio: quemadmodum in austrinis, seu aquiloniis tempestatibus contingit quocunq; anni tempore, & quamuis regione excitentur. Hac significatione vsus est Galenus *lib. II. meth. med.* cum ait: *At quoniam aeri ob ex præsente cœli statu, tum anni tempore, tum regionis natura sua in calido frigido, humido & sicco mutationes accedunt.* Igitur aer ambiens in primis qualitatibus alteratur propter cœli statum, id est propter illius temperiẽ: quæ sub se tres distinctas causas complectitur: regionis videlicet naturam & conditionem: anni tempus: & cœli particularem statum, quem nos *κατάστασιν* vitantes perpetuo nuncupabimus, particularem & præsentem aeris constitutionem.

Aer quidem pro regionum natura varias mutationes suscipit in manifestis qualitatibus, prout videlicet fuerit regio sita in concauo, aut in sublimi, ad orientem, vel occidentem, aquilonem vel austrum exposita: prout etiam si regio fuerit sulphurea, aluminosa, paludosa, petrosa, vel argillosa: iuxta mare, flumen, aut montes: aut alia simili ratione diuersa fuerit regionis loci, siue ciuitatis natura; tunc enim aere alterato propter vapores, qui à regione attolluntur communes oriuntur morbi: quos diuinus Hippocrates interim *ἐγχώρια νοσήματα*: interim vero *ἐπιδήμια & δημώδη*, hoc est, collectaneos, vernaculos, patrios, & publicos & regionales appellare consueuit, *libro de aere, regionibus & aquis*: qui morbi quouis tempore procedente seu æstate, seu hyeme, & quoquo anno in eadem regione communes multis superuenire consueuerunt: etenim perpetuo tenent locum quempiam incolasque ac si cognati essent, nullo non tempore comitantur.

In proœm. primi epid. De hisce morbis communibus sic inquit Galenus: *At vero neque hoc te velim latere in superioribus capitibus, quod item in certis dixit aliis libris Hippocrates, qui perpetuo tenent locum quempiam, qui quidem ἐπιδήμιοι*, id est, *publici vocantur, eos item ex illorum esse genere, qui multis communes sunt, vt pestis quoque.* Et in alio opere: *Est autẽ* (inquit) *& aliud morbi genus commune multis, quod in regione superuenit, accedit q; endemium q; vel endemium appellitatur, quasi patrium dixeris, aut vernaculum.* *Lib. 2. de rat. vict. acu. com. 9.*

Præstat autem hoc loco, quo melius horum communium morborũ natura intelligatur, exemplis quibusdam vti.

In Fabriano oppido quidẽ præstantissimo, & omnium pulcherrimo existente in regione piceni, viget, quolibet tempore morbus quidam cõmunis, qui potissimum ipsas mulieres inuadit: Est autem gutturis tumor: quẽ omnes fere mulieres habent: incolæ huius rei causam aquis frigidissimis, & crassioribus tribuunt: quod nos verissimum putamus: nihilominus aeris affectionem conuenire arbitramur simul cũ infectę aquæ potu: quæ certe vt Vitruuius testatur, horum tumorum potissima & præstantissima est causa.

Sunt circa lacum Trasimenum, qui à celebri vrbe Perusia nouẽ millia passuum distat, quidam homines, qui omnes tumores vel in liene, vel in hepate, vel in partibus naturalibus patiuntur: quod in aliam causam referri non potest, quam in aeris maximam densitatem & crassitiem: nam propter aquarum copiam, qua regio illa vniuersa plurimum abundat, & propter loci concauitatem, vapores crassi, & nebulosi continuo attrahuntur, quorum causa obstructiones fiunt.

In ciuitate Camerinensi destillatio à capite ad infernas partes continuo viget propter ingentem humiditatem loci.

In antiqua & illustri ciuitate Anxur morbi sunt vernaculi, & vt sic dicã, patrij, febres in habitu, hæmorrhoidum tumores, renum lapides, & vesicæ, quorum sane causa, vt in nostris consultationibus diximus, est vsus aquę salsę, & aeris à vaporibus eiusdem aquæ alteratio.

Hi ſunt morbi communes, qui fiunt regionum & locorum cauſa, ad quos nulla ratione peſtilentes morbi referendi ſunt.

Primum quia regionales affectus minime contagioſi ſunt: Peſtilentes autem ſemper contagij ſemina continent.

Deinde, quia illi, quamuis pluribus ſunt communes; tamen in vna ſola regione conſiſtunt; in qua proprij dicuntur. Peſtilentia vero non eſt proprius affectus vnius ciuitatis, aut regionis, ſed aliquando plurium regionum: imo totius orbis, qualis ea fuit, quæ anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo octauo viguit.

Præterea regionales affectus ex vna ciuitate in alteram, vel ex regione in alteram minime tranſmigrare poſſunt; cuius tamen contrarium quotidie obſeruamus in peſtilentibus febribus contingere.

De morbis communibus ab anni temporibus. & quod febris peſtilens in horum numerum reponenda non ſit.

CAP. VI.

ANNI tempora varias in nobis, quantũ ad primas qualitates pertinet, mutationes efficiũt, ex quibus cõmunes morbi generantur: Quam rem cum ſimus in præſentiarum explicaturi, neceſſarium eſt primo loco docere, quot ſint anni tempora, quibus principiis, finibuſq; claudantur, atque quibus temperamentis ſingula anni tempora referta ſint: nam anni tempora proprios humores generant propter ipſorum temperamentum.

Quatuor itaq; ſunt, anni tempora, quæ hiſce nominibus appellantur. Ver, æſtas, hyems, autumnus.

Hæc tempora ex varia mutatione aeris, & ſyderum quorundam ortu, & occaſu originem habent. Sol enim ſuo perenni & continuo motu ſpatio dierum trecẽtorum ſexaginta quinq; (tot namq; ſunt anni cuiuſcunq; dies) vniuerſum ſignorum cœleſtium circulum tranſiens, varias parit in aere mutationes caloris, frigoris, humoris, atq; ſiccitatis. *Anni tempora.*

Dum enim arietis, tauri, & geminorum ſigna percurrit, ver creat: dum cancri, leonis, ac virginis ſigna premit; æſtatem facit. Autumnum efficit, ad libram, ſcorpium, ſagittariumq; delapſus: & tandem hyemem in capricorno, aquario & piſcibus.

Ordo horum temporum, ſicut Hippocrates ſæpius in *libro epidemiorum*, oſtendit, & ſicut ij, qui hoc ſtudio excelluere ſcripſerunt, hic eſt.

Ortus Pleiadum principium eſt æſtatis, poſtquam canis ortus oporam, id eſt, fructuũ generationem inchoat: quam etiam pro ſecunda parte æſtatis ponunt. Pleiadum autem ortus fit circa Aprilis finem, quando & ipſis pleiadibus in tauri ſigno exiſtentibus: ſol idem percurrens ſignum aſſociat, ac vna cum illis naſcitur. Deinde arcturus oriens initium facit autumni: huius ortus eſt intra Septembris initiũ, tunc enim temporis ſol ad libram accedit, & bootes cum extremo virginis, vel libræ principio exiſtens vna cũ ſole ibidem progrediente de mane exoritur: id quod citius tardiuſve contingere poteſt ad variam & diuerſam parallelorum poſitionem. Erit itaque æſtas à fine Aprilis vſq; ad Septembris initium autumnus vero ab Arcturi exortu vſque ad pleiadum occaſum, quod accidit circa vltimum Octobris. Occaſus autẽ pleiadum hyemis principium facit; & perdurat vſq; ad æquinoctium vernum, quod incipit in decima aut vndecima die Martij: Hoc autem æquinoctium veris principium continet. At vero nonnulli ſunt, qui in ſeptem tempeſtates annum diſtribuunt: æſtatem ad canis vſq; exortum protendunt. Ab hoc ad arcturi ortum autumnum. atq; ijdem hyemem in tres partes diſſecant, cuius ſubſolſtitium tempus medium conſtituunt: de extremis duobus primam ſementem: poſtremam φυταλία vocant hoc eſt, inſerendi tempus, nam hoc illi pacto iſtas partes appellant. Et quidem *in libro de ſeptimanis*, qui Hippocratis

V nomen

nomen præfert; in ſeptem partes diuiſum annum inuenies; ita vt autumnus & ver integra conſtent; & indiuiſa: diuiduntur autem in partes tres hyems, & in duas æſtas.

Cæterum, ſiue quis annum ipſum in ſeptem partes, ſiue in quatuor diuidat, vtilis eſt diuiſio; vt Galenus inquit; nos tamen in partes quatuor ſectionem ſequemur; primum, quia communior, deinde, quia multum noſtro propoſito conuenit.

Temperamentũ anni.

Hæc quidem ſatis de anni in ſuas partes diuiſione, nunc de temperamento ſingularum partium agendum eſt. Initio deſumpto ab ipſo vere. Huius temperamentum, quemadmodum Galenus teſtatur, dupliciter æſtimari poteſt: vno quidem modo ſecundum ſe & propriam naturam: alio autem ſecundum collationẽ ad alia anni tempora: priori quidem vſus eſt Galenus: Poſteriori diuinus Hippocrates: atq; vt mea fert opinio, vterq; rectiſſime.

Lib. 1. de temperamentis c. 4.

Ver itaq; ſi in propria illius conſideretur natura, temperatiſſimũ eſt, cũ in medio vniuſcuiuſq; exceſſus conſiſtat: neq;. n. verno tempore ea frigiditas adeſt, q̃ in hyeme conſpicimus: neq; maxima illa caliditas, quæ propria eſt æſtatis: quamobrem quantum ad actiuas qualitates pertinet, nullum habere exceſſum videtur: Neq; etiam aliquem adeſſe ſuſpicandum eſt circa paſſiuas: nam in hyeme multo maior humiditas adeſt, quam in vere; in ipſa autem æſtate, atque autumno multo maior ſiccitas. Quia igitur hoc tempus omnis exceſſus, & immoderantiæ expers eſt, recte illius temperamentum à Galeno æquale conſtitutum eſt: atque etiam recte tum ab Hyppocrate, tum etiam à Galeno dictum eſt, ver eſſe ſaluberrimum, atque morbis, qui mortem afferunt, minus obnoxium. Omnes enim humores propter æquabilitatem ambientis nos aeris, optime temperati ſunt, & qui rurſus generantur propter eandem cauſam, dicuntur vitio carere.

3. Aph. 9.

Hippocr. & Gal. com. 1. de humana natura.

Verum quamuis omnes æqualiter ſucci in vere generentur, atq; augeantur; inter illos tamen potiſſimum ſanguis increſcit, tanquam is, qui temperatam naturam habeat; reliqui autem ſucci aliis temporibus augentur. Sic dicendum eſt, ſi veris temperamẽtum ſecundum propriam naturam expendatur. Hippocrates autem aliter, vt prædiximus hoc temperamentum æſtimauit: nempe collatione ad alia anni tempora in hunc modum. Quia verno tempore corpora maiorem caliditatem ſentiant, quam hyeme; in qua exiguus calor percipitur; huius reſpectu putare oportet, ver eſſe calidum: verum quoniam in æſtate maxima adeſt ſiccitas; qualis in vere non reperitur: propterea huius temperamentum humidum ſtatuendum eſt; calidum igitur erit collatione facta ad hyemem: humidum ad æſtatem. Nam perinde res habet in vere, atque aliis anni temporibus; quod in animalibus ipſis, atq; aliis rebus corporeis: Animalia ſiquidem collatione facta ad ſtirpes, & ad lapides, calida & humida ſtatuenda ſunt: alia vero frigida & ſicca: quemadmodum etiam humanum corpus; quod inter omnia animalia calidum atque humidum ſtatuitur; cum tamen vel exquiſitam temperiem habeat; vel certe parum ab exquiſita diſcedat. Quamobrem ſiue veris temperamentũ æquale ſtatuatur, ſiue calidum & humidum; recte factum arbitror.

Ibid.

Gal. 3. aph. com. 8. & com. 1. de humana natura.

Temperamentum æſtatis.

Æſtas omnium Medicorum, atque philoſophorum iudicio, calida & ſicca eſt: quam ob cauſam eo tempore, vt venerandus ſenex docuit, humores calidi, & ſicci dominantur; quales ſunt potiſſimum biliosi.

Dubium.

Sed habet hoc loco dubitationem, propter quam cauſam, cum æſtatis tempore ſol à nobis longiſſime diſtet, caliditatem, atque ſiccitatem ingentem inuehat. Ego quidem triplicem cauſam affero.

Prima eſt & præcipua propter longiorem ſuper horizontem moram: cum enim longiſſimi tum incurrant anni dies; ſolque diutiſſime ab ortu in occaſum labens, ſupra finitorem feratur, atq; conſiſtat; ingentem eo tempore calorem fieri oportet.

Secun-

Secunda causa est, directa radiorũ reflexio: siquidem supra verticem capitum nostrorum se attollens cursu suo sol cancri signum percurrens, eoq; aditu æstatẽ conficiens, rectissime radios in terram mittit; eoq; radiorum reflexu, calorem plurimum intendente, terram ipsam intentissime calefacit.

Postrema causa est, Sirij ardentis syderis exortus (hunc canem vocãt) tunc enim propter huius præsentiam ardent omnia & ingenti calore exæstuant: quo tempore molestas esse purgationes Hippocrates docuit; his de causis maxima caliditas & siccitas in æstate viget. 4. aphor. 4.

Contrariis ex causis hyemem frigidam atq; humidam statuemus; nam sol parum omnino supra nostrum verticem commoratur, neque in nobis radios per directum mittit, sed obliquo radiorum aspectu terram illustrat: hinc humores frigidi & humidi producuntur, quales sunt pituitosi. Temperamentum hyemis.

Autumni vero frigidum & siccum, si suam temperiem seruet, extimabimus; adhæc inæqualem, atq; morbosum, quod eadem die, modo calor, modo frigus vigeat: inter humores præcipue atra bilis, siue succus melancholicus hoc tempore producitur. Autumnus.

Quoniam itaq; hasce naturas habent sigula anni tempora; necessarium est humana corpora plurimũ in calido, frigido, humido & sicco permutari; humoresq; tales generari, quale fuerit illorũ temperamẽtum, vt inquit Hippocrates, nam ver quoniam temperatũ est, sanguinem copiosum facit, qui temperatus est secũdum suam naturã, quamuis alteri cuidam collatus possit calidus atq; humidus nũcupari, quemadmodũ supra de veris temperie diximus, deinde vero ex sanguinis abundantia, eo tempore morbi omnes fiunt, qui tum cum tempore anni, tum cum humore proportionem habent.

Quod nos hic de vere dicimus illud etiam de æstate, ac reliquis temporibus statuendum est, in ipsa enim æstate maxima flauæ bilis quantitas augetur, morbiq; biliosi, acuti, atq; adurentes fiunt. Autumno melancholici, & atra bilarij. Hyeme vero pituitosi, frigidi videlicet, atq; humidi affectus. De his quidem diuinus Hippoc. sic in Aphorismis locutus est. *Vere etenim furores, atræ biles, & morbi comitiales, & profluuia sanguinis, & angina, & grauedines, & raucedines & lepræ & tusses, & impetigines, & vitiligines, & pustulæ vlcerosæ plurimæ, & tubercula, & articulorum dolores.* De morbis autẽ, qui in æstate contingunt, sic loquitur: *Æstate vero nonnulli horum & febres continuæ, & ardentes, & tertianæ febres plurimæ & vomitus, & alui profluuia, & lippitudines oculorum, & aurium dolores & oris exulcerationes, genitaliũ putredines & sudamina.* In altero aphorismo morbos, qui in autumno adueniunt recensuit hisce verbis: *Autumno vero & plurimi æstiui morbi fiunt, & febres quartanæ & erraticæ, & lienes, aqua inter cutẽ & tabes, & stillicidia vrinæ & difficultates intestinorũ, & leuitates intestinorum & coxendicum dolores & anginæ, & anhelationes (quas Græci asthmata vocãt) ilei, morbi comitiales, furores, atræ biles.* In subsequenti aphorismo docet morbos hyemales, dũ inquit: *Hyeme vero morbi laterales, & pulmonis inflammationes, grauedines, atq; raucedines, tusses, dolores pectoris, & laterum, atq; lumborum, capitis dolores, vertigines & apoplexia.* Hæc Hippoc. 3. aphor. 20. Aphor. 21. Aphor. 22. Aphor. 23.

Hi sunt igitur communes morbi, qui in nobis fiunt propter eã mutationẽ, quæ anni temporum propria est; atq; propter hanc causam sunt affectus communes quia communem causam habent (hæc enim propria est idea, & caractẽrismus morborum communium, veluti supra commonefecimus) est autẽ communis causa aeris alteratio ab anni temporibus facta. Dubium.

Verum hoc loco dubitationẽ habet nõ contemnendã, quod ab anni temporibus non videtur fieri morbos cõmunes, sed potius dispersos quos Græci vt supra diximus σποραδικὰς vocant, siquidem ij morbi, quos recensuimus, non sunt communes sigulorũ anni temporum, sed videntur potius consequi inordinatã rationem victus. Dubitationem hanc faciunt Galeni verba, quæ in hunc modum habent; *Itaq; experimentis & ratione didicimus, vbi in hunc modũ anni tempora procedant, & in se mutuo conuertantur, non existere, neq; pestẽ vllam, neq; quemq;* 1. epid. sec. 2. commen. 1.

alium morbum vulgarem, sed solum dispersos, quos vocant morbos, qui victus comites sunt. Hęc Galeni verba facilem habere viderentur solutionē, si solum legerentur, *ab anni temporibus non existere neq; pestem, neq; morbum alium vulgarem.* quod vero addit: *sed solum dispersos fieri.* Adeo magnam dubitationem facit, quod fere videtur negotium inextricabile. Quādoquidem nullus vnquam Medicorum tradidit ab anni temporibus, cum secundum naturā habent, fieri pestem, aut morbum vulgarem: sed tamen omnium Medicorum constans est opinio, ab his anni temporibus communes fieri morbos, non solum dispersos. Quid igitur ad propositā dubitationē dicendū est? Nempe vtrumq; recte dictū morbos hosce dispersos esse: atq; etiā communes, nihil enim refert eundē morbū diuersis tamen rationibus dici communem, atq; sporadicum. Communes igitur sunt ij morbi, quia vti nos prædiximus, causam habent communē alterationum aeris in primis qualitatibus ab anni temporibus factam: communē præterea causam habent, humores corporis proportionatos temperamēto anni temporū, quemadmodum supra docuimus, hæc ergo causa facit esse morbum. Verum quia hæc non sufficit causa ad horum communium affectuū generationem, nisi etiam conueniat praua victus ratio, à qua copiosius humores generentur: propterea etiā dispersi nuncupari possunt, nam ij sunt dissimiles morbi, vt docuit Hippocrat. *com. 2. de hominis* natura, qui fiunt à priuato vniuscuiusq; victu: possunt igitur affectus hi tum communes, tum sporadici nuncupari diuerso tamen respectu. Sed rursus habet dubitationē proposita responsio, siquidem hæc hosce morbos ancipites facit, neque omni ex parte communes, neq; etiam omni ex parte dissimiles, sed partim cōmunes, atq; partim dissimiles facit. Galenus tamen contrariū asserit, nam *solos dispersos morbos* fieri tradidit: ergo si *solos dispersos*, non ancipites, qui partim sint communes, partim dissimiles. Dicendum est fieri solū dispersos in hunc sensum, quod non fiant morbi vulgares aliqui, neq; etiam febris pestilens: quamobrē ea dictio, *solum*, non excludit omnes communes morbos, sed pestilentiā, vulgares affectus: atq; si dicere velimus etiam excludere morbos, communes, dicere oportet, non omnes excludere, quia non eos, qui partim communes sunt, & partim dissimiles, verum eos, qui sunt simpliciter communes: nos itaque hac ratione dubitationi satisfaciundum putauimus.

Hoc autem loco animaduertendum est, pestilentialē febrem in horum communium morborum numero, qui ab aeris alteratione fiunt propter anni tempora, non contineri. Primum quia hi, de quibus iā diximus, ꝓprie sunt singulorū temporū: Pestis vero, quamuis aliquando magis in vno, quā in altero tempore grassetur, in omnibus tamen tempestatibus aduenire hominibus consueuit, non magis hyeme quam æstate, nec magis vere, quā autumno.

Deinde vero pestilentia semper continet cōtagionis semina: at illi minime contagiosi sunt quantum ad ipsorum naturam pertinet.

Praeterea fit pestis ex particulari cœli statu, quemadmodum infra docebimus: atq; sequitur aeris alterationem non in primis qualitatibus solum, sed in tota eius essentia & substantia; quod tamen in affectionibus anni temporū secundum propriam naturam habentium minime contingit.

Verum quoniam hæc multo fient clariora in iis, quæ posthac dicentur, oportunum est equidem prosequi alios morbos communes, vt proximum pestiferę luis genus inueniamus.

De morbis communibus factis à particulari cœli statu: qui ἐπιδήμιοι, vel ἐνδήμιοι Græcis, Latinis vulgares appellantur.

Cap. VII.

FIVNT præterea morbi quidam omnibus, sed pluribus communes ex particulari aeris, nos ambientis temperie, quam particularem cœli statum Galenus nuncupat.

Cum enim anni tempora non habent secundum propriam naturam, sed peruer-

peruertũtur, tunc ſane morbi vulgares fiunt; quos Græci ἐπιδήμιους vel ἐπιδημίους vocant: nam hi dicuntur morbi vulgares, vt inquit Galenus, qui per aliquod tempus aliquam regionem inuadunt: & alibi dicebat, quod morbus vulgaris ſit, qui tempore anni aliquo in regione aliqua abundat inſoleſcitque: neq; enim certi eſt nomen morbi vulgare, ſed quicunq; vno in loco multos ſimul inuaſerit, vulgaris hic dicitur; vt idem docuit in *libris Epidemiorum*. *Lib. 1. de rat. vict. acut. & 2. epidem. in proœm. 3. epid. sect. 3. comment. 20.*

Hi morbi, veluti, prædiximus, fiunt à particulari cœli ſtatu anni videlicet temporibus præter naturam immutatis: vt ſi hyemis natura quæ frigida, & humida eſt, degenerauerit in calidam & humidam; vel ſiccam: æſtatis temperamentum frigidum & ſiccum euadat: Veris autem inæquale, nunc calidum, nunc frigidum, nunc ſiccum, nunc humidum: & in autumno ſimiliter accidat permutatio à propria ipſius temperie; tunc equidem neceſſarium eſt fieri morbos communes alterato, atq; plurimum permutato aere in qualitatibus manifeſtis, de quibus morbis Hippocrates in *libris epidemiorum*: & in *aphoriſmis*, tractauit. Placet afferre nonnullam horum exempla ex aphoriſmis Hippocratis, vt, quæ à nobis dicentur, clariora euadant.

De temporibus *ſiquidem hyems ſicca, & aquilonia fuerit: ver vero pluuioſum, & auſtrale, neceſſe eſt æſtate febres acutas, & lippitudines, Græce ὀφθαλμίας vocant, & inteſtinorum difficultates fieri: præcipue vero mulieribus, & viris, qui natura ſunt humidiores.* *3. aphor. 11.*

Alteram deinde conſtitutionem enarrans inquit: *Si vero hyems auſtralis, & pluuioſa, & ſerena fuerit: ver autem ſiccum & aquilonium, mulieres, quibus partus ad ver ineſt, ex quacunq; occaſione abortiunt: Quæ vero parient, imbecilles & morbidos infantes pariunt: quare vel ſtatim intereunt, vel tenues & valetudinarij viuunt. Cæteris vero mortalibus, difficultates inteſtinorum lippitudines ſiccæ fiunt: ſenioribus vero deſtillationes, quæ cito interimunt.* *Aphor. 12.*

De conſtitutione æſtatis hæc loquitur: *Si vero æſtas ſicca fuerit, & aquilonia, autumnus vero pluuioſus, & auſtralis: dolores capitis ad hyemem fiunt, & tuſſes, raucedines, quibuſdam autem & tabes.* *Aphor. 13.*

De autumni particulari temperie ait: *Si vero aquilonius & ſiccus, his qui naturam habent humidiorem, & mulieribus confert, reliquis autem erunt lippitudines ſiccæ, & febres acutæ, & grauedines nonnullis vero & atra bilis.* *Aphor. 14.*

Hæc quidem, quæ tanquam exempla particularium conſtitutionum temporum anni in medium attulimus, in Aphoriſmis docuit, Hippocrates de vulgaribus morbis: multa ſane plura in *libro Epidemiorum* inuenies, in quibus Hippocrates rem ipſam proſecutus multo diligentius videtur, vt Galenus inquit.

Sed hic vnum eſt obſeruandum, quod profecto maxime neceſſarium eſt: quod videlicet morbi populares, ſiue vulgares dixeris (idem enim ſunt) non fiant ex quauis conſtitutione temporum anni præter naturam habentium: quoniam cum anni cõſtitutio quædam ſit magna & diuturna: quędam leuis & breui temporis ſpatio perdurans: & quędam inter has media reperiatur: morbus vulgaris fit ſolum ab ea conſtitutione, quæ magna eſt, atque diuturna; quod innuere volens diuinus Hippocrates, cum de conſtitutionibus hiſce loquitur, vtitur verbo: *Dominari, inualeſcere, ſeu vigere.* Quemadmodum Galenus obſeruauit in *primo Epidemiorum commentario.*

Quod peſtilens febris ſit ex numero vulgarium morborum.

CAP. VIII.



QVONIAM itaq; ſupra docuimus peſtilentem febrem communem eſſe morbum, communiumque morborum quoſdam fieri à communi tum potu, tum alimento; Quoſdam à communibus laboribus, & occupationibus, & quoſdam ab ambiente nos aere, Iam equidem declarauimus peſtem in primis generibus collocandam non eſſe; verum fieri propter ambientem aerem.

Sed quia ab hoc proficiſcuntur tria morborum genera, quæ omnibus exiſtant, aut pluribus communia: vel enim fiunt morbi vernaculi, regionales, & patrij, vel communes redduntur propter anni tempora ſuā propriam naturā ſeruantia, in quorum numero minime contineri peſtilentiā iam ſatis ſuperq; docuimus: Tertium genus fuerat, quod accidit propter particularē cœli ſtatum particularemq; aeris nos ambientis temperiem: neceſſarium eſt in hoc genere peſtilentiam contineri: ſi alia non ſunt communiū morborum genera: ſic certe concludendum eſt à ſufficienti enumeratione partium. Ergo peſtis non ſolum eſt communis morbus, ſed etiam vulgaris: eritq; morbus vulgaris genus veluti proximum febris huius: hoc autē admirabilis Galeni ſententiis, atq; authoritatibus confirmandum eſt. Is enim *libr. 1. de rat. vict. in morbis acutis*, inquit: *Nullum autē peculiarem de peſte confecit librum, quoniam ex epidemiis vnum eſſe illam per libros, de morbis vulgaribus demonſtrauit.* Et in *primo libro epidemiorum* in operis eius prefatione ſic ait: *Itaq; patet ex vulgarium morborum genere eſſe eos, qui genere peſſimi ſunt, & peſtilentes appellantur: vulgares vero de genere ſunt popularium, & vniuerſalium, qui morbis diſperſis: è regione opponuntur.* Et parum infra: *Horum pernicioſiſſimi quiq; peſtilētes vocantur, qui perinde ac totum vulgariū morborum genus, ex cœli ſtatu proficiſcuntur*, atq; etiam peſtilentes nonnullas tempeſtates deſcripſit, vt eas, de quibus in *3. libro tractatur, eo quod & genere vulgaris eſt morbus peſtis.* Et *eodem 1. de rat. vict. acut.* *Peſtis vero eſt epidimia pernitioſa.* Et *in 3. de morbis vulgaribus: neq; enim certi eſt morbi nomen vulgare, vel peſtilens: Cæterū quicunq; vno in loco multos inuaſerit, vulgaris hic vocatur, qui ſi ſimul hoc habeat, vt multos perimat, peſtis eſt.* Hactenus demonſtrauimus peſtem vulgarem morbum eſſe; nunc reliquum eſt, duo nos annectere præſenti capiti, primum equidem, an ex omni particulari aeris intemperie fiat peſtilens febris; deinde vero, quomodo vulgaris morbus à peſtilenti diſſideat; quæ duo plurimum ſane ad propoſiti negotij perfectionem faciunt.

Comm. 1.

Sect. 3. comment. 20.

Ex quibus anni tempeſtatibus vulgares et peſtilentes morbi fiāt.

Variæ ſunt anni tempeſtates, ex quibus morbi vulgares fiunt; cum ſcil. anni tempora plurimum à proprio temperamento diſceſſerint: tunc equidē neceſſarium eſt fieri morbos populares: nō tamē illico peſtilentes: quoniam ſic experimēto compertū eſt, multos affectus in populum graſſari, qui peſtilentē febrem nō habēt: ſi enim omnes eiuſcemodi affectus illico peſtilentes nuncuparemus, nunquam orbis immunis eſſet à peſtilentia: quoniā ſemper aliqua viget particularis ambiētis intemperies, inæqualis & diuturna, ex qua fit aliquis morbus vulgaris: qui tamen omnium iudicio minime eſt peſtilens: Poteſt hoc ex Hippocrate confirmari, qui tum in aphoriſmis, tum in libris epidemiorum retulit multas tempeſtates, q̄ omni pernicie, omniq; contagio carebant: Ex his concludendum, non omnem particularem cōſtitutionem aeris diuturnam & inæqualem peſtilentiā facere, quemadmodum perperam recentiores quidam homines magno errore putauerunt.

Quæ nam eſt, igitur particularis conſtitutio peſtilens; ea videlicet, in qua aer nimium calidus nimiumque humidus extiterit: ſolus itaq; calidus, atq; humidus cœli ſtatus peſtilentiā inuehit: quoniam, is ſolus ad procreandā in aere putredinem ſufficiens eſt cauſa, ſine qua putredine nulla poteſt peſtilentia conſiſtere: veluti poſthac plenius oſtendemus.

De hoc cœli ſtatu, qui peſtilentiā inuehit Galenus in hunc modum locutus eſt; *Peſtilentes oriri morbos eſt neceſſarium cum aeris temperatura à naturali habitu ad caliditatem, & humiditatem immodice fuerit conuerſa.*

Lib. 1. de feb. diff. capit. 4.

In libris autem de morbis vulgaribus, cum recenſet conſtitutiones anni, à quibus populares morbi fiunt, duas conſtituit peſtilentiales, quæ videlicet calidæ, & humidæ nimium fuerunt, vnam *in principio tertij de morbis vulgarib.* his verbis: *Annus auſtrinus pluuioſus, à ventis in totum ſilens.* Alteram expreſſit: *initio ſecundi libri*, in hunc modum: *Erant carbunculi in cranone æſtiui, pluebat per æſtum larga pluuia, acciderunt autem magis auſtro ſpirante.*

Hi

Hi duo status, vt refert Galenus, in alio inuicem non dissident, nisi quod hic in vno anni tempore accidat, æstate scilicet: at ille, de quo in tertio agitur, per totum annum, & propterea diuturnior. Addidit etiam in hoc statu, *à ventis in totum silens*: id quod illic non adscripsit, nisi fortasse arbitreris, vt inquit Galenus, quod illo libro addidit; *acciderunt magis austro*: hic tale quid significari: nam hic etiam austrinum simul & tranquillum, totum dicit annum fuisse nobis ita accipientibus, tanquam possit tranquillus simul, & australis, & aquilonius dici, & esse totus annus, sed quomodocunque res ipsa habeat, hoc vnum constat, illas esse pestilentiales constitutiones aeris, quæ calidæ & humidæ plurimum exstiterint.

Porro quantum ad secundum pertinet in hoc videntur pestilentes morbi à vulgaribus differre: quod pestilentes omnes contagiosi: non tamen omnes populares contagium habent. *Pestilentes & vulgares morbi, quomodo differant.*

Deinde omnis morbus pestilens est vulgaris, at non reciprocatur; quod omnis vulgatis pestilens, differunt itaq; tanquam propriũ genus à sua specie.

Præterea vulgaris morbus ea ratione, qua vulgaris est, non fit ex aeris putredine & corruptione: at omnis pestilens ambientis putredinem habet, vt posthac docebimus.

Hinc rectè dictum est ab admirabili Galeno, quemadmodum nos supra adnotauimus; Pestilentiam esse epidemiam perniciosam, quodque sola pernitie, & malignitate pestis à vulgaribus, morbis differat: quam rem nunc distinctius docere aggredimur.

Quod ad generationem Pestilentiæ oporteat aerem immutari in tota illius substantia: & à quibus causis fiat hæc aeris permutatio, quodque pestilens febris sit ex numero morborum, qui totam substantiam offendunt.

Cap. IX.

INTER omnes disputationes, quæ circa propositum negotium de pestilentia contingunt; nulla est, quæ maiores controuersias habeat, quam disputatio de continente causa pestilentis febris; Omnes enim, qui de proposito argumento tractarunt, varias oppositiones de proxima causa recensuerunt.

Nam horum quidam totam vim inferendi pestem cœlo tribuerunt, vel quod ex malo siderum combinatione, coniunctione: malo ve aspectu originem habent: vel à Deo cœhtus propter delictorum vindictam transmittatur.

Quidam vero non cœlo tribuunt, originem, sed omnem causam in hisce inferioribus quærunt, putantes fieri pestilentiam potissimum à vitiosis alimentis, & à potu aquæ putridæ, quibus aliquando in annonæ caritate vtimur.

Alij putant aerem intemperatum propter particularem cœli statum, qnicunq; is tandem fuerit, in nobis pestem facere.

Postremo nonnulli pestilentiæ proximam esse causam docuerunt putredinem, & corruptionem aeris.

Ex horum hominum varietate factum est, maximam esse hanc difficultem, quam proposuimus, de qua ideirco nunc dicendum est; quoniam hactenus satis arbitramur docuisse, quid sit pestis.

Vernm, quia definitiones, quæ solo numero à demonstratione differunt, quales sunt omnibus nnmeris absolntæ, non solum debent, qnid res sit, edocere; sed etiam amplins causam proximam explicare, propter quam res existat, doceamus itaq; veram, & continentem causam pestilentiæ; atq; anteaquam aliorum opiniones referam, quia rectum iudex est sui, & obliqui, explicabimus primum veritatem totius propositæ quęstionis, hoc enim modo ad sequentia vberem aditum habebimus.

Pestilentialis igitur constitutio est, quemadmodum supra prædiximus: ea, in qua ambiens aer ad caliditatem, & humiditatem, nimium procliuis fuerit. Hæc tamen aeris alteratio non est sufficiens causa pestilentiæ: quoniã ea, quæ apparent in febribus pestiferis, manifestam fidem faciunt, præter alterationem in qualitatibus manifestis, aliud etiam proprium adesse, cuius causa fiat pestis: nam sunt multæ aeris constitutiones calidæ, humidæq́; quæ non sunt pestilentes; quemadmodum Hippocrates testatur: & nos quotidie obseruamus.

Quamobrem diligenter inquiramus, quid nam sit illud proprium, quo præsente, adueniat pestis; absente vero minime adueniat.

Cæterum hoc aliud non est, vt ego sentio, quam aeris permutatio, non solum in qualitatibus: verum etiam in tota illius substantia; cum videlicet aer, putrescit, & corrumpitur: & quandam veneni naturam desumit: atque propter hanc causam accidit in pestilenti febre aduenire sæuissimos casus, qui subito homines perdant.

Verum, quod res in hunc modum habeat; primum ratione comprobari potest; deinde tum Hippocratis, tum Galeni sententijs confirmari.

Rationes à methodo medendi desumuntur, nam omnis ratio medendi febribus pestiferis, vt posthac loco suo docebimus, in iis consistit, quæ tota sua substantia in nobis agunt, quam vim habet theriaca, antidorus, mithridatica, bolus armenia, terra lemnia: ac id genus alia: quæ tota essentia morbos venenosos propellunt. Verum hæc nullam habere facultatem dicuntur in iis affectibus, qui manifesti sunt, id est, in quibus secundum primas qualitates corpora patiuntur: nam istis nihil aliud debetur, quam alteratio primis qualitatibus opposita, igitur eiusmodi est morbus, cuiusmodi sunt remedia, cum hæc à tota substantia in nobis agant, morbos etiam totius substantiæ depellere debent.

Deinde vero alterum est etiam Medicorum præceptum in arcenda pestilenti febre, vel vt rectius loquar, in præseruando, ne veniat: nempe loci pestiferi mutatio, atq; accessio ad locum salubrẽ, & attractio pauci spiritus, quod si in manifestis qualitatibus consisteret, vis pestilentiæ, frustra admonerent Medici, vt longissime discederemus, à pestilenti constitutione regionis cuiuspiam: sed solum oportuisset illos dixisse propriam medendi viam in sola alteratione consistere.

Hippoc. 2. hum. nat. text. 4.

Hanc rem Hippocrates hisce verbis confirmat; *At spiritus vt fluxus quam parcissimus corpus subeat, vtque sit quam familiarissimus prouidebis, atque solum, quoad eius facere poteris, in quo morbus vigeat, vertes, corporaq́ extenuabis: Ita enim minime multum spiritum, & frequentem homines requirant.* Galenus *in eius loci commentario,*

Gal. ibid. comm. 4.

inquit; *Itaque in euaporationibus potius totius proprietate essentia, quam nuda qualitate offendentibus corpora ordine, curationem tradidit, in duo referens proposita: locis vicissitudinem, & pauca vsum attrahendæ animæ: at in iis, quæ lædunt qualitate, non solum curatio morborum iam existentium: sed etiam vt prorsus ne suppullulent contrariis qualitatibus præcautio instituitur, nam si corpus sit ab immodico calore affectum, refrigerantibus, si à frigore calfacientibus; similiterq́ cæteris in qualitatibus, tum simplicibus, tum compositis.* Et in *libro de theriaca ad Pisonem* ait: *In pestifera lue theriaces antidotum malo correptis prodesse adeo visum est, vt nullum aliud præsidium tanto malo resistere fuerit idoneum.* Et *in eodem libro; In pestilentia praua quadam aeris ad corruptionem prompta mutatio efficitur, & homines cum respirationis necessitate periculum euitare nequeant ipsum aerem veluti venenum quoddam ad se per os attrahunt.*

Igitur in pestilentia aer ad corruptionem permutatur: omnis autem eiuscemodi permutatio nihil est aliud, quam putredo., quemadmodum Galenus in methodo medendi definit: atque nos *libro secundo* diligenter docuimus, putredo itaque aeris proxima est, & continens causa pestilentiæ; qua permutatione veneni naturam aer ambiens desumit: nam veluti venena à tota sub-

tota substantia in nobis agunt, sic aer putridus tota substantia, & totius proprietate essentiæ nobis infestus est.

Quid porrò sit aerem tota substantia permutari, quidve morbus totius essentiæ nuncupari debeat, infra explicabimus: nunc propositum sequamur. Galenus *libro de vsu Theriaces ad Pamphilianum*, inquit: *in pestilentia aer est, qui cum corruptus sit, homines perimit.* Et ahbi ait: *Pestis magna ex parte incipit ex inspiratione aeris circumstantis à putrescibili euaporatione vitiati.* Et addit: *Putredinis autem principium, vel à cadauerum multitudine non crematorum: quemadmodum in prælijs contingere solet, aut ex aliquorum, vel lacuum, vel paludum æstatis tempore euaporatione.* Et eodem libro: *Pestilentes omnes febres à putredine ortum habent.* *In libro definitionum medicarum* Galeno adscripto sic legimus: *Pestilentia est morbus, qui omnes, aut plurimos, grassatur, ab aeris corruptione proueniens, quo fit vt plurimi intereant.* Præterea Hippocrates pestiferam luem ex Æthiopia Græcos inuadentem non aliter curauit, quam aeris immutatione, cum ijs, quæ tota substantia illius permutationem respiciunt, quod Galenus hisce verbis *libello de theriaca ad Pisonem* testatur: *Pestiferam luem ex Æthiopia Græcos inuadentem Hippocrates non aliter curauit, quam aeris mutatione, alterationeque, ne talis amplius inspiraretur, accenso per totam vrbem igne multo, ex floribus, sertis, vnguentis pinguissimis, & odoratissimis super infusis, vt aerem purum hoc modo redditum, homines in mali subsidium respirarent.* Odoratissima & pinguissima vnguenta, flores, & serta Hippocrates igni superimposuit, non alia quidem ratione, vt optime adnotauerunt recentiores Medici, quam quoniam hæc tota substantia immutationi aeris prospiciunt.

Gal. lib. 1. de feb. diff. cap. 4.

Amplius idem Hippocrates *libello de flatibus*, pestilentiam fieri docuit, cum aer fuerit, multis inquinamentis repletus, quibus ex verbis colligēdum est non in simplici primarum qualitatum alteratione consistere pestilentiā, sed esse necessarium substantiam aeris permutari.

Postremo eiusdem opinionis videtur Aristoteles in problematis, dum inquit: *Celerrime autem omnibus morbis arripiuntur ijs, qui spiritu corrupto proueniunt: quale est omne pestilens genus.* Ergo pestilentia aduenit in nobis propter corruptionem aeris: sic enim intelligit per spiritum corruptum, quam rem in *prima sectione problematum* confirmauit, dum hæc conscripta nobis reliquit, *Cur annus pestilens tunc inuadit, cum sol multum vaporis de terra excitat? An tunc annus humidus pluuiusque significetur necesse est: terramque madescere necessarium. Fit igitur, vt quasi locis palustribus grauibusque, perinde inhabitentur, & corpora quoque multis tunc excrementis redundare necessarium est: ita vt ægrotandi materiam habeant in æstate.* Hæc Aristoteles.

Sect. 7. problem. 4.

Problem. 21.

Ergo, si aer perinde alteratur in pestilentia, atque in locis palustribus & grauibus, oportet illum in tota substantia immutari, quemadmodum in his locis contingere non semel compertum ex Galeni monumentis habemus, & posthac diligentissime narrabimus.

Nunc vero doceamus, quid sit aerem secundum totam substantiam permutari; est enim hoc necessarium, ne videlicet ignotum sit illud, quod proponimus.

Recentiores quidam viri subrilissimo ingenio præditi, totius substantiæ nomine formam intelligunt: quoniam forma cuiuscunque rei est, qua res ipsa subsistit, & qua tota substantia comprehenditur. Homo enim homo est, propter animam rationalem, atq; huius causa homo dicitur subsistere; itaq; aeris secundum totam substantiam permutatio ex horum sententia, erit aeris affectio secundum illius formam, & essentiam.

Quid sit aerem permutari secundum substantiam.

Verum quamuis, rei forma perfectior sit substantia, quam materia, impropriè tamen dicitur continere formam totam rei substantiam, cum materiam nulla ratione complectatur.

Galenus

aqua & terra vicissim modo calida, modo frigida effici possunt. Non possunt hæc Aristotelis verba vniuersaliter intelligi de quacunq; regione aeris: quoniam postremam, quam videlicet nos respirando attrahimus, igne refertam dicere falsissimum esse scimus, quemadmodum verissimum eam, quæ prope ignem consistit: illius vicinia participare ignis naturam.

Aerem putrescere hactenus diximus, nunc doceamus causas, propter quas putrescit.

Causæ, propter quas aer putrescit.

Proxima causa putredinis aeris est permistio vaporum putrefactorum.

Cæterum hæc euaporatio putrida varias causas habet secundum varietatem illius rei, à qua defluit.

Vna est halitus, & vapor putridus à lacubus, ab aquis stagnantibus, & cœnosis emissus, vel etiam à fluminibus, qui parum moueantur (cum enim aqua non mouetur, ipsam putrescere oportet) ab his locis deducitur vi solis euaporatio putrida potissimum æstiuis temporibus.

Præterea cadauera in prælio non cremata, cum putrescunt pestilentem constitutionem faciunt.

Olera, legumina, stirpes putridæ, eandem vim habent.

Cloacæ, quę vel numerosum exercitum purgent, vel magnam ciuitatē, calidis temporibus pestilentes vapores reddunt.

Aliquando sub terra aer longo tempore conclusus, & non difflatus putrescit, qui postmodum vel violenter aperta superficie terræ, quod potissimum in terræ motu contingit, vel ex profundo aliquo specu profluens, pestilentiam efficit.

Hinc non raro antiquiores obseruarunt potissimum ea peste, quæ anno 1528. per vniuersum orbem debachata est, præcessisse ante pestilentiæ aduentum crebros terremotus, cum ingenti aeris fœtore, qui certum pestis euentum prædicebat.

Deinde potest aer non solum propter has causas coinquinari, sed etiam per contagium, is qui purus erat infici, quod fieri solet dupliciter, vel propter ventos aeris aliquam portionem comportantes, in qua putredo consistat, vel quia seminaria pestilentiæ cum rebus nõnullis conuehātur, vt sunt, lana, gossipium, panni ex his facti, ac id genus alia, quæ possunt seminaria hæc contagionis, id est, aerem putridum diu continere & asseruare: quemadmodū nos infra diligenter docebimus, dum de contagione pertractabimus: hæ sunt causæ, propter quas aer putrescit: quas Galenus his verbis *lib. 1. de feb. dif.* confirmauit. *Magna autem ex parte, ex inspiratione incipit aeris circumstantis à putrescibili euaporatione vitiati: putredinis autem principium, vel cadauerum multitudine non crematorum, quemadmodum in prælijs contingere solet, aut ex aliquorum, vel lacuum, vel paludum æstatis tempore euaporatione: contingit autē quandoq; præcedere ambientis aeris caliditatem immodicam, quemadmodum in ea pestilentia, quæ Athenienses inuasit, vt Thucidides inquit; sed in tugurijs suffocantibus æstatis tempore, habitantium corpora corruptione laborabant: at quia humores corporū ex victus prauitate erant putredini obnoxij, hinc febribus pestilentibus origo data est. Forte autem per contagium ex Æthiopia, quædam putredinis fluxere contagia, his quorum corpora erant ad patiendum parata febrium causa futura.* Et *in libro 1. de sanit. tuend.* optimi aeris electionem docet, per conditionem aeris putridi abnegationem, dum inquit: *Optimum autem censeo, qui prorsus sit purus: eiusmodi vero fuerit, qui nec stagni, nec paludis halitu sit infectus, nec ex profundo specu pestilentem auram spiret: qualis circa Sardis, & Hyeropolim aliubique terrarum visitur, nec qui ex cloacis, quæ vrbem, aut numerosum exercitum purgent vitium contraxit, nec qui ex animalium, olerum, aut leguminum putredine, aut fimo coinquinetur, nec qui ob stagnum, aut flumen vicinum nebulosus est. Nec qui editis vndiq; montibus in cauo loco clausus nullum recipit perflatum. Suffocans enim putrisq; est, similis ei, qui in domibus quibusdam est inclusus, in quibus ob putredinem & per flatus defectum plurimum aceruatur situs.* Hæc Galenus.

Cap. [illegible] *Cap. [illegible]*

His

His igitur de caufis aer nos ambiens putrefcit, qui peſtilentialis febris proxima eſt cauſa. Siquidem, vt ſupra diximus, duo ad generationem peſtilentiæ conueniunt: alterum particularis cœli ſtatus, calidus videlicet, atque humidus, dum tempore diuturno talis exſtiterit: alterum vero aeris in tota ſubſtantia permutatio, quæ nihil aliud eſt, quam ambientis putredo, & in alienam, ac vitioſam ſubſtantiã permutatio: hoc proxime peſtem facit, veluti dictum eſt; Illud vero huius aduentu & intermedio.

Hinc ſequitur peſtilentem febrem eſſe morbum quendam tota ſubſtantia nobis offenſum: nam aer putridus, totaq; ſubſtantia mutatus dupliciter in nobis agit: qualitatibus quidem, quarum cauſa morbus eſt in intemperie calida, quemadmodum aliæ omnes febres, ea tamen ratione, qua febres exiſtunt. Alia eſt eodem tempore actio ſubſtantiæ aeris putridi, in totam ſubſtantiam & eſſentiam noſtri corporis: vt enim qualitas in qualitatem: ſic ſubſtantia in ſubſtantiam agit: atque huius cauſa morbus dicetur non in ſimplici intemperie, ſed in tota ſubſtantia. Quandoquidem abſurdum putamus, omnem morbum ſimilarium partium ad intemperiem referre: cum pars ſimilaris ex duobus conſtet; ſubſtantia, & qualitate ſiue temperamento, quæ cum habeant ſecundum naturam, pars ipſa ſana eſt; cum vero præter naturam, ægrotat. Ergo ſi in eodem ſubiecto ſanitas, ac morbus comprehendi debet: cum ſanitas ſimilaris partis in ſubſtantia, materia, inquam & forma: & in temperamento; conſiſtat, dum bene conſtitutæ ſunt; & ſecundum naturam habent, in eiſdem certe contrario modo diſpoſitis reponere morbum oportebit.

Paſſim præterea admirabilis Galenus admittit quoſdam fieri morbos, quos ad primas qualitates minime referre poſſumus, quales ſunt peſtilentes, de quibus nunc agimus, quales præterea ſunt venenati omnes affectus, vel intrinſecus geniti, vel extrinſecus epoto, aut hauſto venenato aliquo medicamento. Contra quos morbos, non calidis, humidis, frigidis & ſiccis pugnamus, ſed his, quæ tota ſubſtantia agunt.

Quod ſi genus hoc medicamentorum ponit Galenus, quod à tota ſubſtantia, vel à tota natura, non ob ſuas euidentes qualitates ſimilaris particulæ mala propellit; cur etiam non eoſdem morbos in corpore ſtatuemus, quibus illa mederi ſolent? Alioquin profecto fruſtra erunt excogitata hæc alterius eſſe naturæ, quam alia, quorum effectus ad manifeſtas primaſq; qualitates rediguntur. Quod vero hi morbi, quos malignos nuncupauimus, & quos diximus conſiſtere in tota ſubſtantia proprij ſint partibus ſimilaribus, nõ minus, quam illi, quos primarum qualitatum exceſſus committit, Patet: quippe cũ attractiones retentiones, coctioneſque nutrimenti, atq; etiam excrementorum ipſorum expulſiones in ſingulis partibus ſimilaribus perperam obiri, atq; adeo ipſas quoq; partes per malignos morbos inſigniter lædi, & homines deniq; ſæpius exſtingui, quam ab aliis, qui aliter infeſtant, quotidiana docet experientia. Ergo ſi temperamentum ſimilaris partis: totaq; illius ſubſtantia, tum roboris, tum actionis cauſa eſt: & ſi hæc bene conſtituta, bonas: male, vitioſas deprauataſq; functiones obeunt. Cur quemadmodum bona horum conſtitutio ſanitas eſt ſimilaris partis: mala vero eiuſdem morbus non erit, nec appellabitur? Si vero morbum dicemus, cum ſubſtantia à temperamento diſſideat: eſt enim temperamentum accidens, vt alibi copioſe diſputauimus, cur morbus in temperamento conſiſtens, diuerſus non erit à morbo totam ſubſtantiam offendens.

Hęc morborum genera, quæ nos in tota ſubſtantia conſiſtere diximus, nonnulli Medici recentiores ad formam referunt, quod forma totã rei ſubſtantiam continere videatur, alij vero cum illis incognita ſit vis ſubſtãtiæ, ad occultas qualitates, & proprietates referendos putant, ſed vtrique, meo quidem iudicio decipiuntur.

Illi

Illi quidem, quoniam ad materiam, & ad formam, quæ est rei substantia, redigere oportet eiusce modi morbos: non ad solam formam, quæ pars est substantiæ.

Hi vero, quoniam causas euidentes habent ad quas potius fuisset confugiendum, quam ad occultas, sic enim facile esset omnem controuersiam soluere, semper confugientibus nobis ad occultas proprietates rerum.

Hæc quæ hic ego de duplici hoc morborum genere similarium partium edocui, eo pertinent; vt doceam naturam, & actionem pestilentis febris: quæ non mediocrem habere difficultatem videntur.

Omnes enim, qui de rebus medicis conscripserunt, hanc febrem tradidere simplicem quendam morbum existere in temperatura calida, quemadmodum omnes aliæ febres, sed plurimum decepti sunt, nam in pestilentia aliud quippiam grauius multo intemperie reperitur, cuius causa non solum alterationem postulat quæ communis est ratio medendi cuiuscunq; intemperaturæ, sed ea præsidia, quæ totam nostram substantiam respiciunt, vt Galenus animaduertit *com. 2. de hum. nat.* Est itaq; pestis continuo morbus compositus similarium partium: primus est calida intemperies, cuius causa febris est ac dicitur, & cum reliquis febribus conuenit: secundus existit morbus in tota substantia. Aer enim pestilentialis febris proxima causa non solum in nos agit, quia intemperatus est: sed quia tota substantia, vel, vt ait Galenus, proprietate totius essentiæ, coinquinatus vitiosus, atq; putridus existit. cuius ratione febris propriam naturam ideam, ac speciē pestilentiæ desumit. Hoc sane, quod à paucis obseruatum est: sic profecto maximam in methodo medendi vtilitatem præstat. *Text. 4.* *Gal. ibid.*

Ex his alterum etiam sequitur incognitum, quam plurimis nostri seculi Medicis; nempe aerem putridum in nobis agentem statim inuadere substantiam corporis nostri. Eodem enim tempore, tum intemperie plurimū permutata, tum substantia vitiosa & corrupta in nobis agens labefactam substantiam, & qualitates humani corporis, atq; primum cordis spiritus inuadens eos simul alterat, & corrumpit: hiq; sunt, qui perpetuo affectionem pestilentem recipiunt propter eam, quam cum aere habent similitudinem: mox vero reliquis duobus subiectis caloris præternaturam humoribus, solidisque partibus actionem communicat; atque illi potissimum, quod maiorem aptitudinem habuerit ad recipiendum calorem igneum; & pestilentem.

Primum igitur pestilentialis caloris subiectum sunt spiritus cordis, quod ne ego gratis videar explicasse, diligentius declarandum est. *Ex Gal. 1. de us. part. cap. 8. & 9. de vtilit. resp. cap. 2. sect. 2. aph. 11. Hipp. lib. de aliment.*

Sint hoc loco suppositiones quædam, de quibus nos alibi disseruimus quod aer nos ambiens velimus, nolimusve, duplici ex causa respiratur, tum vt naturalis calor contemperetur, atq; refrigeretur: tum etiam, vt ex eodem aere nutriatur calor influens, qui in spiritibus consistit; imo spiritus ipsi: etenim spiritus cum in obeundis actionibus, quarum potissimum, atque præcipuum sunt instrumentum, dissipentur, ac dissipluantur: Indigent aliquo, quo alantur & nutriantur.

Duo autem sunt, quibus nutriuntur spiritus, sanguinis vapor; & aer per inspirationem attractus: sed prætermisso sanguinis vapore hoc constanter affirmamus, ab aere spiritus humanos nutriri: quod passim Galenus tradit.

Alterum etiam supponamus, actiones fieri in passum bene dispositum: nulla enim causarum sine agentis aptitudine agere potest: alioquin omnes, qui sub æstiuo sole commorantur febricitarent, aut qui nimio motu exercentur, aut vini potu grauantur, aut ira excandescentes, aut tristitia afflicti febricitarent; alioqui etiam, vt arbitror, circa canis ortum omnes ægrotarent, ac in pestilentiis moretentur, at vt diximus magnam in generatione *Gal. lib. 1. de feb. diff. cap. 4.*

Hactenus ego videor omnia diligenter profecutus, quæ ad intelligendam pestilentis febris definitionem pertinebant: cum nos supra definientes dicebamus: *Febris pestilens est morbus communis, & popularis ex aeris putrefactione proficiscens:* nunc reliqua prosequamur.

Dubitationum solutiones, quæ his dictis accidunt.

Cap. X.

QVONIAM vero contra propositam sententiam, recentiores quidam Medici subtilissimo ingenio præditi, videntur rationes validissimas afferre, quibus persuadent, eam consistere non posse: Deinde quia hac in re varius videtur Galenus, cũ aliquando ab alijs causis fieri pestilentiam significet: interpretandum venit, quomodo is debeat intelligi; ne amplius aliquid sit, quod in tractatione de pestilentis febris essentia, dubitationem faciat.

Primum itaque dubitationem habet, quod à nobis dictum est, proximã causam pestilentiæ in aeris putrefactione consistere: quandoquidem nulla putrida, nulla intemperantior aeris constitutio potest in valde multas mundi regiones euagari, in illisque vigere; at pestilentia, tam immaniter interdum sæuit, vt vniuersum pene orbem occupet, frigidas, atque calidas regiones, siccas, ac humidas, hyeme, vt æstate. Huius duas sub Marco Antonio fuisse commemorant, toti orbi grauissimas, quibus pene vsq; ad internetionem humanũ genus deletum fuerit: qualẽ & aui nostri narrant obtigisse anno Christi 1450. Hæc in Asia exorta per Illyricum, Dalmatiamque serpsit in Italiam, per Germaniam vero in Galliæ, & Hispaniæ fines, compluribus annis misere in omnes fere populos debachara, vt vix tertia pars viuentium superstes euaserit.

Præterea si vna putredo aeris tanti perniciei causa foret, omnes animantes per æque attingeret. Nam salubris aer spiritu ductus, omnes animantes tuetur, ac sustinet, toti illarum generi salutaris; qui ergo ex aduerso à putrida illuuiæ pestilens euaserit, toti animantium generi æque perniciosus euadet. Is vnus omnium sanitati, vitæque principio aduersabitur, & inspiratus omnes peræque lædet, neque homines magis, quam boues, aut hos potius quam oues, aut sues, & quæ illinc pestis incidet, omnium peræque communis erit.

Hoc tamen rerum euentu arguitur, vsuque falsum deprehenditur, Compertum siquidem id omnes habent, quod ab optimis agriculturæ autboribus memoriæ proditum est, pestilentiam aliam incidere, quæ solos boues iugulet, qualem meminimus anno Christi 1514. irrepsisse: aliam quæ sues, aut quę oues, aliam quæ Gallinas, aliam quę solos homines, quæ pecudes, ferasq; interimat pulchre est à Vergilio descripta, dum ait:

Hic quondam morbo cæli, miseranda coborta est
Tempestas, totoq; autumni incanduit æstu:
Omne genus pecudum neci dedit omne ferarum:
Corrupitq; lacus, infecit pabula tabo.

Huius autem discriminis causam idem author expresserat hisce verbis:

Quam multa pecudum pestes, nec singula morbi
Corpora corripiunt.

Iam igitur cum homines soli pestilentia corruunt, quænam causa hanc stragem facit? non simplex putredo, vt quæ omnes animãtes peræque attingit: necesse igitur fuerit abditiorem causam, & peculiarem esse, ipsumq; aerẽ peculiari quodam quasi veneno coinquinari, quod huic, non illi animantiũ generi, sit infensum totaq; substantia contrarium.

At si quis contentiose asseueret, putredinem esse causam pestilentiæ, sed quæ tamen non vna semper sit, & vnius modi, verum nunc illi, nunc alteri animantium generi perniciosa, necesse est fateatur, malignam hanc esse, & quæ huic illiue præcipue aduersetur. Id autem quid aliud est, quam venenum tota substantia, non manifesta qualitate infensum? nemo enim explicare possit, quis modus, aut quæ ratio sit eius putredinis quæ vel bobus, vel ouibus, vel hominibus solis sit offensa. Id si nec dilucide exprimi, nec animo percipi potest, debet in eorum genere censeri, quæ cæca, obscura, & abdita nuncupamus; & quæ tota substantia contraria sunt, totoque genere deleteria, quæ nec ab elementis, nec ab eorum qualitatibus fluxerunt.

Itaq; quicquid afferatur, omnis pestilentia cæca & delitescens est causa, & aliunde, quam ex primis qualitatibus, aut putredine profecta. Hæc subtiliter Ioan. Fernelius contra Galenum disputat. Nunc prosequamur eas Galeni sententias, quæ oppositæ videntur ei, quam docuimus, opinioni de causa pestilentis febris: Is itaque *libro primo de febrium differentiis* putridas ac pestilentes febres fieri tradidit ab alimentis, quæ naturã facile putrescibilem habent: sic enim ait; *voco autem prauos cibos, quibus hoc ipsum est à natura insitum; sicut allium, cæpe, nasturtium, porros, brassica, & vrticas, & quæcunque alia agrestia dicuntur: veluti quæ apud nos lampsana vocantur. Et quæ præterea natura quidem optima sunt, sed ob quosdam putrefactionis modos æquale prædictis, aut maius aliquando vitium contrahunt; veluti frumenta, hordea, atque omnes aliæ fruges; quæ ad vsum cibi assumuntur: quarũ nonnullæ temporis longitudine ad putrescibilem ducuntur dispositionem: aliæ, quoniam male reposita fuerint, humiditate replentur: quædam vero & in primo ortu rubigine deprauantur.*

Cap. 1.

Tales cibos hodie quoq; vrgente fame plures coacti comedere, nonnulli quidem à putridis, ac pestiferis febribus interierunt; nonnulli autem pustulas instar scabiei ac lepræ in corpore contraxerunt. Hæc ille.

Ex quibus colligendum videtur, proximam causam pestilentiæ non consistere in putrefactione solius aeris, vt prædiximus, sed fieri posse febrem pestilentem à putridis alimentis.

Deinde alius est locus in eodem libro, ex quo videtur posse manifesto concludi aliquando sine aeris putredine pestem concitari. Siquidem inquit; *sicuti & pestilenti morbo laborantium conuersatio periculosa, ne inde contagium contrahatur, quemadmodum ex scabie & lippitudine.*

Cap. 2.

Supponatur igitur, aliquem per contagium in pestilentiam incidere; huius euentus causa non potest referri in ambientem aerem; sed potius in dispositionem corporum.

Idem præterea confirmatur; quod alibi docuerit ab humoribus putridis fieri hanc febrem: *In pestilenti* (ait) *aeris statu inspiratio plurimum est causa:* hic obserua vocem hanc *plurimum*; nam si plurimum aeris inspiratio febrem pestilentem facit; non igitur semper, quemadmodum nos docuimus; quam rem Galenus clariorem & manifestiorem facit, dum subsequitur; *fit.n. & aliquando ob eos, qui sunt in corpore humores ad putrescendum paratos.* & parum infra: *at quia humores corporum ex victus prauitate erant putredini obnoxii; hinc febribus pestilentibus origo data est.*

Cap. 4.
Cap. 4.
Ibid. c. 4.

Amplius quoniam dictum est supra, non posse fieri pestilentiam ex sola alteratione aeris; sed amplius oportere ipsum in tota illius substantia permutari; ac putrefieri; Galenus hoc semper non esse necessarium significasse visus est, hisce verbis: *contingit autem quandoq; præcedere ambientis aeris caliditatem immodicam, quemadmodum in ea pestilentia, quæ Athenienses inuasit, vt Thucidides inquit.* Vides hic nullam putredinis, aut immutationis in tota substantia mentionem fecisse.

Postremo dubitationem facere videntur, quæ idem autor *in libello de cibis boni ac mali succi* narrat Romæ contigisse ex annonæ caritate; Refert enim

Cap. 1.

enim accidisse pestilentes febres: Hæc igitur si ex annonæ caritate originem traxerunt; perperam dictum à nobis videtur ex solius aeris putredine hanc luem in nobis incidere. Hæc sunt, quæ apud Galenum dubitationem habent: quorum explicationẽ hic afferemus, si primum ad rationes Ioann Fernelij satisfecerimus; quod nos docere nunc instituimus.

Febris pestilens non solum inuadit multos homines, ciuitates, prouinciasq́ue totas: verum etiam ex vno homine in alterum ex ciuitate, in ciuitatem; ex prouincia, in prouinciam, transit; quod alia ratione fieri non potest, quam per contagium, quod ad distans feratur: atque minime afficiat solo contactu. Porro, quid sit contagium, quomodo fiat, quid contagium solo tactu molestum, quid, quod tactu, & ad distans fertur: nos infra diligenter, pro dignitate propositi negotij declarabimus. Hæc, quæ nunc dicta sunt, eo pertinent, vt causam doceam, propter quam pestilentia in tam multas mundi regiones vagetur: Hæc quidem alia non est, quam contagium, vt diximus.

Solutio primæ rationis Ioan. Fern. libr. 2. de abd. rer. caus. c. 12.

Cum igitur inquirit Ioann Fernelius; propter quid accidat in multas regiones pestem innadere, vt obseruatum est in omni pestilentia contigisse: hocq́ue contingere non posse tradit ab aeris putredine; longe mihi deceptus videtur: quandoquidem potest ambiens nos aer coinquinari in vna regione propter vapores putridos illi permistos, atque in ea regione principium fieri pestilentiæ: quod tamen principium facile potest alijs per continuum communicari; vel quod à ventis in aliam deferatur regionem, vel à peregrinis, ex vna in aliam prouinciam transmigrantibus, vel à rebus, quæ à mercatoribus huc, ac illuc transferuntur: In his quidem pestilentiæ semina contineri possunt, atque longissime asportari: quam rem Galenus significauit his verbis: *Forte autem per continuum ex Æthyopia quadam putredinis fluxere contagia, his quorum corpora erant ad patiendum parata febrium causa futura.* Inuasit hæc pestilentia Athenienses, qui tamen longissimo ab Æthiopibus distāt interuallo: de qua re videre oportet Thucididem *lib. 2. suæ historiæ*, in quo pestilentiam hanc maximam diligentissime prosequitur.

Lib. 1. de feb. dif. c. 4.

Præterea in hoc etiam parum satis facit Fernelius, quod causam non doceat, propter quam videatur impossibile ab aeris putredine tam multis regionibus pestilentiam communicari: possunt enim vno, & eodem tempore multæ regiones propter maximam caliditatem & humiditatem putredinem aeris suscipere, & hanc ob eas, quas supra diximus, causas, aliis communicare; siquidem ortus pestilentiæ nunquam est in omnibus regionibus simul; sed ab vna incipiens ratione contagionis in alias spargitur, quemadmodum ipse refert contigisse anno Domini 1514. atq; sub M. Antonio. Hæc sufficiant pro solutione dubitationis primæ.

Quantum porro ad secundam pertinet, scire oportet nullum in nobis fieri morbum, sine patientis corporis dispositione.

Solutio secundæ rationis Io. Fern.

Duo enim necessaria sunt ad generationem morborum, primum agens causa: secundum subiectum recipiens.

Ponamus itaq; agentem causam ad efficiendum morbum idoneam existere, & semper habere parem vehementiam in agendo in quocunq; subiecto fuerit: at vero diuersam dispositionem esse, quantum ad subiectum recipiens; nam si corpus aliquod bene præparatum fuerit ad recipiendam vim agentis causæ: statim morbus fiet: vbi vero impræparatum exstiterit, contra reluctabitur: & nunquam in morbos incidet, vel certe in admodum exiguos, *Alioquin esset necessarium ut omnes, qui sub æstiuo sole commorantur febricitarent, aut qui nimio motu exercentur, aut vini potu grauantur, aut ira excandescentes, aut tristitia afflicti febricitarent, alioquin etiam vt arbitror, circa canis ortum omnes ægrotarent, ac in pestilentiis morerentur: at vt diximus, magnam in generatione ægritudinum partem habet, eius qui passurus est habilitas corporis.*

Lib. 1. de feb. dif. c. 4.

Hæc igitur cum sic habeant, nō est admirandum, quod pestilentia non

omnibus animantibus æque molesta sit: quandoquidem, etsi eadem vis existat agentis causæ, aer videlicet putrefactus, ac multis inquinamentis respersus: maxima tamen adest diuersitas in recipientibus subiectis: quod non omnia sint vno eodemq; modo præparata.

Inquirenti itaq;, propter quam causam contingat, quod pestilentia nō omnes animantes æqualiter afficiat; respondendum putamus cum Galeno: hoc propterea contingere; quia omnium animantium corpora non sunt eodem modo ad recipiendam vim efficientis causæ præparata: nam quæ fuerint bene disposita recipient pestem, quæ vero male minime pestilentia afficientur. Causa vero qua corpora sint hoc illove modo præparata, alia non est, quam illorum diuersa natura, diuersum temperamentum, & diuersa alimenta, quibus continuo vescuntur.

Rem hanc pulchre videtur mihi docuisse Hippocrates *in libro de flatibus*: qui in hunc modum inquit: *sed est fortasse, qui dicat, vt quid ergo non omnibus animantibus, sed alicui eorum generi, incidunt hi morbi? cui ego sic respondere. Differt corpus à corpore, natura à natura; nutrimentum à nutrimento: non enim omni animantium generi eadem aut non conferunt, aut commoda sunt: sed sunt alia aliis magis conuenientia; quando igitur aer eiusmodi inquinamentis plenus est, quibus humana natura offenditur: homines ægrotant: quando vero alteri cuipiam generi animantium aer inconueniens est: tū morbus illud genus corripit.* Hæc Hippocrates: qui causam videtur optime reddidisse, cur pestis sit infensa modo huic, modo autem illi animantium generi, quinimo eadem etiā est causa, cur in ipsa pestilentia non omnes homines corruant: quam rem Galenus plenissime demonstrauit, dum *in proœmio libri de morbis vulgaribus* sic scriptum reliquit: *Cur igitur in vnaquaq; tempestate non omnes vno, & eodem morbo capiuntur? quoniam sane ad inuicem, non parum distant per connatas naturas, & ætates, nec non per viuendi formas: quocirca hæc quidem facile cadet maliciei temperaturæ præsentis tempestatis, alius vero quam multum repugnabit: alius lædetur omnino nihil, alius vero per malam viuendi rationem prius morbo occupabitur, quam sentiat tempestatis læsionem.*

Cap. 4. In horum præterea confirmationem legito quæ idem author docuit *libro primo de febrium differentiis*, atque hæc satis dicta sint ad secundam rationem.

Solutio rationis. Quod vero is postremo loco affert abditam esse, & cæcam pestilentiæ causam propterea, quod neque certo sciri, neq; percipi is modus putredinis possit, qui huic & non illi animantium generi exitiosus existat, non minori facilitate persoluitur.

Nam primum supposita causa, quam nos supra docuimus de diuersitate eorum, qui peste afficiuntur, vel contra à peste immunes euadunt, quod videlicet hoc ipsum eueniat propter diuersitatem patientium corporum, cum non sint omnia eiusdem naturæ, temperamenti, ac dispositionis, nec eisdem alimentis vtantur, quantum ad efficientes causas pertinet, frustra quidē nos ad causas occultas, abditas, & (vt aiunt) cæcas deuenimus, si manifestas, apertasque inuenire possumus: nihil enim in hac effectiua causa occultum est. Nam necessaria est primum aeris alteratio in manifestis qualitatibus, siquidem oportet (vt supra prædiximus) anni constitutionem præcedere calidam & humidam; deinde vero aerem in tota illius substantia permutari ac putrefieri.

Hæc autem aeris putrefactio nihil est aliud, quam permutatio substantiæ ad corruptelam. Quid igitur in toto hoc tam efficientium, quam recipientium causarum progressu obscurum adest? omnes causæ apertæ sunt, omnes manifestæ sunt; quamobrem prætermittendum est hoc loco, quod Io. Fernelius vir alioquin doctissimus de cæcis, abditisque causis pestilentiæ tradidit; atq; ex his colligendum nullius momenti esse rationes illas, quas contra propositam Galeni sententiam excogitauit.

Nunc

Nunc reliquum est, vt doceamus; quomodo Galeni sententiæ interpretandæ sint.

Putridæ & pestilentes febres (inquit hic auctor) fiunt ab alimentis mali succi, quæ facile putrescunt: Non quod ab hac simplici, & solitaria causa non concurrente immutatione aeris in tota substantia, pestilens febris generari possit: sed quod febres, quæ ab hisce alimentis fiunt adeo perniciosæ aliquando sunt, & malignæ, quod homines multos interimant, veteq; pestilentem naturam habere videantur.

Explicatio loci Galeni lib. 1. de feb. differ. c. 4.

Pro cuius rei intellectione diligenter nota; quod Galenus non dixit fieri simpliciter febres pestilentes: sed *putridas, & pestilentes* dixit; quasi quod is innuere voluisset has febres mediam quandam naturam sortitas esse inter vere putridas. & vere pestilentes.

Putridæ quidem sunt, quoniam ab humorũ putredine originẽ habent.

Pestilentibus vero febribus admodũ similes duplici ex causa; primum, quia admodum sunt malignæ; deinde vero, quia secundum pestilentiæ consuetudinem multos homines interimunt.

Cæterum, quod nõnullæ putridæ febres reperiantur, quæ propter malignitatem pestilentibus similes existant, Galenus pluribus in locis cõfirmauit: potissimum vero dum inquit; *videntur siquidem solis accidere in febribus, qua causones ab incendio nominantur, perniciosis, vel si alter libeat appellare, valde malignis, veluti lipyriis.* Hæ febres sunt maxime ardentes, & in putridarum numero cõprehenduntur; tamen quia malignæ sunt, & perniciosæ, quemadmodũ Galenus inquit, similes videntur febribus pestiferis. De his febribus lipyriis, quæ fiunt ex viscerum inflammatione, vel ex erysipelate, sic loquitur diuinus Hippocrates; *in febribus non intermittentibus, si partes exteriores frigidæ, interiores vrantur, & sitim habeant lethale.*

4. aph. 40. 7. aph. 10. lib. de inæq. intemp. cap. 8. 4. aph. 48.

Verum animaduertendum est hoc loco, non solùm propter inflammationem, aut propter erysipelas viscerum fieri perniciosas, malignas, & veluti malignas febres fieri; sed etiam ex humorum corruptela & malignitate: possunt enim aliquando in nobis ob malam rationem victus humores quidam generari, adeo maligni, atq; perniciosi, quod vere naturã veneni habere videantur: ab his quidem aliquando concitatæ febres sunt adeo pestilentibus similes, vt eiusdem naturæ cum his prorsus videantur.

Quod nos hoc loco de generatione istorum humorum diximus, Galenus passim docuit, præsertim *libro de bonis & malis succis:* atque *sexto libro de locis affectis*, cum inquit; *reliquum est vt inuestigemus an in animalibus corruptio aliqua nasci possit tanta, vt veneni, tum qualitates, tum vires æquet.* & propositam quæstionem soluit his verbis; *nam qui de hac quæstione melius disputasse videntur; ii eosdem fieri affectus concedunt, & à lethalis veneni potione, & à corruptione humorum, qua à corpore ortum habet.*

Cap. 1. Cap. 4.

Itaq; mirum non est, si febres putridæ in nobis genitæ citra immutationem aeris in tota illius substantia, adeo malignæ quandoq; generantur, quod pestilentibus febribus similes appareant.

Postremo dicendum est morbos illos, quos mala victus ratio efficit, non esse pestilentiales febres; sed morbos dispersos, ac varios: Pestilentes.n. febres sunt morbi communes, & populares, qui eodem tempore pluribus similiter adueniunt: at vero iis affectus, qui ex annonæ caritate contigerunt non fuerunt eiusmodi; primum, quia aliqui tumoribus artium afficiebantur; quidam scatebant vlceribus per totum corpus sine febre, ex quibus nulli, aut admodum pauci moriebantur; quoniam humor putridus, & corruptus ad cutaneas partes transmittebatur; alii vere febribus malignis corripiebantur. Ex his colligere oportet, propter inordinatam rationem viuendi, qua potissimum homines vtuntur in annonæ caritate, non fieri pestilentiam, quinimo neque morbos vulgares; sed potius dispersos,

Lib. 2. de rat. vict. acut. c. 9. Cap. 1.

quos Græci σποραδικὰς nuncupant. Quod fieri manifestum poteſt ex Galeni verbis ſtatim *in principio libelli de cibis bonis & mali ſucci*; vbi in hunc modum ſcriptum reliquit; *ea propter cernere erat nonnullos vltimo vere, ſed fere omnes ineunte æſtate, multimodis, variisq; per cutem vlceribus laborantes: ex his namq; alia eryſipelatode, alia erant phlegmonode; alia ad herpetis ſimilitudinem ſerpentia; nonnulla impetiginem, vel ſcabiem quaſi, & lepram referre videbantur. Sed ex his, quæ ſeſe mitiſſime per cutem extulerunt, vitioſos humores ex viſceribus, & imis corporis partibus extraxerunt: Cumq; nonnullis inſtar carbunculi, & phagadene cum febre acciderent: multos quidem longo tempore ſuſtulerunt: vixq; pauciſſimi ita affecti, mortis periculum euaſerunt. Quinetiam febres permultæ abſq; cutis vlceribus fiebant: quæ alui deiectiones grauiter olentes, mordacesque, ac poſtrema inteſtinorum tormina, aut inanem egerendi voluntatem (Græci τεινεσμὸν vocant) afferebant. Vrina etiam cum acredine, & graueolentia veſicam in nonnullis vlcerebant. In aliis quoq; vel alida febres ſudore, vel abſceſſibus putredine contrahentibus, iudicabantur. At quibus ex his, quæ ante diximus, nihil accidit, omnes vel aliquo ex extis euidenti phlegmone correpta, vel ex vehementi, prauaq; febre interierunt.* Ex his Galeni verbis facile poteſt vnuſquiſque percipere diſperſos, & ſporadicos morbos contigiſſe propter illam annonæ caritatem, & propter vſum alimentorum, quæ malum ſuccum habebant: atque propterea minime dicendos eſſe peſtilentes affectus, qui, Galeno teſte, illis opponuntur.

Lib. 2. de rat. vict. acut. c. 9.

Hæc, quæ hucuſque diximus, non ſolum faciunt ad expoſitionem primæ difficultatis, ſed etiam ad explicationem eius conducunt, quam vltimo loco protulimus: nunc vero de reliquis dicamus.

Quamuis peſtilentia affectio contagioſa ſit, non propterea videtur cõcludendum, ab ambiente aere originem non deſumere: quoniam coinquinatus aer ab aliquo attractus, moxq; expiratus, proxima cauſa eſt, quod alii ſimiliter eodem morbo afficiantur: ergo in aerem referenda eſt cauſa; vel certe affirmandum eſt eſſentialem cauſam eſſe aerem putridum per contagium ab aliis regionibus nobis ipſis tranſmiſſum.

Sed quomodo Galenus tradidit: vtplurimum peſtilentiam fieri ab aere inſpirato putreſcibili aliqua euaporatione vitiato? nam ſi hoc plurimum accidit; concludendum minime eſt, quod ſemper accidat.

Altimari opinio.

Altimarus, cui in tractatione de febribus plurimum debemus, hunc locum interpretatur, quod ſemper neceſſaria ſit vtraq; cauſa ad hoc quod generentur febres peſtilentes: prima eſt aeris inquinamẽtum: altera vero corporis diſpoſitio. Contingit aliquando validiſſimam eſſe agentem cauſam: diſpoſitionem contra corporis exiguam: aliquando præterea, diſpoſitionem & præparationem corporis magnam: agẽtis cauſæ vim admodum exiguam: febris peſtilens fieri poteſt ab vtraq; cauſa: tum quando actio valida eſt diſpoſitio vero paſſi exigua: tum etiam, quando diſpoſitio patientis magna eſt, actio vero exigua. Tamen frequentius accidit fieri peſtilentiam, cum efficiens cauſa valide agit; & non bene præparatum eſt paſſum: quam contra; cum adeſt magna huius præparatio, agentis vero exigua vis.

Reprehenſio.

Hoc igitur eſt, quod Galenus ait, peſtilentem febrem aduenire vtplurimum ex inſpiratione aeris ambientis: hæc Donati huius opinio eſt. Sed meo quidem iudicio fallitur: quoniam his verbis Galenus præſupponit ſemper æqualem eſſe vim agentis cauſæ; ſed cum ab aere nos ambiente dupliciter fieri morbos, vno modo per inſpirationem attracto aere; alio modo per tranſpirationem ab arteriis in carne diſperſis eodem tracto, & cordi communicato, vt idem inquit in eius capitis principio, *vtplurimum* ait Galenus, *peſtilentia fit priori illo modo* per inſpirationem attracto aere; quam eodem per tranſpirationem tracti: atq; hæc certe germana eſt loci huius expoſitio.

Deinde vero neſcio quomodo poſſit conſiſtere frequentius aduenire peſtilentiam in iis corporibus, quæ paucam præparationem habeant, dum tamen magna vis adſit agentis cauſæ. Nam potius contrarium dicendum arbitror,

bitror,

arbitror, siquidem cũ corpora multis humiditatibus referta sunt, & obstructiones, & putredines habuerint, statim afficiuntur pestilentia, cũ exiguam occasionem (vt ait Galenus) ab ambiente nos aere desumpserint: in his profecto vtplurimum aduenire solet febris pestilens, in aliis autem nõ item; vtpote in quibus magna adsit repugnantia ad recipiendum morbum. *Lib. 1. de feb. diff. c. 9.*

His adde, quod si vera esset hominis huius opinio, sequeretur omnes homines pestilentia affici: supponamus enim, quod in ambiente contineantur semina pestilentiæ, & ea quæ maximam in agendo vim habeant; cur igitur ab hac vi non omnes homines febribus pestiferis afficiuntur? quia, inquit Galenus, quorundam hominũ corpora præparata sunt ad recipiendam pestem, quæ afficiuntur statim; quorundam vero impręparata sunt, quæ propterea immunia euadunt à peste: at contra ex Altimaro dicendum est; nam ex agente causa, & pauca corporis præparatione vtplurimum homines pestilentia laborant: Raro autem ex multa præparatione & exigua vi agentis causæ: Quamobrem huius hominis opinione prætermissa dicamus veram esse huius loci explicationem, quam nos supra tradidimus.

Quod præterea Galenus inquit, pestilentiam fieri propter humores putredine præparatos, nobis ipsis minime contradicit: quandoquidem ab humoribus putridis sine aeris immutatione secundum totam substantiam nunquam generari potest pestilentia: si putredo aeris simul concurrat, in idemq; conspirauerit, vtiq; febris pestilens fieri: quam rem Galenus confirmat dum inquit; *fit quidem & aliquando propter humores ad putredinem paratos in corpore existentes.* Quando autem hoc accidat, in subsequentibus verbis declarat: *cum breuem aliquam occasionem ad febris originem ab aere ambiente acceperit animal.* *Ibidem.*

Porro quantum ad postremam difficultatem pertinet, satisfacere dupliciter ex ipso Galeno possumus.

Primum, si dicamus, quod quamuis immodica præcesserit ambientis nos aeris caliditas, ex illa tamen caliditate minime fuerit subsecuta pestilentia: sed per continuum, quemadmodum inquit Thucidides, ex Æthiopia in Asiam confluxerit; ex qua prouincia putredo aeris deducta fuerit.

Possumus etiam secundo respondere, quod ex illa ambientis immodica caliditate, quæ præcessit pestilentiam, non habuerint originem huiuscemodi febres, tanquam ex immediata causa: sed adfuisse aerem putrefactum in illis suffocatis tuguriis, & cauernis, quæ propter domorum defectum habitabantur: de qua re Galenus in hunc modum *libro priore de febrium differentiis* locutus est. *Contingit autem quandoq; præcedere ambientis aeris caliditatem immodicam, quemadmodum in ea pestilentia, qua Athenienses inuasit, vt Thucidides inquit. Sed in Tuguriis suffocantibus æstatis tempore habitantium corpora corruptione laborabant. At quia humores corporum ex victus prauitate erant putredini obnoxii, hinc febribus pestilentibus origo data est. Forte autem & per continuum ex AEthiopia quadam putredinis fluxisse contagia; his quorum corpora erant ad patiendum parata, febrium causa futura.* Et hactenus videmur omnibus difficultatibus satisfecisse. *Cap. 4.*

Omnem pestilentem febrem putridam esse: quotq; sint pestilentis febris differentiæ.

CAP. XI.

QVONIAM autem, quemadmodũ ex Galeno supra definiuimus, generales atq; maxime cõmunes febrium differentiæ sunt tres: quædam enim in spiritibus resident, quæ ephemeræ nuncupantur: quædam in solidis partibus, quas hecticas, id est, in habitu vocant: & quædam in humorum putrefactione consistunt. Dubitationem habet hoc loco minime contemnendam, sub qua differentia pestilens febris veniat reponenda.

Duas

Duas enim opiniones circa propositam disceptationem inuenio, quarum neutra probatur mihi.

Prima est sub nullo genere comprehendi, sed posse in vno quoq; reperiri, nunc diariam & nunc putridam, nunc vero hecticam dici, pro varietate scilicet, eius subiecti, in quo pestilens febris residet.

Secunda sententia est semper pestiferam febrem in humorum putrefactione consistere.

Verum anteaquam de hisce opinionibus transigam, docebo primum, quid pro veritate sentire oporteat.

Nos itaque putamus omnem pestilentem febrem ex putredine fieri: atque idcirco recte sub putridarum febrium genere comprehendi. Non tamen earum, in quibus humores continuo putrefacti sunt. Sed earum, quæ ex cuiuscunq; rei putredine, siue fuerint humores, siue spiritus, siue solidæ partes, constiterint: quam rem nunc diligentius, ac subtilius explicamus.

Putrida febris est, qua putridus vapor, siue putrida fuligo, siue ipsa putrefactæ rei substantia, cordi molestiam infert.

Hæc igitur res putrida, à qua febres fiunt putridæ, vel intrinsecus originem habet: vel extrinsecus: intrinsecus quidem putrefactis humoribus, nullo concurrente ambientis vitio: sed propter intrinsecam causam in eam labem incidentibus: extrinsecus vero aer putridus cordi molestus est: cuius causa proximæ tres illæ corporis nostri substantiæ, siue omnes simul, siue alternatim, siue vna ex illis, putrefactionem subeunt. Hęc est idea & natura putridæ febris, qua putrida est: veluti supra determinatum est à nobis.

Ex qua colligere oportet, non omnem febrem putridam, ex humorum putredine proficisci: quoniam soli humores minime putrescunt: sed præter humores, spiritus, & solidæ partes aliquando putrescunt. Quis enim eam febrem, in qua pulmonis substantia putrescit phthysim faciens, nō connumerabit inter putridas? Possunt equidem tam ab hac parte solida, quam ab humoribus vapores putridi cordi molestiam inferre: quemadmodum etiam accidit in aliis symptomaticis febribus: in quibus visceris alicuius substantia putredinem contraxit: vt libris superioribus disputanimus.

Quamobrem si putrida febris fit, cum aliquod putridum cor ferit, siue illud fuerit intrinsecum, siue extrinsecum, atque siue vapor putridus extiterit: siue substantia rei putridæ.

Hac ratione concludendum videtur omnem pestilentem febrem putridam existere. Quandoquidem in superioribus videmur satis dilucide cōprobasse, omnem pestilentiam originem habere ab aere, non solum intemperato: sed etiam putrido.

Porro quod vniuersaliter docuimus: id particularius in vno quoq; genere prosequamur.

Aer ergo putridus, & coinquinatus, dum per inspirationem attractus est, primum afficit spiritus cordis, cum quibus maximam affinitatem habet, vt supra diximus.

Duplex autem est affectio, quæ in spiritibus aeris infecti vitio contrahitur, prima calida intemperies. Altera putredo, & coinquinamentum totius substantiæ: nam quemadmodum in aere pestilenti duo sunt, intemperies calida, & humida; deinde vero totius substantiæ permutatio; sic actio ab hisce duobus fit in spiritibus cordis: ab intemperie alteratio: à permutatione substantiæ corruptio, & putredo. Hæc febris cum diariis conuenit, quod affecti sunt spiritus, quodque vnius diei interuallo, vel duorum, trium, quatuorue, quod summū est, spatio, terminatur: ac rursus ab illis dupliciter differt: quia cum alteratione primarum qualitatum adest spirituum putredo: deinde vero adest maxima pernicies, cuius causa homines breuissime intereunt. Quam enim aliam statuere possumus causam, quod in pestilentia homines,

homines tam repente corruant? Nam si breuis terminatio febris indicat in spiritibus affectionem consistere; cum inter febres pestilentes quædam sint, quæ vnius diei spatio finiuntur: putandum est, has in spiritibus similiter consistere. Hæ sunt febres illæ sudorificæ, quæ insolentes magno terrore in omnem inferiorem Germaniam in Galliam Belgicam, & in Brittanniam ab anno Christi 1525. in annum 1530. autumno potissimum peruagatæ sunt: Vt primum enim lues hæc in ciuitatem quandam inuaserat, derepente supra quingentos aut sexcentos indies corripiebat, dum hinc alio transmigrassent: perculsi mox quasi essent languore dissoluti, animi defectione corruebant; decumbentesque perpetuo sudore diffluebant cum febre, cum pulsu crebro, celeri, & inæquali, neque sudori modus erat ante morbi solutionem. Soluebatur autem vno, aut summum altero die, quanquam liberati diu postea languebant: Omnibus cordis palpitatio conquisita; alios quidem duos, tresue annos, alios omnem vitam comitata. Initio multos sustulit: cum nondum illius vis erat percepta: at postea admodum paucos vbi exercitatione, & vsu deprehensum est eos, qui sudores exciperent, prolicerentque, & se cardiacis munirent, omnes restitui. In his quidem febribus spiritus putrefacti sunt.

Neque admirari oportet, quomodo spiritus putrescant, cum sint tenuissimæ, & purissimæ quædam substantiæ, quæ videntur non posse putredinem subire: nam quemadmodum supra de aere diximus, sic etiam de spiritibus dicamus. Nam ille donec suam naturam seruauerit, semper purus atque imputridus permanet: cum vero putrida quædam substantia illi permiscetur corrumpi potest. Sic spiritus, quantum sit merito suæ substantiæ, nunquam putrescunt; sed si alicuius rei putridæ permixtione coinquinentur; tunc sane putredinem contrahunt: quod sane potissimum accidit permistione aeris pestilentis.

Fit igitur aliqua febris pestilens ex putredine spirituum quæ febris aliquando in solis spiritibus terminatur: aliquando autem ad alia duo genera descendit, nempe ad partes solidas, & humores: Quandoquidem possunt ab ambiente pestilenti cordis partes solidæ non solum calefieri, sed etiam subire putredinem; quod Galenus hisce verbis diligenter expressit; *nam quibus calor hic putridus ad humores, quos continet cordis sinus vniuersus deflexit, non autem ad corpus ipsum visceris multi horum fuere superstites.* His enim docuit, calorem pestilentem posse in humoribus cordis inhærere; & in cordis substantia: in hoc autem inuicem differre, quoniam cum cordis corpus putrefactionem sumpsit, nulla excogitari potest medicina, qua subleuentur, siquidem omnes moriuntur; alii vero sunt aliquando superstites; *quam enim* (inquit) *medicinam excogites ad putredinem, quæ cordis corpus occupauit:* Rursus paulo ante rem dilucidius exposuit, dum inquit; *quod in sermone præteriuimus, vbi aer, quem inspirando attrahimus, infectus putredine fit, ac putredo ad corpus cordis peruenerit, illi pulsus fiunt.* & alio loco ait; *etenim sunt (vt docuimus) pestilentes non pauca inde vsque ab initio hectica, distantque ab omnibus aliis febribus, quæ ex magna putredine oriuntur.* & decimo methodi medendi; *verum de colliquantibus febribus differere in postremum licebit atque vt de his hecticis febribus, quæ in pestilentiis contingunt; cuiusmodi ea est, quæ nunc publice grassatur: dicetur namque & de hac inter pestilentes febres.*

Libr. 3. de præsag. ex puls. cap. 3. & cap. 7.

Cap. vlt.

Cæterum, quod ex humorum putredine possit febris pestilens generari, vbi à vitiato aere inspirato principium putredinis sumpserint, propterea quod ipsi magis fuerint ad putrescendum parati Galenus exposuit *libro primo de differ. febrium*, cum ait; *Fit quidem & aliquando propter humores ad putredinem paratos in corpore existentes, cum breuem aliquam occasionem ad febris originem ab aere ambiente acceperit animal.* & *libro de præsagione ex pulsibus*, iis verbis; quæ supra protulimus, manifestissime docuit.

Cap. 4.

Lib. 3. c. 4.

Sed

Sed quid laboro in huiusce rei explicatione? Omni enim caret difficultate, quod calor pestilens si in solidis partibus inhærere potest; quod multo magis in spiritibus, & in humoribus possit consistere? Siquidem hæc multo facilius igneum, & pestilentem calorem recipient, quam solidæ partes: quod à Galeno de omnibus febribus in vniuersali traditum est *primo libro de febrium differentiis.*

Cap. 4. Hactenus videmur, cum vniuersaliter, tum etiam sigilatim ostendisse, omnem febrem pestiferam ex genere putridarum consistere: nunc de propriis differentiis agamus: quarum inuentio admodum facilis est, si vera sunt ea principia, quæ supra ex omnium Medicorum consensu, & ex Galeno posuimus: nempe differentias febris desumi à materia & subiecto, in quo calor præter naturam residet.

Quoniam vero triplex fuerat hæc materia; humores spiritus, & solidæ partes; idcirco tres differentias maxime generales constituimus. Sicquidem in proposito negotio dicendum est; differentias scilicet pestilentialis febris, quæ substantiales existant, desumi ab eo subiecto, in quo calor pestilens continetur.

Quia vero hoc subiectum esse potest vel humor, vel spiritus, vel solidæ partes; hinc tres emergunt differentiæ pestilentialis febris, quarum altera in spiritibus inhærebit: altera in humoribus: ac tertia in solidis partibus.

Quod si dixeris, quo nomine nuncupari debeant hæ febres: Nos quidem dicemus, Galenum appellare hecticas pestilentes: & putridas pestilentes: cuius imitatione dicere possumus, diarias & ephemeras pestilentes eas, quæ in spiritibus resident.

Sed hic notabis quod singulæ hæ febres non sint simpliciter tales: quoniam omnes in hoc vno côueniunt, quod sint putridæ; siue fuerit cordis corpus, siue humores, siue spiritus: verum quia particulari nomine, quod videlicet magis harum febrium naturam exprimat, destituti sumus; proprerea similitudine ad alias febres vsi, nunc hecticas, nunc putridas, nunc ephemeras nuncupamus; atq; continuo cum additione pestilentes; qua ab aliis febribus distinguimus.

Hæ febris pestilentialis differentiæ substantiales existunt: quæ namq; accidentales sunt, hic minime prosequor; cum sub nostram tractationem, quæ methodo instituta est, non cadant.

Iam quid sentiendum circa propositam disputationem, aperuimus; relinquitur modo, vt exponamus, quid alii senserint.

Duas opiniones supra retulimus, quarum neutram probauimus.

Primam siquidem, quę omnem pestilentem febrem fieri ex humorum putredine significauit, multos errores continet: nam obseruatū est à nobis, quemadmodum etiam ab aliis, aliquando pestilentiam consistere sine aliqua humorum putredine; quod etiam fiet posthac apertius; eo videlicet loco, quo causas docebimus propriorum accidentium pestilentis febris: quod præterea Galenus obseruauit, dum quasdam pestilẽtes febres hecticas nuncupauit, in quibus putredo non ad humores cordis deflexit; sed ad corpus ipsum visceris, vt idem loquitur.

Deinde in hoc dissidere videntur pestilentes febres à putridis, quod hæc nunquam fiant à causa recenti, & manifesta: illæ vero semper ab aere coinquinamentis pleno originem habent.

Putredinis item excellentia (vt ait Galenus) febris pestilens ab eisdem differt; nam illæ à quauis humorum putredine excitantur: ista vero generari nequit, nisi maxima, & excellens putredo fuerit genita; ita vt potius corruptio per putredinem, quam putredo simpliciter appellanda sit, cum neq; alterari, neq; concoqui, neque euinci adeo possit, quod in hac febre putrescit, vt iterum naturæ gratiam suscipere queat.

Amplius

Amplius in hac febre id, quod putrescit, perpetuo est aliqua cordis substantia; in aliis vero febribus ex humorum putredine ortis admodum raro hoc accidit; sed aliis in locis humores sæpe putredinem suscipiunt, quamuis febris etiam generari nequeat ex humorum putredine, nisi & qui in corde continentur, humores fuerint præter naturam calefacti.

Quamobrem concludendum est, febrem pestilentem non fieri ab humorum putredine; atque propterea hac ratione nuncupari non posse febrem putridam.

Præterea multos videas in pestilentia simplici febre, vel continua, vel tertiana, vel quartana corripi, qui licet putridis, ac vitiosis humoribus scateāt, peste tamen nequaquam polluuntur: Argumentum non sola putredine in hanc luem corpus præparari. Alios quos optime sanos iudices, videas facile peste corripi; in quibus nulla ratione statuere valemus adesse humorum putredinem.

Amplius nulla est humorum putredo in humani corporis venis, quæ non fiat nobis tum per pulsum, tum per vrinas conspicua; sed quia in febrib. pestilentibus aliquando vrinæ nullam putredinem ostendunt, veluti etiam neque pulsus, certo affirmandum videtur in humorum putredine sola non consistere febrium pestilentialium naturam.

Secunda opinio est Altimari, viri mehercule doctissimi, qui putat in nullo genere proprie contineri posse pestilentem febrem: Non inter putridas, quia multoties adueniunt hæ febres sine humorum putredine: non inter ephemeras; quia in his adest simplex alteratio; in pestilenti autem febre adest præter alterationem putredo: neq; inter hecticas; quoniam hæ non habent putrefactionem in solidis partibus, qualem continent pestilentes febres. Hæc summa est huius viri opinio.

Verum meo quidem iudicio fallitur: Primū, quia Galenus, quem ipse tanquam ducem sequitur, sub alio genere non videtur complecti febres pestilenres, quam sub putridis: nunquam enim earum febrium meminit, quæ sub nullo genere complectantur; quamobrem omnino fuisset concludendum in diuisione differentiarum febrium Galenum defecisse: quod sane Altimarus omnino abnegat.

Deinde vero in hoc videtur mihi deceptus; quod omnē putridam febrem arbitratus est in humorū putredine consistere, atq; sine his nullam esse putridam; cum tamen constet ex iis, quæ nos libris superioribus demonstrauimus, multas esse putridas sine humorum putredine. Sed hæc satis.

Opinio Ioannis Fernelij de natura febris pestilentialis.

CAP. XII.

QVONIAM nos hactenus de febris pestilentialis natura disseruimus, atq; ipsa methodo, & Galeni confirmatione in hac tractatione non parum controuersa, veritatem patefecimus: Nunc perpendere oportet aliorum sentētias: vt ea opinio, quam nos attulimus, omni careat difficultate, omnibusq; dubitationibus, quibus proposita sententia subuerti videtur, sit abunde satisfactum.

Initium autem hic desumamus à Ioanne Fernelio, qui de natura pestilentiæ, iis in libris, quibus abditas rerum causas prosequitur, multo subtilius quam omnes alii disputauit. Is igitur putat omnem pestilentiam occultam causam habere, quæ neque ratione, neque signis cognosci possit, sed sola experientia, & euentu deprehendi: hanc occultam causam à cœlo in aere dimanare profluereque tradidit. At non à firmamento, nec à motu primo, vt qui semper sui similis est, non à solis obliquo circumactu, sed à certa permistione syderum. Sol motu suo anni tempora æquabiliter distterminat, ac facit ver, æstatem, autumnum, & hyemem.

Y Quod

Quod autem nō omnes æstates æque calidæ sint, aut siccæ; nec omnes hyemes pariter rigeant aut humescant; quod æstas quædam muscarum, & scarabeorum, quasi nubes proferat; alia sit ab his omnibus purissima; quod omnium admiratione locustæ tanto exercitu in Galliam conuolarint Anno octingentesimo, sexagesimo quarto. Et in Italiam Anno millesimo quadringentesimo, septuagesimo octauo, vt omnia germina depopulata sint; id iam non à solis motu; sed à varia syderum permistione petendum est; quorum motus non inutiles, & præter rationem summus rerum conditor certis legibus definiunt. Vt alia horum commistio imbres, alia serenitatem inducit; alia austrinam, alia aquiloniam, aliamue tempestatem mouet. Ita sane fatendum est quandam obtingere, quæ aeri pestilentiam immittat. Vtque multa sunt pestilentiæ genera; ita vniuscuiusque peculiarem quandam esse commistionis rationem, & propriam causam, quæ alias mitius, alias ferocius in aerem, atq; in nos furiat, atque debacchetur.

Grauis est (inquit Fernelius) *eorum stupiditas, qui sydera nihil in aera nisi calorem, & frigus, imbres, aut siccitatem lumine motuq; suo inducere contendunt. Si illa bene constituta, omnium vitam tuentur, ac conseruant, cur male constituta vita non incommodent? illinc prima, & præcipua omnium rerum salus; & conseruatio, illinc & interitus. Has causas, atque vires soli de medio tollant, & tanquam nulla sint, negant huius contemplationis imperiti. O vere fælices, qui secretiore hac cognitione sapientissimi fiunt, qua neque ad præcauendos, neque ad persanandos pestilentes morbos est vlla præstantior. Itaque puræ simplicisque pestilentiæ causa est cœlestis configuratio vim inferens, quæ neque temporum mutatione, neque vlla manifesta qualitate, sed solo euentu deprehendi potest.*

Sed quoniam habebat dubitationem, quid intelligeret pro pura ac simplici pestilentia; rem parum post hisce verbis declarat. *Tria diximus in aere communium morborum genera: endemium à terrenis, inferioribusque expirationibus: epidemium à vehementi temporum, tempestatumque permutatione: Pestilentem ab occulta malignaque qualitate cælitus demissa. Hæc interdum simplicia puraque seorsum apparent; plerunque vero permiscentur, & coeunt eorum causis in idem conspirantibus: tumque difficilis admodum est eorum distinctio: licet autem variæ hæ sint, & discretæ causæ; quoties tamen coniunguntur, coeunt, & confunduntur, quadam generis affinitate sese iuuant, impetusque suos augent. Harum vnica est vere pestis efficiens causa: duæ autem præparatoriæ. Pestilentia grauior euadit in regione putridis expirationibus infecta; quam in sicca, atque pura: rursusque grauior æstate, quam hyeme, & austrina tempestate, quam aquilonia. & inæquali, intemperatoque cœlo, quam æquali & temperato. In summa, grauior est pestilentia, quæ epidemiis, aut endemiis constitutionibus permiscetur; quam quæ pura solaque consistit. Ergo terrenæ, inferioresque infectiones pestilentiam sola non inferunt; ad illam tamen non parum præparant, & excitant. Hæc causa est, cur ima pestilentia non omnes regiones, nec omnes homines peræque afficit, ac lædit. A simili pestilentia plus tanguntur loca maritima, austro obiecta, calida, & humida; tetris expirationibus infecta; alta atque patentia, quam mediterranea, aquilonia, sicca, pura, & contecta. Rursumque inter homines magis læduntur, qui calidi, & humidi, multi scatent humore putredini obnoxio; patentiore, laxoque corpore, quam qui frigidi sunt, & sicci humore pauco, eoq; puro, & corpore moderate laxo, vel adstricto. Nimia corporum laxitas, quemadmodum & obstructio inducit ad pestem.*

Quanquam autem hæc vera sunt, propria tamen & peculiaris constitutio, quæ loca vel corpora reddit pesti obnoxia, omnino nos latet, neq; sensu, neq; ratione, sed solo euentu, & experientia comprehenditur.

Cæterum q; pestilentiales morbi, aliiq; occulti, & deleterii affectus ab aere non fiunt, sed habeant abditiorem causam Hippocratis autoritate hisce verbis confirmat: *Hoc genus vniuersum Hippocrates diuinum appellauit, iubens vnumquemq; agnoscere, & obseruare, si quid in morbis diuinum insit, vt & bonum & admirabilem Medicum se præstet.*

Hoc loco Galenus diuinum interpretatur ambientis nos aeris conditionem. Sed quam?

quam? non eam sane, quæ in primis est qualitatibus; sed multo præstantiorem occultioremque, quam morbidam excretionem Hippocrates appellauit. Nam cum ille prædictionum libro tertio præcipit, accurate obseruare superuementium morborum impetum; nec non tenere temporis conditionem, ea oratione distincte & explicate duo designat: ipsaque temporis conditio est tempestatum, primarumque qualitatum constitutio; superuenientium autem, id est, vulgarium morborum impetus causa alia est abditior, quam licet vt obscuram hic verbo non expressit, libro tamen de humana natura appellant morbidam excretionem, qua totus aer inspersus est. Hæc autem est vis quædam deleteria toti nostræ substantiæ prorsus infensa. Hæc summa est opinio Fernelij.

Impugnatio opinionis Ioan. Fernelij; quodque à cœlo non fluat pestilentia.

CAP. XIII.

DVo sunt, quæ circa propositam opinionem diligenter veniunt explicanda: primum, quod à cœlo, & quemadmodum inquit Fernelius, à mala ipsorum syderum commistione, ac aspectu, pestilentia non fiat. Secundo autem loco explicandum est, quid Hippocrates diuini nomine intelligat: hæc enim duo potissima sunt, in quibus tota præcipue vis rationū Fernelii consistit. Expendemus igitur vtrumque. Primum quidem in hoc capite: alterum vero in sequenti.

Quamobrem, quod à syderibus, & à cœlo pestis nō fiat, dupliciter edocebimus: tum scilicet autoritatibus illustrium virorum: tum ratione.

Quantum ad autoritates pertinet: diuinus Plato videtur manifestissime admittere sydera, omniaque astra carere omni pernicie; & omni inquinamento: quomodo igitur in hisce inferioribus transmittere pestilentiam poterunt; quæ affectus existit perniciosissimus; & omni inquinamento refertus. Verba diuini Platonis in hunc modum habent; *Alterum animalium genus statuendum, quod etiam & gignitur, & cerni potest, & ignis quidem plurimum, terra quoque & aeris, cæterorumque omnium paruas particulas habens: variaque omnino hinc animalia, & visibilia generari dicendum. Hæc cœlestia existimamus animalia esse; diuini astrorum genus, corpore quidem pulcherrimo; anima autem tum beatissima, tum optima constitutum. His vtique animalibus è duabus sortibus alteram tribuendam putamus. Nam aut absque pernicie immortalia, atque diuina necessario singula sunt: aut vitam longæuam agunt, singulis adeo sufficientem vt longiore non egeant.* Hæc Plato.

Desumpta singula ea ptis in hominem ex appendice Valleriol. cap. 1.

Ex quibus manifesto colligendum videtur, astra carere omni pernicie: & nulla ratione posse nobis transmittere pestilentiam: & in eodem opere inquit; *Hanc astrorum naturam esse, visu quidem pulcherrimam, progressu, & chorea optima vtentem; omniumque chorearum decentissima, ac magnificentissima, quæ cunctis animalibus commoda præbet.* Itaque ab ipsis syderibus cunctis animalibus bona adueniunt. Quapropter si hæc est ipsorum natura ab illis nulla ratione malum profluere poterit, quia idem per se esse non potest contrariorum effectuum causa. Bonum malo contrarium est, ab astrorum natura, quæ sunt animalibus commoda, fiunt; igitur mala fieri non possunt. Qua itaque ratione statuendum est pestilentes morbos, omnium morborum pessimos à syderibus, & à cœlo proficisci?

Rursus idem autor cœlorum virtutes recensens, solis, lunæ, ac quinque reliquorum Planetarum, atque stellarum omnium potestatem, atque naturam admirans, in epinomide sorores omnes appellat: Nefasque cuiquam esse putat, existimare horū syderum legitima esse alia, alia illegitima, taliaque qualia nefas est pronunciare: quasi velit impium esse sentire astrorum alia esse bona (quæ legitimi nomine appellant) alia illegitima, hoc est, mala.

Quod si nullum sydus, vt censet Plato, malum est: quomodo mala in hæc inferiora vi sua plane benefica, & salutari immittent?

Idem confirmari potest ex Calcidij sententia *comentariis suis in Thimaum*

diuini Platonis, qui de toto negotio hisce verbis disseruit; *Aut omnes stellæ diuinæ sunt, & bonæ; nec quicquam faciunt mali: aut quædam maleficæ. Sed maleficas esse in illo sancto & pleno bonitatis loco, quatenus conuenit? Cumq́ omnia sydera plena sint cœlestis sapientiæ; malitiam porro sciamus ex dementia nasci; quatenus conuenit maleficas esse stellas dicere? Nisi forte id, quod fas non est, interdum easdem bonas, interdum malignas existimandum, proptereaq́ promiscue beneficia, & maleficia præbere. Sed hoc absurdum est putare cœlestem substantiam vna eademq́ natura præditam, non in omnibus stellis eandem esse; sed plerasque tanquam à propria degenerare natura.* Hæc ille.

Ex quibus possumus manifesto colligere perabsurdam esse opinionem Fernelii, qua scil. is contendit à cœlo & à syderibus in nobis pestilentiam immitti: siquidem sydera semper vnam habent eandemq; salubrem naturam, semper bonæ, nunquam malæ; itaq; semper bonitatis causa sunt; nunquam autem malitiæ: ac perabsurdū erit dicere aliquando bonas esse illas, aliquando malas; quia ab vno, quatenus vnum est, fieri non possunt contraria.

Præterea Aristoteles *libro nono diuinæ philosophiæ cap. 10.* in his, quæ sempiterna, atq; ætherea sunt, neque malum, neq; errorē; neq; corruptionem inueniri, his verbis testatur; *Nō igitur quicquam in ijs, quæ à principio, & perpetua sunt, malum est, neq; error, neq; corruptum: etenim corruptio de malis est.*

Hunc locum enarrans Auerrhoes *commento decimonono* inquit; *Manifestum est, quod in rebus, quæ non sunt post potentiam, & sunt illa, quæ sunt æterna, sed eorum essentia est principium, in his neq; malum est omnino, neq; error, neque corruptio: Corruptio enim de rebus est malis. Et ex hoc cognoscitur impossibile id esse scire, quod astronomi dicunt stellas quasdam fortunatas esse, alias infortunatas: id autem scire de ijs potest, quasdam quibusdam esse meliores.*

His quidem manifestissime redarguuntur insanientes astrologi, qui de stellis fortunatis, atque infortunatis absurda docent: cum omnes sint bonæ, & vna potest altera melior esse: quandoquidem (vt ait philosophus) eorum, quæ sunt in cœlo, nihil malum, nullus in his error; qua igitur ratione affirmare possumus, ab ipsis syderibus immitti contagiosos morbos, qui sunt omnium perniciosissimi, & corruptiui corporis humani.

Neq; etiam in stellis dicere possumus fortunium, aut infortunium adesse: quoniam hæc (autore Aristotele) rerum sunt temere, & non semper se eodem modo habentium. Neque enim stellæ, ac sydera aut temerario, & inordinato cursu feruntur: aut infortunium sinistro euentu vnquam pariunt: nam infortunium rerum caducarum, errantium, & mutationi obnoxiarum esse, philosophi omnes affirmant; quorum nihil tale syderibus congruit, vtpote quæ ad summi boni exemplar sint diuino artificio constructa, illiusq́ue pulchritudine summā aspectu, lumini positu, affectione, ordine, atq; perennitate referat.

Quis hæcætherea corpora tot illustrata Dei dotibus malum inferre mortalibus credere queat? Quicquid de alto descendit (inquit Mercurius Trismegistus in Asclepio) generans est: quod si generat, quod è cœlo ad nos labitur, quomodo corrumpere potest? non ergo à cœlo vsquam contagiū, sed generatio potius atq; perfectio. Quod Proclus Maximus Platonicus *libro de anima & dæmone confirmauit*, inquiens, *Superi harmonica ratione mundana omnia continent, atq; perficiunt, & inuicem accommodant, & ad mundum.* Si igitur harmonico concentu, atq; motu cœli, quæ sursum sunt, corpora mundana omnia (vt ait Proclus) & continent, & perficiunt, & accommodant, qua ratione destruere, incommodare, & perdere ipsa contagione poterunt? cum sint isthæc inuicem contraria, quæ à nullo efficiente fieri possunt.

Lib. 3. de cælo, [illegible]

Hoc deinde Auerrhois sententia confirmari potest, dicentis de Platonis promptuario id esse, vt malum in eorum albo sit, quæ inordinata sunt: omne autem diuinum antiquum, & ordinatum. Non ergo in diuinis malum erit, sed in natura mortalium, quemadmodum idem autor affirmat.

Quam-

Quamobrem cum diuina sint corpora, stellæ, ac sydera omnia, neque malum in illis esse, neq; ab ipsis manare consentaneum est.

Deinde Plotinus summus Academicus, eo libro, quo inquirit; num astra aliquid agant, firmissimis rationibus demonstrat à cœlo, & astris malum in hæc inferiora delabi minime posse: astrologorumq; opiniones ridet, existimantium planetas suis motibus non solum inopias, & diuitias facere, verum etiam valetudinem prosperam, aut aduersam, vitia, atque virtutes, & singulis in temporibus singulas actiones inferre mortalibus; perinde atq; aduersus homines sint irati. Neq; vero ex planetarum albo quosdam esse malos vllo prorsus pacto admittit; aliosq; atque alios; hoc est, modo bonos, modo malos, ex aduerso inter se aspectu fieri, nullis hactenus astronomis dandum; magnis certe rationibus contendit. *Libr. 1. de cælo com. 13.*

Huius præterea opinionis inter recentiores homines fuerunt Marsilius Ficinus, vir maximi nominis, & Io. Picus Mirandula, nostri seculi decus suis commẽtariis aduersus astrologos, qui pluribus rationibus demonstrant, à cœlo nihil mali posse confluere.

Hucusq; autoritatibus contra propositam opinionem institimus: nunc rationes prosequamur.

Quod conseruat, ac continet, cæterisq; omnibus est veluti forma: id contagio afficere; quæ conseruat ac continere, minime potest, cælum autem, atq; astra eiusmodi sunt, quemadmodum testatur Auerrhoes *primo de cælo cap. 24.* dum inquit; *Corpora cælestia conseruant elementa, & continent ipsa, & vniuersaliter sunt eis quasi forma.*

A cælo igitur fieri contagiosi morbi non possunt: Si enim aduersaria nobis cœlestia corpora essent; corrumpi statim vniuersum oporteret; vt idem autor testatur *primo de cælo & mundo com 28.* Quin quod vitam vegetabilem, sensibilem, & animatam præstat, id inferre non potest febres pestilentiales; & morbos contagiosos: quoniam horum natura, & vis est vitam perdere; eique antipathia quadam aduersari. A cœlo autem vita nobis, plantisque benefico munere impartitur; (dicente nimirum Auerrhoe *libello de orbis substantia*; vitam nobis vegetabilem, sensibilem, & animalem calore cœlestium corporum tradi) non igitur ab his pestifera pernicies dilabetur.

Præterea à cœlo contagiosos & pestilentes morbos fieri naturæ contagionis repugnat, cum sit nimirum contagio (vt posthac diligentius explicabimus) ab vno in alterũ profecta infectio. Quod si sic est, vti re vera est, infecta prius, & lue pestifera oblita astra esse oportebit, vt contagium inferant: Quo quid absurdius, aut ineptius dici, excogitariue potest? Vt enim contagio fiat, id à quo primum manat; inquinatum esse oportet, si alteri inquinamentum affricare debet. Cum contagio non vnius solum, sed duorum sit affectus; eius nimirum, qui inficit; & qui inficitur, vti antea diximus. Quamobrem si à sydերũ certo congressu, quædam cõtages oriatur, contagiosa ipsa esse, & morbida excretione coinquinata (si contagium allatura sunt) oportet. Quod cum impium sit dicere atque nefas, de diuinissimis vtiq; atque purissimis existentibus corporibus corruptionis omnis, & passionis expertibus fateri omnino necesse est, neque à cœlo, neque à syderibus tantum mali, in mortalium perniciem deriuari: sed id omne ab impura inferiorum exhalatione manare, & inesse in natura mortalium, vt inquit Auerrhoes. *Libr. 3. de cælo & mundo, t. 25.*

Quid Hippocrates diuini in morbis nomine, intelligat?

Cap. XIV.



HÆc Hippocratis verba: *& si quid in morbis diuinũ fuerit, illius quoq; addiscere prouidentiam*, non mediocrem apud omnes homines dubitationem habent; quid videlicet in morbis illud diuinum sit, quod Hippocrates docet. In qua re explicanda, tot fere sunt

sententiæ, quot capita, vt ait Comicus. Nos hoc loco singulas expendemus, eo quidem consilio, vt postea ostendamus, nihil Galenum continere, quod reprehensione dignum existimari possit.

Prima igitur opinio est Ioan. Fernelii, qui diuini nomine intelligit eos morbos, quos producit cœlum, id est, mala syderum configuratio & aspe-ctus. Quam opinionem hic reprobare non oportet, quoniam superiori capite multis rationibus persuasimus, à syderibus & astris nihil mali in hæc inferiora profluere: hac itaque prætermissa reliquas videamus.

Fuerunt nonnulli expositores Hippocratis (vt refert Galenus) qui diuini vocabulo intelligunt eos affectus, qui fiunt in nobis propter iram Deorum, atque in huius opinionis confirmationem adducunt eos, qui appellatas historias conscripserunt: in quibus passim legitur propter Deorum iram, morbos nonnullos nobis transmitti; cuiusmodi est comitialis morbus, ea dispositio, quæ propter amorem aduenit; atque ii, qui dicuntur βλητοὶ, id est, percussi: verũ in his nihil subesse diuinitatis Galenus hisce rationibus comprobat. Primũ, quantum ad morbum comitialem pertinet, Hippocrates *libro de sacro morbo* multis rationibus contendit nihil in se diuinitatis continere; sic enim inquit *de sacro morbo appellato sic se res habet, nullo re videtur mihi aliis diuinior esse morbus: neque sacratior; verum naturam habet, quam etiam reliqui morbi; vnde fit. Homines vero naturam eius, & causam esse diuinam putauerunt, præ inexperientia, & admiratione, propterea quod reliquis morbis nulla re similis est, & per inopiam quidem, quod non cognoscunt: diuinitas ipsi conseruatur: per abundantiam vero, & parabilem modum sanationis medentur. Exoluuntur enim aut expiationibus, aut incantamentis.* Deinde vero addit; *quia febres quartana, & tertiana nihil minus habere videntur item delirantes & insanientes, & multa importuna facientes absque manifesta causa, quorum alij plorant, alij vociferantur, alij suffocantur, alij dormientes foras exeunt & delirant, donec expergiscuntur, quos omnes non minus posses diuino morbo apprehensos dicere, quod non est.* Ex his colligendum est, comitialem morbum, qui sacer etiam dicitur, nulla ratione ad iram Deorum referendum esse. Multo autem minus, cum quis propter alicuius rei cupiditatem, & amorem contristatur, vigilat, pallet, delirat, referri potest ad Deos; nam Erasistratus, Hippocrates, & Galenus, horum symptomatum causas nõ ad iram Deorum, sed ad causas procatarcticas retulerunt. Erasistratus enim ad filium, regis Syriæ (erat is Antiochus rex) curandum aduectus, cum ipsum pallere, vigilare, ac contristari intelligeret, plures fœminas coram vocari præcepit; inter quas, & nouerca Stratonica nomine, regis vxor accessit, qua inspecta mirũ, quantum pulsus ægri fuerit immutatus: quod Erasistratus (qui pulsum incessanter tangebat) cum notaret; causam ægrotandi, regi detexit, quibusdam habitis apud regem præfationibus; cuius rei Galenus meminit *libro de prænotione ad posthumum*: quo loco refert deprehendisse fœminam quandam Pyladis amore cœptam. Cum enim ipsam prius sine febre inuenisset, in lecto se ex accubitu, in accubitum proiicientem, ac vigilantem inquit; *nam cũ prius nossem nulla corporis parte mulierem affligi, verum animi molestia quapiam tantum conturbari contigit, vt quo tempore fœminam inspicerem, illud ipsum, quod esse suspicabar, mihi confirmaretur: nam quidam tunc è theatro cum venisset, narrassetq; Pyladem saltantem conspexisse, statim mulieris vultus faciesq; & faciei color immutatus est: quod cum viderem brachio manum statim admoui, pulsumq; variis modis agitatum inueni; id quod animi perturbati Indicium est.* Ecce igitur ꝙ Erasistratus & Galenus nihil in hisce affectibus diuinitatis cognouerunt; nisi quis hac in parte fabulis poetarum credendum putet, qui cupidinem Deum quendam ex venere natum fabulantur: sed hæc ab iis, qui veritatem profitentur, prætermittenda sunt.

Historia.

Quantum autem ad eos, qui siderati & percussi sunt, scire oportet, cognitam in hisce inferioribus causam Hippocratem conscripsisse: quemadmodũ colligere est apud Hippocratẽ *primo libro de ratione victus in morbis acutis*, his ver-

his verbis: *Non perperam autem hos antiqui* θεῖε, *id est, sideratos esse existimarunt, tum maxime ob id, tum non minime, quod mortuis ipsis latus liuidum plagæ aliquatenus simile videretur: ob mortis ergo celeritatem, atq; ob plagam sideratos esse credebant.* Hæc ille: quibus videor satis oppinionem hanc reprobasse.

Alia opinio est, quod Hippocrates diuini nomine intelligat dies decretorios, nam horum causam putarunt nonnulli fuisse incognitam Hippocrati: hic igitur vult in morbis obseruandum esse, an aliquid diuini insit: id est, an adsint dies decretorij: Galenus *1. lib prædictionum* hanc opinionem hisce verbis redarguit: *Non enim simpliciter, quæcunq; causas habent incognitas aut inopinabiles, diuina vocamus, sed vbi mirabilia habeantur, duntaxat, quanquam nec ignorauit Hippocrates causas decretoriorum dierum, vt in commentariis de diebus decretoriis perpensum iam est.* Cæterum hæc ratio mihi parum satisfacit, quandoquidem si diuini nomine intelligere oportet, quod abditas causas habet, & admirabiles: ego quidem videre non possum, quid magis obscurū, & admirabile in morbis contingat potentia dierum decretoriorum: quamobrē hac causa dici deberet diuinum, quid horum cognitio: atq; hac de causa nō videtur mihi hęc ratio quicquam contra hanc opinionem concludere.

Quid igitur dicendum? an admittemus hanc veram esse sententiam? minime vero quidem: nam cum dies decretorij semper in morbis adsint, videretur mihi fuisse admodum ridiculus Hippocrates, si spectandum id esse in morbis retulerit, quod semper adest: cum enim inquit: *Et si quid in morbis diuinum extiterit, illius quoque addiscere prouidentiam.* Innuere videtur, hoc diuinum, quod ipse prædicat, non semper adesse in morbis acutis, sed aliquando sine ipso consistere: verum dies decretorij semper in omnibus acutis morbis obseruandi sunt, quemadmodum Hippocrates, tum in Aphorismis, tum in Prognosticis docuit.

Nos igitur omittentes nugas, quæ de diuino circumferuntur, nitemur ipsi simul cum Galeno, eam rem secundum Hippocratem inuestigare: igitur vt vnū aliquid ad artem medendi attinens, diuinum sit, nec solum ab Hippocrate commendari cognitionem eius, sed etiam ostensam esse cuiuis perspicuum est. Scriptor enim deridiculus foret, commendans rei cognitionem, quam nullo pacto docuerit, quare ipsa diuini præcognitio vnum ex iis sit oportet, quæ ab Hippocrate dicta sunt. Itaq; soluemus sidentes iam non aliud haberi id præterquam ambientis nos aeris conditionem.

Quoniam vero quemadmodum supra diximus, aer dupliciter affici consueuit; vno modo secundum qualitates manifestas, quarum causa alteratus aer morbos efficit populares, qui sunt citra malignitatem. altero autem modo, cum in tota sua substantia alteratur & corrumpitur; Igitur diuini nomine intelligit morbos, qui fiunt à conditione ambientis nos aeris cum in tota substantia fuerit permutatus.

Sed habet hoc loco dubitationem, propter quam causam hi morbi diuini nuncupandi sint. Dubium.

Pro solutione huiusce rei scire oportet duo nomina philosophis in vsu esse, diuinum scilicet, atq; demoniacum.

Diuini appellatione significarunt, quicquid admirabile illis videbatur, atque cuius origo à cœlo est. Id igitur diuinum nuncupabitur, quodcunque inferior natura (quam Alexander Aphrodiseus secundam naturam nuncupat) generationi & corruptioni obnoxia ab ipso cœlo participat: putà in elementis cum generantur à cœlo generatur forma in igne quidem perfectior, in cæteris autem imperfectior, prout magis, minusve à forma cœli distant: non autem citra formam aliquam aliam virtutem à cœlo participant: vel si aliquam cœlum illis infundat, minima sane ea censenda est, & obscurissima; Propter hanc igitur causam elementorum generationem diuinam nuncupauit: quoniam vt dixi, illorum formæ à cœlo sunt.

Multo magis animata corpora videntur esse diuiniora, quia præter elementa, ac eorum temperaturam insita est quædam virtus nobilior. Quo fit, vt dicamus, solem, & hominem generare hominem, quoniam duæ videntur in animalibus, & potissimũ in homine à cœlo, & patre virtutes profectæ.

In ipsis igitur corporibus corruptioni, & generationi obnoxijs, Aristoteles diuinitatem maiorem & minorem cognouit, quemadmodum eius verba testantur, quæ in hunc modum habent, *Sed enim omnis anima siue virtus, siue potentia corpus aliud participare videtur, idq; magis diuinum, quam ea, quæ elementa vocantur: verum prout nobilitate ignobilitateue animæ inter se differunt, ita & natura eius corporis differt.* Hæc Aristoteles.

Ex his patet vocari diuinum huic homini, quod à cœlo originem habet: nec alia causa est, propter quam idem formam vocauerit nõ solum optimam & appetibilem, sed etiam diuinam. Quoniam omnis formæ, qualis ea cunq; fuerit vera origo est è cœlo. Idem quoque colligendum est *ex libro primo de partibus animalium*, vbi docet: omnibus animalibus inesse naturæ numen, & honestum, pulcrumque ingenium, atque in illis aliquod diuinum apparere, probat ex Heracliti sententia, qui in minimis, ac vilissimis quoque locis Deos nõ deesse sentiebat. Omnia.n. sunt ex illius sententia Diis plena.

Vox autem hæc dæmonium apud Ciceronem idem etiam quod diuinum significat. Ita enim de Socrate loquitur. *Hoc de Socrate accepimus esse diuinum quoddam, quod dæmonium appellat: cui semper ipse paruerit, nunquam impellenti sæpe reuocãti.* Idcirco Aristoteles *libro de diuinatione* per somnia hominis naturam dæmoniacam nuncupauit. Verum in præsentia vocem hanc prætermittamus, atque reuertamur ad vocabulum diuinitatis.

Iam ergo satis manifestum fecimus, diuinum apud Aristolem vocari, quòd à cœlo est: Addamus etiam & alteram cõditionem, quod videlicet in sese admirationem continet, & obscuras causas habeat. Nam ita sentiendum monuit Galenus *in primo libro prædictionum*, in longiori præfationis enarratione, cum eorum opinionem refellit, qui per diuinum putauerunt Hippocratem dies decretorios intellexisse, quoniam causas habent abditas & obscuras; ipse vero contra inquit, *non quæcunq; causas habent abditas & obscuras, diuina vocamus: sed vbi admirabilia videantur duntaxat.* Hæc Galenus.

Nunc vero his hoc modo statutis ad Hippocratis opinionem reuersi; dicimus, hunc admonere nos, quod diligenter perpendamus, an in morbis aliquod diuinum insit; hoc quidem sensu; an aliquis morbus fiat ab aeris permutatione in tota illius substantia: Nam hæc aeris permutatio primum quidem admirabiles effectus facit, quemadmodum nos quotidie in ipsa pestilentia vsu venire cernimus: deinde autem hæc permutatio fieri non potest, nisi à cœlo, tãquam à causa partiali: quia, vt supra admonuimus, necessarium est, vt fiat pestilentialis constitutio, anni tempora habere se præter naturam, quod accidit à cœlo: deinde vero oportet, hunc cœli statum, calidum, & humidum esse: sed neque etiam hoc sufficit, quoniam aer debet putrefieri propter eas causas, quas diximus; si pestis in humanis corporibus fieri debet.

Non conturbet igitur vos, quod ego semper redarguerim eos, qui cœlitus immitti pestilentiam tradiderint: nunc vero ipse asseram causam pestilentialis constitutionis esse cœlum: illi enim hanc dixerũt proximam, & immediatam causam existere: nos autem remotam; ea ratione scilicet, qua cœlum causa est, quod anni tempora habeant præter naturam; à qua permutatione tanquam à causa remota fit pestis, quia oportet cœli statum habere se præter naturam in caliditate, ac humiditate: atq; putrefactum esse: ad quem terminum cum fuerit peruentum, statim fit pestis.

Text. 32. Porro autem cum Hippocrates inquit *in libro tertio prognosticorum, decet autem morborum semper populariter grassantium impetum considerare: nec latere temporis constitutionem.* Duas notauit ambientis aeris alterationes; alteram in manifestis

nifestis qualitatibus, cuius causa morbi fiunt populares: alteram vero in tota illius substantia, propter quam fit pestis: hanc significare voluit per constitutionem temporis, quasi dixerit, eam constitutionem, in qua aer inquinamẽtis plenus fuerit, & tota substantia permutatus.

Sed habet dubitationem Galeni exemplum, quo vtitur in eius sententiæ commentatio; Is enim postquam diuini nomine intellexisse Hippocratẽ docuit, alterationem aeris; refert in huius confirmationem sententiã aphorismi; in quo de alteratione ambientis secundum manifestas qualitates agit, non de immutationibus in tota substantia. Nisi esset, quod exempla ponuntur, vt facilius addiscamus; non enim in illis, vt ait Aristoteles & Auerrhoes, verificatio requiritur; sed vt addiscentes facilius percipiant. Dubium

Aphorismum sane refert, in quo agit de aeris alteratione; verum quia viderat eam in qualitatibus manifestis consistere, propterea significauit non solum in aphorismis de hisce morbis egisse, sed etiam in libris de morbis vulgaribus: quibus in libris is multas prosequitur constitutiones aeris, tam pestilentes, quam non pestilentes; itaq; si Galenus ambientis alterationem intelligit in tota substantia, optime arbitror illum interpretatũ fuisse Hippocratis mentem; si vero alterationem audiuit in manifestis qualitatibus puto perperam illum exposuisse: quoniam hæc alteratio nihil habet admirabile, nihil occultum, quæ duo necessaria sunt ad intellectionem illius vocabuli: propter quam causam ego dum olim primum librum prognosticorum Hippocratis interpretarer, hanc opinionem pluribus rationibus reprobaui, ostendens impossibile fuisse, quod Hippocrates per diuinum intellexisset ambientis constitutionem secundum qualitates manifestas. Hæc hactenus de opinione Ioann. Fernelij.

Ioannis Baptista Montani, & Hieronymi Fracastorei opinionis impugnatio.

CAP. XV.

NVNC itaque reliquum est, vt videamus, quid hac de re Ioannes Baptista Montanus: & Hieronymus Fracastorius duo nostri seculi Medicorum lumina, tradiderunt. Horum hominum opiniones simul referre constituimus, quod hæc non mediocriter conuenant, paucisq; demptis eædem, omnino videantur.

Ille igitur tum in *commentariis in libros Galeni ad Glauconem, & tertium epidemiorum*, tum *in libello de caracterismis febrium* putat essentiam, atque totam naturam pestilentialis febris in vna putrefactione consistere: in qua re nos inuicem conuenimus: in hoc autem, quod sequitur dissentimus, nempe quod putat ille putredinem hanc solum fieri in humoribus, quos continet cordis substantia, vel quod propria caro cordis hanc labem suscipiat. Differre autem à putridis febribus pestilentem putat, quod in illis vapores putridi cor afficiunt, tam si continuæ fuerint, quam intermittentes, ex quo sequitur ex Montani opinione in causo febre, quæ omnium febrium est ardentissima, humores cordis non esse putridos, sed solum calefactos, quoniam vapores putridi; non ipsa putredo cordi molestiam afferunt, at vero in pestilenti febre aliquando primogenios humores cordis, aliquando illius corpus putredinem suscepisse. Quamobrem concludit omnem pestilentem putridam esse, & aliquando hecticam simul: hecticam quidem, quoniam solidæ partes corporis positæ sunt in calefacto esse: quæ cum simplicem caliditatem non recipiant, sed cum putredine, fit non esse simpliciter hecticas, sed hecticas & putridas simul.

Deinde propositam opinionem confirmat Galeni verbis tum in *10. methodi medendi*, tum *in libro 3. de præsagione ex Pulsibus*: Hæc enim in methodo illius verba sunt; *Verum de colliquatiuis febribus disserere in posterum licebit, atque vt* Cap. vlt.

de iis

de iis hecticis febribus, quæ in pestilentiis contingunt, cuiusmodi ea est, quæ nunc publicè grassatur: dicetur namque & de hac inter pestilentes febres: Et in alio opere: *Quod in sermone* (inquit) *prætermisimus vbi aer, quem inspirando attrahimus infectus putredine sit, ac putredo ad corpus cordis peruenerit, illi pulsus fiunt. Nec quicquam habet admirationis, si eos pulsus, quos memorauimus tali affecti peste habeant, nec si pestilentem animam, nec si omnino morituri sunt: quam enim excogites medicinam ad putredinem, quæ cor occupauit? nam quibus calor hic putridus vel humores, quos continet cordis sinus, vniuersus deflexit, non autem ad corpus ipsum visceris, multi horum fuerunt superstites:* Et in eodem opere parum post inquit: *Etenim sunt, vt docuimus, pestilentes non paucæ inde vsque ab initio hecticæ, distantq́; ab omnibus aliis febribus, quæ ex magna putredine oriuntur.* Hæc summa est opinio Montani.

Cap. 1.

In fine capitis quarti.

Fracastoreus vero, cui hæc figmenta non placent, non minus absurda fingit, videlicet pestilentis febris profundam, sordidam, ac tenacem, cæterarum extimam duntaxat, & leuem esse putredinem, atque in hoc inuicem differre. Multa præterea subtiliter disputat contra Montanum, quæ hoc loco breuitatis studio prætermittuntur.

Sed quoniam opiniones istæ à veritate plurimum desciscunt: plurimisque figmentorum technis sese irretiunt, necessarium est, nos hoc loco aperire, quid scilicet mali ab illis traditum fuerit.

Montanus quidem videtur mihi dupliciter deceptus: primum quod admittat omnem pestilentem febrem cōsistere, vel in humorum cordis putredine, vel in putredine substantiæ cordis; cum possint fieri pestilentes quędam febres ex spirituum vitalium putrefactione, quemadmodum supra ostendimus de febribus illis, quas sudorificas à copioso sudore nuncupauerunt.

Nam si ambientis aeris putredo tantam habere vim potest; quod statim putredinem faciat in corde corporis, quod maximam alioquin resistendi potentiam habet; quomodo negabimus; non posse spiritus cordis, qui maximam habent affinitatem cum aere, & qui statim simul cum aere coniunguntur non posse putrefieri. Hic locum habere videtur regula illa topica, si id de quo minus videtur inesse, inest; multo igitur magis inerit id, de quo magis.

Deinde vero deceptus est, quod putet in solis febribus pestilentibus humores in corde putrefieri: nam si omnes humores possunt per vniuersum corpus in venis omnibus putredinem subire, quam ob causam ij, quos sinus cordis continet, internis validisque causis præcedentibus, non poterunt? absurdum quidem videtur mihi ex causa intrinseca posse id contingere, ab interna vero nunquam euenire. Omni igitur caret probabilitate, quod in febribus putridis non pestilentibus, non possint humores cordis computrescere: sitque hoc proprium pestilentialium febrium: de qua re, quoniam nos libris superioribus plurima conscripsimus, nihil aliud in præsentiarum docebimus.

Rursus autem errauit meo indicio Montanus, quoniam, quamuis Galenus nonnullas pestilentes febres nuncupauit hecticas, declarandum tamē fuerat, quomodo hecticæ sint; nam re ipsa omnes sunt putridæ, quemadmodum nos edocuimus; aliquæ tamen vocantur hecticæ, non quod propriè tales existant: nulla enim pestilentialium febrium cor siccitate torret, quod febrium in habitu proprium est: sed tales nuncupantur, quia solidæ partes sunt in calefacto esse, calorque à principio ad finem vsque similis videatur; verum quia etiam sunt putridæ, simpliciter tales nuncupari non possunt.

Quantum vero ad Hieronymum Fracastoreum pertinet, hoc vnum scito, longe hominem hunc deceptum fuisse, primum, quia veram causam pestilentiæ non cognouit, ea vero est aeris nos ambientis putredo. Putat enim

nim omnem pestilentiam ab interna causa proficisci, neq; à sordida, & profunda humorum putrefactione.

Deinde simul cum Montano decipitur, quod nullam admittat febrem pestilentem, & spirituum vitalium putredinem.

Præterea consistere non potest, quod tradit omnem pestilentiam fieri ex humorum putredine, cum possent solidæ partes cordis, vt recte Montanus ex Galeno deducit, hanc labem suscipere: atq; illis putridis alia febris esse non potest, quam pestilens.

Impugnatio opinionis Nicolai Massæ Veneti.

CAP. XVI.

NICOLAVS Massa, qui de pestilentiali febre libellum conscripsit, putat essentiam pestilentiæ non consistere in sola putrefactione, sed præter hanc putredinem amplius oportere quandam adesse occultam, & venenosam qualitatem, qua contineatur tota quidditas febris huius.

Deinde vero, cum triplex sit subiectum febris, quatenus febris est: spiritus, humores, solidæ partes: arbitratur similiter in pestilentia contingere, quod videlicet possit in quocunque genere contineri, & ephemerarum, & putridarum, & febrium in habitu.

Hæc summa est hominis huius opinio, quæ mihi dupliciter displicet.

Primum, quod propriam essentiam dicat consistere in occulta proprietate. Namq; nos frustra ad hasce qualitates accedimus, cùm habere manifestas possumus: nos enim in superioribus docuimus omnes causas pestilentiæ, tam remotas quam proximas & in his explicandis ostendimus, non oportere nos ad occultas proprietates confugere.

Præterea displicet, quod statuat in genere triplici consistere pestilentiam, nam quamuis hominis huius opinio bonum sensum habere poterit, qualem nos supra docuimus, si videlicet in vnoquoque dictorum generum impropriè contineri statuat, propriè vero putridam esse, quemadmodum loco suo declarauimus, nihilominus rem explicare multo distinctius oportebat.

De opinione Theologorum.

CAP. XVII.

THEOLOGI autem nostrates pestilentiam in humanis corporibus accidere tradiderunt propter Dei iram: Hic enim propter iniquitates nostras puniendas cœlitus hoc morbi genus nobis immittit. Quam rem ex sacris litteris ostendunt.

Nam *in Exodi capite 5.* scriptum est: *dixeruntq;: Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro, ne forte accidat nobis pestis, aut gladius.* Et *in Leuitic. cap. 26. Quod si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed & ambulaueritis ex aduerso mihi, ego quoq; contra vos aduersus incedam, & percutiã vos septies propter peccata vestra, inducamq; super vos gladium vltorẽ fœderis mei, cumq; confugeritis in vrbes, mittam pestilentiam in medio vestri, & trademini in manibus hostium.* Et *Num. 14.* ait: *quousq; non credet mihi in omnibus signis, quæ feci coram eis? feriam igitur eos pestilentia, atq; consumam.* Et in *Deuteronomio cap. 28. Adiungat tibi Dominus pestilentiam; donec consumat te de terra, ad quam ingrederis possidendam.* & addit: *Percutiat te Dominus egestate, febri & frigore, ardore & æstu, & aere corrupto ac rubigine, & persequatur, donec pereas.* Et parum post: *Percutiat te Dominus vlcere Ægypti, & partem corporis per quam stercora egeruntur, scabie quoq; & prurigine, ita vt curari nequeas.* Rursus in libro Exodi cap. 12. *Nunc extendens manum meam* (ait Pharaoni Dominus) *percutiam te, & populum tuum peste; peribisque de terra.* Et in alio loco apertius inquit: *Sermo Domini factus est ad Prophetam, & videntem David, dicens: Vade & loquere ad David; hæc dicit Dominus:*

Trium

2.Reg.c.24. 1.Paral.21. *Trium tibi datur optio, elige vnum quod volueris, vt faciam tibi. Cumq; venisset Gad ad David, nunciauit ei, dicens: Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua, aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos, & illi te persequentur: aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Nunc ergo vide & delibera: quem respondeam ei, qui me misit sermonem.* Et parum post addit: *immisitque Deus pestilentiam in Israel de mane vsque ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo à Dan vsque ad Bersabea septuaginta millia virorum.*

Ex his igitur aliisve quam pluribus, quæ breuitatis causa prætermittuntur, Theologi arbitrantur, Pestilentiam in nos ipsos demandari propter peccata nostra, eamque nihil aliud esse, quam, vt loquuntur, quoddam flagellum Dei.

Ego quidem, quantum ad præsentem opinionem pertinet, nihil habeo, quo ipsam refellam, quoniam tanquam Christianus confiteor omnia posse Deum opt. max. atq; quantum ad effectionem rerum attineat, ex potestate, vt loquuntur Theologi, absoluta, posse non solum pestilentiam, sed etiã alia omnia sine secundarum causarum actione producere.

Verum quia Deus non agit secundum ordinariam potentiam, nisi per eam virtutem, quam secundis causis communicat, propterea putamus nos à Deo, tanquam ab vniuersali, & communi causa efficiente, pestilentiam fieri, at ab aeris putredine, & secundum totam substantiam alteratione tanquã à continente, & proxima causa: A qua pro pestilentiæ curatione indicationes curatiuæ desumuntur, eo modo, quem infra docebimus.

De opinionibus itaque circa causas, & naturam pestilentiæ hæc dicta sufficiant.

De signis pestilentiæ futuræ.

CAP. XVIII.

HACTENVS igitur videor omnia diligenter explicasse, quæ ad essentiam pestilentiæ, pertinebant; nunc reliquum est, vt signa prosequamur, quibus tum futura, cum præsens dignosci queat; atque hoc ipsum eo diligentius à nobis docendum venit, quia ij, qui de hoc eodem argumento conscripserunt, non parum certe negligenter negotium tractauerunt.

Primum itaq; omnium exponamus, quæ propria signa sint, quibus euentus pestilentiæ prædici possit. Si enim nos horum notitiam, vt par est, exactã habuerimus, homines a perniciosissima hac lue optime præseruabimus, quod sane multo melius est, atq; præstantius, quam iam ægrotantes curare.

Itaq; necessarium est hoc loco memoria repetere ea, quę nos de proxima pestilentiæ causa supra conscripsimus: Eam scilicet fieri à particulari, & proprio cœli statu calido & humido, non quidem continuo, sed tunc, cũ fuerit magnus, & vehemens: hoc enim significasse voluit diuinus Hippocrates per verbum *vigere, ac dominari*, quibus passim tum in epidemiis, tum in aphorismis vtitur pro signatione particularis cœli status.

Verum, quemadmodum diximus, neq; hoc videtur sufficere pro generatione pestilentiæ, sed opus est aeris substantiam putrefieri, atque, vt verbis Galeni loquar, immutari secundum eius totam substantiam.

Cæterum, quia aer cum simplex sit elementum, quantum sit merito suæ propriæ naturæ, semper imputrescibilis permanet, propterea necessarium est, aliud adesse, cuius causa putrescat: Id autem est permistio alienæ substantiæ, quæ ambientem coinquinat, & impurum reddit: Hæc aliena substantia est vapor putridus, & proprium quoddam inquinamentum à terra, ab aqua, à plantis, à cadaueribus, ac ab omnibus iis, quæ in terra sunt, in ambientem aerem demissum.

1 Signum. Hæc quidem eo pertinent, vt ostendam primum, atq; potissimum signum

gnum futuræ pestilentiæ desumi à conditione ambientis nos aeris, quoties videlicet cumq; is impense calidus humidusve fuerit: hoc signum obseruandum est tibi, in tota constitutione anni, collatione diligenti facta temporum anni inter se, & ipsorum potentia considerata, nam impossibile est, quin in toto anno aliquando frigiditas, ac siccitas non præualeant, sed non est anni totius, temperamentum ex particulari vnius mensis, vel temporis constitutione mensurandum, sed ex omnibus anni temporibus simul, vt dixi, diligenter collatis. Igitur ex intensa humiditate, & caliditate aeris suspicari oportet aduentus pestilentiæ.

Hic obiter duo maximi momenti animaduertenda sunt.

Primum falsum esse, quod tamen omnes nostrates Medici vno ore confitentur, inæqualitatem temporum anni certissimum esse indicium futuræ pestis: namque inæquale aeris in toto anno temperamentum non magis vnum, quam alterum morbi genus insinuat, si enim calidum, atq; humidum, pestilentiã denotat, frigidũ atq; siccum præseruationẽ à pestilentia significabit, si calidũ & siccũ, denuntiat biliosos morbos frigidũ & humidũ affectiones ex pituita significabit. Ego itaq; videre nõ possum, quomodo totus annus inæqualis, & incõstans pestilentem febrẽ potius, quam alios affectus indicare possit. Siquidẽ illius hoc proprium sit inæquales & incõstantes morbos facere: quod Hippocrates, ac illius discipulus Galenus de autumno confitentur; at vero cum hi de statu pestilenti loquuntur, nunquam aliud inuenies, quam esse illum austrinum, admodum calidum & humidum; aerẽ impurum esse, putridum, ac coinquinatum, vt nos supra demonstrauimus.

Præterea alterum obseruato; contra eos, qui iudiciariam astronomiam profitentur, quod non possimus particularem stellam, siue syderum complicationem, siue aspectum afferre, quo aduenire pestilentiam nuntiare queamus, quia cum à cœlo, & à syderibus, veluti pluribus rationibus declaratum est à nobis pestilentia demandari non possit, necesse est omnem eiusce modi notitiam esse fallacissimam, nec posse ea duce euentus pestilentiæ notari: quemadmodum nos quotidie experimur.

Recordor ego anno Domini millesimo quingentesimo & sexagesimo: dixisse quendam astronomum sequenti anno tum inundationes, tum pestilentes morbos per vniuersam Italiam plurimum exspectandos esse: atque in huiusce rei testimonium afferebat quosdam in cœlo adesse malos syderum aspectus, à quibus hæc certo fieri putabat. Nihilominus euentus ipsi ostendit eum annum per vniuersam non solum Italiam, sed etiam Europam minime morbis obnoxium, nullasq; effatu dignas inundinationes extitisse.

Idem etiam inanes Astrologi de hoc anno M.D.LIV. prædicunt, quem tamen ego omnium annorum saluberrimum futurũ iudico; si ex aeris temperie aliquid certo pronunciare possumus: nam ea non est calida & humida, qualis pro pestilentiæ generatione debet. Sed prætermissis istorum hominum vanitatibus, nos ad propositum reuertamur.

Alterum deinde signum desumitur ab aeris putredine, hoc enim putrido existente nihil aliud prædicere, quam pestilentiam oportet.

Sed quomodo inquies hanc labem in aere consistere cognoscam.

Dupliciter, inquam: primum sane quantum ad propriam substantiam pertinet, videbis aerem caliginosum, nebulis quam plurimis refertum, obscurum, & aliquando fœtentem: qualis potissimũ sentitur in humidis locis, in quibus aut aquę stagnantes fuerint, aut linum, asphaltum, cannabis, aliave id genus inquinamenta diutius macerata fuerint.

Hic adde, quod ea animalia, quæ in aere vitam ducunt, cum illius putrefactionem ferre non possint, intereunt, aut longe fugiunt.

Aliud præterea est indicium putridi aeris à rebus inferioribus desumptum. Nempe quod multi vapores vitiati ab infernis rebus, ad superiorem

fationem transmittuntur. Tunc enim (inquit Aristoteles) annus est pestilens, cum multi vapores de terra in aerem ascendunt: quod sane de vaporibus putridis intelligendum est.

Verum ex interioribus rebus multis de causis putridæ exhalationes attolluntur, vna tamen etiam in ipsis vniuersalis est causa, nempe putredo, particulares autem multæ.

Cadauera, quæ post commissum prælium non cremata, vel non sepulta (hisce enim nostris temporibus corpora non cremantur, sed sepeliuntur) in terra permanserunt, vapores putridos, atq; vere pestilentes generāt, à quibus proximus aer primùm infectus, per contagiū postea in regiones quā plurimas diuagatus proxima causa fit pestilentiæ, ea prorsus ratione, quam infra explicabo, dum scilicet propriam rationem docebo, cur pestilentia per contagium afficiat, & quomodo.

Altera causa est terræ motus, nam aer in visceribus terræ conclusus, & ibi putrefactus, vel quòd libere trāspirare minime potuerit, vel propter admistionē alicuius putridæ substantiæ, per eum terræ motum foras effluens aerē contagione inficit: potissimum quidem si magnos aliquos in terra meatus apertos reliquerit: quod ve plurimum accidit, vel si longo aliquo tempore putei, foueæq; clausæ, existentes, postea per eum terræ motum aperiantur: nam vidimus ex aere incluso homines, quam plurimos vitam cum morte commutasse propter illius tum putredinem, tum malignitatem.

Hoc idem accidere potest in aere alicuius antri, & specus, à quibus potest maligna quædam, & perniciosa qualitas in homines transmitti, vt Galenus memoriæ prodidit.

Est aliud causarum genus, quod tamen nobis tanquam certissimum indicium ad prædicendam pestem inseruit, cum videlicet, terræ substantia putrefactionem subiit. Hoc autem possumus pluribus modis cognoscere, primum, quod pluuiarum multitudo præcesserit: Scimus enim ingentem humiditatem causam putrefactionis existere, accedente calore præternaturā, vt nos secundo nostræ huius tractationis libro, & ex Aristotelis, & ex Galeni sententia, docuimus.

Secundo, terra in suis reddendis fructibus proprio muniere non fungitur, nam pro tritico lolium, & zizaniam (vt cum Euangelista loquar) nobis progerminat: nascunturq; omnes plantæ & herbæ tum venenosæ, tum quæ ex nimia putredine, & mucore generari solent.

Tertio animalia, quæ ex putredine gigni consueuerunt, in terra multiplicantur, vt ranæ, mures, rubetæ, serpentes, locustæ, quemadmodum contigit patrum nostrorum memoria: tanta enim non solum in Italia, sed in vniuersa & Europa locustarum copia fuit, vt omnia terræ germina depopularentur, nullamque spem de reponenda messe miseris agricultoribus reliquerint.

Quartum indicium est, quòd animalia, quæ vel in specubus, vel inter sepes commorari consueuerunt, terræ putrefactionem aufugientia ad ipsas etiam vrbes perueniunt.

Historia. Relatum est mihi à quodā sene, qui ex magna pestilentia superstes fuit, Anno Domini 1528. in ciuitatem Anconam non solum lepores, & vulpes cōfugisse, verū etiam ceruos, & capreos, & vrsos duos eodem tempore. Igitur cum hæc ipsa videris, accedentibus aliis signis, aut omnibus, aut plurimis, de quibus iam diximus, certo pestilentiam prædicere poteris.

Quintum est, quod multa animalia sine aliqua manifesta causa intereunt, accidit enim pestis aliquando in suibus, aliquando in bobus aliquando in ouibus, atq; id genus aliis.

Hic tamen obserua, quòd quamuis eandem causam habeat hæc pestis cum ea, quæ propria est hominum: tamen nō est necessarium, vt supra diximus,

mus, pestem brutorum præcedere, hominum pestilentiam, quia validiorem causam homines exigunt, vt in pestilentiam incidant, quam bruta animalia, itaq; differunt secundum magis & minus.

His nothis terræ putrefactionem cognosces. Contingit autem aliquando putridos vapores non à terra, sed ex aquis proficisci, qui similiter efficere pestilentiam possunt, aquæ vero, quæ stagnantes sunt, potissimum lacuum, paludum, solent, vt plurimum hosce vapores proferre: cum enim hæc non moueantur facile putrefiunt; siquidem motus vna est ex causis, propter quas aquæ putredinem non contrahunt, vt nos alibi diximus.

Putredinem in aqua contractam cognoscemus, tum ex multiplicatione ranarum, rubetarum, & aliorum animalium venenosorum, quæ in aquis putridis generari solent: quod etiam aquę pristinum, tum colorem, tum saporem amiserint; vt si fuerint crassiores, turbidæ, amaræ, vel alterius saporis, vel si fuerint fœtidæ. *Signa putridarum aquarum.* *1.*

Aliter etiam cognoscuntur aquę putridę, quod scilicet pisces & animalia, qui in iis degunt, propter illius corruptionem intereunt. *2.*

Suspicari præterea idem poteris, si in eiuscemodi aquis diutius macerari soleant res putridæ, vel quæ putrefactionem facere in aquis possint, cuiusmodi sunt cannabis, linum asphaltum, atque alia id genus, vel si in illis aquis cloacæ magnæ magni alicuius exercitus, aut ciuitatis expurgentur. *3.*

His coniecturis cognoscere putridam aquam possumus, atq; huius causa aerem putrefactum fuisse, & pestilentiam generasse.

Sunt præterea nonnulli inter recentiores Medicos, qui putant indubitatum signum esse futuræ pestilentiæ, si varioli & morbilli (sic enim tubercula quædam nuncupant per vniuersam cutem efflorescentia.) regionem aliquam vel ciuitatem inuaserint. Ego vero arbitror id necessarium non esse: quandoquidem ij multoties apparent, nulla tamen pestilentia subsequente, quemadmodum nos recordamur contigisse anno præterito 1562. in bacillustri ciuitate Anxut, in qua in æstate fere plusquam mille fuerunt variolis, & morbillis ægrotantes, is tamen annus fuit salubertimus. *Aliud signum futuræ pestilentiæ.*

Itaque quoniam hæ affectiones duplicem habere originem possunt, alteram quidem ex corruptione aeris, quam ex enarratis signis cognoscere oportebit, alteram vero ex maximo sanguinis, & aliorum humorum feruore: tunc inditium existunt futuræ pestilentiæ, cum præcedit aeris corruptela, aliter autem minime, quam rem ego infra diligenter explicabo, dum de generatione horum affectuum contra Auicennæ, atque Ioannis Fernelij sententiam disputabo.

Postremo signum futuræ pestilentiæ in aliqua ciuitate, vel regione est, quod ipsa iam alibi grassari cœperit. Namque periculum imminet, ne vel à ventis, quod plurimum accidit, vel ab infectis peregrinis, vel à rebus, quæ secum continere possunt fomitem pestilentiæ, aliæ ciuitates inficiantur, de qua re nos infra disputabimus, cum de contagione sermonem habebimus. *Vltimum signum.*

Videor hucusq; potissima explicasse indicia futuræ pestilentiæ: nunc signa doceamus illius, quæ præsens exstiterit.

De signis pestilentiæ præsentis, tam in genere, quam sigillatim.

Cap. XIX.

SIGNA febris pestilentialis pathognomica, quæ videlicet demonstrant naturam febris huius, atque ab aliis distinguunt, hæc sunt: *1. Signa.*

Primum, quod ab vno in alterum per contagium similis affectio gignitur: Hoc enim inseperabile signum est omnis pestilentiæ,

non tamen proprium: quoniam quamuis nulla sit, quæ alterum afficere contagio non soleat, quantum ad ipsam pertineat, non tamen sequitur, quod quicquid per contagium afficit, id continuo pestilens dici debeat, nam phthisis Elephantiasis, cancer, scabies, lepra, aliique id genus affectus re vera, contagiosi sunt, non tamen pestilentes quod illorum natura ab vno aere putrido ortum non habeat sed à solis causis corporeis. Quamobrem hoc indicium est inseparabile, non tamen proprium.

Propter quam causam accidat hanc febrem contagiosam esse, & quid sit contagium, quæ illius causę, quę differentię, sequenti capite à nobis explicabitur.

Inest præterea pestilentialibus febribus pulsus languidus, paruus, & celer, quoniam semper eiuscemodi febres cum virtutis vitalis imbecillitate adueniunt, cum statim putridus, atque venenosus aer cordi molestiam inferat propter hanc causam pulsus languidus est, & paruus, celer vero propter necessitatem adauctam.

Verum hoc signum, neq; proprium est, neq; inseparabile, namq; non inest solis pestilentibus febribus hic pulsus, cum etiam in quibusdam putridis aduenire soleat, cùm illas contigerit cum virtutis imbecillitate fieri.

His adde, quod eæ febres pestiferæ, quæ in solis spiritibus consistunt, & diariæ pestilentes dicuntur, magnum pulsum, & validum habent, si cum aliis duobus generibus comparentur: sed collatione facta ad eas, quæ simpliciter diariæ sunt, & putridæ: dicere possumus inseparabile signum esse, quamuis non proprium.

Ex his, quæ diximus alterum signum sequitur, nempe magna virtutis prostratio, quæ ex crebra animi defectione cognoscitur.

Raræ enim sunt febres, in quibus tam frequentes adueniant animi defectus, quam in pestilentibus: hoc inseparabiliter etiā inest, vt non tanquam proprium; quandoquidem sunt nonnullæ febres putridæ, quas barbari syncopales minutas dixerunt; quæ frequentissimas inducunt lypotomias, animique defectiones.

Deinde vero eiuscemodi febres, vt plurimum adueniunt cum extrematum partium frigiditate & maxima interiorum adustione: quod proprium est indicium omnium malignarum febrium, tam si pestilentes fuerint, quam minus vt accidit in febribus lipyriis, atque in iis, quæ fiunt vel à venenosis humoribus, vel ab alimentis putridis, quemadmodum contingit in caritate annonæ.

Inest etiam aliquando pestilenti febri, quod appareant exanthemata rubea, vel pallida, vel nigra, vel alterius coloris per vniuersum corpus, vel quod in inguinibus appareant bubones pestilentes, vel præterea, quod carbunculi quidam vel per totum corpus, vel in determinatis particulis veniant.

Verum scire oportet, primum non esse necessarium, quod hæc adueniant in pestilenti febre, cum obseruatum sit sæpe in quibusdam putridis febribus, quæ tamen nullam ostendebant, malignitatem, hæc exanthemata efflorescere: & hoc accidit potissimum anno præterito 1563. in quo fere per totam æstatem in omnibus febribus apparebant, & nihilominus annus fuit admodum salubris.

Quod autem hic de hisce pustulis diximus, idem sane putamus dicendum esse de carbunculis, & bubonibus.

Cæterum propter quas causas accidat, quod hæc indicia aliquando pestem comitentur, aliquando autem minime, infra disputabitur à nobis, cum horum naturam & causas docebimus.

Hæc sunt pestilentiæ signa communia, quibus addere oportet ea, quæ superiori capite diximus, de cognitione, & putridi aeris: tunc enim firmam notitiam habebimus de præsentia febris huius: cum tamen

fine

fine aeris corruptela, si adfuerint eiuſcemodi ſigna; peſtilentiam notare non valeant, ſed ſolum febrem malignam, quam recentiores Medici mali moris nuncupant.

Verum quia ſatis non eſt pro curatione harum febrium cognouiſſe peſtilentem exiſtere: niſi etiam particularius cognoſcamus, propria vniuſcuiuſque indicia: propterea hic ſigillatim de ratione cognoſcendi vnamquamque differentiam, tranſigendum eſt.

Cum vero tres differentiæ ſint peſtilentiæ, quædam enim in ſolis ſpiritibus conſiſtit: quædam in humoribus: & quædam in ſolidis partibus, primo loco docebimus indicia ephemeræ peſtilentis, ſic vocamus eam, quæ in ſpiritibus conſiſtit: deinde ſeriatim de aliis dicemus. *Signa febris peſtilentialis ephemeræ.*

1. Primum itaque indicium eſt caloris ſuauitas; nam cum ſoli ſpiritus ab aere putrido infecti ſint, mordacem calorem circa totum corpus ſentire non poſſumus: quamobrem tangentibus nobis horum hominum corpora non ſentitur mordax caliditas, ſed ſuauis & halituoſa.

2. Secundo pulſus, quamuis, vt diximus, collatione facta ad vere diarias & putridas, ſint languidi, parui & celeres: tamen magni ſunt, & validi, ſi comparentur aliis duobus generibus, quia in hac differentia multo minus læditur facultas vitalis, quam in aliis duabus.

3. Tertium indicium eſt, quod vnico die, vel duobus, vel quod maximum eſt tribus terminantur, pro aliarum ephemerarum conſuetudine.

4. Præterea omnes, qui ab hiſce febribus ſanitati reſtituendi ſunt, vt plurimum per ſudorem ſanantur, quandoquidem per eam regionem ſatis conuenienter ſolent ſpirituum affectiones ſanari, vt dictum eſt à nobis in primo noſtræ huius tractationis volumine.

5. Deinde vero nulla apparent exanthemata tumores in inguinibus, carbunculi, quoniam nulla in ipſis humoribus adeſt putredo: minuſq; prehenduntur deliriis vomitibus, alui deiectionibus, quam alij. Incidunt nihilominus ſæpe in animi deliquium, atque multo frequentius, quam cæteri.

6. Maximum præterea harum febrium indicium eſt, quod vrinæ tum colore, tum ſubſtantia, tum ſedimento ſimilis naturali exiſtat.

Sed obiter hoc loco videamus quæ cauſæ ſint huiuſce euentus: de quo tum recentiores, tum antiquiores Medicos ancipites video.

Ego vero in propoſito negotio ſolum eas opiniones referam, quæ huc uſque magis probatæ ſunt, atque exordiar à Ioanne Arculano, Medico quidem celeberrimo; Is igitur cauſam quærens, propter quam vrinæ ſecundum naturam habere videntur in peſtilentibus febribus: ægrotante interim moriente, cum in aliis omnibus ſaluberrimum ſignum ſit, & naturæ victoriam ſupra morbum, vel criſin denuntiet. Dubitationi propoſitæ reſpondet his verbis: *Communis ſolutio eſt, quod vrina eſt ſuperfluitas hepatis, & venarum, in febre autē peſtilentiali non eſt principaliter nocumentum in hepate, ſed in corde, propterea ſuperfluitas, quæ ab hepate deſcendit, non alteratur alteratione magna; vnde vrina in talibus febribus non proprium ſignum imo poteſt eſſe naturalis in ſubſtantia; in colore; & ſedimento, & ille cuius eſt, tendit ad mortem; vt ſecundo huius: & hoc etiam videmus in ægritudinibus aliis mortalibus, vt in phthiſi, in qua vrina non eſt permutata à naturali, attamen infirmus eſt propinquus morti, quanto ergo materia non eſt in locis vrinæ, ſed in partibus ſpiritualibus vrina, poteſt eſſe bona, & ægritudo mortalis.* Hæc ille. *Opinio Arculani; cur vrinæ febre peſtilente laborantiũ interdum ſint ſanis ſimiles.*

Verum propoſita opinio mihi nunquam potuit ſatisfacere, primum, quia ſequeretur, quod in omni febre peſtilenti tales vrinæ reperirentur, quandoquidem omnes ſunt principaliter affectiones cordis & thoracis, non autem hepatis: At contingit hoc ipſum in quibuſdam febribus, non in omnibus peſtilentibus; quemadmodum paſſim obſeruatum eſt ab artis medicæ ſcriptoribus.

Deinde vero falsum esset, quod vbique Galenus inculcat, quodque omnes Medici vno ore confitentur: Pulsum scilicet, atque vrinam in omnibus putridis febribus signum esse certissimum: namque omnis febris affectio est principaliter cordis, tam si origo putredinis sit longe à corde dissita, quam si in ipso corde contenta, veluti accidit in febribus acutis, de quarum natura secundo libro disputauimus. Itaque in hisce febribus proprium est indicium vrina.

Sed propter quam causam, inquam ego? si vrina principaliter indicat affectiones hepatis, & ab hepate deciditur, non à corde? nullam certe habent rationem, qua dubitationi propositæ satisfaciant.

Praeterea in hoc etiam falsus mihi videtur Arculanus, quod asserat, vrinam præcipuo indicare affectiones hepatis, nam quamuis hasce denotet vrina: principaliter tamen nihil aliud nobis significat, quam dispositiones venosi generis, & quia febris, vt Galenus admonuit, & passio quædam venarum idcirco maximam vim habet significandi in ipsis febribus.

Opinio Ioannis Fernelii.

Ioannes Fernelius aliter putat de vrinis pestilentialium febrium sentiendum: sic enim inquit: *Quis si de vrinarum causa rogetur eorum sententiam non refellet, qui aiunt in pestilentibus febribus idcirco in vrinis sedimentum inesse, quod natura perterrita putredinis exuperantia, quasi succumbens morbum aggredi non audeat, illi certe singularem nostri corporis naturam consilij, atque rationis participem efficiunt, qua tamen sine ratione ciet motus in corpore necessarios, nec vnquam otio perfruitur: sed neque fieri potest, quin ex summa putredine, qua in venis est, aliquid profluat cum vrinis, in hisque putredinis indicia se proferant. Itaque si illarum vrinæ sanis sunt simillimæ, fieri nequaquam potest, vt in vasis mala putredo subsistat, quæ interitus sit causa, sed latet non nihil grauius. pestilentiusque putredine, quod nimirum cordi totius substantia impugnantia, & dissidio aduersum sit, & tanquam deleterium.* Fernelius igitur putat in his febribus vrinas apparere similes sanis ac naturalibus, quia nulla putredo in venis consistat, quodque pestilentiam ipsam vna putredo minime committat.

Nos vero arbitramur nullam pestilentialem febrem sine putredine existere, siue fuerit in spirituum substantia, siue in humoribus, siue in partibus solidis, quemadmodum supra expositum est à nobis: In hoc itaque primum non satisfacit, quod ex hoc signo concludit pestilentiã fieri sine putredine.

Deinde vero, quod admittere videtur hoc signum tanquam vniuersalem, in vnaquaque differentia pestilentiæ, cum tamen vtile non sit, sed potissimum conueniat ephemeræ pestilenti, cuius nunc signa docemus, deinde autem hecticæ, vt posthac enarrabimus.

Donati Antonii ab Altomari.

Donatus Antonius ab Altomari non contemnendus Medicus nostri sæculi, hoc non ob aliam causam arbitratur contingere, nisi, quia febris pestilens facta fuerit hectica, quod videlicet aer ipse putrefactus cordis partes solidas inuaserit, atque calefecerit; tunc enim pulsus fiunt moderatis similes, parumque à naturali symmetria declinantes, & similiter propter hanc causam vrinæ videntur sedimento, calore, & substantia naturales. Hancque opinionem corroborat ex Galeni *libro tertio de præcognitione ex pulsibus, capite tertio.*

Sed meo quidem iudicio, hæc opinio veritatem habere non potest, atque vt ego præpostero ordine vtar, quantum ad Galenum pertinet, nihil in admirabilis huius viri monumentis inuenire potui, quod ad hanc rem faceret: Eo enim loco docet causas, propter quas pulsus moderatis existant similes in pestilentia ipsa: causa est (inquit) quoniam aer putridus habitum cordis inuasit, totusque deflexit ad solidam cordis substantiam. Nam febres hecticæ, quæ potissimum ab initio fiunt, nisi confirmatæ fuerint, parum, aut nihil pulsum immutant: quemadmodum nos alibi docuimus, de

vrinis

vrinis vero, neque eo loco, neque alibi, quod sciam, Galenus meminit.

Præterea consistere non valet, quod is inquit, nullum in hecticis febribus desumi signum ab vrina; primum, quia hoc falsum esse declarauimus cum naturam hecticarum febrium perquirebamus: deinde vero quia si hecticæ simplices vrinas laudabiles edunt: hoc impossibile est in iis verificari, quæ sunt etiam pestilentes: Siquidem hæc non sunt simpliciter hecticæ, sed etiam putridæ (quam enim dicebat Galenus, medicinam excogites ad putredinem, quæ cor ipsum occupauit) at putrida existente cordis substantia, impossibile est, quin aliquid illius putrefactionis per vrinas decidat; quod nos quotidie accidere in iis putridis febribus videmus, quæ in humoribus cordis consistunt.

Confirmatur, quod nunquam fere simplices hecticas obseruamus, quæ videlicet cum febre putrida permistæ non sint.

Rem primus omnium adnotauit admirabilis Galenus, dum omnem febrem putridam esse docuit, iis exceptis, quæ ephemeræ nuncupantur: locus est *primo de feb. diff. cap. 5.*

Aliorum itaque opinionibus prætermissis, nos aliter propositam disceptationem soluimus, quod scilicet, vrinæ tum sedimento, tum substantia, tum colore similes sint sanorum vrinis, quia nulla adest putrefactio, vel in solidis partibus, vel in humoribus cordis, sed aer putridus, solum alterauit, atq; infecit spiritus cordis: Res enim perinde habet, atque in simplicibus ephemeris, quantum ad vrinas pertinet; quoniam quemadmodum nullum indicium putrefactionis indicant, pariter nec ephemeræ pestilentes indicare possunt; cum nullum adsit in humoribus putredinis principium, atq; hæc certe est dubitationis huius explicatio, quam plurimum admiror, neminem in hanc vsq; diem animaduertisse. *Opinio auctoris.*

Videor explicasse omnia indicia diariæ pestilentis, nunc de reliquis duabus differentiis agendum est.

Hecticæ febres pestilentes cognoscuntur ex multis indiciis: quorũ primum est, quod ægrotus non deprehendit se ipsum febricitare. *Signa pestilentium hecticarum.*

Alterum, quod calor febrilis primo statim occursu mitis videtur, suauis, atque à principio ad finem vsq; æqualis, deinde vero si manum diutius firmaueris acrimoniæ quendam sensum persenties, veluti in aliis accidit hecticis, de quibus suo loco diximus. *1. 2.*

Quantum porro ad vrinas pertinet, res hoc modo habet, in hisce febribus vrinæ apparẽt vario modo: nam quædam oleosæ sunt, item aliæ sunt, quæ aranearum latas telas referunt: omnes enim eiusce modi vrinę tum colliquationem indicant, tum solidarum partium inflammationem.

Verum quia nunquam simplices sunt febres hecticæ, sed putridæ sunt etiam ex cordis substantia putrida, propterea in quibusdam apparet vrina cõturbata, vel aquosior, vel tenuior, quam pro ipsarum natura oporteat, quæ tales redduntur propter diuersam humorum putredinem.

His autem signis addere oportet corpus ægrotantis, gracile, biliosum, quod videlicet ad recipiendam febrem in habitu dispositum est, namque in iis potissimum inuadit febris hectica pestilens, quorum corpora ad febrem in habitu præparata sunt.

Verum alterius differentiæ signa sunt, pulsuum inæqualitas, ea potissimum, quam nos propriam esse putridarum febrium superioribus libris diximus: Pustulæ, vlcera, exanthemataq; circa totum corpus apparentia, vel in determinatis quibusdã partibus sese nobis offerentia: bubones in inguinib. aut sub alis; carbones pestilentes; oris fœtor, exulcerationes oris fœtidæ, fluor alui colliquatiuus, crebræ vomitiones: animi deliquium frequens: *Signa pestilentium putridarũ in humoribus.*

vrinæ plurimum conturbatq; & quæ manifestissima exhibeant signa putrefactionis: his indiciis addamus ea, quæ particularis humoris putredinem indicant, quoniam tum à sanguine, & à plenitudine (idem enim sunt, vt alio in opere demonstrauimus) tum ab aliis particularibus succis, excrementisque fieri possunt eiuscemodi febres: secundum naturam, & dispositionem illorum ad suscipiendam putredinem: de his equidem signis hoc loco non agimus, quoniam ea sumus diligenter, tum secundo, tum tertio huius tractationis volumine prosecuti.

Quid contagium, quæ illius differentia, quis afficiundi modus.

CAP. XX.

CVm vero inter ea signa, quæ pestilentialem febrem indicant, potissimum sit, quod hæc febris per contagium afficit, necessariũ est, hic docere, quid sit alterum per contagium afficere: Verum quia, hoc doceri nõ potest, nisi primum fuerit explicatum, qualis nam sit contagionis natura, quæ illius differentiæ, & quis afficiundi modus, propter hanc causam de his primum dicamus, quo nos ad consequentia faciliorem aditum habeamus.

Quid contagio significet. Contagium itaque ab ipso contactu deductum videtur mihi; quandoquidem omnes affectus contagiosi hoc vnum habent, quod in alios per contactum infectionem inferant. Igitur contagio vel contagium, si nominis etymologiam sequamur, nihil aliud significabit, quam affectum per contactum alteri, vel pluribus communicatum.

Diximus alteri vel pluribus, primum quidem quoniam est impossibile, quod affectus contagiosus in vno perinde consistat, quod vim non habeat similem affectionem in alterum progignendi. Deinde vero quodcunq; vim habet inferendi similem affectum in altero, illud idem possidebit eandem facultatem, qua pluribus communicari possit.

Quamobtem recte possumus concludere, non esse contagium vnius tantum, sed duorum, quod tamen minimum est, aut plurium. Sic enim quotidie obseruamus, ab vno homine infecto, vt puta lue venetea, vel scabie, aut alio eiusdem conditionis morbo, non solum infici hominem alterum, sed etiam plures: Quinimo ab vno pestilentia infecto totum aliquando populũ affici: quod etiam solet consimiliter accidere ab iis rebus, quæ fomentum pestilentiæ secum afferunt.

Contagium quid. Ex his autem, quæ nos hucusque diximus arbitramur recte in hunc modum contagionem definiri posse. *Contagio est affectio quædam ab vno in alterum transiens, atq; per contactum communicata.*

Dixi affectionem quandam esse, quoniam in affectuum numero continetur, qui sunt præter naturam: atque inter hos cum quidam contagiosi sint: quidam vero minime, locum generis continet in definitione proposita affectionis vocabulum.

Recentiores quidam putant contagionem definiri multo rectius per vocabulum corruptionis, cum illis omnis contagio quædam videatur corruptio, non tamen omnis corruptio sit contagio; sed meo quidem iudicio non parum decipiuntur, quoniam contagiosi quidam sunt affectus, qui neq; totius, neq; partis corruptionem afferunt. Quis enim scabiem esse corruptionem corporis tradet: nullus equidem. Constat nihilominus hanc inter affectiones contagiosas redigendam esse. Similiter affectio ea, quæ per torpedinem piscem communicatur in piscatoris manu, per hastam, vel per retia, tametsi contagio quædam existat, non est tamen corruptio. Certe possunt contagiosi morbi homines interimere, & totam illius harmoniam

morsiam corrumpere, non tamen semper, hoc enim solum contingit in iis, qui magni sunt, ac toto genere deleterij; in exiguis vero veritatem non habet. Multo itaque melius est, vt dicamus esse affectionem, quam corruptionem. Porro in ipsa definitione addidimus, *ab vno in alterum transiens*, qua particula nos propriam naturam; atq; vt sic loquamur, veram ideam contagionis expressimus. Hoc enim illius peculiare est quod similis affectus in altero (quod in altero dicimus; idem sane pari ratione in pluribus intelligi volumus, vt iam declaratum est à nobis) generetur, quæ prius adfuit in homine laborante contagioso affectu.

Exemplum sit hoc, phthisis est affectus contagiosus: hic si in Socrate adfuerit, potest communicari etiam Theoni vel Anaxagoræ, qui cum phthisi similiter laborauerint, affectum habere contagiosum dicuntur: quandoquidem isti eadem ratione possunt eũdem affectum aliis communicare, qui illis fuerat impertitum: Hæc autem communicatio vnius similis affectus, cũ vno vel pluribus, proprie est ipsa contagio. Nulli equidem alij affectus hanc facultatem habent, communicandi scilicet suam naturam in aliis, nisi fuerint contagiosi.

Quod autem nos addidimus postremo loco, *atque per contactum communicata*, propriam rationem explicat, propter quam affectus aliquis dicitur contagiosus. Nullum enim ex multis, qui in hoc numero reponuntur, inuenies, qui per contactum suam vim in altero nõ transmittat, quia aliter generari nõ potest similis affectio, siue fuerit ex eorum numero, qui per auram quandam insensibilem, siue per realem contactum, vel mutuum attritum, & confricationem, vel fœtidam, tetramque exspirationem, vel putridos sudores, aliis communicetur.

Hæ sane duæ conditiones, quas in definitione postremo addidimus, totam complent naturam contagionis, & vere dicendæ sunt illius specificæ differentiæ; sed de contagionis definitione satis, nunc agamus de differentiis.

Manifestissimæ omnium contagionum differentiæ sunt tres: *Contagionum differentiæ.*

Quædam enim afficiunt solo contactu.

Quædam præter contactum fomitem etiam in re, quam tetigerunt, relinquunt, cuius interuentu contagiosa non minus fiunt, quam si adhuc manentia inficerent. 1.

Tertia præterea contagionum differentia est ea, quæ nõ contactu solo, aut fomite, sed etiam ad distans ferri potest, eoq; vim mali transferre.

Hæ contagiones non solum nomine inter se diuersæ sunt, sed etiam re ipsa, & propriis principiis plurimum dissident, quæ res, quo fiat omnibus manifestior, diligentius venit explicanda.

Ea igitur dicuntur solo contactu contagiosa, quæ habent vim inferendi similem affectionem in altero per mutuum contactum, atque nisi res ipsæ contangantur, nulla in illis affectio producitur, exemplum sit: Pomum putre, atque corruptum, non inducit in altero pomo contagium, & corruptionem ipsam, nisi inuicem contangantur eorum substantiæ, alioquin impossibile est, quod similiter corrumpantur. Hanc facultatem inferendi contagium possident omnes fructus, tam horarij, quam qui horarij non sunt.

Cæterum inquirens causam contagionis huius, nullam aliam inuenire potui, quam internam & perfectam corruptionem: Sic enim verius nuncupare possumus, quam putredinem (quandoquidem vocabulum putredinis secundum Medicorum sententias, vt plurimum audiri solet pro superficiali quadam corruptione, ac pro via ad interitũ potius, quàm pro ipso interitu, siue fuerit naturalis, siue violentus, vt colligere est ex definitione, quam de putredine *lib. 2.* ex Galeni sententia declarauimus.)

Credi-

Credibile est autem ab ea re, quę omnino corruptionem experta fuit aliquam substantiam putridam effluere, vel aliquos vapores putridos educi, in quibus verum contineatur seminarium putredinis, & corruptionis, hoc ipsum in alterum transmitti, quod primo infecto fuerit continuum.

Sed hic nota, quòd non vnumquodque habet vim inferendi in altero similem affectum, sed est necessarium, quod adsit inter ipsas res, quædam similitudo, & analogia substantiarum, quarum causa similem infectionem recipiant.

Sic profecto nos quotidie obseruamus, in homine contagiosum aliquem affectum existere, qui tamen in reliquis animalibus idem inferre contagium non potest: non enim quod in homine contagiosum est, illud protinus in ouibus contagionem affert, nec vice versa.

Quamobrem ad inferendas contagiones plurimum necessaria est substantiarum analogia.

Verum ad propositum reuersi, huius contagionis, quæ solo contactu afficit, principium est vera, & consumata putrefactio.

Habet autem hoc loco non contemnendam dubitationem, propter quam causam omnia putrida contagiosa non sint. Si enim hoc inest putredini, quatenus putredo est, omnes certe putredines inferre contagium possent, omnesq; febres putridę, essent similiter contagiosæ: quod tamen falsum esse, experitur vnusquisq; nostrum.

Ardua quidem est dubitatio, quam nullus vel antiquorum vel recentiorum Medicorum aduertit: interim tamen in proposito negotio scitu plurimum necessaria. Dicam ego pro solutione breuiter, quid sentiendum putem.

Omnis putredo, tam in viuentibus, quam in iis, quæ non viuunt, cum perfecta & consumata fuerit, quantum sit merito suæ naturæ, contagionem inferre potest in iis, quæ analogam substantiam habent: sic manifeste cernimus in aliqua corporis humani particula contingere, quæ sphacelum, siue gangrænam patiatur: nam hæc ipsa per contactum proximam inficit: hæcq; aliam donec fuerit ad principium insiti caloris peruentum: idem in fructibus, ac in aliis eiusdem generis obseruamus.

At putredo, quæ sordida, & intima non fuerit, sed superficialis, atque in aliquo loco permanet veluti vallata, hæc esse contagiosa non potest: primum, quia non emittuntur tot putredines ab eiuscemodi corporibus; deinde vero, si quæ putridæ effluunt substantiæ, hæc in corpore retinentur, vel ex varia aliorum vaporum permistione vis contagiosa infringitur, vel per multas regiones dissipatur, vel in aerem emissæ, ab illius puritate dissoluuntur. Itaque vt putredo sit contagiosa, hæ conditiones obseruandæ sunt: prima quod putredo sit sordida, & intima, quæ videlicet sit potius interitus, quam putredo.

Secunda quod aliquæ putridæ substantiæ effluant.

Tertia, quod analogam substantiam habeant, cum re, quæ inficitur.

Putredo autem, quæ hasce non obtinuerit conditiones, non est contagiosa; & propter hanc causam febres putridæ carent contagio: quia primum leuis, & superficiaria adest putredo: deinde quia, si aliqui vapores putridi attolluntur, ac foràs effluunt, vel per respirationem, vel per transpirationem, ij ex permistione alterius substantiæ infringuntur, vel ab aeris puritate dissoluuntur. Pauci tamen sunt eiuscemodi vapores, quia putredo continetur in loco veluti circumscripta, in ipsis videlicet venis, aut in aliqua inflammatione. Secus autem multo res habet in pestilentibus febribus: primum, quia in his magis sordida, ac intima est putredo: Secundo, quia in corde continetur, siue fuerint putrefacti spiritus, siue solidæ partes, siue humores cordis; à quo in ambientem aerem potest transmitti

portio

portio aliqua putrefactæ substantiæ, & ipsum consimiliter inficere, in qua re tertio differt à febribus putridis; cum hæc non fiant ab aëris putredine: sed infra explicabimus modum, quo pestilentes febres contagionem inferant.

Hæc itaq; videtur mihi probabilis arduæ huius difficultatis explicatio.

Probabilem sane dixi, quoniam in re tam ancipite, de qua nemo ante nos ipsos conscripsit, vno excepto Fracastoreo, vt audiui, qui tamen adhuc ad nostras manus non peruenit; facile fieri potest, quod ego decipiar, in qua re neq; primus, neq; certe postremus fuero.

Diximus itaq; de contagione, quæ solo contactu molestiam infert.

Secunda contagionis differentia est, cùm accidit in altero contagium non solum per contactum realem earum rerum, quæ contagionem possidet; sed etiam amplius fomentum quoddam habent, veluti seminarium, cuius causa contagio in alterum gignitur. 2. contagionis d. fferentia.

Differt à priori differentia, quoniam in hac illud, quod nulla ratione contagiosum est, nec morbum ex contagione patitur, potest mediante seminario alterum afficere: at in illa priori ex vno affectu contagioso, ad alterum fit terminatio.

Exemplum sit pestilentia, multoties inducitur per pannos laneos, per gossipium, quæ asportata ex longis regionibus diu conseruauit seminaria, contagionis, quæ receperunt per contactum ab aliquo affectu pestilenti: ex his (vt dixi, atque obseruatum est patrum nostrorum tempore contigisse) inducitur pestilentia, nihilominus ea, quantum ad suam naturam pertinet, non sunt contagiosa.

Hic autem duo diligenter explicabimus: primum, quæ sit natura huius fomitis, quod asportare, diuq; continere seminaria pestilentiæ possunt.

Secundum vero, quidnam sint hæc, quæ nos in præsentia vocamus seminaria pestilentiæ.

Fomes igitur id iure nuncupari potest, quod contagionis seminaria in se ipsum excipere, atque excepta diu retinere potest; atq; horum seminariorum causa alios inficere: in hoc genere ponuntur, lana, linum, gossipium, & quæ ex his conficiuntur stragulæ, vestes, integumenta. Neq; enim omnia idonea sunt, vt fomes fiant, sed ea solum, quæ foraminolenta, rara, calida, lentaque sunt, aut frigida parum. In his enim tantum seminaria contagionis condi, atque condita diutius seruari possunt. Quamobrem, quæ vehementer dura compacta, densa, frigidaque sunt, nec foramina possident, qualia sunt, ferrum, aurum, æs, & pleraque talium, minime apta sunt, vt fomes contagionum fiant. Fomes quid sit.

Ex his colligamus, omni periculo carere, si quis nummos à contagioso homine contrectatos, ipse contrectet: non enim excipere seminaria contagij possunt, ob soliditatem, duritiem densitatemve suæ substantiæ. Lectos vero, stragula, culcitras, vestes & eiusmodi talia, quæ & ob mollitiem, & pororum copiam excipere seminaria contagij possunt, & ob lentorem diu retinere contingere tutum non est, sed periculi plenum.

Diximus de fomite: nunc de seminario dicamus.

Difficile est in re, quæ hactenus à nemine explicata est, & quæ suapte natura maximas habet difficultates, veritatem inquirere, & inuenire: nihilominus tentandum est, atq; in rebus plurimum arduis audendum. Hic igitur dicam, quid sentio; aliter continuo dicturus, si alij meliorem opinionem inuenerint. Quia nos videmus, quod hæc fomenta pestilenti, & vniuersali omnium contagiosorum affectuum diu retinent eiusmodi seminaria, necessarium est hæc habere naturam quandam & substantiam viscidam: Si enim tenuis existeret facile discuteretur, ac statim euanesceret, nec diu retineri posset. Seminaria.

Hanc

Hanc substantiam putamus nos esse, quandam portionem, leuem tamē ac exiguam illius substantiæ, quæ primum contagionem experta est: nam ab ea effluit continuo quędam substantia, quę statim contangens alterum, cum quo analogiam habet, statim inficit: Si vero aliquid tale non inuenerit, infigitur in aliqua rara & porosa substantia; quam nos fomitem appellauimus, quia enim poros habet, & raritatem possidet effluxa illa substantia facile recipitur, & quia visciditate aliqua participat, diutius retinetur.

Dubitatio. Hic autem dubitationem non exiguam habere potest, quod diximus; quoniam videtur, quod quemadmodum visciditas effluxæ substantiæ contagiosæ, causa est, quod diu retinetur, sic etiam deberet esse in causa, quod non tam facile, nec tam cito in alterum imprimeretur; cuius tamen contrarium videmus contingere.

Dubitationi satisfacimus hac ratione, quod facilis impressionis in alterum non est illa visciditas, sed calor ille, qui à re inficienda fomento communicatur: cuius caloris causa id seminariū attenuatur, & imprimitur in poros corporis iam apertos, ea ratione, qua prius imprimebatur in fomento.

Hinc sequitur, quod non sufficit simplex contactus, vt fiat hæc impressio, sed amplius necessaria est recipientis subiecti caliditas, quæ seminaria attrectet, & meatuum raritas, quæ recipiat. Hæc de seminariis horum morborum dicta probabiliter sufficiant.

Tertia contagionum differentia. Tertia contagionum differentia est, cum contagio sine fomite ad distans fertur. Sic equidem videmus ab vna regione incipere pestilentiam, & hanc per multas regiones distantissimas peruagari, præterquam, quod deferatur vel à peregrinis, vel ab aliquo fomento, de quo supra diximus. Sic Galenus retulit ex Æthiopia quædam effluxisse seminaria contagionis, quæ vniuersam Asiam affecerunt. Sic patres nostri memoriæ mandarunt, olim ex Illyrio in Dalmatiam, & ex hac Prouincia in vniuersam Italiam, atq; Europam pestem peruagatam fuisse.

Huius contagionis causa consistit in ipso aere, qui infectus pestilentiali aliqua infectione, de qua iam plurima conscripsimus, potest per multas regiones impartiri potissimum ventis ipsis deducentibus: Id autem seminariū contagionis, quod in aere continetur, nihil est aliud, quam vel putredo aeris, vt iam proditum est: vel substantia quædam putrida, & corrupta aeri immissa ab inferioribus rebus. Itaq; vehiculum huius contagionis, quæ ad distans fertur, est aeris substantia, atq; potissimum venti perflantes.

Ex his autem, quæ nos hucusq; diximus, putamus rectè concludi posse, vnam quamq; contagionem in putredine consistere. Illa enim, quæ solo cōtactu afficit, dubitationem non habet; aliæ vero duæ, tam, quæ fomite afficit, quam, quæ ad distans fertur, quamuis non ita manifestam habeant putredinem, aliquam tamen habere putandum est, nam seminaria contagionis, quæ in fomite continentur, putrida sunt & glutinosa, quemadmodum diximus; quæ ad distans fertur, habet etiam suam putredinē in ambiente aere dispersam: de qua re nos satis diximus.

Dubitatio. Sed habet hoc loco dubitationem minime contemnendam, quod nos tanquam corollarium ex supradictis deduximus; quandoquidem videtur non omnem contagionem in putredine consistere. Primum, quia fomites contagionis nullam putredinem habent, cum putredo, si proprie tamen loqui velimus, sit affectio quædam naturalis caloris, quo fomites carent: quam ob causam haud quaquam putrescunt.

Deinde vero, quia Hippocrates & Galenus *lib. 2. de humana natura*, videntur contagiosorum morborum causam in morbidam quādam excretionem retulisse, non autem in vnam putredinem.

Præterea, quia in pestilentiis videmus homines sanos, nullaque putredine, aut obstructione, aut plerora affectos derepente contagiosis affectibus affici,

affici,& continuo vitam cum morte commutare. Postremum, quia ea præsidia, quæ adhibentur pro sanandis pestilentibus morbis, sunt alexipharmaca quædam, & antidota, tota substantia, nos iuuantia, quæ minime putredinem respiciunt. Manifestum, vt quis putare posset, argumentum non consistere contagionem in putredine: hac enim sublata, etiam oporteret auferri contagionem: & vna putredine pręsente, oporteret similiter contagionem adesse.

Hæ dubitationes maximę videntur contra opinionem præpositã,quarum tamen solutiones afferendę sunt in hunc modum.

Fomites contagionis putridi quidem non sunt, vt admonuimus, seminaria tamen, quæ in meatibus fomitis continentur, non solum sunt putrida: verum etiam corrupta: & mole quidem exigua cum sint, potentia tamen magna sunt, & vim habent similem affectum gignere, quamobrem per absurdum est putare, non consistere contagionem in putredine, quod fomites putridi non sint, neq; fortasse putredinis participes.

Hippocrates morbidam excretionem morborum popularium causam facit. Id quidem perlibenter admittimus: sed quid est morbida hęc excretio? hoc enim hactenus à nemine declaratum, nos primi supta dum essentiã docebamus pestilentiæ. diligenter exposuimus, docentes quidem excretionem morbidam nihil aliud esse, quam ambientis aeris putredinem: à Galeno nuncupatam affectionem aeris in tota substantia. In pestilentia homines, qui sani sunt, de repente corruunt, non quod in illis nulla generetur, putredo, quandoquidem hoc est impossibile, vt docuimus; sed quoniam in spiritibus primum generatur putrefactio, fitq; ex illorum affectu febris, quam Diariam pestilentem nuncupauimus.

Exhibentur alexipharmaca pręsidia, ne seminaria contagionis, quibus inspersus est aer, per vniuersum corpus transferantur, atq; tandem vt extinguantur, quemadmodum suo loco explicabimus.

Cæterum, vt prædiximus, differt hęc putredo ab aliis febrium putrefactionibus, quandoquidem hęc sordida est, profunda, vereq; perfecta putrefactio, quę in pestilentia accidit, quam nos melius corruptionem nuncuparemus: sed in aliis leuis est putredo. superficialis inquam, & via potius ad corruptionem, quam corruptio, vt Galenus definit.

Hactenus contagionum naturam, differentias, atque afficiundi modum exposuimus, nunc reliquum est, vt doceamus, quomodo febris pestilens contagiosa sit.

Quomodo febris pestilens ab vno in alterum transeat.

Cap. XXI.

PEstilentes febres hoc vno ab aliis omnib. contagiosis morbis differunt, quod contagionem inferunt non solum per simplicem contactum, sed etiam ex fomite: atque ad distans contagium inferunt: alij vero contagiosi morbi non omnibus hisce differentiis inficiunt, sed vna, aut altera, quemadmodum in singulis facta manifestissimum fiet.

Quod autem hic summatim de pestilentiæ contagione diximus: id paulo plenius. atq; pro nostra consuetudine diligentius explicandum venit.

Tunc sane pestilentes febres simplici contactu alterum inficiunt, cum propter huiusce morbi malignitatem aliquid per vniuersam cutem efflorescit, vt exanthemata illa rubea, quę vulgo petechię nuncupantur, bubones, & carbunculi pestilentes, vlcera cuiuscunq; generis maligna, fœdi, putridique sudores. Qua enim ratione vel scabies, vel vlcera morbi gallici, aut alia id genus sordida, & cacoethe per mutuum contactum in aliis generari similiter solent: eadem quidem contingit in pestilentibus febribus infectionem fieri. Namq; calefactis inuicem partibus, meatibusq; apertis, atq; in consimilibus

temperaturis(ſic enim eſt neceſſarium,quo promptius fiat contagiũ)neceſſe eſt ab infecta particula aliquid confluere,& in alterum recipere, quod cõtagionem debet accipere. Id vero ſeminarium contagionis veriſimile primum inficere partes continuas,& ſuperficiales,à quibus demum ſucceſſiue aliæ magis internæ partes,ac ab his aliæ donec fuerit ad princ pium inſiti caloris peruentum:tunc namq; hominem febricitare,ſed vere peſtilentiã pati affirmabimus. Nulla igitur alia ratione per ſimplicem contactum peſtilentia ab vno in alterum tranſit,niſi per cutem appatuerint ea, quæ ſuperius diximus,inquinamenta;alioquin vel per fomitem,aut etiam ad diſtans contagionem inferunt,de quibus nunc dicendum eſt.

Non raro compertum eſt peſtilentiam in aliqua regione graſſari quod in ea fomenta quædam peſtilentiæ aſportata fuerint,vt lana,linum, culcitræ atq;alia,de quibus capite ſuperiori diximus;hęc enim cũ ſemina contineant peſtilentiæ,facile in alios peſtem inferunt.Sic patrum noſtrorum memoria contigit ex Alexandria inclita ciuitate totius Aſiæ Venetam ciuitatẽ peſtilentia fuiſſe infectam,quod ex ea fuerint,naui conuecta plurima:quorum vſi fuerunt peſtilentiales homines, hoc enim verum fuit fomentum peſtilentiæ,quæ illuſtrem illam vrbem fere extinxit.

Sic præterea vidimus in Patauio contigiſſe propter quorundam malæ conditionis hominum dolum, qui per domos quam plurimas fomites peſtilentiæ aſportarant:potiſſimum goſſipium,quo vlcera peſtilentialia abſtergebant, vix tertiam hominum partem ſuperſtitem euaſiſſe, ſed ſupplicium condignum peſſimi iſti carnifices paſſi ſunt, cum ab illuſtriſſimo ſenatu Veneto fuerint laqueo ſuſpenſi.

Quamobrem in hiſce fomentis continentur ſeminaria peſtilentiæ:quid vero ſint hæc ſeminaria ſuperius diximus.

Deinde vero contingit aliquas regiones peſtilentiam pati, non quod in illis genita fuerit aeris putredo,ſed quod in illis fuerit aliunde tranſmiſſa.

Obſeruarunt patres noſtri ex Illyrio per vniuerſum Picenum confluxiſſe peſtem,quoniam putridus ille aer, qui in Illyrio aderat, per ventos quoſdã illius regionis proprios,agro piceno fuit communicatus. Galenus memoria prodidit *lib.1.de feb.diff.* ex Æthiopia quædam ſemina peſtilentiæ per vniuerſam Aſiam tranſmiſſa:eam partẽ totam coinquinaſſe, & peſtilentiam maximam genitã fuiſſe:cuius etiam meminit Thucidides Græcus hiſtoricus.Tot quidem modis contingit peſtilentiam ab vno in alterum tranſire.

De variolarum morbillorum,& Petechiarum natura,& cauſis.

CAP. XXII.

SOLENT aliquando per vniuerſum corpus quædam affectiones cutaneæ, & tubercula apparere, quæ, vt ſupra diximus, quandoque futuram peſtilentiam indicant.

In genere harum affectionum ſunt ea tubercula, quæ à Latinis variolæ & morbilli dicuntur, atque effloreſcentiæ cutaneæ,pulicum ictibus non diſſimiles,quas vulgo Medicorum petechias nuncupant,rectius autem peſtichias diceremus.

Hi affectus à Græcis meo quidem iudicio ſub exanthematis,& ectimatis comprehenduntur, ſed quicquid ſit de nomine ipſo,nos horum naturam pro noſtra tamen conſuetudine exponamus.

Variolæ quid. Variolæ quædam ſunt tubercula admodum parua per vniuerſum corporis habitum effloreſcentia.

Hæc ſane tubercula non ſolum per exteriores partes apparent,q; tamen frequentiſſime videmus;ſed etiam in internis partibus generantur. Quamobrem nõ eſt hoc vitium ſolius cutis, verum etiã omnium interiorũ muſculorum viſcerũ,ſolidarumq; partium.Sæpe etenim deprehenſum pręgnantes maturos

maturos partus edidisse, hac lue perfusos: quarum aliæ nihil omnino forinsecus non nisi multis post diebus incommoda senserunt: & quosdam post interitum dissectos obseruauimus, quibus iecur, lien, pulmonesq́;, omniaq́; interiora haud secus, atq; cutis sordidissimis papulis manantibus scaterent.

Quinetiam raucitas, spiritusq́; difficilis initio premẽs, & prima eruptio in faucibus, & ore, in ano, & partibus obscœnis apparens planum facit, ex intimis partibus hæc mala originem habere: in has etiam finiri argumentũ est, quod sanatis, & raucedo, & spirandi difficultas manet, alias sine tussi, alias cũ tussi ad tabem deducta. Anteaquam hæc apparent, difficilis respiratio aduenit, dolor capitis, inquietudo, vigiliarum instantia, febris cõtinua; & ardens tribus continuis diebus perseuerat, ac vtplurimũ his apparere iam incipientibus, omnia mitiora fiunt, donec ad nihilum rediguntur; nisi tamen variolæ ex earum numero fuerint, quæ mortem afferant.

Cæterum, quantum ad cognitionem pertinet, rotunda sunt hæc tubercula; subrubea, indolorosa; quæ tamen postea saniosa fiunt, & ꝓpter saniem alba; non sunt aũt omnino rubea, quia non fiunt à simplici sanguine syncero, ac vt ita dicam, impermixto; sed à permistione aliorum humorum cum sanguine: quales autem sint humores, ex propriis coloribus dignoscendum est.

Morbilli autem à variolis specie non differunt, sed secundum magis, ac minus; nam sunt quædam tubercula multo satis minora, quam variolæ; sed rubicundiora: vtputa, quæ fiunt à sanguine tenuiori; quemadmodum infra exponemus. Eadem antecedunt symptomata; tam in morbillorum, quam in variolarum euentu; in hoc vero differre videntur; quod variolæ vtplurimum solent morbillos præcedere; quod quotidiana experientia à nobis atq; ab aliis obseruatum est.

Cæterum in hoc vterque affectus conuenit; quod contagiosi sunt.

Sed nunc de petechiis dicamus.

Hæ sane non mediocriter à supradictis tuberculis differunt.

Primum, quia hæ non sunt præternaturales tumores, sed sunt quædam cutis efflorescentiæ sine manifesto per vniuersam cutem tumore.

Deinde hæ non semper contagiosæ sunt; verum aliquando carent omni contagionis suspicione: verum morbilli, atq; variolæ continuo contagiosi affectus dicuntur.

Variæ autem sunt petechiarum differentiæ; nam quædam rubeæ sunt, quædam virides; quædam nigræ, quæ omnes malignitate superant; quemadmodum nos obseruauimus: atque potissimum hoc anno in hac illustri, & inclita ciuitate Anxur, in qua tres ægrotantes curauimus, cum hisce nigris pestichiis, & omnes vitam cum morte commutarunt.

Verum quia satis de harum naturis diximus, exponamus nunc diligenter harum causas.

Variæ quidem sunt recentiorum Medicorum opiniones in reddendis causis, propter quas variolæ, morbilli, & pestichiæ hominibus aduenient.

Nam quidam horum ad abditas causas confugiunt, arbitrantes ab occulta quadam, vt ipsi loquuntur, proprietate isthæc accidere.

Alii vero, quibus hæc commenta non satisfaciunt, arbitrantur causam harum affectionum eandem esse, quam pestilentiæ, nempe à cœlo proficisci, atque à malo quorundam syderum aspectu originem ducere.

Rursus autem nonnulli neq; hanc, neque illam veram esse causam affirmarunt; sed potius fieri à reliquiis sanguinis menstrui, quo infans in matris vtero nutriebatur; quod sane excremẽtum repositum in illam vsq; diem, sese foras ostendit, atque prorumpit in cutem proximam.

Verum omnes hi longe meo quidem iudicio decipiuntur: nam illi, qui ab occultis proprietatibus originem ducere tradiderunt, nihil aliud edocẽt quam rem aliquam obscuram, per id, quod est maiorẽ haber obscuritatem:

Aa 2 hoc

non tamen proprium: quoniam quamuis nulla sit, quæ alterum afficere contagio non soleat, quantum ad ipsam pertineat, non tamen sequitur, quod quicquid per contagium afficit, id continuo pestilens dici debeat, nam phthisis Elephantiasis, cancer, scabies, lepra, alijque id genus affectus re vera, contagiosi sunt, non tamen pestilentes quod illorum natura ab vno aere putrido ortum non habeat sed à solis causis corporeis. Quamobrem hoc indicium est inseparabile, non tamen proprium.

Propter quam causam accidat hanc febrem contagiosam esse, & quid sit contagium, quæ illius causę, quę differentię, sequenti capite à nobis explicabitur.

Inest prętęrea pestilentialibus febribus pulsus languidus, paruus, & celer, quoniam semper eiusmodi febres cum virtutis vitalis imbecillitate adueniunt, cum statim putridus, atque venenosus aer cordi molestiam inferat propter hanc causam pulsus languidus est, & paruus, celer vero propter necessitatem adauctam.

Verum hoc signum, neq; proprium est, neq; inseparabile, namq; non inest solis pestilentibus febribus hic pulsus, cum etiam in quibusdam putridis aduenire soleat, cum illas contigerit cum virtutis imbecillitate fieri.

His adde, quod eæ febres pestiferæ, quæ in solis spiritibus consistunt, & diariæ pestilentes dicuntur, magnum pulsum, & validum habent, si cum aliis duobus generibus comparentur: sed collatione facta ad eas, quæ simpliciter diariæ sunt, & putridæ: dicere possumus inseparabile signum esse, quamuis non proprium.

Ex his, quæ diximus alterum signum sequitur, nempe magna virtutis prostratio, quæ ex crebra animi defectione cognoscitur.

Raræ enim sunt febres, in quibus tam frequentes adueniant animi defectus, quam in pestilentibus: hoc inseparabiliter etiã inest, vt non tanquam proprium; quandoquidem sunt nonnullæ febres putridæ, quas barbari syncopales minutas dixerunt; quæ frequentissimas inducunt lypotomias, animique defectiones.

Deinde verò eiusce modi febres, vt plurimum adueniunt cum extremarum partium frigiditate & maxima interiorum adustione: quod proprium est indicium omnium malignarum febrium, tam si pestilentes fuerint: quam minus vt accidit in febribus lipyriis, atque in iis, quæ fiunt vel à venenosis humoribus, vel ab alimentis putridis, quemadmodum contingit in caritate annonæ.

Inest etiam aliquando pestilenti febri, quod appareant exanthemata rubea, vel pallida, vel nigra, vel alterius coloris per vniuersum corpus, vel quod in inguinibus appareant bubones pestilentes, vel præterea, quod carbunculi quidam vel per totum corpus, vel in determinatis particulis veniant.

Verum scire oportet, primum non esse necessarium, quod hæc adueniant in pestilenti febre, cum obseruatum sit sæpe in quibusdam putridis febribus, quæ tamen nullam ostendebant, malignitatem, hæc exanthemata efflorescere: & hoc accidit potissimum anno præterito 1563. in quo fere per totam æstatem in omnibus febribus apparebant, & nihilominus annus fuit admodum salubris.

Quod autem hic de hisce pustulis diximus, idem sane putamus dicendum esse de carbunculis, & bubonibus.

Cæterum propter quas causas accidat, quod hæc indicia aliquando pestem comitentur, aliquando autem minime, infra disputabitur à nobis, cum horum naturam & causas docebimus.

Hæc sunt pestilentiæ signa communia, quibus addere oportet ea, quæ superiori capite diximus, de cognitione, & putridi aeris: tunc enim firmam notitiam habebimus de præsentia febris huius: cum tamen

fine

fine aeris corruptela, si adfuerint eiuscemodi signa; pestilentiam notare non valeant, sed solum febrem malignam, quam recentiores Medici mali moris nuncupant.

Verum quia satis non est pro curatione harum febrium cognouisse pestilentem existere: nisi etiam particulariius cognoscamus, propria vniuscuiusque indicia: propterea hic sigillatim de ratione cognoscendi vnamquamque differentiam, transigendum est.

Cum vero tres differentiæ sint pestilentiæ, quædam enim in solis spiritibus consistit: quædam in humoribus: & quædam in solidis partibus, primo loco docebimus indicia ephemeræ pestilentis, sic vocamus eam, quæ in spiritibus consistit: deinde seriatim de aliis dicemus. *Signa febris pestilentialis ephemeræ.*

Primum itaque indicium est caloris suauitas; nam cum soli spiritus ab aere putrido infecti sint, mordacem calorem circa totum corpus sentire non possumus: quamobrem tangentibus nobis horum hominum corpora non sentitur mordax caliditas, sed suauis & halituosa. 1.

Secundo pulsus, quamuis, vt diximus, collatione facta ad vere diarias & putridas sint languidi, parui & celeres; tamen magni sunt, & validi, si comparentur aliis duobus generibus, quia in hac differentia multo minus læditur facultas vitalis, quam in aliis duabus. 2.

Tertium indicium est, quod vnico die, vel duobus, vel quod maximum est, tribus terminantur, pro aliarum ephemerarum consuetudine. 3.

Præterea omnes, qui ab hisce febribus sanitati restituendi sunt, vt plurimum per sudorem sanantur, quandoquidem per eam regionem satis conuenienter solent spirituum affectiones sanari, vt dictum est à nobis in primo nostræ huius tractationis volumine. 4.

Deinde vero nulla apparent exanthemata, tumores in inguinibus, carbunculi, quoniam nulla in ipsis humoribus adest putredo: minusque prehenduntur deliriis vomitibus, alui deiectionibus, quam alij. Incidunt nihilominus sæpe in animi deliquium, atque multo frequentius, quam cæteri. 5.

Maximum præterea harum febrium indicium est, quod vrinæ tum calore, tum substantia, tum sedimento similis naturali existat. 6.

Sed obiter hoc loco videamus quæ causæ sint huiusce euentus: de quo tum recentiores, tum antiquiores Medicos ancipites video.

Ego vero in proposito negotio solum eas opiniones referam, quæ hucusque magis probatæ sunt, atque exordiar à Ioanne Arculano, Medico quidem celeberrimo: Is igitur causam quærens, propter quam vrinæ secundum naturam habere videntur in pestilentibus febribus: ægrotante interim moriente: cum in aliis omnibus saluberrimum signum sit, & naturæ victoriam supra morbum, vel crisin denunciet. Dubitationi propositæ respondet his verbis: *Communis solutio est, quod vrina est superfluitas hepatis, & venarum, in febre autē pestilentiali non est principaliter nocumentum in hepate, sed in corde, propterea superfluitas, quæ ab hepate descendit, non alteratur alteratione magna, vnde vrina in talibus febribus non proprium signum imo potest esse naturalis in substantia; in colore; & sedimento, & ille cuius est, tendit ad mortem; vt secundo huius: & hoc etiam videmus in ægritudinibus aliis mortalibus, vt in phthisi, in qua vrina non est permutata à naturali, attamen infirmus est propinquus morti, quanto ergo materia non est in locis vrinæ, sed in partibus spiritualibus vrina, potest esse bona, & ægritudo mortalis.* Hæc ille. *Opinio Arculani; cur vrina febre pestilente laborantiū interdum sint sanis simillima.*

Verum proposita opinio mihi nunquam potuit satisfacere, primum, quia sequeretur, quod in omni febre pestilenti tales vrinæ reperirentur, quandoquidem omnes sunt principaliter affectiones cordis & thoracis, non autem hepatis: At contingit hoc ipsum in quibusdam febribus, non in omnibus pestilentibus; quemadmodum passim obseruatum est ab artis medicæ scriptoribus.

Deinde vero falsum esset, quod vbique Galenus inculcat, quodque omnes Medici vno ore confitentur: Pulsum scilicet, atq; vrinam in omnibus putridis febribus signum esse certissimum: namque omnis febris affectio est principaliter cordis, tam si origo putredinis sit longe à corde dissita, quam si in ipso corde contenta, veluti accidit in febribus acutis, de quarum natura secundo libro disputauimus. Itaque in hisce febribus proprium est indicium vrina.

Sed propter quam causam, inquam ego? si vrina principaliter indicat affectiones hepatis, & ab hepate deciditur, non à corde? nullam certe habent rationem, qua dubitationi propositæ satisfaciant.

Præterea in hoc etiam falsus mihi videtur Arculanus, quod asserat, vrinam præcipuo indicare affectiones hepatis, nam quamuis hasce denotet vrina: principaliter tamen nihil aliud nobis significat, quam dispositiones venosi generis, & quia febris, vt Galenus admonuit, & passio quædam venarum idcirco maximam vim habet significandi in ipsis febribus.

Opinio Ioannis Fernelii.

Ioannes Fernelius aliter putat de vrinis pestilentialium febrium sentiendum: sic enim inquit: *Quis si de vrinarum causa rogetur eorum sententiam non refellet, qui aiunt in pestilentibus febribus idcirco in vrinis sedimentum inesse, quod natura perterrita putredinis exuperantia, quasi succumbens morbum aggredi non audeat. illi certe singularem nostri corporis naturam consilij, atque rationis participem efficiunt, quæ tamen sine ratione ciet motus in corpore necessarios, nec vnquam otio perfruitur: sed neque fieri potest, quin ex summa putredine, quæ in venis est, aliquid profluat cum vrinis, in hisque putredinis indicia se proferant. Itaque si illarum vrinæ sanis sunt simillimæ, fieri nequaquam potest, vt in vasis mala putredo subsistat, quæ interitus sit causa, sed latet nonnihil grauius, pestilentiusque putredine, quod nimirum cordi totius substantia impugnantia, & dissidio aduersum sit, & tanquam deleterium.* Fernelius igitur putat in his febribus vrinas apparere similes sanis ac naturalibus, quia nulla putredo in venis consistat, quodque pestilentiam ipsam vna putredo minime committat.

Nos vero arbitramur nullam pestilentialem febrem sine putredine existere, siue fuerit in spirituum substantia, siue in humoribus, siue in partibus solidis, quemadmodum supra expositum est à nobis: In hoc itaque primum non satisfacit, quod ex hoc signo concludit pestilentiã fieri sine putredine.

Deinde vero, quod admittere videtur hoc signum tanquam vniuersalem, in vnaquaq; differentia pestilentiæ, cum tamen vtile non sit, sed potissimum conueniat ephemeræ pestilenti, cuius nunc signa docemus, deinde autem hecticæ, vt posthac enarrabimus.

Donati Antonii ab Altomari.

Donatus Antonius ab Altomari non contemnendus Medicus nostri seculi, hoc non ob aliam causam arbitratur contingere, nisi, quia febris pestilens facta fuerit hectica, quod videlicet aer ipse putrefactus cordis partes solidas inuaserit, atque calefecerit; tunc enim pulsus fiunt moderatis similes, parumque à naturali symetria declinantes, & similiter propter hanc causam vrinæ videntur sedimento, calore, & substantia naturales. Hancque opinionem corroborat ex Galeni *libro tertio de præcognitione ex pulsibus, capite tertio*.

Sed meo quidem iudicio, hæc opinio veritatem habere non potest, atque vt ego præpostero ordine vtar, quantum ad Galenum pertinet, nihil in admirabilis huius viri monumentis inuenire potui, quod ad hanc rem faceret: Eo enim loco docet causas, propter quas pulsus moderatis existant similes in pestilentia ipsa: causa est (inquit) quoniam aer putridus habitum cordis inuasit, totusque deflexit ad solidam cordis substantiam. Nam febres hecticæ, quæ potissimum ab initio fiunt, nisi confirmatę fuerint, parum, aut nihil pulsum immutant: quemadmodum nos alibi docuimus de

vrinis

vrinis vero, neque eô loco, neque alibi, quod sciam, Galenus meminit.

Præterea consistere non valet, quod is inquit, nullum in hecticis febribus desumi signum ab vrina; primum, quia hoc falsum esse declarauimus cum naturam hecticarum febrium perquirebamus: deinde vero quia si hecticæ simplices vrinas laudabiles edunt; hoc impossibile est in iis verificari, quæ sunt etiam pestilentes: Siquidem hæc non sunt simpliciter hecticæ, sed etiam putridæ (quam enim dicebat Galenus, medicinam excogites ad putredinem, quæ cor ipsum occupauit) at putrida existente cordis substantia, impossibile est, quin aliquid illius putrefactionis per vrinas decidat; quod nos quotidie accidere in iis putridis febribus videmus, quæ in humoribus cordis consistunt.

Confirmatur, quod nunquam fere simplices hecticas obseruamus, quæ videlicet cum febre putrida permistæ non sint.

Rem primus omnium adnotauit admirabilis Galenus, dum omnem febrem putridam esse docuit, iis exceptis, quæ ephemeræ nuncupantur: locus est *primo de feb. diff. cap. 5.*

Aliorum itaque opinionibus prætermissis, nos aliter propositam dubitationem soluimus, quod scilicet, vrinæ tum sedimento, tum substantia, tum colore similes sint sanorum vrinis, quia nulla adest putrefactio, vel in solidis partibus, vel in humoribus cordis, sed aer putridus, solum alterauit, atq; infecit spiritus cordis: Res enim perinde habet, atque in simplicibus ephemeris, quantum ad vrinas pertinet: quoniam quemadmodum nullum indicium putrefactionis indicant, pariter nec ephemeræ pestilentes indicare possunt: cum nullum adsit in humoribus putredinis principium, atq; hæc certe est dubitationis huius explicatio, quam plurimum admiror, neminem in hanc vsq; diem animaduertisse. *Opinio auctoris.*

Videor explicasse omnia indicia diariæ pestilentis, nunc de reliquis duabus differentiis agendum est.

Hecticæ febres pestilentes cognoscuntur ex multis indiciis: quorũ primum est, quod ægrotus non deprehendit se ipsum febricitare. *Signa pestilentium hecticarum.*

Alterum, quod calor febrilis primo statim occursu mitis videtur, suauis, atque à principio ad finem vsq; æqualis, deinde vero si manum diutius firmaueris acrimoniæ quendam sensum persenties, veluti in aliis accidit hecticis, de quibus suo loco diximus. *1.* *2.*

Quantum porro ad vrinas pertinet, res hoc modo habet, in hisce febribus vrinæ apparet vario modo: nam quædam oleosæ sunt, item aliæ sunt, quæ aranearum latas telas referunt: omnes enim eiuscemodi vrinę tum colliquationem indicant, tum solidarum partium inflammationem.

Verum quia nunquam simplices sunt febres hecticæ, sed putridæ sunt etiam ex cordis substantia putrida, propterea in quibusdam apparet vrina côturbata, vel aquosior, vel tenuior, quam pro ipsarum natura oporteat, quæ tales redduntur propter diuersam humorum putredinem.

His autem signis addere oportet corpus ægrotantis, gracile, biliosum, quod videlicet ad recipiendam febrem in habitu dispositum est, namque in iis potissimum inuadit febris hectica pestilens, quorum corpora ad febrem in habitu præparata sunt.

Verum alterius differentiæ signa sunt, pulsuum inæqualitas, ea potissimum, quam nos propriam esse putridarum febrium superioribus libris diximus: Pustulæ, vlcera, exanthemataq; circa totum corpus apparentia, vel in determinatis quibusdã partibus sese nobis offerentia: bubones in inguinib. aut sub alis: carbones pestilentes; oris fœtor, exulcerationes oris fœtidæ, fluor alui colliquatiuus, crebræ vomitiones: animi deliquium frequens: *Signa pestilentium putridarum in humoribus.*

vrinæ plurimum conturbatę: & quæ manifestissima exhibeant signa putrefactionis: his indiciis addamus ea, quæ particularis humoris putredinem indicant; quoniam tum à sanguine, & à plenitudine (idem enim sunt, vt alio in opere demonstrauimus) tum ab aliis particularibus succis, excrementisque fieri possunt eiusmodi febres: secundum naturam, & dispositionem illorum ad suscipiendam putredinem: de his equidem signis hoc loco non agimus, quoniam ea sumus diligenter, tum secundo, tum tertio huius tractationis volumine prosecuti.

Quid contagium, quæ illius differentiæ, quis afficiundi modus.

CAP. XX.

CVM vero inter ea signa, quæ pestilentialem febrem indicant, potissimum sit, quod hæc febris per contagium afficit, necessariū est, hic docere, quid sit alterum per contagium afficere: Verum quia, hoc doceri nō potest, nisi primum fuerit explicatum, qualis nam sit contagionis natura, quæ illius differentiæ, & quis afficiundi modus, propter hanc causam de his primum dicamus, quo nos ad consequentia faciliorem aditum habeamus.

Quid contagii significet. Contagium itaque ab ipso contactu deductum videtur mihi; quandoquidem omnes affectus contagiosi hoc vnum habent, quod in alios per contactum infectionem inferant. Igitur contagio vel contagium, si nominis etymologiam sequamur, nihil aliud significabit, quam affectum per contactum alteri, vel pluribus communicatum.

Diximus alteri vel pluribus, primum quidem quoniam est impossibile, quod affectus contagiosus in vno perinde consistat, quod vim non habeat similem affectionem in alterum progignendi. Deinde vero quodcunq; vim habet inferendi similem affectum in altero, illud idem possidebit eandem facultatem, qua pluribus communicari possit.

Quamobrem recte possumus concludere, non esse contagium vnius tantum, sed duorum, quod tamen minimum est, aut plurium. Sic enim quotidie obseruamus, ab vno homine infecto, vt puta lue venerea, vel scabie, aut alio eiusdem conditionis morbo, non solum infici hominem alterum, sed etiam plures: Quinimo ab vno pestilentia infecto totum aliquando populū affici: quod etiam solet consimiliter accidere ab iis rebus, quæ fomentum pestilentiæ secum afferunt.

Contagium quid. Ex his autem, quæ nos hucusque diximus arbitramur recte in hunc modum contagionem definiri posse. *Contagio est affectio quædam ab vno in alterum transiens, atq; per contactum communicata.*

Dixi affectionem quandam esse, quoniam in affectuum numero continetur, qui sunt præter naturam: atque inter hos cum quidam contagiosi sint: quidam vero minime, locum generis continet in definitione proposita affectionis vocabulum.

Recentiores quidam putant contagionem definiri multo rectius per vocabulum corruptionis, cum illis omnis contagio quædam videatur corruptio, non tamen omnis corruptio sit contagio: sed meo quidem iudicio non parum decipiuntur, quoniam contagiosi quidam sunt affectus, qui neq; totius, neq; partis corruptionem afferunt. Quis enim scabiem esse corruptionem corporis tradet: nullus equidem. Constat nihilominus hanc inter affectiones contagiosas redigendam esse. Similiter affectio ea, quæ per torpedinem piscem communicatur in piscatoris manu, per hastam, vel per retia, tametsi contagio quædam existat, non est tamen corruptio. Certe possunt contagiosi morbi homines interimere, & totam illius harmoniam

morbiam corrumpere, non tamen semper; hoc enim solum contingit in iis, qui magni sunt, ac toto genere deleterij, in exiguis vero veritatem non habet. Multo itaque melius est, vt dicamus esse affectionem, quam corruptionem. Porro in ipsa definitione addidimus, *ab vno in alterum transiens*, qua particula nos propriam naturam; atq; vt sic loquamur, veram ideam contagionis expressimus. Hoc enim illius peculiare est quod similis affectus in altero (quod in altero dicimus; idem sane pari ratione in pluribus intelligi volumus, vt iam declaratum est à nobis) generetur, quæ prius adfuit in homine laborante contagioso affectu.

Exemplum sit hoc, phthisis est affectus contagiosus: hic si in Socrate adfuerit, potest communicari etiam Theoni vel Anaxagoræ, qui cum phthisi similiter laborauerint, affectum habere contagiosum dicuntur: quandoquidem isti eadem ratione possunt eundem affectum aliis communicare, qua illis fuerat impertitum: Hæc autem communicatio vnius similis affectus, cũ vno vel pluribus, proprie est ipsa contagio. Nulli equidem alij affectus hanc facultatem habent, communicandi scilicet suam naturam in aliis, nisi fuerint contagiosi.

Quod autem nos addidimus postremo loco, *atque per contactum communicata*, propriam rationem explicat, propter quam affectus aliquis dicitur contagiosus. Nullum enim ex multis, qui in hoc numero reponuntur, inuenies, qui per contactum suam vim in altero nõ transmittat, quia aliter generari nõ potest similis affectio, siue fuerit ex eorum numero, qui per auram quandam insensibilem, siue per realem contactum, vel mutuum attritum, & confricationem, vel fœtidam, tetramque exspirationem, vel putridos sudores, aliis communicetur.

Hæ sane duæ conditiones, quas in definitione postremo addidimus, totam complent naturam contagionis, & vere dicendæ sunt illius specificæ differentiæ, sed de contagionis definitione satis, nunc agamus de differentiis.

Manifestissimæ omnium contagionum differentiæ sunt tres: *Contagionũ differentiæ.*

Quædam enim afficiunt solo contactu.

Quædam præter contactum fomitem etiam in re, quam tetigerunt, relinquunt, cuius interuentu contagiosa non minus fiunt, quam si adhuc manentia inficerent.

Tertia præterea contagionum differentia est ea, quæ nõ contactu solo, aut fomite, sed etiam ad distans ferri potest, eoq; vim mali transferre.

Hæ contagiones non solum nomine inter se diuersæ sunt, sed etiam re ipsa, & propriis principiis plurimum dissident, quæ res, quo fiat omnibus manifestior, diligentius venit explicanda.

Ea igitur dicuntur solo contactu contagiosa, quæ habent vim inferendi similem affectionem in altero per mutuum contactum, atque nisi res ipsæ contangantur, nulla in illis affectio producitur, exemplum sit: Pomum putre, atque corruptum, non inducit in altero pomo contagium; & corruptionem ipsam, nisi inuicem contangantur eorum substantiæ, alioquin impossibile est, quod similiter corrumpantur. Hanc facultatem inferendi contagium possident omnes fructus, tam horarij, quam qui horarij non sunt.

Cæterum inquirens causam contagionis huius, nullam aliam inuenire potui, quam internam & perfectam corruptionem: Sic enim verius nuncupare possumus, quam putredinem (quandoquidem vocabulum putredinis secundum Medicorum sententias, vt plurimum audiri solet pro superficiali quadam corruptione, ac pro via ad interitũ potius, quàm pro ipso interitu, siue fuerit naturalis, siue violentus, vt colligere est ex definitione, quam de putredine *lib. 2.* ex Galeni sententia declarauimus.)

Credi-

Credibile est autem ab re, quę omnino corruptionem experta fuit, aliquam substantiam putridam effluere, vel aliquos vapores putridos educi, in quibus verum contineatur seminarium putredinis, & corruptionis, hoc ipsum in alterum transmitti, quod primo infecto fuerit continuum.

Sed hic nota, quod non vnumquodque habet vim inferendi in altero similem affectum, sed est necessarium, quod adsit inter ipsas res, quædam similitudo, & analogia substantiarum, quarum causa similem infectionem recipiant.

Sic profecto nos quotidie obseruamus, in homine contagiosum aliquem affectum existere, qui tamen in reliquis animalibus idem inferre contagium non potest: non enim quod in homine contagiosum est, illud protinus in omnibus contagionem affert, nec vice versa.

Quamobrem ad inferendas contagiones plurimum necessaria est substantiarum analogia.

Verum ad propositum reuersi, huius contagionis, quæ solo contactu afficit, principium est vera, & consumata putrefactio.

Habet autem hoc loco non contemnendam dubitationem, propter quam causam omnia putrida contagiosa non sint. Si enim hoc inest putredini, quatenus putredo est, omnes certe putredines inferre contagium possent, omnesq; febres putridę, essent similiter contagiosæ: quod tamen falsum esse, experitur vnusquisq; nostrum.

Ardua quidem est dubitatio, quam nullus vel antiquorum vel recentiorum Medicorum aduertit; interim tamen in proposito negotio scitu plurimum necessaria. Dicam ego pro solutione breuiter, quid sentiendum putem.

Omnis putredo, tam in viuentibus, quam in iis, quæ non viuunt, cum perfecta & consumata fuerit, quantum fit merito suæ naturæ, contagionem inferre potest in iis, quæ analogam substantiam habent: sic manifeste cernimus in aliqua corporis humani particula contingere, quæ sphacelum, siue gangrænam patiatur: nam hæc ipsa per contactum proximam inficit: hæcq; aliam donec fuerit ad principium insiti caloris peruentum: idem in fructibus, ac in aliis eiusdem generis obseruamus.

At putredo, quæ sordida, & intima non fuerit, sed superficialis, atque in aliquo loco permanet veluti vallata, hæc esse contagiosa non potest: primum, quia non emittuntur tot putredines ab eiuscemodi corporibus: deinde vero, si quæ putridæ effluunt substantiæ, hæc in corpore retinentur, vel ex varia aliorum vaporum permistione vis contagiosa infringitur, vel per multas regiones dissipatur, vel in aerem emissæ, ab illius puritate dissoluuntur. Itaque vt putredo sit contagiosa, hæ conditiones obseruandæ sunt: prima quod putredo sit sordida, & intima, quæ videlicet sit potius interitus, quam putredo.

Secunda quod aliquæ putridæ substantiæ effluant.

Tertia, quod analogam substantiam habeant, cum re, quæ inficitur.

Putredo autem, quæ hasce non obtinuerit conditiones, non est contagiosa; & propter hanc causam febres putridæ carent contagio: quia primum, leuis, & superficiaria adest putredo: deinde quia, si aliqui vapores putridi attolluntur, ac foras effluunt, vel per respirationem, vel per transpirationem, ii, ex permistione alterius substantiæ infringuntur, vel ab aeris puritate dissoluuntur. Pauci tamen sunt eiuscemodi vapores, quia putredo continetur in loco veluti circumscripta, in ipsis videlicet venis, aut in aliqua inflammatione. Secus autem multo res habet in pestilentibus febribus: primum, quia in his magis sordida, ac intima est putredo: Secundo, quia in corde continetur, siue fuerint putrefacti spiritus, siue solidæ partes, siue humores cordis: à quo in ambientem aerem potest transmitti

portio

portio aliqua putrefactæ substantiæ, & ipsum consimiliter inficere, in qua re tertio differt à febribus putridis; cum hæc non fiant ab aëris putredine: sed infra explicabimus modum, quo pestilentes febres contagionem inferant.

Hæc itaq; videtur mihi probabilis arduæ huius difficultatis explicatio.

Probabilem sane dixi, quoniam in re tam ancipite, de qua nemo ante nos ipsos conscripsit, vno excepto Fracastoreo, vt audiui, qui tamen adhuc ad nostras manus non peruenit; facile fieri potest, quod ego decipiar, in qua re neq; primus, neq; certe postremus fuero.

Diximus itaq; de contagione, quæ solo contactu molestiam infert.

Secunda contagionis differentia est, cum accidit in altero contagium non solum per contactum realem earum rerum, quæ contagionem possidet; sed etiam amplius fomentum quoddam habent, veluti seminarium, cuius causa contagio in alterum gignitur. *2. contagionis differentia.*

Differt à priori differentia, quoniam in hac illud, quod nulla ratione contagiosum est, nec morbum ex contagione patitur, potest mediante seminario alterum afficere: at in illa priori ex vno affectu contagioso, ad alterum fit terminatio.

Exemplum sit pestilentia, multoties inducitur per pannos laneos, per gossipium, quæ asportata ex longis regionibus diu conseruauit seminaria contagionis, quæ receperunt per contactum ab aliquo affectu pestilenti: ex his (vt dixi, atque obseruatum est patrum nostrorum tempore contigisse) inducitur pestilentia, nihilominus ea, quantum ad suam naturam pertinet, non sunt contagiosa.

Hic autem duo diligenter explicabimus: primum, quæ sit natura huius fomitis, quod asportare, diuq; continere seminaria pestilentiæ possunt.

Secundum vero, quidnam sint hæc, quæ nos in præsentia vocamus seminaria pestilentiæ.

Fomes igitur id iure nuncupari potest, quod contagionis seminaria in se ipsum excipere, atque excepta diu retinere potest; atq; horum seminariorum causa alios inficere: in hoc genere ponuntur, lana, linum, gossipium, & quæ ex his conficiuntur stragulæ, vestes, integumenta. Neq; enim omnia idonea sunt, vt fomes fiant, sed ea solum, quæ foraminolenta, rara, calida, lentaque sunt, aut frigida parum. In his enim tantum seminaria contagionis condi, atque condita diutius seruari possunt. Quamobrem, quæ vehementer dura compacta, densa, frigidaque sunt, nec foramina possident, qualia sunt, ferrum, aurum, æs, & pleraque talium, minime apta sunt, vt fomes contagionum fiant. *Fomes quid sit.*

Ex his colligamus, omni periculo carere, si quis nummos à contagioso homine contrectatos, ipse contrectet: non enim excipere seminaria contagij possunt, ob soliditatem, duritiem densitatemve suæ substantiæ. Lectos vero, stragula, culcitras, vestes & eiusmodi talia, quæ & ob mollitiem, & pororum copiam excipere seminaria contagij possunt, & ob lentorem diu retinere contingere tutum non est, sed periculi plenum.

Diximus de fomite: nunc de seminario dicamus.

Difficile est in re, quæ hactenus à nemine explicata est, & quæ suapte natura maximas habet difficultates, veritatem inquirere, & inuenire: nihilominus tentandum est, atq; in rebus plurimum arduis audendum. Hic igitur dicam, quid sentio, aliter continuo dicturus, si alij meliorem opinionem inuenerint. Quia nos videmus, quod hæc fomenta pestilenti, & in vniuersali omnium contagiosorum affectuum diu retinent eiuscemodi seminaria, necessarium est hæc habere naturam quandam & substantiam viscidam: Si enim tenuis existeret facile discuteretur, ac statim euanesceret, nec diu retineri posset. *Seminaria.*

Hanc

Hanc ſubſtantiam putamus nos eſſe, quandam portionem, leuem tamē ac exiguam illius ſubſtantiæ, quæ primum contagionem experta eſt; nam ab ea effluit continuo quędam ſubſtantia, quę ſtatim contangens alterum, cum quo analogiam habet, ſtatim inficit: Si vero aliquid tale non inuenerit, infigitur in aliqua rara & poroſa ſubſtantia; quam nos fomitem appellauimus, quia enim poros habet, & raritatem poſſidet effluxa illa ſubſtantia facile recipitur, & quia viſciditate aliqua participat, diutius retinetur.

Dubitatio. Hic autem dubitationem non exiguam habere poteſt, quod diximus; quoniam videtur, quod quemadmodum viſciditas effluxæ ſubſtantiæ contagioſæ, cauſa eſt, quod diu retinetur, ſic etiam deberet eſſe in cauſa, quod non tam facile, nec tam cito in alterum imprimeretur; cuius tamen contrarium videmus contingere.

Dubitationi ſatisfacimus hac ratione, quod facilis impreſſionis in alterum non eſt illa viſciditas, ſed calor ille, qui à re inficienda fomento communicatur: cuius caloris cauſa id ſeminariū attenuatur, & imprimitur in poros corporis iam apertos, ea ratione, qua prius imprimebatur in fomento.

Hinc ſequitur, quod non ſufficit ſimplex contactus, vt fiat hæc impreſſio, ſed amplius neceſſaria eſt recipientis ſubiecti caliditas, quæ ſeminaria attrectet, & meatuum raritas, quæ recipiat. Hæc de ſeminariis horum morborum dicta probabiliter ſufficiant.

Tertia contagionum differentia. Tertia contagionum differentia eſt, cum contagio ſine fomite ad diſtans fertur. Sic equidem videmus ab vna regione incipere peſtilentiam, & hanc per multas regiones diſtantiſſimas peruagari, præterquam, quod deferatur vel à peregrinis, vel ab aliquo fomento, de quo ſupra diximus. Sic Galenus retulit ex Æthiopia quædam effluxiſſe ſeminaria contagionis, quæ vniuerſam Aſiam affecerunt. Sic patres noſtri memoriæ mandarunt, olim ex Illyrio in Dalmatiam, & ex hac Prouincia in vniuerſam Italiam, atq; Europam peſtem peruagatam fuiſſe.

Huius contagionis cauſa conſiſtit in ipſo aere, qui infectus peſtilentiali aliqua infectione, de qua iam plurima conſcripſimus, poteſt per multas regiones impartiri potiſſimum ventis ipſis deducentibus: Id autem ſeminariū contagionis, quod in aere continetur, nihil eſt aliud, quam vel putredo aeris, vt iam proditum eſt: vel ſubſtantia quædam putrida, & corrupta aeri immiſſa ab inferioribus rebus. Itaq; vehiculum huius contagionis, quæ ad diſtans fertur, eſt aeris ſubſtantia, atq; potiſſimum venti perflantes.

Ex his autem, quæ nos hucuſq; diximus, putamus recte concludi poſſe, vnam quamq; contagionem in putredine conſiſtere. Illa enim, quæ ſolo cōtactu afficit, dubitationem non habet; aliæ vero duæ, tam, quæ fomite afficit, quam, quæ ad diſtans fertur, quamuis non ita manifeſtam habeant putredinem, aliquam tamen habere putandum eſt, nam ſeminaria contagionis, quæ in fomite continentur, putrida ſunt & glutinoſa, quemadmodum diximus; quæ ad diſtans fertur, habet etiam ſuam putredinē in ambiente aere diſperſam: de qua re nos ſatis diximus.

Dubitatio. Sed habet hoc loco dubitationem minime contemnendam, quod nos tanquam corollarium ex ſupradictis deduximus; quandoquidem videtur non omnem contagionem in putredine conſiſtere. Primum, quia fomites contagionis nullam putredinem habent, cum putredo, ſi proprie tamen loqui velimus, ſit affectio quædam naturalis caloris, quo fomites carent: quam ob cauſam haud quaquam putreſcunt.

Deinde vero, quia Hippocrates & Galenus *lib. 2. de humana natura*, videntur contagioſorum morborum cauſam in morbidam quādam excretionem retuliſſe, non autem in vnam putredinem.

Præterea, quia in peſtilentiis videmus homines ſanos, nullaque putredine, aut obſtructione, aut pletora affectos derepente contagioſis affectibus

 affici,

affici, & continuo vitam cum morte commutare. Postremum, quia ea præsidia, quæ adhibentur pro sanandis pestilentibus morbis, sunt alexipharmaca quædam, & antidota, tota substantia, nos iuuantia, quæ minime putredinem respiciunt. Manifestum, vt quis putare posset, argumentum non consistere contagionem in putredine: hac enim sublata, etiam oporteret auferri contagionem: & vna putredine præsente, oporteret similiter contagionem adesse.

Hæ dubitationes maximę videntur contra opinionem præpositã, quarum tamen solutiones afferendę sunt in hunc modum.

Fomites contagionis putridi quidem non sunt, vt admonuimus, seminaria tamen, quæ in meatibus fomitis continentur, non solum sunt putrida: verum etiam corrupta: & mole quidem exigua cum sint, potentia tamen magna sunt, & vim habent similem affectum gignere, quamobrem per absurdum est putare, non consistere contagionem in putredine, quod fomites putridi non sint, neq; fortasse putredinis participes.

Hippocrates morbidam excretionem morborum popularium causam facit. Id quidem perlibenter admittimus: sed quid est morbida hęc excretio? hoc enim hactenus à nemine declaratum, nos primi supta dum essentiã docebamus pestilentiæ, diligenter exposuimus, docentes quidem excretionem morbidam nihil aliud esse, quam ambientis aeris putredinem: à Galeno nuncupatam affectionem aeris in tota substantia. In pestilentia homines, qui sani sunt, de repente corruunt, non quod in illis nulla generetur, putredo, quandoquidem hoc est impossibile, vt docuimus; sed quoniam in spiritibus primum generatur putrefactio, sicq; ex illorum affectu febris, quam Diariam pestilentem nuncupauimus.

Exhibentur alexipharmaca pręsidia, ne seminaria contagionis, quibus inspersus est aer, per vniuersum corpus transferantur, atq; tandem vt extinguantur: quemadmodum suo loco explicabimus.

Cæterum, vt prædiximus, differt hęc putredo ab aliis febrium putrefactionibus, quandoquidem hęc sordida est, profunda, vereq; perfecta putrefactio, quę in pestilentia accidit, quam nos melius corruptionem nuncuparemus: sed in aliis leuis est putredo, superficialis inquam, & via potius ad corruptionem, quam corruptio, vt Galenus definit.

Hactenus contagionum naturam, differentias, atque afficiundi modum exposuimus, nunc reliquum est, vt doceamus, quomodo febris pestilens contagiosa sit.

Quomodo febris pestilens ab vno in alterum transeat.

CAP. XXI.

PESTILENTES febres hoc vno ab aliis omnib. contagiosis morbis differunt, quod contagionem inferunt non solum per simplicem contactum, sed etiam ex fomite: atque ad distans contagium inferunt: alij vero contagiosi morbi non omnibus hisce differentiis inficiunt, sed vna, aut altera, quemadmodum in singulis facta manifestissimum fiet.

Quod autem hic summatim de pestilentiæ contagione diximus: id paulo plenius, atq; pro nostra consuetudine diligentius explicandum venit.

Tunc sane pestilentes febres simplici contactu alterum inficiunt, cum propter huiusce morbi malignitatem aliquid per vniuersam curem efflorescit, vt exanthemata illa rubea, quę vulgo petechię nuncupantur, bubones, & carbunculi pestilentes, vlcera cuiuscunq; generis maligna, fœdi, putridique sudores. Qua enim ratione vel scabies, vel vlcera morbi gallici, aut alia id genus sordida, & cocoethe per mutuum contactum in aliis generari similiter solent: eadem quidem contingit in pestilentibus febribus infectionem fieri. Namq; calefactis inuicem partibus, meatibusq; apertis, atq; in consimilibus

Aa tempe-

temperaturis(ſic enim eſt neceſſarium,quo promptius fiat contagiũ)neceſſe eſt ab infecta particula aliquid confluere,& in alterum recipere, quod cõtagionem debet accipere. Id vero ſeminarium contagionis veriſimile primum inficere partes cõtinuas,& ſuperficiales,à quibus demum ſucceſſiue aliæ magis internæ partes,ac ab his aliȩ donec fuerit ad princ pium inſiti caloris peruentum:tunc namq; hominem febricitare,ſed vere peſtilentiã pati affirmabimus. Nulla igitur alia ratione per ſimplicem contactum peſtilentia ab vno in alterum tranſit,niſi per cutem apparuerint ea, quæ ſuperius diximus,inquinamenta;alioquin vel per fomitem,aut etiam ad diſtans contagionem inferunt,de quibus nunc dicendum eſt.

Non raro compertum eſt peſtilentiam in aliqua regione graſſari quod in ea fomenta quædam peſtilentiæ aſportata fuerint,vt lana,linum,culcitræ atq;alia,de quibus capite ſuperiori diximus;hęc enim cũ ſemina contineant peſtilentiæ,facile in alios peſtem inferunt.Sic patrum noſtrorum memoria contigit ex Alexandria inclita ciuitate totius Aſiæ Venetam ciuitatẽ peſtilentia fuiſſe infectam,quod ex ea fuerint,naui conuecta plurima:quorum vſi fuerunt peſtilentiales homines, hoc enim verum fuit fomentum peſtilentiæ,quæ illuſtrem illam vrbem fere extinxit.

Sic præterea vidimus in Patauio contigiſſe propter quorundam malæ conditionis hominum dolum, qui per domos quam plurimas fomites peſtilentiæ aſportarant:potiſſimum goſſipium,quo vlcera peſtilentialia abſtergebant, vix tertiam hominum partem ſuperſtitem euaſiſſe, ſed ſupplicium condignum peſſimi iſti carnifices paſſi ſunt, cum ab illuſtriſſimo ſenatu Veneto fuerint laqueo ſuſpenſi.

Quamobrem in hiſce fomentis continentur ſeminaria peſtilentiæ:quid vero ſint hæc ſeminaria ſuperius diximus.

Deinde vero contingit aliquas regiones peſtilentiam pati, non quod in illis genita fuerit aeris putredo,ſed quod in illis fuerit aliunde tranſmiſſa.

Obſeruarunt patres noſtri ex Illyrio per vniuerſum Picenum confluxiſſe peſtem,quoniam putridus ille aer, qui in Illyrio aderat, per ventos quoſdã illius regionis proprios,agro piceno fuit communicatus. Galenus memoria prodidit *lib.1.de feb.diff.* ex Æthiopia quædam ſemina peſtilentiæ per vniuerſam Aſiam tranſmiſſa:eam partẽ totam coinquinaſſe, & peſtilentiam maximam genitã fuiſſe:cuius etiam meminit Thucidides Græcus hiſtoricus.Tot quidem modis contingit peſtilentiam ab vno in alterum tranſire.

De variolarum morbillorum,& Petechiarum natura,& cauſis.

Cap. XXII.

SOLENT aliquando per vniuerſum corpus quædam affectiones cutaneæ, & tubercula apparere, quæ, vt ſupra diximus, quandoque futuram peſtilentiam indicant.

In genere harum affectionum ſunt ea tubercula, quæ à Latinis variolæ & morbilli dicuntur, atque effloreſcentiæ cutaneæ,pulicum ictibus non diſſimiles,quas vulgo Medicorum petechias nuncupant,rectius autem peſtichias diceremus.

Hi affectus à Græcis meo quidem iudicio ſub exanthematis,& ectimatis comprehenduntur, ſed quicquid ſit de nomine ipſo,nos horum naturam pro noſtra tamen conſuetudine exponamus.

Variolæ quid. Variolæ quædam ſunt tubercula admodum parua per vniuerſum corporis habitum effloreſcentia.

Hæc ſane tubercula non ſolum per exteriores partes apparent,q; tamen frequentiſſime videmus;ſed etiam in internis partibus generantur. Quamobrem nõ eſt hoc vitium ſolius cutis, verum etiã omnium interiorũ muſculorum viſcerũ,ſolidarumq; partium.Sæpe etenim deprehenſum pręgnantes

maturos

maturos partus edidisse, hac lue perfusos: quarum aliæ nihil omnino foris, hæ non nisi multis post diebus incommoda senserunt: & quosdam post interitum dissectos obseruauimus, quibus iecur, lien, pulmonesq;, omniaq; interiora haud secus, atq; cutis sordidissimis papulis manantibus scaterent.

Quinetiam raucitas, spiritusq; difficilis initio premēs, & prima eruptio in faucibus, & ore, in ano, & partibus obscœnis apparens planum facit, ex intimis partibus hæc mala originem habere: in has etiam finiri argumentū est, quod sanatis, & raucedo, & spirandi difficultas manet, alias sine tussi, alias cū tussi ad tabem deducta. Anteaquam hæc appareant, difficilis respiratio aduenit, dolor capitis, inquietudo, vigiliarum instantia, febris cōtinua, & ardens tribus continuis diebus perseuerat, ac vtplurimū his apparere iam incipientibus, omnia mitiora fiunt, donec ad nihilum reducuntur; nisi tamen variolæ ex earum numero fuerint, quæ mortem afferunt.

Cæterum, quantum ad cognitionem pertinet, rotunda sunt hæc tubercula; subrubea, indolorosa; quæ tamen postea saniosa fiunt, & ꝓpter saniem alba: non sunt aūt omnino rubea; quia non fiunt à simplici sanguine syncero, ac vt ita dicam, impermixto; sed à permistione aliorum humorum cum sanguine: quales autem sint humores, ex propriis coloribus dignoscendum est.

Morbilli autem à variolis specie non differunt, sed secundum magis, ac minus; nam sunt quædam tubercula multo sane minora, quam variolæ; sed rubicundiora; vtputa, quæ fiunt à sanguine tenuiori; quemadmodum infra exponemus. Eadem antecedunt symptomata; tam in morbillorum, quam in variolarum euentu; in hoc vero differre videntur; quod variolæ vtplurimum solent morbillos præcedere; quod quotidiana experientia à nobis atq; ab aliis obseruatum est.

Cæterum in hoc vterque affectus conuenit; quod contagiosi sunt.

Sed nunc de petechiis dicamus.

Hæ sane non mediocriter à supradictis tuberculis differunt.

Primum, quia hæ non sunt præternaturales tumores, sed sunt quædam cutis efflorescentiæ sine manifesto per vniuersam cutem tumore.

Deinde hæ non semper contagiosæ sunt; verum aliquando carent omni contagionis suspicione: verum morbilli, atq; variolæ continuo contagiosi affectus dicuntur.

Variæ autem sunt petechiarum differentiæ; nam quædam rubeæ sunt, quædam virides; quædam nigræ, quæ omnes malignitate superant; quemadmodum nos obseruauimus: atque potissimum hoc anno in hac illustri, & inclita ciuitate Anxur, in qua tres ægrotantes curauimus, cum hisce nigris pestichiis, & omnes vitam cum morte commutarunt.

Verum quia satis de harum naturis diximus, exponamus nunc diligenter harum causas.

Variæ quidem sunt recentiorum Medicorum opiniones in reddendis causis, propter quas variolæ, morbilli, & pestichiæ hominibus adueniant.

Nam quidam horum ad abditas causas confugiunt, arbitrantes ab occulta quadam, vt ipsi loquuntur, proprietate isthæc accidere.

Alii vero, quibus hæc commenta non satisfaciunt, arbitrantur causam harum affectionum eandem esse, quam pestilentiæ, nempe à cœlo proficisci, atque à malo quorundam syderum aspectu originem ducere.

Rursus autem nonnulli neq; hanc, neque illam veram esse causam affirmarunt; sed potius fieri à reliquiis sanguinis menstrui, quo infans in matris vtero nutriebatur; quod sane excremētum repositum in illam vsq; diem, sese foras ostendit; atque prorumpit in cutem proximam.

Verum omnes hi longe meo quidem iudicio decipiuntur: nam illi, qui ab occultis proprietatibus originem ducere tradiderunt, nihil aliud edocēt, quam rem aliquam obscuram, per id, quod est maiorē habet obscuritatem:

hoc enim modo facile esset omnes difficultates persoluere, dicentibus nobis occultam, & abditam quandam proprietatem vniuscuiusque rei proximam causam existere: sed quia nos alibi pluribus disseruimus contra eos, qui hasce proprietates admittunt.

Propterea his omissis, scire oportet multo minus satisfacere nobis, qui à cœlo, & à syderum aspectu fieri hos affectus affirmant: quoniam ab illis nihil nisi bonum emanare potest: quam rem pluribus rationibus in superioribus tractationibus contra Ioan. Fernel. disputauimus.

Sed quid ad illorum sententiam respondeam, qui à sanguine menstruo fieri asseruerunt, nempe hosce multo absurdiora tradidisse: quod nos copiosius docere proposuimus.

Primum vero hanc opinionem redarguit, quod fœtus minime nutritur sanguine menstruo, sed purissimo, & optimo sanguine; non est enim credibile, sanguinem illum putridum ac vt rectius dicam venenatum, a quo tum plantæ inarescunt, & corrumpuntur, tum humanum corpus coinquinatur, fœtum nutrire, quoniã igitur nutritio est ex optimo sanguine, quemadmodum Galenus *libris de semine* significauit; sequitur variolas, morbillos, & exanthemata, non fieri propter sanguinis menstrui reliquias in fœtu relictas; sed aliam causam habere.

Deinde vero si quid menstrui fœtui cedit in alimentum (quod quamuis falsum, ne tamen videamur præterire, admittamus) id quidem tandiu potest per multos febres, per multos morbos superatos in annum ætatis trigesimũ, aut quadragesimum perdurare? qua nos ætate non paucos vidimus hoc exanthematis grauissime conflictari, alios occumbere.

Adde vnumquemque his aliquando in vita necessario conflictari debere; & neminem his posse secundo aut tertio prehendi, quorum vtrumque manifeste falsum deprehendimus, nam quidam sunt, qui toto suæ vitæ curriculo, ne minimum quidem hisce vitiis afficiuntur; quidam autem secundo & tertio læduntur.

Amplius si hæc vera & proxima causa est affectionum harum, propter quam causam accidit, mulieres hoc vitio non affici cum menstruæ purgationes deficiunt? in his enim non continentur sanguinis menstrui reliquiæ, sed totus menstruus sanguis, & præter naturam retinetur (sic enim supponimus) cur igitur variolis, aut morbillis non corripiantur, ego pronunciare non possum: esset meo quidem iudicio necessarium eas consimiliter affici. Verum, quia satis de aliorum opinionibus diximus, nunc doceamus eam causam, quam veram esse & omni difficultate carere arbitramur.

Hoc itaque in primis præsupponere oportet, variolas, atque morbillos, quoniam communes sunt morbi, æqualiter prehendentes vnumquemque, non magis viros, quam mulieres, nec magis iuuenes, quam pueros, nec magis eos qui offam, quã qui panem commanducant, à communi quadã causa fieri, quæ videlicet omnes æqualiter afficiat; Sic enim nos supra pluribus ex Hippocratis sententia declarauimus, pestem, quoniam communis quidam erat morbus, ad communem causam referendam esse.

Hæc vero communis causa duplex quidem existit: altera intrinseca, & proxima, altera vero externa.

Interna & immediata causa, quam nos recte continentem nuncupare possumus, est sanguinis, omniumq; humorum in venis consistentiũ, inflammatio: atque (vt loquar Medicorum recentiorum consuetudine) ebullitio quoties enim cunq; is vehementer efferuescit, ac inflammatur; si valida natura est, aliqua eius pars, quæ tenuior est (quamuis hæc in eo, quod magis ac minus, habet multas latitudines) per vniuersam cutim efflorescit, imo quoquouersum irrepens, omnes inuadit humani corporis partes, quemadmodum supra docuimus.

Dua

Dubia. Duo autem sunt, quæ hoc loco non exiguam dubitationem faciunt.

1. Primum quomodo infantes iam iam nati vel fœtus, qui in vtero continentur, possint hanc sanguinis efferuescentiam perpeti: in quibus tamen frequentissima est eiuscemodi affectio.

2. Alterum vero est; propter quam causam in tertianis febribus, in continuis biliosis, in causonibus, atq; in ipsa synocho tam putrida, quam citra putredinem: continuo non appareant variolæ, & morbilli: nam si sanguinis efferuescentiam sequuntur; in his autē affectibus maxime efferuescit sanguis, sequitur profecto maxime necessarium esse & variolas, & morbillos in his febribus apparere: quod tamen rarissime accidit.

Has difficultates hoc modo explicamus.

Responsio ad primum. Possunt equidem pueruli duplici ex causa hanc sanguinis efferuescentiam pati, prima est propter extrinsecæ causæ actionem, de qua nos infra dicemus: æqualiter enim omnes illi subiecti sunt, imo multo magis pueri, quoniam ob carnium raritatem & humiditatem, & pororum apertionem facile recipiunt actionem ambientis nos aeris.

Altera est alimentum, quo perpetuo vescuntur, nempe ipsum lac, quod potest acri, & ignea facultate præditum esse; cuius causa puerulorū sanguis efferuescit: verum hæc etiam causa in externam refertur.

Ad secundum. Cæterum quod de febribus acutis dictum est, sic persoluito; in his febribus efferuescit quidem sanguis; sed non maxime; magis enim feruidus est, cum accidit constitutio, quæ variolas & morbillos affert: nam in his affectibus adueniunt febres acutæ, quarum causa sanguis inflammatur: additur tamen vis externę causæ, quæ maximam in sanguine inflammationem facit.

Est autem extrinseca causa omnibus communis, ambiens nos aer, cuius attractione viuimus. Namq; si hi affectus fieri debent, necesse est præcedere vehementem ambientis caliditatem, atq; siccitatem, qualem potissimum nos obseruauimus fuisse anno 1567. quo per vniuersam fere Italiam, potissimumque in nostra regione, variolæ, ac morbilli magnam hominum partem inuaserunt.

Causa proxima petechiarum. Porro, quantum ad ipsas petechias pertinet, arbitramur similiter proximam causam nihil esse aliud, quam sanguinis simplicem efferuescentiam, cum naturæ tamen propensione ad ipsam cutim humores pellendi. Indicio quidem est, quod accidunt in acutis febribus, quæ omni carent contagio, secus autem dicendum, cum adueniunt in pestilenti constitutione, nam tunc quamuis adsit efferuescentia sanguinis, putare tamen oportet à putredine aeris fieri, quam rem explicauimus; dum naturam pestilentiæ narrauimus, atq; si hanc habet originem, tunc omnes contagiosæ sunt, sed de his quidem hactenus hęc sufficiant dixisse.

FINIS LIBRI SEXTI.

LIBER SEPTIMVS.

DE FEBRIVM SYMTOMATIS, ET PROGNOSTICIS.

De quibus agendum sit hoc libro?

CAPVT I.



VONIAM aliquando ea est febrium natura, quod sæuissima symptomata producunt, quorum vehementia ægrotantibus non mediocre periculum imminet: necessarium est, vt de his hoc libro diligenter differamus.

Nam si nostrum propositum est, naturam febrium docere, vt ab ea indicationes curandi, propriaq; remedia deducamus; cum symptomata, quæ febribus annexa sunt, illarumque causas adaugent, & virtutem prosternunt, hanc curationem sæpius impediant, cogantque Medicos febribus, harumque causis posthabitis, sese totos ad illa conuertere, nos hic merito reprehenderemur; si prætermitteremus docere, qualia ea sint symptomata, quæ ad sese curationem attrahant; & à quibus causis fiant.

In hoc enim plus distat à vulgari Medico, is, qui generose medicinam profitetur: quoniam ille; vbi symptomata sese offerunt grauia, perinde se gerit, ac cæcus, qui quo tendat, ignorans, in maximos errores labitur: hic vero non sine magna artis laude, ægrotantiumque commoditate à grauissimis periculis homines liberat, illorúmque vitam in ancipiti sæpius constitutam, reparat, atq; ruetur.

De symptomatis itaque putridarum febrium septimo hoc nostri instituti commentario; differemus, illorumque omnium naturas, & causas diligentissime inuestigabimus: à quibus tandem expediti de prognostico singularum febrium agemus: maximam enim vtilitatem affert prognosticorum cognitio: prænoscens enim, atque prædicens coram ægris præsentia, præterita & futura, & quæcunque prætermittunt ægrotantes, exponens, credetur magis cognoscere, quæ ad ægrotantes attinent, quare audebunt homines, se ipsos Medico committere. Curationemque optime molietur præuidens futura ex præsentibus passionibus, omnes namque languidos sanare impossibile est: Hoc enim melius esset, quam euentura prænoscere.

Cum autem homines moriantur ex vi morbi: alij anteaquam Medicum vocent, alij vero adhuc accito statim deficiant: hi quidem diem vnum viuentes, illi vero paulo plus temporis, ánteaquam Medicus arte repugnet aduersum vnumquemque morbum, oportet quidem cognoscere talium passionum naturas, quantum superent corporum facultatem. Sic enim merito admirabilis, & bonus Medicus erit: etenim quos seruare possibile fuerit: hos poterit rectius custodire ex longiori tempore præmeditatus circa singula, & morituros, & saluandos prænoscens, atq; prænuntians, vacabit crimine. Sed hęc satis prefatus, rem iam aggredior.

Summa omnium symptomatum, de quibus hoc libro agendum est.

CAP. II.



GE vero summatim recenseamus omnia symptomata, quæ vires ipsas nimiopere fatigant, atque dissoluunt, de quibus hoc loco à nobis agendum est. Tot igitur sunt accidentia.

1. Sitis

1 *Sitis.*
2 *Linguæ ariditas & scabrities.*
3 *Deglutiendi difficultas.*
4 *Gustus deprauatus.*
5 *Cibi fastidium.*
6 *Nausea.*
7 *Vomitio.*
8 *Alui profluuium quodcunq;.*
9 *Singultus.*
10 *Syncope, animi defectio.*
11 *Oppressio.*
12 *AEstus immodicus.*
13 *Corporis iactatio, ac eius velut contusio.*
14 *Lumborum grauitas.*
15 *Capitis dolor.*
16 *Vigilia.*
17 *Somnus profundus.*
18 *Delirium.*
19 *Rigor.*
20 *Sudor.*
21 *Fluxus sanguinis narium.*
22 *Cholerica passio.*
23 *Fluxus hepaticus.*
24 *Tussis.*
25 *Sternutatio.*
26 *Dolor ventris.*
27 *Raucedo.*
28 *Malus odor; & dolor cruribus superuenient.*

De his itaque sigillatim agendum est.

De sitis causa in febribus. CAP. III.

PRIMVM itaq; symptoma, quod in febribus mitigationem postulat, est sitis intensa: neque mirum est postulare hoc symptoma Medici diligentiam; quoniam huius causa nonnulli mortui sunt, de quibus Galenus meminit *primo de causis symptomatum.* Verum anteaquam accedam ad explicationem cũ huius, tum etiam aliorum symptomatum; sciendum est me hoc loco de his non esse actur ũ tanquam de propriis affectibus, qui scilicet citra febrem consistant; de his enim alio loco disputandum est: solum igitur ea prosequemur, quæ ad ipsas febres pertinent; easq; causas narrabimus, quæ continuo in febricitantib. apparent.

Quamobrem ad sitim ipsam reuersi; dicimus, sitim esse appetitũ quendam, & desiderium, quo ventriculi ostium (hoc enim semper, & principaliter afficitur) humidum appetit.

Quapropter fieri sitis non potest, nisi humiditate deficiente in ore ventriculi. Nunquam enim potui imaginari; quod sitis à simplici calore fiat citra siccitatem; sed simul cum humiditate connexo: quod tamen affirmare videtur Galenus; cum asserit propter efferuescentiam, & caliditatem natiuæ humiditatis sitim fieri. Opus est itaque in omni siti humidum deficere; & siccum abundare.

Cæterum siccum dupliciter abundat.

Vno quidem modo dissolutis humoribus, qui in tunicis ventriculi cõtinebantur: vti cõtingit per euacuationes, tam spontaneas, quam artificiales.

Alio autem modo arefactis tunicis: aut ab acri medicamẽto epoto: aut ab acribus, & salsis alimentis: aut ab acrium & mordacium humorum cõpia, quales sunt biliosi, quod frequentissime per omnes febres acutas fere accidit: aut à salsis humoribus; à quibus (vt iam diximus) tunicæ ventriculi arefiunt. Nam quamuis isti humores actu humiditatem habeant; vim tamen omnes, & potestatem possident exsiccandi.

Ex his duo sunt concludenda.

Primum, sitis proximam sedem esse interiorem tunicam ventriculi, & illius ostium. Falsumque esse, quod quidam recentiores Medici tradiderunt, sitim aliquando fieri propter communionem à toto corpore non affecto ventriculo.

Alterum, quod semper sitis fiat siccitatis præsentia: aut propter abundantiam humorum, qui facultatem habent exsiccandi: quales sunt acres & salsi: aut propter nimiam humorum euacuationem.

Hinc accidit; quod nonnulli febres ardentes habent, quibusdam tamen nulla connexa est sitis: causa quidem alia referri non potest, nisi quod humores acres, qui putrefacti sunt, ostium ventriculi, illiusque internam tunicam non afficiunt.

Scio ego hæc paucis probari; quia pauci admodum sunt, qui veritatem magis, quam hominum autoritatem obseruent: sed ego hæc istis non scribo: verum illis, qui in alicuius magistri verba minime iurarunt.

De ariditate, & scabritie linguæ.

CAP. IV.



NON infrequenter autem accidit ariditas, & scabrities linguæ; quin etiam nonnullis nigredo.

Horum symptomatum causa esse potest extrinseca, & intrinseca.

Causa extrinseca. Extrinseca quidem, si quis hiante ore dormierit, aut quod sic tempore sanitatis consueuerit, quales multi sunt: quod propter destillationem ad nares necesse sit homini taliter dormire.

Nos equidem diebus præteritis in equite Augenio fratre nostro talem causam ariditatis in lingua deprehendimus: nam cum aerem per nares, vt fit, illis obstructis attrahere non posset, ad maximam ariditatem, & scabritiem peruenit, quinimo etiam ad aliquam nigredinem: aer enim ambiens attractus vim habet exiccandi, discutiendique humiditates, quæ in lingua continebantur, quibus dissolutis fit nigredo.

Possunt etiam continuæ lamentationes, & querelæ: quæ maximis vocibus eduntur, eundem effectum facere.

Historia. Hic non possum prętermittere, quod diebus præteritis accidit: Bagnonus Bonacorsus vir quidam nobilis, ac mihi amicissimus, cum illi fuerit nunciatum, neptem quandam suam virilibus vestimentis indutam à paterna domo aufugisse; tantum, tamque magnis gemitibus de maximo hoc facinore conquerebatur; quod in ingentem linguæ nigredinem perueniebat, sine febre, sine siti, sine aliqua oris amaritudine, & cum non mediocri plenitudine ventriculi ab humoribus viscidis, & pituitosis. Hæ igitur externæ causæ solent eiusmodi symptomata proferre.

Cognoscitur autem, quod ab his causis fiant; quia sunt sine aliqua siti, aut exigua, & sine ardore in ventriculo percepto.

Signa, quod ab externis causis fiat. *Interna.* Internæ autem causæ sunt; calor immodicus ventriculi, & illius ostii; cuius causa per successionem partium lingua primum calefit, deinde vero arida, scabra, & nigra redditur adaucta caliditate, humoribusq; dissolutis: idē faciunt vapores mordaces, acrimoniaque prædíti, in fauces, in os, & in palatum ab infernis partibus elati. Quorum aliquando tanta est acrimonia, vt non solum linguam exasperent; sed etiam findant.

Verum si aliquando hi vapores crassiusculi sunt, aut cum pituita permisti, quæ à cerebro in palatum, & in fauces descendat; aut è ventriculo in os redundet; tunc vi caloris crassescens, & obdurescens circa linguam palatum, ac dentes maximum lentorem facit: qui comes est aliquando acutarum febrium, vt testatur Hippocrates.

Causa nigredinis linguæ. Quod vero ad nigredinem linguæ particularius attinet, scire oportet illam non solum ab his causis, sed etiam ab humoris melancholici abundantia originem ducere: vt nunc in Paulo Zanino contigit: defluit enim à splene ad ventriculum, à quo fauces, & lingua inficiuntur: sed ii, quibus hoc accidit, sunt admodum famelici, & parum sitiunt: linguaq; quamuis nigra sit, nec arida tamen est, neq; scabra.

De difficultate deglutiendi. CAP. V.

DEGLVTIENDI difficultatem facere possunt, quæcunque vias faucium præcludunt: in hoc numero sunt omnes tumores præter naturam vt anginæ, tam veræ, quam nothæ.

Quid autem ego hisce vocabulis intelligam, non est hoc loco exponendum, cum alibi de his diligenter differuerim.

Contingit itaq; repente febricitantem hominem anginam incurrere, statimq; suffocari.

Destillationes etiam à capite in fauces idem efficit: quod olim accidit Lælio fratri meo germano: cui insperato, quo potissimum tempore nos putabamus hominem conualiturum, destillatio suffocatiua superuenit; à qua tamen non sine maximo nostræ artis honore, aliis quibusdam Medicis eum exire non sperantibus; Deo adiuuante, liberatus fuit maximo tamen labore. Sed hi profecto rarissimi sunt euentus.

Multo autem frequentius accidit deglutiendi difficultas vel propter magnam faucium siccitatem, & asperitatem; vel propter eam lentam pituitam; quam circa palatum, dentes. & fauces congeri significauimus: verum quamuis multi metuant, ne propter has causas homines repente suffocentur; ego tamen neminem vidi hactenus mortem cum vita commutasse.

De gustu deprauato. CAP. VI.

NON raro autem febricitantibus accidit gustum deprauatum esse: cum videlicet alimenta percipiunt alieni saporis, quam sint: hinc sane quidam omnia cibaria amaro sapore esse prædita diiudicant; quidam salso; & quidam fœtorem quendam percipiunt.

Horum omnium causa referenda est in eam particulam, in qua sensorium sensus gustus reponitur: ea omnium consensu est lingua, siue secũdum se tota, siue secundum partes; non est hoc loco discutiendum, cum, quantum ad curationem pertinet, nullam difficultatem habeat.

Cum igitur lingua aut amaris humoribus infecta, aut salsis, aut fœtidis, aut vaporibus ab hisce tumoribus elatis, fuerit, tunc tales oriri necesse est deprauatos gustus.

Hoc autem omnium consensu constat; humores, & vapores, qui linguam afficiunt, ab inferioribus partibus originem ducere; potissimum autem ab ipso ventriculo; aut etiam hepate.

Sed facit hoc loco dubitationem; quod aliquando cum deprauato gustu, optima remanet appetentia: qualem nos non semel obseruauimus contigisse Quænam igitur est huiusce euentus causa?

Hæc quidem, quod in ventriculo deprauati humores non consistant: sed quod ii fuerint per vomitum expurgati: hacque ratione infectis linguæ membranis deprauatio circa gustum permaneat integra appetentia, humore, vt iam dixi à ventriculo expurgato.

Potest etiam id contingere, quod ab hepate vapores quidam eleuati in membranis linguæ terminentur, non læso ventriculo. Aut etiam humores in ventriculo contineri, sed eos acerbos esse, quales sunt melancholici; qui sua austeritate ostium ventriculi corrugantes, hominem ad appetentiam concitant. Quæ res potissimum contingit in hominibus melancholico temperamento præditis; aut in iis febribus, quæ vel simpliciter sint melancholicæ, aut certe plurimum humore melancholico participent.

De cibariorum fastidio. CAP. VII.

HOC symptoma inter omnia, quæ febricitantibus adueniunt, statim apparet. Nunquam enim, aut certe admodum raro, homines, cum febricitare incipiunt, optimam, qualem habebant sanita-

sanitatis tempore, appetentiam alimentorũ habent. Fastidiunt itaq; omnem cibum; cum illi aduersentur carente bono appetitu.

Causæ

Multæ autem causæ huiusce effectus esse possunt, quas ego nunc sigillatim referam.

Verum anteaquam ego eas explicem, non ab re me facturum iudicauerim; si prius nonnulla dixero de modo, secundum quem fit fames naturalis: hoc enim nobis manifestam viam præbebit, ad eius, quod quæritur, inuestigationem.

Fames quid.

Quoniam itaq; fames nihil aliud sit, quam sensus quidam suctionis oris ventriculi: necessarium est, si hæc fieri secundum naturam debeat, quod ostium ventriculi à superioribus partibus alimenta trahat: id vero hoc munere perfungitur, si quando venæ similiter attrahũt à ventriculo: quæ tamen nunquam attraherent, nisi carnes, & vniuersus corporis habitus veluti fugendo à venis alimentum inquirerent: hoc autem nunquam eueniet, nisi primum illæ proprio succo alimentario fuerint exinanitæ. Ergo isti motus ad famem concitandam sunt necessarii.

Primus omnium est inanitio.

Alter est, inanitarum partium naturalis appetentia, hoc est, repositionis noui alimenti desiderium: quod sane in ipsis animantibus animali sensu non perficitur; sed naturali; eoq; à vicinis partibus insita quædam trahendi potentia ad sese cibum alliciunt.

Tertius est, venarum suctio ab ipso ventriculo.

Quartus, perceptio huiusce tristis sensationis ventriculi.

Quintus, ac postremus, animalis appetentia, qua animal excitatum ad cibum prolectatur; quæ res accidit illi vi animali sensitiua, & appetitiua, per neruos à cerebro communicata ori ventriculi. Hæc quidem Galenus *libro primo de causis symptomatum, cap. 7.*

Duplex fames.

Ex quibus colligere est, duplicem esse famem: alteram quidem animalem: alteram vero naturalem.

Animalis quidem est, qua ostium vẽtriculi facit propter virtutem sensitiuam, & appetitiuam illi à cerebro per neruos traditã: cuius quidem causa animal, quamuis abunde repletum, saturumq; potest denuo cibum appetere: id quod indies contingere in hominibus ingluuiosis, quorum scil. venter Deus est, quotidie obseruamus.

Naturalis vero fames est, qua naturali quadam facultate partes inanitæ humores, quibus nutriantur, à proximis partibus attrahunt.

Hæc igitur quæ dicta sunt à nobis de naturali appetentia, & fame, co pertinent; vt sciamus, quod si quando in ægrotante corpore eiuscemodi desiderium ad alimenta capessenda deesse videatur: quod à duabus potissimũ causis originem habeat: harum vna est, quod animalis facultas sensitiua eam tristem ostii ventriculi sensationem minime percipiat; altera quód partes non inaniantur, nec attrahant alimenta à partibus proximis; quæ res accidit propter virtutem naturalem attractiuã, quæ non attrahat alimenta: propter vtramque causam in febricitantibus (de his enim solis in præsentiarum loquimur) aduenit inappetentia ad cibum: in iis enim febribus, in quibus plurimũ laborat animalis facultas; vt in lethargicis, atq; in vniuersum in omnibus soporosis affectibus: atq; in contrariis etiam, vtputa in phreneticis, nulla fit appetitio: quod animalis virtus alimentum sibi conueniens, & amicũ minime discernit: idem etiam accidit in iis, qui ad extremum resoluti sunt: in quibus fortasse propter vtriusque causæ concursum hoc symptoma accidit.

Verum si quando ægrotantes cibum fastidierint integra existenti animali facultate, nullaq; labe in cerebro consistente; omnem causam in naturales facultates referre oportet: maxime in ventriculum, & illius ostium: est enim (quemadmodum Galenus ait) hoc symptoma proprium oris ventri-

culi

culi. Quamobrem merito sic definiri potest: *Cibi fastidium est affectio oris stomachi qua id alimentum non appetit propter causam aliquam præter naturam in illo consistentem.* Sed nunc videamus, quænam sint dispositiones in ventriculo, cuius causa is ad appetentiam non incitatur. Omnes ventriculi intemperies cum humoris præsentia hoc faciunt: potissimum cum bilis flauæ, aut pituitæ copia. Possunt enim hi humores aut copia ventriculum quasi saturare: aut aliena quadam qualitate, illius vim obruere, atque consopire. Quamobrem à calidorum & acrium humorum: aut etiam à pituitosorum præsentia in ventriculo, illiusq; ostio contentorum potest fieri inappetentia. *Fastidium cibi quid.* *Quæ causæ.*

Idem sane aliquando contingere obseruauimus à maligna pestilentiue qualitate putredinis: qua non solum afficitur appetentia naturalis; sed etiam omnes totius corporis facultates obruuntur.

Hæ sunt causæ, quæ in febricitantibus accidunt: possuntque aliæ etiam aduenire, quæ cum non sint propriæ febricitantium, hic prætermittendæ sunt.

Cæterum animaduertere oportet, quod hæ causæ, quas posuimus, possunt in vnum ventriculum coaceruari, tam per essentiam; quam per communionem ab aliis partibus: vtpote confluentibus humoribus ad ventriculum, aut à toto corporis habitu, aut à venis, vel à vicinis partibus: solet autem maxima pars huiusce rei in vnū hepat referri, à quo biliosi succi ostium petētes maximam inappetentiam faciunt.

Quod vero pertinet ad modum cognoscendi hasce causas; breuiter dicendum est: flaua bile dominante sitis aderit, oris amaritudo, inquietudo, vomitus, ructus oleosi, caliditas sensu percepta; febris conditio, vtpote biliosa; ægrotantis temperamentum, anni tempus, atq; id genus alia. *Signa causarum.*

Frigidos vero humores adesse significabunt contraria indicia; nulla sitis, nulla oris amaritudo: febris vel phlegmatica, vel quæ plurimo phlegmate saltem participet; quodq; à calidis auxiliis non parum viuetur.

Malignos humores, aut etiam qualitatem id genus cognosces à febris more, & qualitate.

An autem per essentiam, an consensu adsit affectio, diiudicabis per proprios aliarum partium, à quibus consensus fieri potest, affectus: quos situ non adesse perspexeris; statim iudicabis per essentiam fieri affecto ventriculo: sed hæc satis de alimentorum fastidio.

Verum dum hæc scriberem, in mentem venit mihi notabilis quædam historia omnino contraria huic affectui.

Ioannes quidam Thebaldinus annos natus 54. plus minus, in febrem incidit biliosam caniculatibus diebus; quæ tandem resolutis tenuioribus partibus, humoribusque admodum assatis in febrem quartanam degenerauit: cum qua primis diebus maximam inappetentiam passus est: deinde vero in caninam appetentiam (quam vocant) subito peruenit; nulla præcedente euacuatione atræ bilis: Huius equidem tam repentini symptomatis euentum admirabantur quidam Medici; qui rerum causas contemplari nō assueuerant; ego vero omnem illis ademi admirationem, primum quidem causam symptomatis reddens; deinde vero vsu, atque experientia veram esse ostendens. *Historia.*

Dicebam itaq; factam fuisse ab humore frigido, & acido osculum ventriculi impetente: defluxisse autem humorem eiusce modi à liene: huncque humorem sua adstrictione alimenta in ventriculi fundum compellere; hacque ratione famem arcessere: anteaquam autem à liene humor transmitteretur; inappetentiam adfuisse; quia in ventriculo humor non aderat, qui illius os nimium valdeq; adstringeret.

Quamobrem admonui exhibendum esse medicamentum, quo is humor euacuaretur, quo pacto fames illa cessauit

Volui

Volui hanc historiam recensere; quoniam aliquando in febribus accidit maxima appetentia, vt diximus, atque vt illius symptomatis causam scriberemus.

De nausea & vomitu. CAP. IIX.



GENDVM est modo de nausea, ac vomitu; quæ symptomata frequentissime febricitantibus adueniunt.

Nausea quid. Primum itaque supponere oportet nauseam nihil aliud esse, quam *inane quoddam vomendi desiderium*: quo nihil foras expurgatur: sæpe tamen sponte, nulloque conatu pellucida quædam aqua ab ore profluit.

Vomitus quid. At vomitus contra, *est eorum, quæ in ventriculi sinu, ac spatio continentur reiectio per superiores partes.*

Horum duorum symptomatum eadem causa, secundum magis ac minus diuersa: in vomitu scilicet grauior, & molestior: sed in nausea leuior.

Quæ vtriusq; causa. Originem autem habent aut ab humore, aut vapore, aut qualitate: hæc enim modo nimis relaxando, & emolliendo ventriculum (huius enim partis affectiones existere, nemo est profecto, qui nesciat) labefactat: hoc sane fit potissimum à dulci pituita: nunc autem expultricem virtutem extimular, vel copia, vel acrimonia; vt omne genus bilis: modo pernicie, atque malignitate facultatis ipsius robur, aut infestat, aut dissoluit, vt maligna, atq; pestilens febris qualitas.

Quamobrem cum aliqua ex iam dictis causis, in ostio ventriculi; vel circum tunicas eius, tam vehementer, valideq; impacta est, atque hæret, vt excuti ipsa minime possit: Et si ventriculus exinanitus est, nauseam quidem solum facit: sin autem potu, atque cibo iam refertus, cibi vomitionem promouet citra alicuius humoris implexum.

Cæterum, cum aliqua causarum in ventriculo non adhæret, neque in eius tunicis impingitur; sed in eo fluctuat; aut aliunde in ipsum confluxit; humoris vomitus apparet: hic vero est aliquando biliosus aliquando pituitosus: & aliquando permistus, prout fuerit natura febris: in tertianis enim bilis flaua, at in quotidianis pituita: in nothis vero humor vterque vomitione expurgabitur.

Duo autem hoc loco diligenter distinguenda sunt: Primum, qualis sit humor horum symptomatum causa: Alterum vero, an à ventriculo, an autem ab aliis partibus confluat.

Signa causarum. Iam vero quis humor vomitum protitet, etiamsi nondum is erumpat, multis tamen signis cognosci potest ex ructu, atque eius sapore; qui aut acidus est, aut nidorulentus, ac fœtidus; aut amaritudinem præ se fert, aut acrimoniam haber.

Deinde vero ex ipsius doloris proprietate, qui aliquando pungit, aliquando grauat; idq; quodam sensu, aut caloris, aut frigiditatis.

Postremo ex eorum, quæ vomuntur, qualitate, atq; substantia, maxime quidem cum humor noxius illis permiscetur: nam non raro accidit ipsum ventriculum irritari à noxiis humoribus in eius sinu contentis, qua irritatione cogitur ventriculus ad vomitum; cum tamen humores non euomantur, sed inconcussi permanentes intus subsistentes alimentorum duntaxat vomitiones protitent.

An in ventriculo & alibi hæc symptomata sint orta. Verum an humor, à quo fit vomitus, aut nausea in ventriculo sit genitus; an autem ab aliis quibusdam sedibus influxerit, hisce indiciis discernitur: q; in ventriculo genitus iam dudum eum afficit, atq; torquet, & in victus ratione, aut in ordine peccatum aliquod recens perpetratum est.

Qui vero ab hepate, aut liene, aut mesenterio, vel aliunde confluxit; signa exhibet affectæ eius partis, quæ veluti seminarium, & origo mali fuerit.

Vt igi-

Vt igitur rem breuissime contraham, nausea, & vomitiones originem habent, vel ab imbecillitate, & dissolutione ventriculi: vt à frigida & humida intemperie, vel à lentore & leuitate eiusdem partis: vel ab humorib. molestantibus: vel à mala qualitate.

De alui profluuio. CAP. IX.



ALVI profluuium, quod euenire febricitantibus solet, vt est varium, atque multiplex: sic profectò à quamplurimis, & diuersis causis proficiscitur.

Verum quia de omni fluxu, illiusque causis alio in opere, diligenter tractauimus; hic solum nonnulla prosequemur, quæ maxime nostro instituto conueniunt.

Inter omnes itaque alui fluxus is frequentissime hominem inuadit, qui Græcis λειεντερία nuncupatur: cuius sane duplex est causa: nam aliquando à causa intrinseca fit: aliquando autem ab extrinseca.

Internæ causæ sunt tres. Prima, humorum copia. Secunda, eorundem acrimonia. Tertia vero malignitas humorum, aut vaporum, ab his eousque ventriculus proritatur, vt minime cibum, vel amplexatur, vel conficiat. *Causa interna.*

Extrinsecus autem aduenit ex immoderato, ac intempestiuo frigidæ potu, præsertim si fuerit assumptus ventriculo aliqua purgatione lacessita. Hæ lienteriæ potissimæ causæ sunt. *Extrinseca.*

Aliquando vero etiã adueniunt alij fluores, vt diarrhœa dysenteria cuiuscunq; generis; in quibus profectò hoc diligenter considerari oportet, an à febre originem habeant: an aũt sint affectus per se consistentes. Namq; non est eadem ratio curandi vtriusq; affectus, vt suo loco posthac dicetur.

Rursus vero animaduertendum est, an crisis ratione contingant: an autem symptomatis alicuius causa; natura que ipsa optime iudicante: an aũt imperfecte. Aliud.n. atq; aliud agendum est à nobis, si hoc aut illo modo contigerit. Quomodo autem, dicet fortasse aliquis, hęc à nobis cognoscẽda sunt? propria sunt horum omnium indicia: quæ sane quoniam pertinent ad artem prædicendi, non sunt hoc loco explicanda.

Sed quod ego dicere memineram, id nunc addendum est: quandoque scilicet hosce alui fluores originem ducere ab eporo medicamento purgante, siue quod id pro corporis conditione fuerit validius, siue quod natura ab eo protitata nimium effrœnitet.

De singultis. CAP. X.



SINGVLTVS est *motus quidam conuulsiuus ventriculi, quo ea, quæ in proprio illius corpore impacta sunt, conatur excutere.* Quamobrem motus quidam est deprauatus oris vẽtriculi: Talem.n. edere actionem nunquam consueuit, nisi ab hisce causis præter naturã lacessitus. Duobus autem in vniuersum modis, si Hippocrati credimus, aduenire consueuit: ab inanitione, & à repletione. Cæterũ inanitio multis ex causis fit, omnia.n. quæ vim habent siue humores, siue aeream substãtiam (quam spiritum vocamus) repente euacuandi: possunt eiuscemodi inanitionẽ efficere. Sic videmus per immodicas expurgationes alui; per sanguinis fluores admodum copiosos siue ex naribus, siue ex mariscis, siue ex vtero, aut quauis alia sede; per excessiuos sudores, singultum concitari. Idem præstare poterit tenuis victus ratio instituta; dolor, timor, vigiliæq; modum excedentes. *Singultus quid.* *Causa interna.*

Repletionis autem vocabulo non solum ciborũ satietatem, & plenitudinem, qualis potissimum accidit pueris, intelligimus; sed etiam omniũ humorũ copiam, siue simul omnes fuerint, ventriculumq; obsederint, siue aliquis particularis humor symptomati occasionem dederit: sic quidem videmus acrimoniam flauæ bilis, & putredinem, quoties ea stomachum inuadit, non raro singultum facere: attamẽ bilem; atq; vt in vniuersum dicam, hu-

morem omnem; qui aliqua acrimonia participat, aut etiam pernicie, & maligna putredine, quod potissimum per febres acutas, malignas, atq; pestilentes euenit, idem solitum esse præstare.

Quod autem hic ego de humoribus dixi, illud idem intelligi velim de vaporibus eorundem humorum; hæc enim causa similiter referenda est ad plenitudinem.

Ab vtraq; igitur iam dictarum causarum febricitante homine contingit singultus.

Extrinseca. Extrinsecę vero causæ aliquando singultum pariunt, vt acrium & mordacium alimẽtorum vsus, qualia sunt aromata, potissimum autem piper, cuius acrimonia perinde irritatur ventriculus, atq; ab humoribus mordacitate præditis.

Altera vero extrinseca est causa, quã primus omnium obseruauit Ioan. Fernelius, ea autem est, cũ extrinsecus premitur ostium ventriculi. *Quidam tres continuos menses* (inquit) *singultu vexatus nullis consuetis remediis ante potuit expediri, quam costæ extremum, quod tum primum comprehensum est contorqueri, altiusq; in ventriculũ nullo sensu doloris infigi, blande ac molliter erectum sit: confestim namq; singultus affligere desiit: qui tamen repetebat quoties costam de nouo incuruescere contigisset: in aliis dein non paucis eandem sæpe singultus causam agnoui.* Hæc Fernelius.

De animi defectione, & syncope in febribus. CAP. XI.

SCIENDVM est autem tres affectus esse plurimũm inter se similes: vnus Latine dicitur animi exsolutio, quem Græci ἔκλυσιν vocant: alius animi defectio, Græce λιποθυμία, καὶ λειποψυχία dicitur: Tertius vero syncope, à nomine Græco συγκοπὴ deductus, cum Latini magis conuenientem appellationem non habeant.

Hi tres affectus inter sese differunt secũdum magis ac minus: omnium maximus, & grauissimus, est syncope: huic proxime accedit animi defectio: quam deinde sequitur ipsa exsolutio. Quamobrem ab eisdem causis fiunt, inter se tamen in eo solo differentibus, quod vna sit vehementior altera.

Cæterum, in quo genere affectuũ præter naturam reponendi sunt, quibus indiciis singuli affectus cognoscantur. Atq; id genus alia, q̃ ad tractationem propriam pertinent, hic à nobis exponenda nõ sunt; cũ alio loco, nempe cõmentariis nostris in nonum ad Almansorem sint diligenter exposita: hic solum dicendum, quantum pertinet ad præsentem tractationẽ de febrib.

Syncope quid. Supposito itaq; syncope nihil aliud esse, quam præcipitem omnium virium lapsum, ac vniuersalibus etiam illis positis, quæ alibi exposita sunt à nobis: Animaduertendum est, syncopen ab hisce causis generalib. fieri (ad quas aliæ omnes referuntur) quod autem hic de syncope affirmo, idem de aliis duobus affectibus intelligi volo, habita tamen distinctione de causarum vehementia, quæ maior est in syncope, minor in lypothymia, rursusq; minor in ipsa exsolutione.

Sed vt oratio redeat, vnde iam digressa est: Causa vna est nimia euacuatio: Altera nimia plenitudo: vel vtraq; simul composita.

Per nimiam autem euacuationem intelligimus non solum humorum, sed etiam spirituosæ substantiæ; quin etiam solidæ, quæ res potissimum contingit in quibusdam febribus colliquantibus, ex acutis. Rursus vero plenitudinis vocabulo, non solum plethoram audimus, verum etiam mali succi copiam, quam Græci κακοχυμίαν nuncupant: quinimo vaporum præsentiam; aerisq; inspirati putredinem, ac malignitatem.

Ad hasce igitur vniuersales causas omnes aliæ particulares, quas Galenus recensuit cum *libro duodecimo methodi medendi*, tum *in libro primo ad Glauconem, capite decimoquarto* referendæ sunt. Vigiliæ, dolores, timores, alui profluuia, vt cholera, diarrhœa, dysenteria, fluxus sanguinis immoderatus è

matiscis,

matiſcis, ex vtero, ex naribus, per vomitum, à cauſis extrinſecis vena rupta & inciſa; magnæ, copioſæq; eruptiones puris, vomitus copioſi: atque id genus aliæ cauſæ oriuntur propter nimiam euacuationem.

Contra vero plegmones ventriculi; hepatis, ſplenis, pulmonis, vteri, apoplexia, epilepſia, Pletorica diſpoſitio, qualis eſt in athletis, ciborum cruditates ad plenitudinem referendæ ſunt.

Humorum acrimonia & malignitates, vt impulſus flauæ bilis ad oſtium ventriculi, ad ipſum cor, aut atræ bilis, aut bilis æruginoſæ, aut porraceæ, vel ſubſtantia, vel vapores; tum ſuffocando ſpiritus, & naturalem calorem; tum diſſoluendo, tum etiam malignitate, & tota ſubſtantia corrumpendo faciunt ſyncopen. Idem profectò præſtant venenati humores, & peſtilentes: idemque efficiunt aeris nos ambientis corruptiones in tota ſubſtantia; quales nos libro ſuperiore expreſſimus. Ad has igitur cauſas reliquæ ſunt referendæ, quæ infinitæ eſſe poſſunt.

De oppreſſione. CAP. XII.



CÆTERVM id ſymptoma, quo repente veluti ſuffocari videntur ægrotantes, huc, atque illuc ſine iudicio maxime agitantur, ego oppreſſionē vocare conſueui: nam ægrotantes perinde afficiuntur, atq; ſi ab aliquo violenter, atque maxime opprimerentur.

Hæc autem oppreſſio à tribus fit cauſis. *Cauſæ.*

Harum prima eſt, quæ propria eſt continuarum febrium, quæ primariæ ſunt, & acutæ; nempe cum flaua bilis, vel praſſina, vel æruginoſa circa cor, vt in cauſo, ſuo maximo ardore agitata, exæſtuat. Talem nos oppreſſionem die præterita ſanauimus in Phillipucio Buonacorſo, adoleſcente quodam nobiliſſimo. 1.

Altera cauſa eſt humoris eiuſdem acrimoniæ, qualitatiſue abundantia circa præcordia, & viſcera, vt hepate, aut etiam ſplene firmati: hic quidem dum febrem inuadit, impulſus, violenterque motus, ventriculum, atq; ipſum diaphragma non mediocriter premens, eam facit oppreſſionē, quam diximus. 2.

Hanc vero duo ſymptomata concomitantur.

Primum præcordiorum manifeſta quædam diſtentio.

Alterum eſt dolor ex prægreſſu, & contactu.

Solet hæc ipſa oppreſſio aduenire vtplurimum in febribus intermittentibus: qualem ego non ſemel anno Domini 1565. in tertianariis obſeruaui: quamuis etiam in continuis aliquando accidat, materia ſcilicet in venis peccante, ad viſcera, & ad ventriculum extra venas pulſa.

Tertia cauſa omnium cauſarum grauiſſima eſt, quoties aut hepar, aut lien phlegmone laborat. Hac perpetuo laborabat vxor mea chariſſima, (quam hic libenter honoris cauſa nomino) quo tempore ex hepatis inflammatione affecta vitam cum morte maximo meo damno commutauit. Quamobrem propoſitum ſyptoma aduenit in febribus continuis, primariis, ac ſymptomaticis: aduenitq; etiam in febribus intermittentibus. 3. *Autoris vxor quo morbo interierit.*

De difficultate reſpirandi. CAP. XIII.



RESPIRANDI difficultas non raro febricitantibus aduenit, cum tamen eo affectu per ſanitatem, ne minimum quidem laboraſſent: eaque ſemper eſt magni momenti in omnibus morbis acutis, vt Hippocrates *in prognoſticis* dixit.

Huius cauſam putant recentiores Medici aliam non eſſe, quam deſtillationem à capite, & huius vnius cauſa ſæpe audies aliam cauſam in conſultationibus afferentes; ſed magno quidem ægrotantium damno. Alias enim veriores cauſas habet, quas ego hic recenſebo. C.

1. Prima est, ipsa oppressio, à quacunque ex supradictis causis fiat: tunc enim necesse est, respirationem difficilem edi.

2. Secunda causa est; maximum incendium pulmonum, atque ipsius cordis, dum scilicet bilis excandescens, illiusque putredo illas sedes occupauit, quemadmodum accidit in causo.

3. Tertia causa est, humorum putridorum, acrium, vel malignorum turgentia; quotiescunque ij è venis impetu facto turgentes ad cor ipsum, & ad pulmones appellunt.

4. Quarta est defectus aliquis in insito calore.

Duplex autem potest contingere hic defectus: primus cum spiritus, & calidum innatum alio operi intenti sunt, tunc enim distracti; quod potissimum in delirantibus accidit, respiratio fit difficilis: in specie vero fit respiratio rara, & alta.

Alter defectus est penuria, dissolutioque innati calidi, ac iurium languor, vt in iis euenit, qui sunt proxime morituri, in quibus crebra fit, & difficilis respiratio.

Hæ illæ sunt causæ, à quibus difficilis redditur respiratio in febricitantibus. Quæ vero vel à destillatione, vel ab alia quauis causa processit; minime debet inter febrium symptomata recenseri.

De lumborum dolore. CAP. XIV.

LVMBORVM dolor, si quando homines inuadit, qui à febribus conflictantur, scire oportet causam in illis partibus aut saltem in proximioribus latere: quæ vero hæ sint, à nemine hactenus explicatas scio, quam ab vno Ioanne Fernelio: cuius ego sententiam tanquam veritati plurimum consonam hoc loco putaui referendam. Is igitur inquit, *quod cum peccantis materiæ pondus in cauam venam, aut in maiorem lumborum arteriam plurimum illabitur, lumborum dolorem, & grauitatem facere: atque eandem materiam si pariter vehementius incendatur, in renibus ac lumbis ardores suscitare. At vero cum illius portio in tenues venas, quæ per summa sunt corporis atque etiam in musculos excurrit, lassitudines, membrorum grauitates, artuumque dolores excitare solent.*

De corporis iactatione, & inquietudine.

CAP. XV.

VARIÆ iactationis, & inquietudinis, quæ febricitantibus aduenit, hæ sunt causæ.

Maxima omnium est oppressio: huic succedit lumborum grauitas, ac dolor: magnaque febris caliditas, & artium molestia: ab hisce quidem causis incitatus homo solet modo in hanc, modo in illam partem sese iactare: quod si ab his causis non fuerit, sciendum est; originem habere, aut quod humores turgeant in venis, hucque illucque ferantur, ad huiusque motũ hominem pariformiter moueri. Aut certe malignitatem quandam occultam cor ipsum obsidere putandum est; quemadmodum frequentissime accidit in omnibus fere pestilentibus morbis; & aliquando in quibusdam acutis febribus, vt nos non semel obseruauimus.

De capitis dolore. CAP. XVI.

CAPITIS autem dolor in febribus propter hasce solas causas accidit, nempe ab humoribus cuiuscunque generis fuerint, potissimum tamen à calidis, & biliosis.

Cæterũ generandi modus est per cõmunicationem à subiectis partibus, atque præcipue ab ipsis præcordiis. In quib. humores contenti multos de se vapores in caput per medias quasque regiones (est enim corpus vndique conspirabile, vt tradidit diuinus Hippocrates) emittit: hi vero vapores meninges internas, atque etiam aliquando ipsum pericraneum, vel calore,

vel acri-

vel acrimonia ferientes, vel copia distrahentes, dolorem non exiguum pariunt.

Aliquando etiam è venis arteriisq; maioribus sursum impulsus tenuior sanguis dolorem vere pulsatiuum efficit.

Alio quidem modo, ac ab aliis causis insebricitantibus non aduenire capitis dolorem obseruauimus.

Quibus vero indiciis humor quilibet cognoscatur, non est hoc loco à nobis exponendum, vtpote qui de hac re alibi tractauimus, dum scilicet nonum Raris ad Regem Almansorem interpretabamur.

Hoc autem vnum est animaduertendum, quod non solum nos, sed etiam alii quidam celeberrimi homines adnotarunt, omnem videlicet capitis dolorem, qui tamen à febre generetur, aut tempora, aut frontem, aut omnino priorem capitis regionem adoriri. Nam qui aut in occipitio, aut in vertice capitis, aut circum aures dolor figitur, etiamsi cum febre excandescat, peculiarem causam habet in capite, neque symptoma est febris. Sæpe enim his locis vetus dolor quasi sopitus, atque conquiescens humore irritato exasperatur cum febre: non alia sane ratione, quam euenit in articularibus doloribus: in quibus humor circa membranas, & articulos inhærens, si tacitus erat, vini meracioris liberaliore potu suscitatur, doloremque mouet.

De vigiliis. CAP. XVII.

OMNES causæ, à quibus somnus impediri potest, vigiliarum efficere instantiam consueuerunt.

In hoc quidem ordine sunt eæ, quas supra recensuimus: vt sitis inextinguibilis, maximus æstus, oppressio illa suffocans, dolores tum capitis, tum aliarum omnium partium, & quæcunque nimium infestæ sunt, & laboranti graues.

Verum accidit aliquando sine harum causarum concursu ægrotantes nimium vigilare, idcirco maximam oportet diligentiam adhibere, quo causæ inuicem distinguantur, cognoscanturque.

Contingit igitur aliquando in acutis quibusdam febribus vapores acres, acutos, atque mordaces cerebri substantiam petere, intactis tamen meningibus, quæ sensu exquisito præditæ sunt, quo tamen substantiam destitutam esse alibi diligenter probauimus.

Quamobrem vapores isti cerebri substantiam exsiccantes, atque calefacientes, spiritusque animales supra modum attenuantes, atque varie dispergentes vigilias inferunt.

Hoc ego memoria teneri velim, cum frequentissime adueniat; Medicique quamplures rerum contemplationis ignari inuenire nesciant; propter quam causam petentibus vaporibus cerebrum dolores capitis non fiant.

Alteram etiam causam cognoui cum sæpe alias, tum diebus proximis in filio cuiusdam fabri ferrarij; qui febrem pestilentem passus, qua cum incendium erat admodum exiguum, nec acres vapores caput oblædebant? Cur igitur, inquies, vigilabat? quia maligni vapores, ac pestilentes, vt erant cordi admodum graues, sic cerebrum inuadentes, tota substantia, & illorum pernicie, animalibus, spiritibus corruptis, vigilias intensissimas aduocabant.

Velim tamen hic diligentem Medicum animaduertere, ne ex ægrotantium relatione decipiatur; nam multoties dormiunt; Medico tamen insinuant sese vigiles nocte tota extitisse. Inspiciundus est itaque somni modus: si quando enim contingat ægrotantes sic se habere, sciendum est, mentem in illis ægrotare: ea potissimum parte, qua celebratur memoria.

Hoc vidi ego contigisse diebus præteritis in illa lethali fratris mei Lelii ægritudine; à qua maximo Dei Opt. Max. miraculo in hanc vsque diem superstes euasit.

De somni profunditate. CAP. XVIII.

SOMNVS profundus, quamuis multiplices causas habeat, quantum tamen ad præsentem tractationem de febribus, attinet, ab hisce solis causis proficiscitur.

Causa. Prima nimia pituitæ copia in cerebri substantia putrefactæ, quemadmodum indies videmus contingere in lethargicis; aut in vniuersum somniferis omnibus febribus.

Alia vero causa est vaporum frigidorum à subiectis partibus ad cerebrum affluxus, qui inibi condensati, in pituitæque naturam translati, profundum somnum accersunt.

Quibus addere est postremo loco retractionē à partibus extremis magnam, violentamq; caloris insiti ad profundiores regiones, quæ res potissimum contingit in principio intermittentium febrium; atq; earum potissimum, in quibus humores frigidi putredinem adepti sunt.

De delirio. CAP. XIX.

DELIRIVM, de quo hic agimus, à phrænitide distat; quia illud multoties sine phrænitide consistit; hæc autem nunquam sine delirio.

Adde quod delirium est aliquando sine febre; at phrænitis nunquam; quinimo semper comitem habet acutam febrem.

De phrænetide igitur ne verbum quidem hoc loco dicere oportet, cū diuersam habeat à febribus, de quibus in hoc opere agimus, consistentiam.

De ipso autem delirio agentes, id solum sermone prosequemur, quod à febre fit, tanquam à propria causa.

Signa futuri delirii. Primum vero hoc animaduertendum est, quod delirium aduenturum esse ex his notis coniectari potes: ex importuna, inquam, loquacitate, aut immoderatiore gestu, aut quauis effrenata laborantis impudentia: causæ vero sunt, quas oratione superiori, dum de vigiliis agerem, sum prosecutus. Vapor acer, & acutus, aut perniciosa, & maligna qualitate præditus cerebri substantiam inuadens.

Cæterum est multo grauior causa, cum feruida bilis in cerebrum obrepit: nam eo tempore mens ipsa conturbatur, & portendosa rerum simulachra sensibus, atque menti sese offerunt, quibus illico succedit delirium, mentisq; aduenit alienatio.

Hæc porro facile ab experto, doctoq; Medico cognoscitur; hoc præsertim semper interueniente pathemate, nempe, quod vrinæ statim è mediocribus, aut aliter affectis, puriores euadunt, clarioresque. Neque enim possunt alio modo disponi, flaua bile ad caput raptum habente.

Verum quoniam non vna est mentis alienationis differentia, accurate hoc loco discernendum est; quæ propria sit ægrotanti: quæ sane, quia manifestam fidem sunt habitura, ex iis, quæ in commentariis nostris ad nonum Rhasis ad Almansorem diximus, ne idem bis repetamus, ad eum locum relegandum lectorem duximus.

Hoc autem vnum prætermittendum non est, quod delirium, de quo agimus, semper per communicationem ab inferioribus partibus originem habeat, raroque periculum aduehat: nam, vt plurimum in vigore febrium intermittentium accidit; sponteque sedatur, postquam ipsa flaua bilis efferbuerit; à qua vapores eo tempore cerebro communicantur: vixq; ex multis vnum aut alterum offendas, delirio affectum, qui sanitati restitutus non fuerit; quod vero nonnunquam ægrotantes commoriantur, id accidit facta

phræne-

phrænetide, quæ arceri non potuit aut ægrotantis errore, aut Medici negligentia; aut propter vehementiam, & malignitatem morbi.

De rigore & horrore. CAP. XX.

QVID rigor, & horror sit, frustra hoc loco declarandum assumeremus, cum superioribus libris, in quibus vniuersum negotium de intermittentibus febribus absoluimus, abunde dictum fuerit: vbi etiam illud dilucide exposuimus, à quibus causis proficiscantur.

Quamobrem iis præsuppositis, sciendum est, rigorem, atq; horrorem quæ proprie symptomata sunt intermittentium febrium aliquando modum excedere, atque miseros ægrotantes pessime affligere. Accidit autem hoc potissimum in febribus quartanis: aliquando in tertianis.

Vtriusque autem euentus ea causa est, quod aut flaua bilis, aut succus melancholicus a calore febrili attenuatus, & acrimoniam quandam adeptus violentissimo quodam motu per sensitiuas corporis partes defertur: vt alibi diligenter docuimus: hoc igitur symptoma solum propriumq; est intermittentium febrium.

Quid vero, inquiet fortasse aliquis; nonne febres continuæ rigorem afferunt? huic ego afferre, inquam, rigorem eiuscemodi febres, sed non talem existere, quod molestiam ægrotantibus afferat. Solent autem continuæ febres tales rigores facere duplici ex causa: harum altera est, cum ad solutionem integritatemque perueniunt: de qua dictum est illud senis nostri, *Causone habito rigore superueniente fit solutio.* Alia vero cum ex continua fit febris intermittens: cum scilicet in alteram quandam speciem transmutatur; id quod frequentissime accidit.

Cur interdum febres continuæ habeant rigorem.

De sudore febricitantium. CAP. XXI.

AGENDVM autem est hoc loco de febricitantium sudore; à quo non raro ægrotantes in extremam perniciem deueniunt; vt ego nudiustertius in quodam adolescente in monte filoprano Medici cuiusdam ignorantia obseruaui.

Illud itaque inprimis animaduertere oportet, sudorem commune quoddam esse symptoma tam continuarum febrium, quam intermittentium; & in vtroq; aliquando salutem, aliquando vero mortem inferre.

Omnis autem sudor proxime à materia aliqua deducitur, quæ molesta est aut mala qualitate, aut copia: educiturque per meatus cutis, & patentia spiracula.

Qualis porro humor sit, qui profluit per sudores ex hisce indiciis cognoscemus. Sudor mitis, & halituosus, benignitatem significat: acer vero, & mordax bilem flauam, aut acutos humores: crassus, ac viscidus, qui scil. strigulis tenaciter adhæret, viscidorum humorum signum fit, quemadmodum subtilium qui tenuis existit: Fœtidus à putrido humore maxime proficiscitur: suauis & bene olens ab humoribus, qui exiguam putredinē experti sunt: Frigidus, aut virtutis extinctionem, aut cum valida virtute humores frigidos putredinem subiisse denotat.

Indicia humoris per sudorem manantis.

Cæterum non solum hoc cognouisse operæpretium est; sed et quomodo profluat: an scil. expellentis naturæ beneficio, qui naturalis sudor nuncupatur; an autem sponte decidat, qui solet symptomaticus vocari.

Qui sane vberrime sudor profluit in declinatione febriū intermittentium; & qui in continuis febribus vigente morbo critice accidit, naturalis est sudor.

At præter naturam est, atq; symptomaticus, qui quouis modo aliter, alioue morbi tempore emanat. Omnis enim sudor, qui in morborum principio, vel ante concoctionem humorum, vel ante congruū tempus iudicantis

naturæ exierit, irritus eſt, atq; ſymptomaticus, & cui nulla fida morbi ſolutio committi debet.

Qui in ſyncope, animiq; defectu circa frontem, & collum clauiculaſque aduenit, multo conuenientius mador, quam ſudor nuncupabitur.

Omnis autem ſudor bonus dicitur, qui primum à capite incipiens omnes partes inuadit, quique aluo expurgata ſuccedit, craſſioreque morbi materia vacuata.

Tunc enim tenuior nullo negotio pars humoris expurgatur, atq; deducitur ſunt hęc plurimum neceſſaria, vt iam diximus, quę à diligenti, & experto Medico cognoſcantur, vt is ſciat, quando ſudor inhibendus ſit, quando remittendum totum negotium naturæ, quando rurſus natura ipſa adiuuanda ſit.

Symptomatici quidem ſudores omnes inhibere oportet: quo enim illi diutius perſiſtunt, eo ſane inutilius educuntur, virtutibus ſcilicet labefactatis omninoque diſſolutis.

At qui non ſunt ſymptomatici ſi vtiles ſunt, & naturales permittendi ſunt, quandoq; protitandi.

Sed quia nos hac de re in ſequentibus voluminibus, in quibus de curandi ratione tractabimus, omne negotiũ diligenter abſoluemus, propterea hic finem dicendi faciam, hoc ſolo contentus, me tum huiuſce rei lectores admonuiſſe, tum ſummam eorum omnium dixiſſe, quæ ad ſudorem pertinent.

De fluxu ſanguinis narium. CAP. XXII.

QVÆ ſymptomata hactenus proſecuti ſunt, ea ſane propria ſunt febricitantium ea ratione, qua febricitant, debentq; propter hanc cauſam à Medico, cui propoſita ſit febrium curatio diligenter conſiderari: at vero quæ poſthac à nobis dicentur: ea ſane, quamuis febricitantium propria non ſint, nihilominus cum aliquando ſimul cum febribus complicentur, illorum explicatio maximam vtilitatem afferret. Atq; primo loco ſanguinis à naribus fluorem contemplemur.

Cauſ. Hic igitur fit triplici ex cauſa, vel enim erumpit, vena aperta, vel rupta, vel tertio corroſa.

a. Venæ quidem oſtium aperiri contingit duabus ex cauſis: harum vna eſt ſanguinis exuperantia, ac copia, quæ id efficit, vt vaſorum oſcula aperiantur.

a. Altera vero eſt ſanguinis tenuitas, facile apeṙiens venarum oſtia.

b. Rumpuntur autem venæ tum à vulneribus, tum à quauis aliqua euidente cauſa, quæ inferre violentiam poſſit; in quo numero, quamuis multæ ſint, vnam tamen ego non ſemel obſeruaui veram eſſe cauſam, tuſſim videlicet admodum moleſtam, eo enim impetu non raro conſpeximus naſi venas abrumpi.

Cæterum exeduntur à ſanguinis ipſius acrimonia, aut etiam cuiuſuis humoris mordacitate.

Quibus autem inditiis hæc ipſa diſtinguenda ſint, hoc loco dicendum non eſt, quoniam ſunt ſuapte natura maniſeſtiſſima.

Interim vero duo ſunt admonenda.

Primum, quod in febrientibus aliquando ſanguis profluat ſymptomatice, vt à tuſſis vehementia, vel ſanguinis copia, vel acrimonia.

Aliquando autem critice natura ſcilicet noxios humores per eas regiones expellente.

Violentus fluor ſanguinis aut nullam vtilitatem, aut admodum exiguam exhibet: talem vocamus eum, qui ſymptomaticus eſt, at naturalis, vt plurimum cum maxima ægrotantium vtilitate profluit, niſi tamẽ is nimium

superfluxerit, quo casu, quid agere expediat, in secunda parte tractationis huiusce nostræ de febribus, declarabimus.

Esset autem hoc loco docendum, quibus indiciis sanguinis fluorem criticum à naribus præcognoscere possimus, quam rem docere supersedemus, quia ad artem prognosticam pertinet, de qua infra, quantum huic proposito conueniat, breuiter disseremus.

Alterum vero animaduertendum est, venas, inquam, narium non ex intimis cerebri sedibus excurrere, vt perperam nonnulli recentiores Medici magno errore tradiderunt: sed ex oris, palatiq; sedibus, quæ satis quidem detectæ sunt, ac patulæ: vt scilicet illæ sint, quasi emissarium superuacui sanguinis expellendi; quemadmodum & hæmorrhoides, & quæ in vteri ceruicem pertinent. Hoc ego, quod ad ipsam anatomen attinet, volui hoc loco adnotasse, quia maximum vsum medendi arti afferre potest, vt cuilibet rem diligenter spectanti, manifestum esse potest. Sed hæc quidem hactenus de sanguinis fluore diximus.

De cholerica passione.

CAP. XXIII.

Quia hoc anno simul cum febribus tam continuis, quam intermittentibus, frequentissime cholerica passio complicatur, cuius causa ægrotantes fere omnes, miserrime interierunt, ego hic nonnulla in medium afferre constitui de lethalis huiusce symptomatis natura.

Cholera quid. Hunc igitur affectum, quem Græci χολέραν vocant, Latini aut choleram Græco vocabulo vsurpato, aut cholericam passionem, nuncupauerunt. *Est autem hic affectus bilis tam per superiores, quam per inferiores partes eruptio.* Nam vno, eodemque tempore pariter per vomitum effluit, atque per aluum educitur. Primum quidem tenuior, maximeque liquida: deinde vero crassitudine maiori prædita, coloratiorque.

Hic autem, vt plurimum solet esse deiectionis ordo: Primum pallida, & citrina, Secundo loco flaua: tertio prassina; mox cœrulea, aut etiam nigra. Affectus hic maxime atrox, ferus, atque mortalis est, in quo cum ventriculus, tum intestina miro modo distorquentur, atque flatuum copia distenduntur. Hinc sitis incompescibilis homines excruciat, pulsus celerrimus, paruus, frequens: quibus fere semper animi defectio superuenit.

Quæ causa. Proxima affectionis huiusce causa est, flaua bilis, quæ tempore, vel in suo folliculo, vel in iecore, vel in liene, vel circum pancreas, vel circum intestina, stomachumque cumulatur: cumque supra modum aucta, naturæ grauis, & infensa esse cœperit, huc illucque impellitur, ac diffluit, vt etiam ea perculsi toxicum sese bibisse putent.

De fluxu hepatico.

CAP. XXIV.

Dum hæc scriberem, Antoniæ Bonacorsæ sorori meæ accidit fluor quidam hepaticus simul cum febre continua: quapropter placuit, huius etiam inter symptomata, quæ febribus nonnunquam adueniunt, mentionem facere.

Sciendum est itaque hic per fluorem hepaticum nos intelligere, cum copiose educitur sanguis, loturæ carnis recenter mactatæ non dissimilis.

Causa. Causa quidem, quamuis multiplex esse possit, vt diximus *in nono ad Almansorem*, præcipua tamen causa est hepatis imbecillitas ab intemperie illius partis frigida progenita: Hæc enim cum perfectam edere

edere sanguificationem non possit, neq; propter imbecillitatem alimentum sibi commissum retinere diutius valeat, excernere finit sanguinem nondum elaboratum.

Signum. Cuius rei id potissimum signum est, quod in febricitantibus non aduenit, nisi post diuturnam febrem, & in corporibus præsertim valetudinariis, quod huic meæ sorori potissimum contigit, postquam enim diebus plus minus 45. hac febre fuerit affecta, in talem incidit fluxum: nec id profecto mirum, cum fuerit mulier secundum suam naturam imbecilli hepatis.

De tussi. CAP. XXV.



REQVENTISSIME tussis accidit ipsis febricitantibus: sed propter multiplices causas, quæ sunt hoc loco sigillatim referendæ.

Causa. Si febris fuerit symptomatica, nempe ex eorum genere, in quibus thorax tumorem aliquem præter naturam patitur, vt pleuritidem, pulmoniamq; originem habet tussis ab ea inflammatione.

Sed si citra hosce affectus hominem inuaserit; duabus ex causis potissimum accidit; vna est materia à cerebro ad pulmones, & vniuersaliter ad thoracem declinans, altera vero est per communicationem ab inferioribus partibus, vt accidit in principio quarundam intermittentium febrium.

Causarum signa. Vtramq; autem causam dignosces: primum, quia illa tussis, vt plurimum est humida, non sicca, educiturq; humor per tussim aut excreationem, à quo ea concitabatur. Hæc vero semper est sicca, & inanis: deinde vero illa vnoquoq; febris tempore hominem inuadit, potissimum vero nocturno tempore ægrotantem fatigat: Hæc vero in accessionis principio solummodo molestiam affert: Illa sedari non potest, nisi in medicamentis à thorace expurgantibus: hæc vero sanatur sanata, curataq; febre.

Dubium. Quæsiuerit autem hoc loco quispiam, propter quas causas in febribus intermittentibus adueniat eiuscemodi tussis: huic ego, inquam, aduenire propter diaphragmatis compressionem: nam humores putridi, à quibus febris concitatur, dum in accessionis principio vehemēter mouentur si ipsum diaphragma tetigerint, statim illa inanis tussis generatur: nec tussiendi impetus sedatur, non expurgata illa materia, vel per vomitum, vel secessum, vel vrinas, vel sudorem, vel per aliquam insensibilem regionem.

Hic porro idem est tussiendi modus, cum ego, qui accidit in hominibus hydropicis, in quibus compresso diaphragmate fiunt necessario vanæ illæ tusses, quæ plerunque maximam inferunt molestiam ægrotantibus.

De sternutatione. CAP. XXVI.



VEMADMODVM tussis motus proprius est thoracis, quo is humores peccantes, aut quicquid in eius capacitate aut substantia noxium est, expellere contendit: sic sternutatio est proprius motus cerebri, propter eundem vsum à natura institutus.

Quod autem cerebro afferre nocumentum potest, id quidem multiplex est: nam conatur per sternutationem expellere tum excrementa vniuscuiusque generis, tum vapores, aut in cerebro genitos, aut ab aliis partibus transmissos, quorum sane cognitio non est difficilis ei, qui in cognoscendis particularibus morbis exercitatus fuerit.

Historia. Placet autem hic admirabilem quandam historiam recensere, qua cognosci potest, sternutationis causam fuisse tumorem præter naturam, & abscessum in cerebro: à quo tamen optime liberatum ægrotantem scimus.

Laura vxor Florauanti Mattucci dolorem quendam capitis patiebatur permanentem, & continuum in anteriori parte capitis, qui profecto nō erat admodum acutus, sed potius grauitatis quendam sensum præseferebat; aderat febris continua, sed lenta, quam fortasse inter amphimerinas collocasses; sternutatio autem aderat continua, à qua maxime lacessebatur; nullo enim

enim non tempore, ab ipsa sternutatione male habebat. Sed cœpit sternutatio quiescere, cũ cœpit sanguinem exspuere, cum sanie, aliquando alba, aliquando autem plumbea, & quandoque pallida: hunc porro sanguinem neque cum tussi, neque cum exscreatione, neq; cum vomitu, neque affecto palato, aut dentibus, aut gingiuis educebatur: quamobrem recte concludebamus, à cerebro originem duxisse: quoniam vero post illius expurgationem sternutatio quieuit, dolor capitis euanuit; febrisque fuit omnino dissoluta; nos in eam opinionem peruenimus, in anteriori parte cerebri, in qua meatus narium elucescunt abscessum quendam contineri; qui horum omnium symptomatum fuisset causa: quandoquidem ipso abscessu expurgato, omnia id genus symptomata quieuerunt.

Sed dubitationem habet hoc loco nõ contemnendam, propter quam causam non fecerit phrænetidem? *Dubium.*

Huic ego respondetem; quia non fuit acris humor, non acutus, qualis est, qui conciat phrænetidem: secundo, quod non fuerunt affectæ meninges cerebri, neq; illius substantia; sed quod abscessus factus fuerit in meatibus olfactoriis, ea parte, qua cerebrum contingunt. Hæc tamen probabiliter affero: alii autem casum hunc diligentius contemplati causam fortasse veriorem afferent.

De dolore stomachi, & ventris. CAP. XXVII.

QVAMVIS dolor in stomacho multifariam, multisq; modis fieri contingat; ego tamen in præsentiarum ipsam redigo ad hasce causas: quæ solent frequenter ipsis febricitantibus aduenire. *Causæ.*

Harum causarum vna est inordinata victus ratio, cum scilicet nimium sese potu impleuerunt contra Medicorum præcepta: huius enim copia distenduntur membranæ ventriculi, & dolores efficiunt.

Altera causa est flauæ bilis prouentus ab epate, aut à venis in ventriculum, illiusq; ostium: cuius causa dolores fiunt vehementissimi; & ab hac etiam contingit tum ipsas vomitiones concitari, tum fluores alui, tum, vt prædiximus, cholericas passiones; sunt autem dolores inanissimi: quos Græci, quia cor in consensum trahitur, καρδιαλγίας nuncupauerunt.

Postrema vero causa fuit flatuosi spiritus copia distendentis, atque diuellentis membranas ventriculi.

Quibus autem signis id cognoscẽdum sit, satis manifestum esse omnibus potest; idcirco nunc docere prætermitto.

De raucedine. CAP. XXIIX.

FEBRICITANTIBVS duplici ex causa raucedinem contingere sciendum est.

Prima est humorum à capite ad tracheam arteriam, & ad ipsas fauces defluxus.

Secunda vero nimia vociferatio, nimiæ querelæ ægrotantium; atq; voces, sonique magni editi inter tussiendum: quæ res potissimum accidit hoc tempore Lelio Augenio fratri meo: qui propter maximas tusses in raucedinem incidit multorum dierum.

De malo odore. CAP. XXIX.

ORIS fœtor, quo plerumque male olentes, ipsos febricitantes conspicis; si ab extrinseca causa non habet originem, vel ab aliqua dentium ipsorum dispositione, vt putredine, aut etiam ab vlceribus gingiuarum, vel palati; fit ab istis causis: nempe

nempe aut ab alimenti putredine corruptioneque in ipso ventriculo, aut ab humorum, putridorum, à quibus fit febris, præsentia.

Oportet autem in ventriculo consistere, quæcunq; causa sit ex duabus prędictis, quia si in aliis sedibus existit putrefactio, hęc de sese fœtorem emittere non valet. Si ab alimentorum corruptione factus fuerit fœtor, cognoscetur ex vomitu, tum etiam relatione ægrotantis, quod scilicet is tempore sanitatis eandem affectionem passus fuerit; vix enim vnum inuenies, qui si ei non fœteat odor sanitatis tempore, ob alimentorum putredinem, in ægritudine constitutus, in hanc labem incidat: Frequentius autē accidit propter humorum putredinem, vt indies experientia manifestum facit.

De dolore in cruribus superueniente.

CAP. XXX.

NONNULLOS febricitantes offendes, qui plurimum conqueruntur de dolore in ipsis cruribus superueniente: quorum dolorum causæ sunt duæ.

Causæ.

Prima est flatuosi spiritus copia distendentis musculos crurum: quæ res contingit potissimum in diuturnis febribus, in quibus pedes solent intumescere propter magnam imbecillitatem in hepate contractam.

Alia vero causa est humorum defluxus; siue à capite fuerit, siue ab alia parte, à qua veluti critice noxij humores expurgari soleant, in illasque infimas partes demandari: hoc videmus indies contingere iis, qui diuturnis febribus afflictati fuerunt, at præsertim in febribus quartanis: quas ego non semel per hanc viam penitus dissolutas conspexi.

Quamuis autem ab aliis causis fieri eiuscemodi dolores possint: nihilominus hæ præcipuæ sunt, magisq; frequentes, quæ febribus adueniant.

His ego videor omnia diligenter prosecutus, quæ ad ipsarum febrium symptomata pertinebant: nunc relinquitur, vt de prognosticis dicam, quæ huic tractationi afferre vtilitatem possunt.

Quæ de prognosticis hoc opere dicenda sint.

CAP. XXXI.

IN hac nostra igitur tractatione de febribus, ne aliquid possit desiderari; hoc loco nonnulla de prognosticis dicam: quorum sane facultas, vt magna est in omnibus morbis, sic profecto in ipsis febribus maxima est.

Verum hoc in primis animaduertere oportet, me non omnia prosecuturum, quę ad artem prædicendi pertinent: hoc enim est alterius negotij, sed reliquis prætermissis hæc sola rerum capita perquiram.

Primum itaq; videbimus, quibus indiciis distinguere valeamus, an ægrotus ex morbo moriturus sit, an autem saluandus.

Deinde vero, quia febres non vnà ratione soluuntur, secundo loco explicandum, an illæ vna ratione, an altera soluantur.

Postremo vero particularia quædam prognostica circa febres adnotabimus, atque simul nonnulla de pulsu intermittente docebimus, quæ maximam vtilitatem afferent tractationi de febribus.

Indicantia finem, quem morbus est habiturus, & quæ indicia sint mortis citra iudicium futuræ: quomodoue mortis dies, ac hora præcognoscenda sit.

CAP. XXXII.

QVANTVM igitur ad primum pertinet, an scilicet æger sit euasurus ex morbo, an vero moriturus, ex tribus potissimum indiciis cognoscemus. Primum est, morbi species: secundum eiusdem magnitudo: tertium morbi mores.

Ex

Ex morbi quidem specie, quoniam non vna est omnium morborum natura: Quidam enim toto genere sunt salutares, quidam autem lethales: illi quidem euasurum ægrotantem insinuant: Hi vero contra moriturum: in priori numero sunt: febres diariæ; tertianæ omnes exquisitæ; aliique id genus morbi: in altero vero: fortis apoplexia: hydrops: conuulsio à siccitate, peripneumonia, phrenitis, & id genus alij: qui suapte natura sunt lethales. Cæterum cognoscitur morbi species, vt hoc obiter animaduertam, ex propriis indiciis, quæ morbi naturam concomitantur, à Græcis παθογνωμονικὰ nuncupantur, vt Pleuritis cognoscitur (vt exemplo rem illustriorem reddam) ex febre continua; Anhelitus difficultate; tussi, laterisque dolore continuo, & pungente. Itaque morbi species hominem moriturum, aut à morbo liberaturum significat.

Signa speciei morborum.

Idem etiam ex magnitudine affectionis obseruandum est: quo enim maior fuerit affectus, eo maius periculum adesse, & quo minor, minus adesse significatur.

Per magnitudinem autem intelligere oportet, vehementiam propriorum symptomatum: nam potest aliquis morbus esse salubris, qui tamen hominem cum tali vehementia inuadat, vt illius causa non parum fuerit, de illius salute pertimescendum: sic videmus, quædam vulnera in carnosis partibus inflicta, quo ad locum affectum nominari periculum: at vero propter illorum magnitudinem esse aliquando lethalia: quod etiam de aliis pariter dicendum.

Amplius autem ex more morbi, aut salus, aut mors colligitur, salus: si fuerit ex benignorum numero; mors, si contra malignitatem habuerit: sic cancer: Elephantiasis, phagedena vlcera omnia cacoethe; febres pestilentiales, lethales sunt, vt plurimum; quia malignos mores habent; contra vero tertiana exquisita, diaria febris est salutaris affectus; quia citra hanc malignitatem consistunt.

Verum quia morbi quomodocunque finiantur, hoc vnum habent, quod vel per indicium naturę, vel citra iudicium terminantur: nos capite sequenti docebimus, quomodo id ab experto Medico cognosci queat: nunc vero supponamus morbum lethalem esse, atque doceamus, quomodo quis possit cognoscere futuram mortem citra iudicium: & quo die fuerit, quaue hora homini moriendum: hæc enim admirabilem Medicum reddunt.

Tria sunt in vniuersum, quæ nobis eiusce modi facultatem præstant.

Virium imbecillitas, quod primum & maximum est: neque enim natura ita prostrata, viribusque suis destituta, ad pugnam aduersum morbum insurgit.

Alterum, si nullum aut certe minimum adfuerit concoctionis indicium.

Tertium si magnus, atque malignus fuerit morbus: fieri enim nequit, vt si malignus fuerit morbus, viresque imbecillæ, vt morbus concoquatur: adeoque iudicium sequatur.

Tres autem sunt omnium eorum, qui citra iudicium moriuntur modi.

Modi morientium citra iudicium.

Primus quidem in accessionum inuasionibus fit: siquidem plurimi tum moriuntur, idque propter magnitudinem phlegmonis principem aliquam partem obsidentis; vel humorum malignitatem, crassitiem, & tenacitatem, qui spirituum meatus veluti obturant, vel propter repentinum humorum ad interiora motum, qui naturam, veluti suffocant, & extinguunt, haud secus, atque si quis viridium signorum copiam flammæ confertim iniiciat. 1.

Alter in vigore accidit, natura à vehementia accessionis, & morbi violentia superata, qua quidem de causa etiam in augmento accessionum, quod tamen rarius accidit, moriuntur: quippe cum quoà vehementissimo morbo natura vincitur, ac p'ane succumbit. 2.

Tertius modus in accessionum declinationibus accidit. Plurimi namque in declinatione accessione moriuntur, in ipsa autem vniuersali declinatione impossibile est. Si enim natura restitit morbo in eius principio, augméto, atq; vniuersali vigore, quibus in tẽporibus maxima est vis morbi, qui fieri potest, quin eadem morbo iam declinante, minore facto, validioreq; reddita ipsa natura: vt ægrotus moriatur: at in particularibus declinationibus moriuntur. Imbecillis enim virtus tempore principii augmenti, & vigoris ipsius accessionis potest sufficere: quod tum adhuc sit veluti compressa, constricta, & vnita. Declinationis autem tempore, cum calor rursus à medio corporis ad extrema mouetur, discutitur, ac dissoluitur, habitus corporis, haud aliter, quam vbi virtus nimio gaudio laxata, exteriora petens dissipatur.

Mortis quidem dies præcognoscitur, vbi quanto morbus naturam superet, considerabimus, & grauiores accessiones inspexerimus.

Si enim morbus plurimum superauerit, & parum admodum vis naturæ resistere videatur, mors haud diu aberit.

Si vero contra acciderit, vt morbus quidem virtutem superet, non tamẽ plurimum & virtus admodum resistat, mors tardius insequetur.

Sed demus excessum illum, quo morbus naturam superat, esse satis magnum, quomodo tunc scire poterit Medicus, num mors vnũ diem, vel duos prorogetur? Ex accessionum vtiq; circuitibus: nam quo die futura est accessio; ea die morietur æger.

Signa ipsius horæ.

Porro qua diei hora mors euenit, facile cognosces, si quo morbi tempore, æger moriatur, memineris: nam qui per accessiones affligunt morbi, in principio: quando materiæ multitudo, & crassities ad interiora mouetur, occident, quod scilicet hoc tempore natiuus calor suffocetur. Si vero eo tempore magis infestent accessiones, quo etiam ad exteriora morbus vergit, in augmento, vel vigore, nempe quando morbus vehementissime molestat, ægrotus morietur.

Quod si ex dissolutione mors contingat, ea in declinatione est expectãda: quapropter eos, quos deterius afficit prima accessionis pars per febres, quæ cum rigore infestant, in ipso frigore mors excipit.

Qui autem grauius habent cum calor affligit in ipso augmento, vel vigore accessionis moriuntur.

In quibus vero emanant sudores perniciosi, aut per insensibilem transpirationem corpus discutitur, ac dissipatur, in illis, vbi calor se remittit, mors accidit. Quod si accessionis tempora obseruentur, quonam die, quaue nocte accessio grauior fiat, & qua eiusdem hora grauius molestet, facile mortis hora prædicetur. Ea enim die ac nocte, qua maior est accessio, ægrum perimet, & in ea accessionis hora, in qua antea per alias accessiones illum grauius afflixit. At si morbi per accessiones non vrgent, certius nihil sciri potest, nisi quod ea hora mors expectanda est, in qua æger grauius se habere consueuit, & deteriora illi afferuntur symptomata.

Quibus signis cognoscendum, an morbus iudicabitur, nec ne?

Cap. XXXIII.



Qvia maxime interest cognouisse, an morbus per iudicium fuerit finiendus, nec ne: doceamus hoc loco, quibus signis id à Medico cognosci valeat.

Hæc autem sunt in vniuersum capita, ad quæ respiciens id in vniuersum inueniet quod quærit. Morbi scilicet motus: Magnitudo, species, anni tempus, & huic annexa (voco autem annexa, regionem, ætatem, rationem victus, ambientisque nos aeris statum, & si alia sunt his finitima) atque postremo ea, quæ morbis ipsis succedunt.

Motus igitur morbi præmonstrabit, an iudicabitur, nec ne: quoniam, qui

qui morbi velociter mouentur, ij iudicari solent, die scilicet tertio, quarto, quinto aut septimo: prout fuerit motus magnus, ac vehemens: qui enim vehementissime, & velocissime agitantur tertia die: qui vero tardius, quinta vel septima, adde etiam nona ac quarta. *Motus morbi.*

Quod de hisce diebus diximus, idem de reliquis intelligere oportet, in quibus mouere naturam videmus.

Motus velocitatem adauget magnitudo morbi, qui enim magni sunt, maximeq; affligentes, breui tempore iudicantur, non enim potest natura diu sufferre illorum impetum, at morbus exiguus minime per iudicium dissoluitur, sed sine iudicio euanescit. *Magnitudo.*

Anni tempus iudicij celeritatem & tarditatem adiuuat in hunc modū.

Celeritatem quidem anni tempus calidum, ætas, regio, & quæcunque natura biliosa fuerint. *Anni tempus.*

Tarditatem contraria: anni nimirum tempus frigidum, regio, ætas, & victus ratio præcedens frigida. Verbi gratia: si æstas fuerit & laborans ætate adolescens, natura calidior, & vsus fuerit inedia, & labore, cibis, & potibus biliosis; tunc omnia hæc iuuabunt, vt tertio die iudicium fiat: præsertim si quæ præcessit temporis constitutio, & regio, in qua ægrotat, fuerint natura biliosæ & calidioris.

Si vero contraria adfuerint, & motus morbi tardior, neque magnitudo morbi effatu digna, hybernum tempus; æger autem natura biliosus fuerit, aut ætate declinans, in quinti diei accessionem peruenturum iudicium sperabis: idq; magis si regio frigida & humida fuit, & temporis præsens constitutio similis, & indicia, quæ passim fiunt, in quintam inciderint diem, & alia, ocium scilicet satietas, & victus præcedens pituitosus accesserint, vt disertissime tradit Gal. *lib. 3. de crisib. cap. 4.*

Contemplanda præterea est morbi species: nam cum crisis nihil aliud sit, quam *repentina quædam morbi mutatio*, hæc non potest, nisi morbis acutis euenire; non enim iudicantur morbi diuturni, & qui acuti non sunt, cum nūquam repente, ac subito mutentur, sed sensim, atq; paulatim finiantur. Ergo non finiuntur per iudicium nisi acuti morbi. *Morbi species. Crisis quid.*

Porro ea, quæ morbo succedunt signa, non equidem omnia, sed critica, & iudicatoria, eandem habent potestatem significandi: illis enim apparentibus, necesse est morbum iudicari: non apparentibus autem, per solutionem finiri morbum oportet.

Qualia autem sint hęc signa indicatoria, hoc loco non est à nobis exponendum, quia ad aliam tractationem pertinet.

Sed quia natura ipsa dupliciter morbos iudicat: aliquando per sensibiles aliquas excretiones, & aliquando per abscessum, vel per translationem humoris peccantis ab vna parte ad alteram; hoc loco signa docenda sunt, quibus vtrunq; cognoscere valeamus.

Acuti morbi, magnique, in quibus iudicium in primis circuitibus speratur; non iudicantur, nisi per excretionem sensibilem: nam cum originem habeant ab humoribus calidis, & acribus, tenuemq; substantiam habētibus, tunc profecto mirum non est, si natura eos sensibiliter expellat: at contra diuturni morbi, & quorum tardus est motus, & à frigidiore, crassioreq; humore originem habentes, hi quidem expelli facile non possunt, propter tenacitatem humorum peccantium, quamobrem natura illos per abscessum iudicat: hoc autem iis potissimum accidit, qui longo tempore tenuē & crudam vrinam minxerint, vt Hippocrates testatur, *2. prognost. 34.* *Indicatio morborum acutorum.*

Docent idipsum quartanæ & quotidianæ febres, & nonnunquam etiam tertiana spuria, quæ reiecto ad pedes humore per abscessum finiuntur.

Si autem vrina multam & bonam, hoc est, albam, lenem & ęqualem subsidentiam habuerit, adeoq; tenuis haud fuerit, sed crassa; consentaneum

 est mor-

est morbum paulatim coctum iri, ac solui, minimeque per abscessum finiri. Quod Hippocratis testimonio confirmatur, qui *4. aph. 47.* ita scriptum reliquit. Quibus spes est ad articulum futurum abscessum, liberat ab abscessu, vrina multa, crassa & alba exiens.

Quæ propria sint vniuscuiusque excretionis signa.

Cap. XXXIV.

EXPENDAMVS autem hoc loco diligenter, quibus indiciis vnaquæque particularis excretio, quam inter iudicandum emoliri natura debet, cognosci valeat: hoc enim ad propositam tractationem cognouisse, est summopere necessarium.

Excretiones autem numero sunt hæ, Fluor sanguinis è naribus, vomitus, sudores, prouocatio, sanguinis è mariscis, & ex vtero profluuium.

Signa futuri fluoris sanguinis ex naribus. Indicant fluorem sanguinis è naribus, splendores ante oculos obuersantes: splendidus enim humor est sanguis flauus, biliosus, ac tenuis, qui è naribus fluxurus est, idcirco talem splendorem facit, Galeno teste, *libro primo de crisibus, capite 12.*

Alterum indicium est oculorum hebetudo: propter multitudinem confluentis humoris ad caput, oculosque.

Tertium oculi illa illacrymantes propter eandem causam.

Quartum oculorum rubedo.

Quintum malæ rubicundæ.

Sextum nares rubræ.

Septimum hypochondriorum sine dolore tensio: quæ namque cum dolore incidit, hæc sane non sanguinis profluuium, sed phlegmones illarum partium significat.

Quartum respirandi difficultas: quod sanguinem sursum per thoracem ferri monstret.

Nonum dolor capitis grauatiuus, ac distensiuus, pulsatiusque: Sanguinis enim impetum ferri ad caput significat.

Decimum viscerum in hypochondriis phlegmone: quæ causæ, & signa sunt: quod enim soleant per hanc regionem inflammationes, vt plurimum iudicari, signa sunt. Causæ vero, quod sanguinem sursum fluentē suppeditēt.

Narium pruritus his accedat, quia iam iam fluentem sanguinem indicant.

Quibus addere est consuetudinem hominis, ætatem, regionem, cœli statum, anni tempus atque id genus reliqua: à quibus humores tenues generari significatur.

Signa vomitus futuri. Iam vero vomitus signa eiusmodi sunt.

Primum, oris ventriculi mordicatio propter flauæ bilis redundantiam, motumque circa ventriculum.

Alterum capitis dolor scilicet affecto capite per consensum à vaporibus biliosis.

Tertium vertigo propter eandem causam.

Quartum tenebricosa, & atra oculis obuersantur: flaua namque bilis plenius calefacta, ac vehemēter afflata atram exhalationem ceu fumū quendam exhalat: quæ ad oculos translata turbulentiorem reddit in eis humorem alias natura purum, ac splendidum. Hanc igitur exhalationem sentiens à cerebro, ad oculos permeans visorius spiritus, perinde atque per suffusiones, tenebricosicorum, atrorumque visa efficit.

Quintum est agitatio labii inferioris, quæ accidit propterea, quod bilis flaua internam ventriculi tunicam mordicans intra gulam totam, & ad inferna conuellat: constat enim ex dissectione vnam esse omnem hanc tunicam vniuersam continuam per omnia sibi, & toti ventriculo gulæ, linguæ, palato & ori.

Hæc igitur est, quæ labia agitat, & commouet: quoties ab acriore bile collecta in ore ventriculi gula morderur, ac conuellitur.

Postremum est quod saliua multa, & tenuis per os defluit: bilis enim præ sui leuitate in superficiem fluit, eamq; ob causam ad gulã ascendit, & os fundum ventriculi, eius cauitatem relinquens; vt mirum non sit, si tam crebro saliua tenuis, & plurima ex ore effluat.

Si sudore finiri morbus debet, hæc confestim apparent, rigor vehemens, vt plurimum solet præcedere, aluus, vrinaq; comprimuntur: malæ rubent, anxietas, & angustia maxima circa præcordia, & inquietudo ægrum fatigant, pulsus plenus, magnus & vndosus apparet, mador in vniuersa cute totis instar primum conspicitur, mox copiosus sudor erumpit, isq; calidus, ac feruens, & per vniuersum corpus.

Per vrinas autem plerumq; renum, & vesicæ morbi, atq; gibbæ iecinoris partes cum decretorio finiri solent, eius iudicationis signa sunt percepta in peritonæo grauitas, & aliarum excretionum deficientia; acrimoniæ cuiusdam in collo sensus: Hæc si adfuerint per vrinæ profluuium morbum iudicare significant.

At alui fluxu morbum iudicari indicant: rugitus plurimi in imo ventre percepti, cum grauitatis, aut mordicationis cuiusdam sensu: raptus humoris ad loca inferiora: vrinę tenuitas, & humoris naturæ & reliquarum euacuationum defectio.

Natura per excretionem sensibilem morbos iudicans id sane facit, aut per
- *Fluorem sanguinis.*
  - *narium.*
  - *uteri.*
  - *mariscarum.*
- *Vrinam.*
- *Sudorem.*
- *Vomitum.*
- *Alui fluxum.*

Non est autem difficile vtrum per menses, aut alui deiectionem iudicium sit futurum.

Si enim insignis lumborum granitas, & tensio, & dolor adfuerit, certum est humorum inclinationem ad vterum esse, ideoq; tum iudicium per menses, minime vero per alui deiectionem fiet.

Quibus hæmorrhoides promanare certis, & statis consueuerunt temporibus, in iis non ita facile est distinguere, num per alui deiectiones; aut hæmorrhoides, iudicium fiat, quod scilicet per eundem locum vtraque excretio prodeat, adeoq; in ambabus humorum motus ad annum fiat.

Aliis autem omnibus, quibus per consuetudinem hæmorrhoides non profluunt, vbi concoctionis, & excretionis nothæ adfuerint, vomitus vero & profluuij sanguinis narium, vel sudoris nothæ defuerint, per ventris deiectionem omnino futurum est iudicium.

Quibus nothis cognoscendum, quod morbus per abscessum iudicandus sit?

CAP. XXXV.



Hoc etiam maxime necessarium est cognouisse, nempe, quibus indiciis, an morbus per abscessum fuerit iudicandus percipere valeamus.

Duo autem sunt hoc loco adnotanda: primum quæ signa in vniuersum & communiter, quod dici solet, aduenturum abscessum insinuent. Alterum vero, qua parte is aduenire debeat: illud sane communibus signis: hoc autem propriis distinguendum.

Quod autem ego hic dicere volo sic habet.

Quotiescunq; igitur hominem videris salubri aliqua febre arripi, diuturna tamen, & quæ remediis rationalibus nõ cedat: morbumq; sensim, atq; paulatim iis præsidiis, aut etiam natura non discuti: vrinamq; paucam, crudam, & tenuẽ longo temporis processu eminxerit, audacter pronunciato, in homine abscessum futurum; id est, materiam, quæ febrem facit, ad alias sedes transmutaturam: in quibus, aut verum faciat abscessum, aut humoris collectionem sine abscessu, quod potissimum accidit, cum diuturnæ febres ad articulares dolores terminantur: quales potissimum sunt febres quartanæ, & phlegmaticæ: quas non semel hac via terminatas esse obseruauimus. Testis autem est huiusce rei diuinus Hippocrates in *libro 2. prognost. 34.* dum inquit: *Qui tenuem ac crudam multo tempore mingunt vrinam: siquidem illis alia salubria signa adsunt, iis abscessum ad loca, quæ sub hypochondriis sunt, exspectare oportet.*

In quam parte futurus sit abscessus.

Ceterum ad quam partem futurus sit abscessus, hoc modo distinguendum.

Colassatio in febribus ad articulos, & circa maxillas maxime, abscessus fiunt.

Primum autem meminisse oportet illius aphorismi Hippocratis, *4. aph. 32.* dum ait: *Quibuscunq; resurgentibus ex morbis, si quid laborauerit, hic fiunt abscessus: Et si ante morbum aliqua parte doluerit, hic morbus firmatur:* vt ait *aphor. 33. sequente.* Rursusque *in aphorism.* inquit: *Quibus febres longæ, his tubercula, vel labores in articulis fiunt.*

Abscessus in superioribus futuri signa.

Verum si abscessus in superioribus partibus aduenict, hisce notis comprehendito.

Primum spirandi difficultas celeriter incipiens: mox autem rursus desinens: quæ humores quidem sursum versus tendere, adeoq; abscessum in supernis sedibus erupturum denunciat.

Secundum, capitis dolor, & grauitas.

Tertium, coma & grauis sopor.

Quartum surditas. Hæc enim omnia humorum motum ad superiora significant, & in glandulis post aures futurum abscessum insinuant.

In inferioribus.

Quod si nullum ex supradictis quatuor signis apparuerit, sed grauitas, vel tensio, aut inflammatio, vel dolor in infernis corporis partibus adfuerit, motum humorum deorsum fieri, adeoque in illis partibus futurum abscessum significant.

Sed hæc sufficiant in vniuersali de prognosticis quantum ad præsentem institutionem pertinet dixisse, nunc vero de particularibus differamus prognosticis.

De Particularium febrium prognosticis.

CAP. XXXVI.

DE prognosticis itaque particularium febrium acturus à febribus putridis exordiar, atq; in putridarum ordine ab illa, quam sanguinis putredo cõcitat. Hanc synocham nuncupabamus secundum Græcorum consuetudinem.

Primum itaq; prognosticum est.

1. Prognosticum synochi putridæ.

Omnium febrium continentium deterrima est, quæ incrementum continuo desumit: & inter reliquas ea, quę similem tenorem seruat, deterior est. Omniumque mitior, quæ decrescendo procedit: causa est, quia humores, dum continuo adaugentur, & continuo contra naturam præualent: illam reddũt maxime imbecillem, ac propterea, aut nullæ, aut certe rarissimæ adueniunt crises in eiuscemodi specie: contrariũ vero accidit in decrescente synocho propter paucitatem humorum: & in altera medio modo se habet.

Secundum ad malum, difficultas sermonis, cum profunditate somni, gutturis inflammatio, vuææ, vel amygdalarum, syncope, aut alienatio, cursus lachrymarum præter voluntatem, variolæ liuidæ, violaceæ, acutæ ipsam scilicet cutim maxime pungentes, malum.

Tertium

Tertium. Proiectio ægri de loco ad locum: inflatio ventris resonantis, vt tympanum cum percutitur: maxime cũ ex solutione ventris inflatio non quiescit, mortale: ac multo magis variolis viridibus exeuntibus.

Quartum. Si exhibito enemate non assellauerit patiens, pessimum.

Quintum. Si apparent pustulæ nigræ, aut virides, mortem significant.

Sextum. Signa concoctionis in vrinis aliisq; excrementis: validitas & constantia virtutis: facilisq; morbi tolerantia. Bonum, & quo citius hæc signa apparuerint, eo melius.

De prognosticis causis, seu febris ardentis.

Cap. XXXVII.

PRIMVM prognosticum. Si incipiente ardente febre confestim partium rigeant laborantes: malum. Etenim iudicare ardentes febres rigor solet. Nam (vt ait Hippocrates) *causone habito rigore superueniente fit solutio, quarto aphorismorum 58.* atqui decretoria non statim iudicant.

Secundum prognosticum. Si insomnes, ac fastidiosi sint, grauiterq; angantur, malum. Nam vigiliarum & angoris symptoma semper exitiosum est, nedum in principio febrium.

Tertium. Vbi paululum in fronte, & clauiculis sudauerint, multumq; delirant, malum. Nam eiusmodi sudor etiamsi frigidus non sit, minatur syncopen. At si frigidus egrediatur, pessimus: quippe non fore, sed iam esse syncopen significat *primo prognost. 26. & 4. aph. 37. frigidi sudores, cum acuta febre mortem; cum mitiori autem longitudinem morbi significant.*

Quartum. Delirare in ardente febre, malum. Læsum enim esse cerebrum notat.

Quintum. Timores ægrotantium, atque mœstitiæ, malum: quoniam acris, & deustæ bilis symptomata sunt.

Sextum. Partium extremarum frigiditas pessima: nam si ventre, costisq; calentib. exteriores partes frigidæ sint, mortale, vt in aphorismis Hippocr. ait, *4. scil. aph. 48. & 7. aph. 1 in morbis acutis frigiditas partium extremarũ malum.*

Septimum. Vbi ardentes febres plures habeant accessiones, si eædem diebus paribus fiant statim à principio, malum. Nam interim ad sextũ diem iudicium pessimum fore pronunciant: interim in longum producendum morbum. At si quidem velociter moueatur (quarto die prauam accessionem habente) ad diem sextum de vita decedunt, Galeno teste *lib. 1. de morbi vulg. sect. 2. com. 75.* præsertim si eadem die sudores quam diutissime, frigidiores appareant.

Huic consimile dixisse visus est Hippocrates *4. aph. 61.* hisce verbis: *qui morbi diebus paribus indicantur, male iudicantur, ac lubenter redeunt.*

Octauum. Extremarũ partium liuiditas, & nigredo, mortale. Nam argumento est, calorem naturalem iam extingui, atque prorsus emori.

Nonum à causone habiti, si cum primum maxime æstuassent, atque ingentem sitim habuissent, derepente à siti liberentur: alterum duorum prædicendum est: vel morbum iam solui; vel virtutem emori.

Decimum. Lingua arida, nigra; aspera, sine ingenti siti: vel delirium portendit: vel extinctionem naturalis facultatis ventriculi. *3. de morb. vulgar. sect. 1 com. 2. Galenus.*

Animaduertas tamen pro huius prognostici intelligentia: quod aliquando tusses siccæ, leuiter irritantes, siue ob faucium asperitatem, siue ex sola intemperatura instrumentorum respirationi inseruientium accidat; non adesse sitim: nam ex locis vicinis humor aliquis tenuis, vel destillat, vel trahitur ad loca, quæ ad asperam arteriam pertinent. Sententia est Galeni & Hippocratis *4. aph. 54.*

Vndecimum. Vrinæ tenues, paucæ; nigræ, aluiq; duræ, malum.

Nigræ enim humorem exustum indicant.

Paucæ, quod ab ardente febre omnis humor fuerit absumptus: quodq; emortua sint vrinæ instrumenta.

Tenues, quia à natura bilis non euicta est. & ob eandem causam alui duræ fiunt.

Duodecimum. Sanguis, è naribus stillicidium in ardente febre, pessimum: quinimo in omnibus aliis febribus, malum: vt Galenus docet *quarto de rat. vict. acut. 6. comment. & primo de morbis vulg. sect. secunda, comment. 63. & com. 66.*

Amplius non solum sanguinis stillicidium mortale, sed exitiales quin etiam sunt omnes aliæ exiguæ excretiones.

Huius prognostici hæc causa afferenda est: quia excerni pauca in ægris, vnum ex iis signis est, quæ ex toto prauitatem habent (inquit Galenus *2. prorhet. com. 47.*) siue sanguis per nares excernatur, siue deorsum per ventrem, siue per vomitum tale quippiam, quod superfluum sit, excernatur. Nihil enim eorum, quæ decretoria existunt, exigue secerni conuenit: sed quæ ita vacuantur, omnia duorum alterum subeunt. Nam vel quod non queant tolerari, ob copiam ab affectis effunduntur partibus, vel imbecillitatem ostendunt naturæ, quæ proponit quidem superflua excernere, sed nequit: si vero cum iam dictis symptomatis prauis inuoluntariæ ex oculis lachrymæ cadant, mortem necessario consequi oportet. *6. de morb. vulgar. sect. 1. com. 2.* quanquam & hoc symptoma malum sit in cæteris febribus, ac aliis quibusq; morbis Hippocrate autore *4. aph. 52.* exitiosum autem atq; lethale in acutis *1. prognost.*

Decimumtertium. Si febrem habenti suffocatio repente superuenerit nullo tumore in faucibus existente: lethale. *4. aph. 34.*

Decimumquartum. Si febrem habenti repente collum peruertatur, vt vix deuorare possit, non existente tumore, & lethali. *4. aph. 35.*

Decimumquintum. In febribus circa ventriculum fortis æstus, & cordis morsus, malum. *4. aph. 65.*

Decimumsextum. In acutis febribus conuulsiones, & circa viscera dolores fortes, malum. *4. aph. 67.*

Decimumseptimum malum est. Spiritus offendens: malum ex somnis timores, & conuulsiones, seu labores. *4. aph. 67. & 68.*

Decimumoctauum. Si in frigido ambiente vehementer vri homine m contigerit: exigua salutis ipsius spes est habenda: si vero nec concoctionis habeat signa, nec vires validas seruari, is plane non potest. Gal. *11. meth. cap. 9.*

Decimumnonum. Causon adueniens senibus, atq; in hybernis temporibus, vtplurimum lethalis.

Animaduertere hoc loco oportet, quod causon, & tertiana continua, quamuis inuicem differant ea præcisa ratione, quam libris superioribus expressimus, nihilominus in hoc conueniunt, quod ambæ febres à sanguine tenuiori, atq; bilioso concitari solent: quamobrem quantum ad ipsum prognosticum pertinet, parum differunt, in eo scilicet, quod magis, & minus: quamobrem cum hæc nota sint, prætermittantur, exponamusq; signa prognostica ad bonum in ardente febre animaduertenda.

De prognosticis signis ardentium ad bonum. c. 38.

Primum prognosticum si ægrotantes morbum facile tolerant, si non admodum æstuant: si admodum siticulosi non fuerint, nec fastidiosi, neque vehementer angantur, bonum.

Secundum. Si bonam, atque facilem spirationem edant, bonum. Magnam enim vim habet bona respiratio in omnibus morbis acutis. *primo prognost. 25.*

Tertium. Bonum est: Si nullum sentiant dolorem in partibus internis, si corpus fuerit æqualiter molle & calidum: si lingua non fuerit admodum nigra, aspera, & arida: idemq; de aliis symptomatis iudicium esto.

Quar-

Quartum. Vrinæ cõcoctæ, albæ scilicet lenes, & æquales cum sedimento eiusdem naturæ, salutares: coctiones enim iudicii securitatem breuitatemq; morbi significant, *2. prognost. 26. & 1. in 6. epid.*

Quintum. Alui deiectiones si appareant concoctæ, bonum.

Sextum. Si somnus laborem non facit: sed iuuat, bonum.

Septimum. Si sudores calidi ex toto corpore profluxerint in die iudicatoria, cum tolerantia facili ipsius ægrotantis cum febris diminutione, bonum. *1. prognosticorum.*

Octauum. Bene constare mente: atq; ad ea, quæ offeruntur, bene se habere, bonum: quemadmodum contrarium malum. *2. aph. 33.*

Nonum. Largum sanguinis profluuium in die indicatoria factum, cum virtutis tolerantia, bonum. Esto autem idem penitus iudicium de aliis excretionibus.

Sed hoc loco præ cæteris omnibus, quoddam maximum, breue tamen dictu spectandum erit, si velis recte prædicare: est autem hoc morbi, atq; virium quantitas. Res quæ ad eam explicandam vno indiget verbo, ad vsum vero permagna. Neq; enim bene prænoscere possumus, nisi horum singulorum magnitudinem diligenter pensitemus. Nam vtrum morbus sit exitialis aut non, & quando magis debeat mori, vel sanitati ægrotus restitui, nisi ea, quæ diximus, omnino diligenter animaduerteris, & ad duo ea redigens capita, scil. ad ipsius morbi magnitudinem, & ægroti vires, non poteris recte prædicere: vt liquet ex *lib. 1. de arte curandi ad Glauc. c. 8.*

Etenim si vires adeo validæ sint, vt possint morbum superare, necesse est vt ægrotus euadat: si vero contra omnino, morietur. Non igitur solum inspicias, qualis sit morbi species, seu forma: sed etiam eius magnitudinē aduertas, quod quidem non paruam exigit experientiam. Namq; ex nulla alia re possumus ad exquisitam peruenire notitiam ipsius quantitatis, seu magnitudinis, quam ex crebra exercitatione circa quantitatis coniecturam: quam rem denuo confirmans idem Galenus *2. prognost. 6. comment.* dicebat quod summa totius præsagionis, in morituris conualiturisque est, quoties vis ægrotationis cum ægri facultate conferatur. Si enim morbus vehementior est, æger omnino morietur. Si debilior, quam ægri facultas, haudquaquam morietur, si nihil aliud accidat. Sed satis hæc de ardente febre diximus: & consequenter etiam de omnibus aliis continuis à sanguine tenui.

De prognosticis aliarum febrium continuarum.

CAP. XXXIX.

CONTINVÆ aliæ febres, quas, vel putrescēs pituita in venis ipsis, vel melancholicus humor concitat, omnes diuturnæ sunt: quamuis rarissime adueniant, vt superius demonstrauimus.

Deinde vero non carent periculo: ego enim bis vidi quartanam cõtinuam semel in homine annos nato 45. qui tamen eius vehementia mortuus est: at vero in altero maximo labore sanitatem introduximus.

Tertio omnes continuæ febres symptomaticæ cum sequuntur naturam aliorum affectuum: prout illi fuerint, aut lethales, aut salubres: sic de illis febribus annexis sentiendum est.

Quarto, ἐπιμιξία lethalis est affectus; aut certe cum maxima difficultate solubilis: nam illa febrium permistio facit, quod natura vtplurimum succumbat: aut sin minus, quod saltem non exiguum laborem habeat in propulsando morbo.

Postremo de febribus pestilentibus, quæ continuæ sunt, hoc loco nihil dicendum est: quoniam constat omnium iudicio illas toto genere perniciosas exitiales, atq; malignas existere.

De pro-

De prognosticis febrium intermittentium, & primo tertianarum.

CAP. XL.

PRIMVM prognosticum. Tertianæ exquisitæ salubres sunt, nec aliqua ratione mortales: quod tamen ad illarum naturam pertinet.

Secundum. Tertianæ exquisitæ septem periodis terminantur, quod longissimum est, teste Hippocrate.

Tertium. Tertianæ exquisitæ vtplurimum, vel per sudorem, vel per vomitum bilis terminantur; vel per secessum; quamuis raro; rariusque per vrinam.

Quartum. Tertianæ exquisitæ; vtplurimum soluuntur per iudicium naturæ: nullo artis subsidio adueniente.

Prognostica tertianæ notæ. Huic fere omnia contraria adueniunt in tertiana notha: nam hæc non est febris toto genere salubris cum propter diuturnitatem affectus aliquando non leue periculum adueniat: vt Galenus retulit *primo de curandi arte ad Glauconem in historia cuiusdam adolescentis.*

Deinde vero transeunt semper fere quatuordecim periodos, quamuis aliquæ vltra septimum periodum non transgrediantur.

Præterea hæc febris vtplurimum à Medico discutitur medicamentis purgantibus, & attenuantibus.

Amplius raro, aut, vt dicam rectius, nunquam in hac febre adueniunt crises. Impedimento est humor viscidus, & crassus flauæ bili permistus.

De prognosticis febrium quartanarum.

CAP. XLI.

PRIMVM prognosticum. Quartanæ æstiuæ magna ex parte breues: autumnales longæ, & maximæ, quæ hyemem attingunt. *secundo aphoris. 25.* hoc autem similiter intelligendum venit de omnibus morbis, qui æstate adueniunt.

Secundum. Vetus quartana raro, nisi verno tempore soluitur. Celsus *libro 3. cap. 16.*

Tertium. Quartanæ omnes febres longissimæ sunt.

Quartum. Quartanæ febres, quantum sit merito suæ naturæ, sunt salubres.

Quintum. Quartanæ febres homines à multis affectibus liberant: nam Hippocrates sic inquit *libro sexto de morbis populariter vagantibus. Quartana laborantes magno morbo non capiuntur: si prius autem capiuntur, & quartana superuenit, liberantur.* & rursus *libro 5. aph. 75. à quartanis capti non admodum à conuulsionibus capiuntur: si non capiuntur, & quartana superuenerit, liberantur.*

Sextum. Morbus comitialis à quattana diu infestante liberatur. Celsus *lib. 3. cap. 15.* nos vero hoc ipsum experientia vidimus in ciuitate noua in puero quodam de familia Bettheorum: qui prope plateam habitant.

Septimum. Quartanæ febres à lienis magna obstructione, scirrho, aut inflãmatione obortæ; longe difficiliores sunt; quam aliæ: quinimo aquam inter cutem, & mortem inferre consueuerunt. Quam rem prius à Galeno confirmatam *primo libro de morbis vulgaribus:* nos semel obseruauimus in ciuitate noua in vxore Lucæ de Sbrincho: muliere quidem, vt honestissima, sic pulcherrima: quam hic propter egregias animi sui dotes, honoris causa nomino.

Octauum. Non raro ad quartanam succedit lapis renum; potissimum, cum ea fit ab humoribus nimium assatis.

Nonum. Febres quartanæ quæ adueniunt in senibus, admodum difficiles; sunt enim vtplurimum lethales.

Deci-

Decimum. Febres quartanæ raro incipiendo adueniunt: vtplurimum insequuntur ad alias ægritudines, vt ad diuturnas febres, & erraticas: & ad affectiones splenecticas. *Gal lib. 1. de feb. diff.*

Vndecimum. Quartanæ febres sæpius adueniunt in autumno: in temperamentis melancholicis: & in iis, qui tali victus ratione vti consueuerunt.

Duodecimum. Quartanæ vtplurimum annum non transeunt. Vidit tamen Ioan. Fernelius vsq; ad annos duodecim extensam. Ludouicus autem pater meus ad nonum vsque annum: Ego ad tres annos extensam obseruaui: in me autem ipso sum expertus menses octodecim. Sed hæ profecto omnes nothæ sunt quartanæ, vt optime animaduertit Io. Fernelius.

De quotidianarum febrium prognosticis.

CAP. XLII.

IN hunc autem modum habent quotidianæ febris signa prognostica.

Primum. Quotidiana omnis febris diuturna est, ea tamen excepta: quæ fit à pituitæ putredine in ipsis intestinis consistente: hæc enim medicamento aliquo phlegmagogo, aut etiam enemate statim soluitur, vt optime ante nos adnotauit Stephanus Atheniensis philosophus.

Secundum. Phlegmatica vtplurimum, non caret periculo. Hoc enim diuturnarum febrium naturam sequitur.

Tertium. Breuiter est inter phlegmaticas illa, in qua concocta materia sudores copiosi per vniuersum corpus calidi affluunt.

Quartum. Deterior, atque diuturnior est omnibus amphimerinis; ea, quæ fit à pituita vitrea, vt Galenus adnotauit *lib. 2. de feb. differ.*

Quintum. Quotidianæ diurnæ sunt maioris periculi, quam nocturnæ. Sententia Galeni *in lib. 6. epid. sect. 3. com. 2. & 6.*

Sextum. Quotidianæ frequentissime soluuntur per articulares dolores, facta scilicet transmutatione humorum ad articulos ipsos. Talem vidi terminationem diebus præteritis in nobili, & honestissima pulchraq; commatre mea Domina Ianna de Gallis: quæ post diuturnam hanc febrem in ischiadicos cruciatus incidit.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

HORA-

HORATII AVGENII DE FEBRIBVS,

LIBER OCTAVVS.

Qui eſt de curatione ſymptomatum febrium peſtilentium.

CAPVT I.

De quibus agendum in hoc libro, & quo ordine.



EQVIREBAT equidem hic ordo & methodus, quam in hac de febrium tractatione inſequendam propoſuimus, & huc vſq; etiam obſeruauimus, vt de ſingularũ febrium curatione ageremus; ſed quia ſcimus omnium fere practicantium tum veterũ, tum neotericorum volumina deſignatione remediorum aduerſus eaſdem eſſe plena, & ne opus in immenſum creſceret; huic labori potius ſuperſedere placuit, vt in ſequẽtibus eo poſſemus eſſe longiores. Ad ſymptomatum itaq; febribus peſtilentibus aduenientium tractationem deſcendentes dicimus, eorum duas eſſe præcipuas differentias: quædam enim illis accidunt, quatenus putridæ: quædam quatenus peſtilentes ex excellenti, vt iam diximus, putredine deriuata. De his poſtremis agemus hoc libro, ac aliis ſubſequentibus.

Ea vero quæ proprie ſequuntur peſtilentes ſymptomata, quamuis recenſeantur multa, non eſt tamen mei inſtituti propoſitum de omnibus agere, ſed de iis duntaxat, quæ morbum augere, & virtutes plurimum labefactare conſueuerunt, qualia ſunt cauſæ morbificæ rationem ſubeuntia. In quorum numero præcipua videntur peſtilens bubo, carbunculus atq; fluxus colliquatiuus, variolæ atque morbilli. Priorum trium tractationem octauus hic liber complectetur: poſteriorum vero nonus, ac decimus. In quibus omnem de peſtilentibus febribus contemplationem abſoluemus.

Agamus igitur priori loco de bubone, frequentiſſimo harum febrium ſymptomate: de quo prius conſiderabimus modum generationis, ſigna cũ demonſtratiua, tum prognoſtica, poſtremo remedia, illorumque materiam, quod etiam in reliquis præſtabimus. Aggredior ad rem.

CAP. II.

De modo generationis bubonis peſtilentis.



ON eſt idem modus generationis bubonis peſtilentis cum eo, qui contingit in febribus ephemeris. Eſt autem idem cum eo, qui accidit in lue venerea, ſolum diſtans cauſæ magnitudine.

Vt febres ephemeræ fiant à bubone, & quomodo, dictum abunde à me fuit ſuperioribus libris de natura febrium ephemerarum conſcriptis.

At bubo peſtilens originẽ ſemper habet à ſumma putredine cor ipſum occupante, non ſemper tamen ipſo immediate propellente (ſiquidem ſub alis duntaxat bubones generarentur) ſed interdum facta communicatione corruptionis excellentis præcipuis viſceribus, iecinori à cerebro materia ad alios locos expellitur: à iecinore quidem ad inguinum glandes, à cerebro autem ad eas, quæ ſunt pone aures, maligna deponitur materia: quæ ſane vt plurimum, craſſa, & pituitoſa eſt, inſigni tamen putredine affecta: interdum etiam variis excrementis permiſta viſitur, malis admodũ pernicioſiſſimisq;. Certiſſimum igitur ſit, deponi ad eas partes pernicioſum humorem à natura expulſioni incumbente.

Sed quidem non est ita certum, an semper bona censeri debeat eiuscemodi abscessio,(vt ita loquar) quia plerique omnes putant esse malum, quod transmittatur materia ad inguina nondum concocta, & symptomatis cuiusdam ratione, imo vero id maiori ex parte contingere ipsa docuit experientia. In febribus enim pestilentibus bona iudicia naturæ rarissime cōtingunt.

Ego vero contrarium statuendum sentio, hanc scilicet transmissionem humoris ad abscessum, quæ fortassis in aliis febribus mala iudicari quandoq; posset, in pestilentibus cōtinuo esse bonam. Quod putauerim me facile persuasurum, quibus cordi est rationem præ cæteris contemplari, nam aliis fortasse arduum: vtramque experiri placet ad rem aggredior. Supponere prius oportet malum esse omnium grauissimum, vt supra diximus, pestilentem febrem, concitarique ex iis humoribus, qui omnium ob maximam putredinem pessimi sunt, adeo vt præstantes viri venenatos vere ac proprie nuncupauerint. Hanc materiam retineri in præcipuis visceribus, malum, expelli totam ad suos emissarios, optimum, expelli eiusdem partem, bonum: quia dum expulsio fit, exonerantur illa perniciosissimo pondere, vel certe longe melius habent, leuioraq; fiunt ex eiuscemodi vacuatione.

Quod si quis dubitet, is consulat artis opera: qui enim temere bubones ipsas repellit, is humores prauos intro expellens grauiorem semper efficit morbum, propterea nunquam licitum est, vt Galenus, & Auicenna admonuerunt, quibus cum alii sentiunt Medici, vti repellētibus pharmacis: quod si in bubone à fluxione non maligna concitato, id obseruari semper debet, cur non semper obseruabitur multo magis in bubone pestifero?

Dicent crudam expelli materiam, bonam vero crisin fieri solum cum materia concocta est. At certe locus hic decepit multos. Optimum est iudicium naturæ, quod fit in statu salubris morbi, bonum quidem in vltima incrementi parte, in qua materia nondum est plane concocta. Ambiguum, quod accidit antea, atque in ipso principio: quia interdum bonum esse potest, si venenata & admodū perniciosa fuerit materia: siquidem leuat interdum ab omni molestia ægrotum, licet non sine difficultate: interdum autem prorogat mortem, quæ enim decima, exempli causa, fieret sine abscessu aliquaue iudicatione aduenlente, vel 14. etiam vlterius progreditur.

Velim hic memineris eorum quæ alibi scripsi pro illustri Medico Vincentio Cibo ad Iulium Viuū Collensem, naturæ motus quosdam esse omnino bonos, quosdam omnino malos, quosdam neutros ancipitesque. Non sunt in pestilentibus febribus omnino mali omnes, quamuis maiori ex parte consentuam esse malos: sed quidam conspiciuntur interdum boni, interdum mali, pro varia ipsorum relatione: reuertor vnde sum digressus. Expulsio horum humorum bona est triplici nomine.

Primum ratione humoris, qui minori cum periculo continetur in partibus externis, & in propriis emissariis, quam si contineretur solū in internis.

Deinde bona iudicabitur ratione partis mittentis, ac recipientis: mittens vna est ex præcipuis, aut cor, aut iecur, aut cerebrum: recipiens glandulosum genus à natura pro illatum partium fluxionibus recipiendis institutū.

Hæc igitur tria, humor malignus extra pulsus pars præcipua exonerata, atque recipiens vilissima, ac admodum imbecilla, bonam vacuationem hanc existere significant.

Malum porro est, quod materia sit cruda, malum, quod non fiat die iudicatorio. at illa priora maiorem vim habent, si bene iudico.

Possem hæc multis confirmare historiis, quarum in Cingulanis obseruationibus mentionem feci, sed illis libenter prætermissis, non possum non afferre testimonium Hippocratis & Galeni. Prius autem ab Hippocrate exordiri placet, qui morbo crudo existente, ac signis omnino lethalibus concomitato, octauo die iudicium subsecutum symptomatis ratione, hominem

fuisse liberatum contendit. Refero prius verba Hippocratis *libro primo ep' demiorum sectione 3. contextu 20.* quæ sic habent: *Herophontem febris acuta corripuit: primo pauco, & cuiusmodi in tenesmo solent, deiecit: deinde tenuia biliosa plura: non dormiebat: vrina nigra tenuis quinto die mane obsurdescebat: omnia ingrauescebant, lien intumescebat: præcordia contendebantur pauca & nigra aluus excreuit, desipuit. Sexto deliribat, sub noctem sudabat, frigebat, in delirio perseuerabat: septimo extremis membris frigebat, sitiebat, desipiebat, sub noctem ad mentem rediit obdormiuit: octauo febricitabat, lien residebat, omnia intelligebat, doluit ei inguen primum secundum lienem, deinde in vtramque tibiam dolores demigrauerunt: noctem facilem habuit, vrina erant melioris coloris, & residebant in his pauca, die nono sudauit, indicatus est intermisit: die quinto rediit, simulq́; splen intumuit, febris acuta; surditas iterum, post recidiuam tertio die residebat lien, imminuebatur surditas, crura dolebant, nocte sudauit, indicatus est ad diem 17. neq; in recidiua delirauit.* Hæc Hippocrates.

Est quidem historia digna notatione: quia hic ægrotus si debemus ex lethalibus signis ferre iudicium, debebat statim mori in principio morbi, quod statim vrinas nigras emiserit, quæ adeo malam significationem habent, vt fere videatur impossibile hominem fuisse liberatum, præsertim quod cum nigredine vrinæ erant tenues, surdaster factus fuit quinta delirauerit, sexta vero etiam delirans sudauerit, & fortassis frigidum sudorem, quia dicit Hippocrates, *frigebat*, quæ tota septima perseuerauerunt. Quis hunc aliquando sperasset sanaturum? ideo Galenus explanationem admirandæ huius historiæ aggressus statim inquit: *Hic præter expectationem superstes fuit, quem scilicet primis diebus moriturum suspicatus esses.* Sanatus tamen hic fuit. Audiamus modum.

Natura octauo die fecit mutationem cum tanta cruditate. *Lien*, inquit, *residebat, doluit ei inguen primum secundum lienem: deinde in vtramque tibiam dolores demigrauerunt.*

Hæc fuerunt in causa solutionis morbi: Motus, inquam, naturæ octauo factus cruda existente materia à præcipuis partibus ad inferiores, & imbecilliores, vti sunt glandulæ in inguinibus existentes, & vniuersa crura.

Tantum potuit iste motus, vt noctem sequentem ægrotus facilem habuerit, vrinæque factæ fuerint melioris coloris, in quibus residebant pauca: nonoque die sudauerit toto corpore fuerit iudicatus, morbusque intermiserit.

Mirum iudicium, circa quod considetes, quod Hippocrates inquit, *vrina melioris coloris.* & hoc: *in quibus residebant pauca*; non vult dicere, vrinas bonum habuisse colorem, sed meliorem: quia scilicet non erant amplius nigricantes: neque enim bonæ simpliciter in colore, vt in substantia euadere potuissent cum hoc iudicio, quod postea non fuisse fictum, euentus demonstrauit recidiuæ. Sedimentum etiam paucum erat: sed rationi fuisset consentaneum bono & absoluto existente iudicio, vt in vrina longe plura subsedissent. Octauus dies, quo motus hic factus fuit, quanti fieri debeat inter iudicatorios explanatum mihi fuit in Aphorismorum commentatiis. Sed de hoc loco satis.

In historia Sileni nonnihil est, quod huic proposito accommodari potest: qui mortuus fuit die vndecimo ob morbi vehementiam. Galenus quærit causam cur non obierit die nono: respondet id contigisse, quod natura malam illam superfluitatem octaua die ad cutem propulsauerit: quod nisi illa fecisset, nona fuisset mortuus. Verba Galeni sic habent. *Cum igitur robore virium septimum diem, vt dixi, potuit superare, octauo papulas cum sudore habuit rubentes, rotundas, paruas, natura eius morbo repugnante, & humorũ superfluitatem malorum ad cutem propellente: idque fuit causa, cur die nono non fuerit mortuus, sed vndecimo: quod si die octauo nihil tale accidisset, restabat, vt die nono obiret, cum is certe septimus*

vt dixi,

vt dixi fuisset. Ecce quod malę indicationes interdum protogent mortē, quas certe omnino malas, vt prædixi, dicere non debemus, cum in sese contineant aliquid boni.

Modus igitur generationis bubonis pestilentis est naturā morbum iudicante, aut perfecte, quod certe raro in hoc morbi genere adhuc visimus, aut imperfecte, quod frequentissime.

Est autem hoc loco discutiendum, num in omni bubone pestilenti necessarium sit, cor primum esse læsum? siquidem non desunt ætate nostra celebres viri, qui contendant aliquando ex cerebri, aliquando ex iecinoris affectu duntaxat non læso corde posse bubonem contingere. Quibus ego, cur non adhæream, hæc in causa sunt.

Primum, quod pestilentes dicantur & sint, quia naturam insequuntur pestilentis febris: hæc vero per essentiam inhæret in corde.

Deinde quia medendi ratio id confirmat ita euidenter, vt in hac re nihil euidentius possit contingere; cardiacis enim emendari eiusce modi malum, & intus & extra administratis, atq; sanari quotidie videmus, de quibus tum superioribus libris locuti sumus, tū, si postea dabitur occasio, sermonem in sequentibus habebimus.

Cor quidem tanta humorum perniciosorum copia lacessitum facile in consensum trahit interdum iecur, interdum cerebrum, ac interdū vtrumq; membrum, si contigerit cacochymia ante inuasionem febris laborare, aut magnā aliquam, vel ex intemperie; vel ex alio morbo imbecillitatem contraxisse, tunc sane communicata illis pernicie venenata, multa grauiora cōtingunt illis omnia: hincque fit vt summa humorum malorum multitudinē grauata, ac fere turgenti quodam impetu materiam vtramq; eructet in proprium emissarium, vel pone aures, vel in ipsis inguinibus.

Qui vero contendunt pestilentiam gigni posse corde non antea affecto, & non concitata febre, quanto in errore versentur demonstratum fuit libris superioribus.

Sed vt perpetuo verum, ac necessarium est, cor primum contrahere pestilitatem, omniumq; morborum pestilentium occasionem, & primū principium ex eo fieri: sic non semper immediate cor ad suum emunctorium expellit materiam: quia id fieri potest à cerebro, vel à iecinore ob eam, quam proxime diximus, causam.

Porro materiam, quam natura propellit in his locis, substantia crassam & frigidiorem existere plerique asserunt, quibus ego maiori ex parte assentior, nisi quod excipio inflammationes erysipelatosas, & simplicia erysipelata, quæ interdum in iis partibus, frequentissime autem in aliis contingunt.

Quid vero de ectimatis, & exanthematis, quæ fortassis variolæ sunt, & morbilli Arabum, quid de infectionibus illis cutaneis morsibus culicum similibus, quid de carbunculo pestilenti, quid deniq; de malignis vlceribus, quorum omnium eadem videtur origo sit sentiendum, in sermonis progressu hoc libro explicabitur.

Cap. III.

De signis demonstratiuis, & prognosticis bubonis pestilentis.

SVNT bubones maxime conspicui, vt puta, qui neminem lateant.

Pestilentes autem existere hinc potissimum cognosces.

Primum quod aeris constitutio sit pestilens, in qua omnes, qui humanum corpus exercent affectus, plerunque pestilentes sunt, & maligni.

Cum incipit bubo ob longum tumorem, & mobilem facit, in vigore turbinato mucrone acutus immobilis redditur, & alte glandibus infigitur, dolore, calore, acrimonia molestus, & nerui, & omne tendinum genus, quod pone ipsum consistit, veluti chordæ quædam apparent tensissimę, plurimumque indurarę, ex quibus intolerabilem fere contigisse dolorem nonnullis obseruaui.

Statim inchoante febre, aut parum post sese offerunt, aliquando ante febrē contigisse commemorant, quod tamen rationi consentaneum non est in bubone, qui vere sit pestilens, qui nunq̄ apparet, nisi cum prius cor ipsum excellentem suscipere putredinem, vel in humoribus, quos continet cordis sinus, vel in corpore cordis, vel in spiritib. oporteat, vt pestilens fiat affectus.

Accidit autem solum in pestilentibus putridis bubo, quæ quoniam interdum habent calorem non admodum acrem, ægroti sese febricitare non arbitrantur. In principio quidem raro mutat colorem caro bubone affecta, sed parum postea suas exercente vires pernicioso morbo, quæ mox dicam, sese nobis offerunt.

In primis autem illud malum in eiusce modi affectu cernitur, si pars in tumorem elata repente ad naturalem statum sese conuertat, virulentia enim humoris ad extimas partes prorumpens ad interiora viscera præstantissima reuertitur. Malum etiam fieri indicium debet, licet non tantam indicet malitiā, si tumor statim augeatur, vehementissimeq; incalescat dolore pūgenti, & intolerabili concomitatus: iis enim remediis, quæ postea explicabuntur, interdum curari & sanari posse obseruatum est.

Prognostica. Liuidus bubo caloris insiti extinctionem, niger vero longe maiorem indicat, ac simul incendium vstionemque.

Certum inde potest victæ naturæ sumi argumentum, si tumores lente admodū ad suum incrementum perueniant; multoq; magis si subito dispareant, euanescantque: vt prædiximus, nullo sudore; nulla vacuatione subsequente. Si forte accidit suppuratos fuisse tumores, apertumq; abscessum, & tamen adhuc perseuerare febrem, ac eodem statu ægrotos manere, periculum iudicatur euidens.

Non est omnino verum, quod nonnulli scribunt viri alioqui in artis operibus exercitati, bubonem, qui non suppuratur, indicare mortem. Nam si id ipsum intelligunt de eo, qui statim atq; apparuerit, delitescat, recte id dictum fuisse, quæ supra diximus demonstrant: at si diu multumque duret, neq; Medicus suam diligentiā prætermisit, alexypharmacorum vsu poterit corpus à morbo pnicioso liberari, tumore postea sensim dissoluto in auram pharmacis diaphoreticis: quod non semel contigisse animaduerti.

Si bubones plures fuerint, eo quidem peior est morbi status, quo plures ex præcipuis partibus pestilenti lue conflictari ostenditur.

Virtute languescente, bubo apparens malum: vt puta, qui sanari non potest, nisi fuerit virtus valida: hæc potissima sunt mortis prognostica, quæ vero futuram sanitatem indicant; si quæ tamen adsunt in morbo admodum infido, hoc modo habent.

Signa futuræ sanitatis indicantia. Bubones quanto magis fiunt à simplici humore, tanto videntur magis securi: natura enim plus laborat in euincendo vno, quam pluribus excrementis, atq; ipsa ob illorum multitudinem plerunque assequi rectam curationem nequit. Qui præterea ad suppurationem facile perueniunt, melioris conditionis censentur, quam qui cum difficultate. Atq; cibi suppurati sunt, qui non statim ad siccitatem perueniunt, sed diu conseruantur impuri, longe tutiores censeantur.

Abscessum ruptum vidi olim, qui duorum dierum spatio caruit excrementis morte subsequente post triduum. Neq; id mirum, quia perniciosum illud virus interiores partes petiit.

Bubo

Bubo præcedens pestiferam febrem robur indicat virtutis, quæ quoniam coinquinamento aereo resistit quantum potest, nondum in corde impressa virulenta intemperie, humoris excrementitii coinquinati nonnihil expellit ad ipsos adenes, ac reliquas corporis partes. Qui vero interdum præcessit bubo febrem, is momento sine febre durat, nam pestilens non esset cor de nondum habente putredinem excellentem.

Qui citra partis corruptionem (rari autem in pestilentia sunt) ad suppurationem perueniunt, expurgantq; pus bonum, & quantitate mediocre, fere censentur salutares: si quæ intus latent perniciosi humoris reliquiæ, alexipharmacis deiectæ fuerint, cordisque vires accommodatis pharmacis confirmatæ. Nam si in eodem statu perseueret febris, vtique non vacabit periculo.

Bubones aliquando decretorios contigisse visum, licet rarissime; qui non æqualem perniciem minantur.

Hoc vnum certe in hoc morbi genere memoriæ commendari velim, nihil esse fidum, nihil certum: cum repente è medio sublatos videamus, qui omnia salutis habuerũt signa: ac interdũ sanatos, qui omnia habuerũt mala.

CAP. IV.

De curatione bubonis pestilentis.



NVNQVAM est impedienda natura cum eiuscemodi motus facit, licet non sint omnino critici, imo vero plerumq; adiuuanda, quia quò natura tentat, eo ducere oportet si per locos conferentes accidat motus.

Confert autem semper à præcipuis visceribus, vt corde, cerebro, iecinore, aliisq; internis materiam malignam, & corruptam expelli ad cutaneas partes, præsertim vero ad suos locos emissarios, vti sunt glandulæ.

Expedit igitur considerare hunc naturæ motum, an tardus sit, vt plerunque contingit; an vehemens, quandoquidem illum adiuuabimus attractione facta aut pharmacis, & manuali opera. Hunc non iuuabimus, sed sinemus.

Vbi vero in locum affectum tota materia fluxerit, aut à natura demandata, aut attracta, suppuranda est omni opere; ac diligentia, atque postquam fuerit suppurata aperienda est vomica, ita vt omnem extra emittat materiam; mox curato, vt decet vlcere, consolidandum: nunquam non memores, oportere in omnibus operibus artis perpetuo vti corroborantibus vires & summæ putredini resistentibus, & alexipharmacis.

Breuiter doceamus, quomodo motũ cognoscere valeamus, velocẽ ac tardũ, vt hinc pateat, quando manus adhibere naturæ expellenti debeamus. *Signa motus veloci & tardi.*

Cognoscitur quidem ex tumoris specie, & ex doloris qualitate.

Si enim tumor erysipelatosus fuerit, rubeus, maxime calens, si dolorem inferat magnum, ac plerumq; intolerabilem, ac tumor attollatur in excellentem magnitudinem, statim, fluxionem certe calidiorem significabit, motumq; naturæ vehementem: quẽ solet semper concomitari febris ardentior.

At si iis contraria accidant (frequentissime autem accidunt) nõ ita calida fluxio est, neque tam vehemens. Illa quidem facilius in sphacelum, & gangrenam terminari consueuit: hæc autem non ita facile, cum ad suppurationem perueniat.

Supponamus tardam fluxionem existere inprimis in ipsis inguinibus apparuisse bubonem atq; explicemus, vt à diligenti Medico debeat tractari: postea vero de aliis sermonem instituemus.

Oportet curationem exordiri ab ipsis cucurbitulis, quæ cum multa flamma postea profundius scarificandæ sunt, ac sanguine deterso supra bubonem imponendæ sunt, ac sinendæ manere in parte donec attrahant: rur-

fusq; superimponendæ hora quinta transacta, ac repetendæ quinquies spatio horarum viginti quatuor.

Desistendum ab hoc opere, cum noverimus tumorem satis increuisse, & incaluisse partem sufficienter. Est enim rationi consentaneum, hac attractione omnem malam, corruptamq; materiam attractam fuisse ad locũ externum, ex præcipuis partibus: præsertim vero vaporem putridum, & corruptiuũ, (quem nostrates Medici venenum vocant) haud amplius contineri in corde. Ad hoc munus perficiendum sufficiet dies vnus naturalis. Quod si videris adhuc rebellem materiam; non erit ab re altero die repetere easdem cucurbitulas: & tam diu prosequi, donec voti compos fias.

Cataplasmata. Faciliorẽ operam reddes tuam, si in medio spatio inter vnam alteramq; cucurbitulæ admotionem cataplasmatis attrahentibus naturã solicitaueris; qualia multa in frequenti sunt vsu, sed hæc vero mihi cõuenientia videntur.

Coquito raphani radices sub cineribus, laminas ex coctis facito, quas calentes imponito supra bubonem, ac cum amisit calorem, alteram, & sic deinceps imponito.

Hoc autem celebre, multis annis certissima experientia confirmatum non solum attractionem iuuabit, sed etiam pus mouebit. Sumito cæpas duas magnas excauatas, quarũ vacuitatem impleto vncia vna mithridati, foliis rutæ quadraginta, allii contriti capitibus duobus aut tribus, seu vncia vna & semis; mox cooperias excauatam cœpam ex eadem detracta: coquito omnia simul sub cineribus; postea contundito diligenter in mortario, ac additis axungiæ suillæ vnciis duabus. Fermenti segalini, aut communis, si illud non sit ad manus, vncia, fiat cataplasma singulis horis quinquies innouandum supra locum. Quod pharmacum fiet longe præstantius, si addideris radices mirrhidis similiter concoctas sub cinerib. & miscueris vnciam semis vsq; ad vnam. Hoc etiam est longa experientia clarum.

℞ radicis consolidæ maioris, liliorum, caparum an. ℥. s. folia oxalidis manip. vnum. Cum butyro salis experti. q. s. misceantur inuicem, fiatq; pila quadam, aut globulus cũ charta madefacta, qui sub cineribus coquatur. Deinde conterantur omnia, ac permisceto theriacæ antiquæ, aut mithridatij ℥ sem. Axungia suilla. ℥ ij. terebinth. ʒ iij. fiat cataplasma. Nicolaus Riccius, qui in pestilentiæ curatione patrum nostrorum ætate, claruit, consimili vtebatur emplastro:

℞ radicum altheæ. ℥ vj. incidantur, & coquantur in aqua communi, ita vt optime pistari possint, deinde sumito radicum liliorum alborum ℥ vnam, cæpas numero tres, coquantur sub cineribus, mox conterantur vna cum radicibus altheæ, postea addito fermenti ℥ v. axungiæ suillæ ℥ vij. Farina fœnugræci, & sem. lini an ℥ ij. omnia in mortario æneo, aut ligneo tundantur, donec vnguenti recipiant formam, sub cuius finem addito Croci ʒ ij. Stercoris columbini ab ℥ ij. vsq; ad libram semis.

Nicolaus Massa pro educendo bubone, qui contumacem habebat exitum, hoc emplastro vtebatur.

℞ Galbani aceto liquati fermenti, an. ℥ ij. radicum liliorum alborum. ℥ iij. Interioris ficuum pinguium, nucis rancidæ an. ℥ ij. farinæ seminum fænugræci. ℥ ij. succi betonicæ, mellis. an. q. s. His quidem attractionem facies.

Vesicantia. Verũ si forte ita rebellis sit affectus, vt in sæua pestilentia plærunq; contingit, validioribus etiam interdũ indigemus, qualia potissimũ sunt vesicantia, quæ posita supra ipsum bubonem excitatis vesicis & ruptis plurimum opitulantur ad curationem absoluendam.

Circa vesicantia obseruanda. In recta horum administratione quædam teneri debent multi vsus præcepta.

1. Primum, si tumor exerceat fauces, non sunt aliquando administranda super fauces, quia certum immineret periculum mortis ad suffocationẽ attractione factam, non igitur adhæreo illorum sententiæ, qui præcipiunt, proxime bubonem deorsum versus, & proniore situ, recta quasi linea ponenda pharma-

pharmaca vesicas efficientia, vt fluxio (inquiunt) feratur solita via, naturæque motus promoneatur. Quia si fauces eiusmodi tumore teneantur, vtique hisce validissimis attrahentibus abstinendum, non quod morbus non postulet, sed quod non ferat partis conditio, vsum præbens maximum toti corpori ob respirationem, & alimentum: multa enim attracta materia quid impediet suffocationem? quo remedio huic succurres incommodo?

Nec etiam placet illorum sententia, qui dixerunt vesicantia in medio humero applicanda si in axilla sit bubo, aut in medio crure, si in inguine, quoniam materiam ipsam à recto cursu, quem iam incepit, distraheremus magno ægroti damno, & naturæ defatigatione. Ergo in quacunque parte consistat bubo, recipere potest vesicantia, præter quam in faucibus.

Aliud etiam memoria commendari velim præceptum, nimirum, vt eiusmodi remedia applicentur in loco tumoris decliuiore, quia expurgatio illius aquæ corruptæ, quæ fit ipsis apertis vesicis in decliuiori situ, fiet longe facilior, & expeditior: quod hic non adsit locus declinis, sed æqualis sit tumor, & totum tumorem amplexentur vesicantia.

Tertium si magna subsit inflammatio in adenibus, qualis sphacelismum solet præcedere paulo longius ab ipso bubone in loco magis decliui vesicas concitate, non fuerit extra rem: sic enim putauerim seruari posse calorem partis ab inflammationis magnitudine fere obrutum, atque in viciniores partes derivata materia insigniter, putrefacta, reddemur certi ipsam non esse recursuram, ad supernas, nobilioresque partes, à quibus defluxit.

Multiplex est horum materia, ac multiplex vis eiusdem cum non parua differẽtia sit in eo, quod magis, ac minus: aliud postulant pueri, & in vniuersum, qui mollem carnem habent, medicamentum aliud qui densiorem & duriorem carnem possident. *Materia vesicantium.*

Sapo niger ac mollis cum torrefacto sale subactus vesicas excitat pueris, quod si addideris puluerem cantharidum præparatum vtique fiet præstantius.

Viburni medius cortex vesicas excitat serositate turgentes, exiguo, ac fere dolore nullo, sed tardiuscule: propterea exacuendæ, & vigorandæ ejus vis maceratione facta horis sex, aut octo in aqua vitæ optima.

Ranunculi folia aliquot tusa, vesicas efficiunt sero plenas, si quatuor, aut quinque horis locum bubone affectum pertingant inuolutæ linteolo: si vero diutius inhæserint, dolorem inferunt magnum & inflammationem.

Cantharidis puluis præparatus idem efficit potentissime.

Recentes chirurgi vtuntur flammula Iouis, quam potenter admodum vesicas gignere, manifestissimum est. Hanc tusam, & loco applicatam vehementer excalefacere, vesicasque sero plenas inducere constat. Si ne hæc quidẽ sint ad manus aqua feruente aut candelæ flamma, aut carbo plurimis pro vesicatorio fuerunt pharmaco.

Aperiuntur vesicæ, vt serum profluat, supra ponitur postea brassicæ foliũ, aut hæderæ inunctum butyro, aut axungia calida, diligenter cauendo, ne vlcus siccescat.

Porro hic moneo, quod vbi primum imposueris cucurbitulas, & locum scatificaueris diligenter, & sanguinem deterseris, atque attrahens imposueris pharmacum, exhibendum esset ægroto pharmacum ex ouo cum iis, quę potenter sudorem prouocant, quorũ exempla in superioribus habuisti, in quorum numero hoc apud me celebre est, ac tutum.

℞. Capas duas excauatas, & impletas veteri theriaca, & puluere tormentillæ, ac dictã, coctas sub cineribus inuolutas papyro humido, donec mollescant. Exprimito succum diligenter, de quo sumat ægrotus calido vncias tres, atredinus citri vnciam, aceti rosati, vel vini albi, drach. vnam. Cooperiatur, in lectulo maneat sine cibo, sine somno horis quinque, ac sudet potenter, nec moueatur à lecto semper coopertus manens. Huic pharmaco addere oportet ℥j. electuarij ex ouo præstantissimi.

Hæc tutum reddent in suis operibus Medicum, ne materia recurrat ad superiores partes, ac vt tota dissipetur, vel ad bubonem confluat atq; tunc opportunum tempus est maturantibus, & pus mouentibus pharmacis opitulari: Duobus autem modis administrari solent, aut sola, aut permixta, cum emollientibus & laxantibus: si dolor non excruciat, solis vtemur, sin minus, admiscebimus, quæ laxant, emolliunt, doloremq; mitigant: quorum hic aliqua proferamus exempla.

Folia oxalydis contusa cum butyro salis experte in pilam rediguntur, quæ postea cocta sub cineribus tunditur, & adiecto duplo vnguenti basilici in cataplasma componitur. Solum etiam basilicum idem facere videmus. Aut:

℞. radicum liliorum alborum, consolidæ maioris, & oxalydis, an. ℥ j. seminum lini ℥ vj. coquantur in aqua, postea tundantur, & addendo vnguenti basilici ℥ ij. fiat vnguentum.

In materia frigidiore sic suppurabimus.

℞. Fermenti acris ex farina segala ℥ ij. olei amygdalarum dulcium, butyri recentis, ana ℥ ß. Vnguenti basilici ℥ iij. ß. Vitellos ouorum, num. duos. Theriacæ drachmas duas, misce.

Aliud potenter maturans.

℞. Squyllam, in cuius loco substituere possumus capam, & radicem raphani, cocto sub cineribus, postea contundito in mortario ligneo, ac addita farina triticea, quant. suff. & oleo amygdalarum dulcium, fiat cataplasma: applicandum, ac innouandum, vt supra.

In apertionis abscessu obseruanda

Maturatum abscessum aperire oportet: in quo opere duo præcipua obseruanda sunt.

Primum, ne apertionem hanc emoliamur crudo existente abscessu, scio Cornarium, ac alios viros præstantissimos præcepisse, quanto citius fieri possit, aperiendum aut ferro, aut cauterio, atq; non esse expectandam maturationem; à quibus dissentire me facit ratio, & experientia.

Ratio quidem, quia semper cum fieri potest, cauendum; ne dolorem augeamus in immensum, ne inflammatio multum crescat, ne vlcus generetur sordidum, impurum, ne vigiliæ magnum faciant negotium, denique ne virtus ipsa ad extremum languorem perueniat. Omnia hæc adueniunt incommoda in hac importuna sectione tumoris crudi: quemadmodum experientia notissimum facit: contrariaq; succedunt omnia, si concocto abscessui adhibeatur sectio, cur igitur in tam apertam vitæ discrimen deduceremus ægrotum, si tutius curari potest?

Dicet forrasse quippiam, morbum vrgere perniciosissimum, periculum esse in mora.

Subterfugium est inane. Iam enim positum fuit crudo adhuc existente tumore vesicantibus vtendum, ac virulentiam illam corruptiuā; & quasi venenatam fuisse expurgatam ex apertis vesicis: deinde ex ipsis scarificationibus, nonnihil etiam crassioris excrementi vacuatum: quod vero reliquum tanquam fæx continetur in ipso tumore tutissime suppurandum.

Excipio duntaxat eos bubones, qui minantur sphacelum, qui nimirum nigri, ac liuidi existentes ante omnem maturationem debent incidi, de quibus loquemur loco suo.

Obseruandum est secundo sectionem hanc fieri posse dupliciter, scalpello, & cauterio: quæritur vtrum ex istis sit melius.

Respondeo cauterium non solum inducta crusta aperire abscessum, sed etiam nonnihil absumere humoris mali, & corruptioni contrarium esse, quam ob rem imminente periculo de sphacelismo, præponendum censeo, scalpello. Hoc vnum videtur habere suspecti, quod ex cauterio abscessu aperto, ob inductam crustam præstans illud, quod fit ex Gallina remedium, execu-

executioni demandari nequit: cui accommodatum præbet locum sectio facta à scalpello: hanc sectionem in eo potissimum desiderare debemus, in quo nulla suspicio suboritur nascentis gangrenæ.

Alterato igitur modo aperto abscessu, ea postea sunt peragenda, quæ ad vlcerum curationem necessaria sunt, si prius hæc, in quibus ab aliis differt, consideraueris.

Primum, quod huiusmodi vlcus diu teneri debeat apertum, haud secus, quam contractum, ab animali venenoso: Propter hanc causam interdum vnguentum apostolorum nuncupatum aliis medicamentis admiscemus, ac etiam interdum præcipitati optimi grana tria, aut quatuor.

Deinde aperta vomica, & ea putis expurgata copia, quam volueris abluito vlcus vino albo generoso subadstringenti, quo cum dissoluantur theriaces antiquæ drach. vna & semis.

Postremo circa detergentia cum succo apij, melle & terebinthina, misceto semper puluerem radicis angelicæ, & dictami, & lupinorum farinam. Hæc quidem summa curationis est bubonum difficilem exituram habentium.

Cap. V.

Curatio bubonum statim exeuntium.

IAm vero, qui facilem exituram habent in curatione cum istis partim conueniunt, partim dissentiunt: conueniunt, quia suppurandi, vt priores, & post suppurationem aperta vomica, sanandum est vlcus.

Differunt autem in primis, quod à principio abstinendum est à cucurbitularum vsu: Siquidem tenui & feruida existente fluxione, atque dolore insigni tumor per se ac sponte satis euidenter increscit, immanes cruciatus parit, febrem exagitat, vigilias accersit, exoluitque insigniter vires: eiusce modi omnia incommoda insigniter calefacientia, & attrahentia inducunt pharmaca.

Quę cum ita sint, quæritur causa, cur in istis bubonibus administrare has cucurbitulas velimus? cur quod fit sponte, & recte à natura, nostra opera perturbare satagamus? in summa recte currenti equo, vt addere calcar periculosum, sic natura ad summum vigorem properante, nihil mouendum, nihil irritandum sed sinere oportet.

Differunt etiam secundo in pharmacis attrahentibus ob eandem causam. Nam per se minantur gangrænam, attrahentia sollicitabunt illius aduentum.

Tertio neque administrabimus vesicantia supra affectam particulam, vt præmonuimus.

Quarto oportebit omni opera procurare, ne ad sphacelismum tendat, quo in casu indicamus vtile consilium esse administrare oportuno tempore circa tumorem hunc feruidum, quæ refrigerandi potestatem habent, quale est, quod à Galeno describitur, *libro decimoquarto de methodo medendi, capite vndecimo.* Fit autem ex succo arnoglossę lente coctę, & micę panis modicum furfuris habentis; aut etiam hoc imponito æque tutum.

℞. sicci panis micam succo plantaginus plane maceratam.
Lenticularum in aceto acri coctarum, an. ℥ ij.
Ficuum pinguium, num. ij.
Passularum,
Nucum rancidarum, an: vnc. j.
Contundito, misceto simul omnia, ad emplastri formam redigito, cui si sub finem addideris farinæ hordei, quan. suff. non erit abre.

Debet

Debet esse huiusmodi pharmacum moderate refrigerans, ac repellens, simulq; moderate digerens, quia, vt Galenus inquit, neq; omnino repellendus est humor, nec omnino summa fluxio sine aliqua repulsione relinquenda: quamobrem modum hunc administrationis horum pharmacorum seruare oportet. Neque sunt imponenda supra feruidissimum tumorem, sed vt sentio, circa ipsum duobus digitis.

Ratio huius consilij est, quod sic Galenum ipsum exercuisse illorum vsum comperio: nam postquam docuit Cataplasma illud ex Arnoglossa administrandum, statim inquit: *Supra ipsum vero vlcus valens aliquod medicamentum imponendum est, cuiusmodi est Andronis Pasionis, & polyide.* Quæ si vera sunt demonstrant non esse supra affectum refrigerans illud medicamen imponendum. Denique alia fieri debent, quæ pro impediendo sphacelo alibi docuimus.

Cæterum docere oportet, cur Gallinam viuam imponamus bubonibus, quomodo, & quo tempore, vt hanc tractationem de curatione pestiferi bubonis absoluamus.

Gallina, quæ ouum parit, calore abundat ea parte, in qua podex adest, & ex qua quoniã ouum egreditur, fere semper hiat: cum igitur propositum sit materiam venenatam attrahere ad partes exteriores, ac insitum partis calorem fouere & recreare, iis potissimum, quæ familiaritate substantiæ, id præstare valent, omnia vero hæc efficiat calor Gallinæ parturientis oua, oportunus propterea censetur illius vsus.

Modus administrandi talis esto. Virulenta materia ex ipso bubone exeunte protinus Gallinæ viuæ plumis nudatus podex ei admoueatur, ac ibi tandiu permanere sinatur, donec extincta sit. Prima vero Gallina demortua rursus imponatur alia, & hac exstincta tertia & quarta, donec eiusmodi præsidium ægroto displiceat. Præstat autem in podice ipsius Gallinæ imponere salis communis frustulum, vt validior fiat attractio.

Sunt qui Gallos, Gallinas, catulos, aut columbas per medium dissectas, quam calidissimas statim admouent, ac postea permutant, & ex certis interuallis repetunt, dum videantur præstitisse, quod in animo habent: quam medendi methodum satis fructuosam in artis operibus obseruaui.

Quod vero pertinet ad tempus, non bene mihi cum quibusdam conuenit: nam opinantur tunc exercendum remedium, cum facta suppuratione aperta est scalpello vomica.

Sed mihi quidem non videtur, quia tunc ratione suppurationis iam factæ magna pars putredinosę illius corruptionis videtur euanuisse: adde quod facto emissatio, per se educitur pus extra vomicum: atq; postremo tunc non esse attrahendam mat[illegible]m significat suppuratio, quæ non fit nisi cum desinit fluxio, & cum pus factum est, omnino amplius fere non fluit. Quamobrem existimo saluberrimum vsum esse, cum scarificatus est bubo, & ex eo sanguis effluit, tunc enim vniuersam malam auram corruptiuam per eos emissarios, à quibus sanguis emanat, attrahendi foras tempus est; quam rem experientiam ipsam confirmasse constat: atque hæc de bubone pestilenti dicta sufficiant.

CAP. VI.

De carbunculi pestilentis natura.



CONSEQVENS est, vt de Carbunculo dicamus, qui plerumque concomitari solet bubonem ita, vt visus fuerit mihi bubo, qui carbunculos quinque in eius ambitu habuerit: Omnis autem carbunculus malignus est, non tamen omnis pestilens.

Voco bubonem & carbunculum pestilentem, cum ab aeris coin-

coinquinamento duxerit originem siue putrido, siue non putrido.

Ortus carbunculi in pestilentia duplex.

In pestilentia oritur carbunculus dupliciter.

Vno modo per se, cum scilicet statim inuadit hominem sanum, secumque deuehit febrem acutam, malignam, pestilentem.

Alio modo, quando præcedente febre pestifera ex motu naturæ stimulatæ expellentis materiam malam adustam, extuberat in extimis partibus.

Porro tumor quidam est primo ortu paruus, acuminatus, in cuius medio fere apparet quædam pustula seu bulla seu vesicula, quam aqua, aut sero plenam iudicares. sub qua tamen crustosum apparet vlcus nigrum, aut liuidum, durum, carni vehementer impactum, & adhærens maxime dolorosum, & calidum.

Diximus in eius cuspide fere apparere pustulas, seu vesiculas, quia, hoc vt in pluribus contingit: quidam enim oriuntur carbunculi, qui nullam pustulam habent, sed statim vlcus crustosum ostendunt, neque vero necessarium est vnam duntaxat esse pustulam, sed sunt aliquando duæ, aut tres, aut plures, paruæ adeo, vt milij semina referant, raro maiores visuntur, quam rem Galenus explicauit, *libro decimoquarto de methodo medendi, capite decimo*, cum inquit:

Est tamen & aliud vitium, quod ex humore crasso feruenteque nascitur. Incipit hoc plerunque à pustula, aliquando vero & sine hac. Caeterum inter initia, quibus hoc instat, scabunt particulam omnino, mox oritur pustula quadam, qua rupta vlcus cum crusta gignitur. Sæpe vero non vna oritur scabentibus pustula, sed multo exiles velut milij semina crebra in particula residentes, quibus præruptis similiter crustosum vlcus prouenit.

Ex quibus colligimus omnem carbunculum morbum esse compositum, primum in magnitudine, quatenus tumor est, deinde in intemperie calida, quia inflammationis cuiusdam pessimę differentia est. Tertio in solutione continui, quia vlcus. vt Galenus declarauit *libro de morborum differentiis, capite 12.* Carbunculi generatio est ex sanguine calido, vt Galenus ait *lib. 2. ad Glauconem & libro de tumoribus prater naturam.*

Nolim autem te arbitrari Carbunculum fieri à sanguine, vt phlegmone exquisita, qua oritur à sanguinis fluxione. Sed Galenus hoc ipso nomine intelligit sanguinem feruentem, crassum & adustum, cuius generationis modum Galenus declarauit, *libro secundo de crisibus, cap. 12. & libro secundo de febrium differ. capite nono.*

Sanguis enim dum putredine aduritur, mutatur in sanguinem atrum & melancholicum ob eius crassiorem partem, & in flauam bilem ob tenuiorem, magisque inflammabilem: Quamobrem materia carbunculi est sanguis efferuescens, ac putrescens: neque enim fit carbo solum à sanguine calidiore, quia inflammationes quædam benigne sic etiam fiunt. Neque à sanguine simpliciter crasso, quia tantam non haberet perniciem, quantam habet carbo.

Adde quod paulatim non subito generaretur, vt scirrhos generari videmus: sed fit à communitis hisce causis, nimirum à sanguine summopere feruescente, ac simul putrescente.

Hinc vim obtinuit ille sanguis corrumpendi carnem, cui adhæret, nam quod tangitur à putrido, fit putridum: præsertim si putredinem contineat in se sordidam, corruptiuam, quæ scilicet ad benigniorem, & meliorem alimentum formam reuerti non possit, qualem semper habet carbunculus, quem nunquam bene suppuratum videbis.

Considerandum etiam est cum sanguinem dicimus putrefieri, & aduri posse id dupliciter intelligi, vel quod solus id patiatur, vel cum aliis humoribus.

Solum

Solum quidem putrefieri accidit raro: plerunque permixtus est humoribus biliosis & acerrimis: qui etiam ex ipsa sanguinis putredine gignuntur, ac fiunt: Ob hanc miscellam Carbunculo accidit pustula, quod hanc bilis praetorrida similis igni attollat, supra positam cuticulam, quod etiam Auicenna animaduertit.

Hanc materiam venenum esse perhibent Medici recentiores, quibus ego, cur non assentiar, explicui libro 1. tractationis huius, vbi demonstratum mihi fuit aliud esse venenũ proprie, aliud quod veneno quam simillimũ est, & quod eosdem fere effectus facit, quos venenum.

Species seu differentiae. Species vero carbunculi recensentur plures à Medicis recentioribus, prout humores sunt plures, à quibus originem habent. Afferuntq; à coloribus discerni, & separari inuicem; etenim quidam carbunculi nigri sunt, quidam citrini, & flauescentes, quidam vero rubei sunt: addunt etiam nonnulli quosdam esse virides.

Est autem sciendum omnem carbunculum nigredinem prae se ferre, aut liuorem euidentissimum, quia omnis fit à sanguine putrescente, & adusto pro maiori parte, at differunt inter se, quod rubent & nigricant simul, id est, habent rubedinem quandam nigrore permixtam, quidam pallescunt cum nigredine, quidam exquisite sunt nigri.

Varietatis huius causa est, permistio humoris cum adusta putrescenteque materia.

Si enim bilis vitellina, aut viridis permista sit sanguini nigro, erit color particeps vtriusque.

Si solus sanguis crassus putrescat, rubicundus extra florescet color.

Sed si solus niger humor exustus, nimiumq; feruidus, & putrescens effecerit carbunculum, erit quidem solum niger.

Nec mirum tot varietates in carbunculo reperiri, quia etiam consimiles reperiuntur in aliis tumoribus non exquisitis, vt in phlegmone & erysipelate, aliisq; nemo non quotidie obseruat.

Legitimum esse carbunculum censerem, qui vlcus post pustulam relinquit nigrum aut liuescens, qui vero flauescentem colorẽ prae se fert nigredine mixtum, aut colorem alium hunc minime syncerum vocare consueui.

Carbunculum viridem non admodum frequenter videbis, propterea huius mentionem non fecit aliquam Auicennas, nec alius ex Medicis Graecis, quia quod raro accidit fere, atque si nunquam contingeret, in medicina sumitur.

Causa externa. Porro causae carbunculi externae satis conspicuae sunt: nam pestilens ex aeris putrescentia, vel malo inquinamento prodit. Non pestilens vero fit ab aere nimis feruido.

CAP. VII.

De carbunculi signis & prognostico.

NON oportet insudare multum, vt signa carbunculi afferamus, siquidem ex iis, quae proximo capite diximus, facile eiuscemodi tumor cognoscitur: solum doceamus cognoscere pestilentem, de quo instituta tractatio est.

1. In primis itaq; pestilentem esse deprehendemus ex aere nos ambiente, affecto pestilentia, id est, vel putredine, vel malo inquinamento: vix quidem imaginari potest in constitutione pestilenti nõ pestilentẽ nasci carbunculũ.

2. Secundum signum est febris, quam in carbunculo non pestilenti plerunq; deprehendimus magnam, & ardentem: in pestilenti vero mitem extrinsecus habere calorem, qui interius vrit maxime. Imo vero febris aliquando est adeo parua, vt fere sit aegroto imperceptibilis, quod natura fere euicta reluctari amplius nequeat causis morbificis, hinc ambulant, ceu nihil habe-

habeRent mali, ac statim ex improuiso mortui cadunt, ita vt reputentur à Medicis vulgaribus sine febre fuisse mortuos: quod falsum esse demonstrauimus in tertio tomo epistol. medicinalium ad Gerardum Columbam Siculum.

Tertium signum est lingua nigricans, aut liuens, aut flauescens, sed quidem omnino sicca, ob æstuantem calorem in præcordiis consistentem.

Quartum est color niger, aut liuidus; aut flauescens subiecti membri; quem colorem declarabimus in prognosticis.

Quintum vrina tenuis, & cruda, vel è contra crassior, & crudior etiam quales sunt vrinę perturbatæ iumentorum.

Sextum deiectiones liquidę, biliosę colliquatiuæ, quales declarabimus in tractatione propria de fluxu colliquatiuo.

Septimum operationes omnes naturales malæ: vt prostratus fere appetitus, singultus mali, vomitus perniciosus humoris pessimi, vt nigri, aut cærulei, aut æruginosi, aut viridis, nam significant humores in corpore dominari longe pessimos, vt bilem porraceam & æruginosam, & atram; à quibus semper fiunt morbi lethales.

Octauum signum erit sudor multus: aut frigidus, aut tepidus.

Nonum fœtor anhelitus.

Decimus spirandi difficultas, vox rauca.

Vndecimum, somnus aliquando profundus, aut è contra vigiliæ modum excedentes, aut ex vtroq; mixtus affectus, coma vigil, aut somnolentiis adduntur animi deliquia, & syncopę perniciosissimæ, quales proxime morituris contingunt: atque alia multa; quibus summa malitia deprehenditur huius morbi.

Cæterum quod attinet ad prognosin, ita quidem ex carbunculo ferre iudicium oportet.

Omnis carbunculus perniciosissimus est: qui contingit sine peste minus malum, in peste vero pessimum, nam rari ex hoc morbo ob summam diligentiam Medicorum, & robur virium euadunt.

Qui rubicundi sunt, minorem præ se ferunt malitiam, quod à sanguine crasso geniti ostendant illius naturam non fuisse omnino corruptam, adhucq; vigere calidum innatum.

Pessimi omnium sunt nigri contraria de causa, quod scilicet iam indicent sanguinem amisisse ob corruptionem summã suam qualitatem, & quod ipsa atra bilis sit omnium humorum perniciosissima.

Quibus proxime accedunt liuidi, & flauescentes: quod flauam bilem prætorridam admixtam habeant, quodq; sanguis corruptus degenerauerit, quantum pertinet ad tenuiorem eius partem in bilem, quod denique bilis ipsa ob acrimoniam carbunculos efficit maxime dolorosos.

Præterea sperari potest aliquid boni, si carbunculus fuerit paruus: minus, si magnus, adhuc multo minus, si maximus.

Mirum est dictu, quod obseruatur in hoc exitiali morbo nimirum, quod inuadens à principio cum exigua pustula qualis est milij semen statim excrescat ad magnitudinem ingentem.

Vidi in Cingulanis montibus Anno 1572. carbunculum tantæ magnitudinis, vt non modo assistentes: sed etiam me ipsum deterruerit: in fronte enim incepit, ac vnius diei cum dimidio spatio caput factum fuit bouino longe maius: euasit tamen ægrotus præter spem nostram, vt diximus quarto libro obseruationum Cingulanatum. Sperari etiam potest, si solus, non cum bubone implicitus, aut cum aliis carbunculis, siue in eadem sede proxima, siue in aliis oriantur.

In summa sperandum, si virtus sit valida, hæc enim plerumq; maximos contemnit morbos à diligenti Medici manu auxilium habens.

Cap. VIII.

De curatione carbunculi per chirurgiam.



VÆ aliis inflammationibus conuenit curandi ratio omnino quidem non conuenit carbunculo: primum, quia in illius principio non est fluxio repellenda: secundo, quia neque est reuellenda. Neutrum fieri debet, quia necessaria perniciosissima existens, non vult rertropelli partes obsidens exteriores, ad partes internas, ac nobiliores atq; ob hanc causam neq; indigemus reuulsione, qua impediremus eiuscemodi modum. At quia maximum imminet periculum: ne humor malus putrescens, & corruptus substantia crassus, & quantitate multus, & qualitate feruidissimus, vt ignitus carbo, calidum innatum statim exstinguat. Huic maxime subuenire debemus, quo ad eius fieri potest citissime, incommodo, subueniemus autem primum euacuando multitudinem corporis totius, à qua suggeritur occasio fluxionis maximæ.

Preterea succurremus si impediamus exstinctionem calidi innati affecti membri.

Impeditur remotis causis in eo existentibus: Ergo si causæ sunt, quas proxime retulimus, circa patientem locum oportebit nos procurare, primum, si dolor est ardor sint maximi & ægroto fere intolerabiles, vt mitigato imprimis dolore, & emollita particula carbunculo obsessa, vt conculcatus sanguis transpiret, vt presens corruptio inhibeatur: denique vt calor igneus aliqua ex parte obtundatur.

Hi scopi sunt, nec plures, si bene iudico, qui curationem carbunculi perficient, quos exsequemur ex materia medica, ac inprimis considerandum, an in eorum genere, quæ manu administrantur, aliquid sit, quod afferre pro exsecutione possit operam.

Occurrit primum venæ sectio, mox cucurbitulæ, tertio scarificationes, quarto ignis, quinto frictiones. De quorum recta administratione dicendum est.

Celebres Medici, quam plures, præsertim Ioannes Cornarius: contendunt principium curationis huius fieri debere à venæ sectione, sanguinis vero detrahendum non parum, sed vsq; ad animi deliquium, quod ita faciendum Galenus iusserit.

Quod sane, si adhibeamus distinctionem, recte succedet, citra distinctionem periculosum esse demonstrabo.

Galenum quidem *libro decimoquarto de methodo medendi*. Eiusmodi vacuationem in carbunculo, vsque ad animi deliquium consuluisse, ac *primo aphorismorum comm. 23.* in maximis inflammationibus eandem vtilem esse. scriptis tradidisse, dubitat nemo: sed is author non loquitur de carbunculo pestilenti, locis proxime citatis, quia vt docuimus *libro sexto tractationis huius*, venæ sectio in pestilente febre caute admodum est exercenda: in qua nullo modo quæ viribus ipsis insidiantur, ac naturæ robur debilitare possunt, quemadmodum est animi deliquium, exercenda sunt: in quorum numero primum locum habet venæ sectio, humorem certe maxime amicum naturæ, spiritusque ipsos saluberrimos (in quibus calidum innatum conseruatur) euacuans: ideirco si venæ sectio fuerit necessaria, est vtique tuto administranda, & cum summa præmeditatione, quia vt indicans generosum hoc remedium fere scopus adest, sic virtus contra indicans reluctatur plerumque ita, sanguinem mittere non liceat, at vero semper impedit (quemadmodnm censeo) vacuationem, vsq; ad animi deliquium.

Venæ sectio.

Vbi vero statim carbunculus apparet, considerabis, an in primo principio

cipio morbi, cum vniuersales nondum factæ sunt vacuationes, aduenerit: an parum postea, vel quarta die, vel aliis subsequentibus. Expedit enim citra controuersiam mittere sanguinem statim in principio apparente carbunculo: At non expedit in progressu duplici nomine. Primum, quia rationi consentaneum est vires ferre non posse remedium ob pugnam iam cum morbo initam, in qua vt plurimum solet succumbere, ac in principio vires longe sunt validiores, quemadmodum scriptum fuit ab Hippocrate *libro secundo Aphorismorum*.

Secunda ratio est, quod pro curatione huius febris, si oportuerit, supponitur statim in principio missum fuisse sanguinem, vt postulabat morbus, ac ipsæ ferebant vires.

Sed esto prætermissam fuisse venæ sectionem, viresque valere adhuc à missione sanguinis non est abstinendum.

Si carbunculus partes infra septum transuersum & iecur occupauerit, venę sectio exerceatur ex cubiti interiore, aut communi, à qua facile vacuabitur sanguis ex caua vena, sicque omnem multitudinem corporis totius exhauriet: verum si infra iecur, & renes contigerit, vacuationem instituamus ex poplite, aut malleolo.

De alia vero, quæ per aluum fit, vacuatione diximus antea, ac etiam dicemus infra, cum sermonem de medicamentis habebimus.

Cucurbitulæ vsus necessarius est, vt materia attrahatur tota ad exteriores partes, ideoq; à principio supra carbonem applicanda. Cucurbitulæ.

Si dolor est vehementissimus calori interno coniunctus, tunc quidem expedit antea mitigare dolorem iis pharmacis, quæ vere anodyna sunt atque summum ardorem mitificare.

Eligenda vero, quæ non impediant dissolutionem humoris corrupti per cutaneas partes, qualia sunt emplastica, & densiorem substantiã habentia: sed de accommodatis in rem præsentem infra loquemur. Statim itaq; si dolor mitior existat & ardor non ita maximus locum ipsum statim scarificare conuenit scarificationibus profundioribus, quemadmodum censet Galenus *lib.14. de method. meden cap. 10.* vt totus sanguis corruptus, & venenatus, vt ita loquar, foras prodeat, mox vero detergere & abluere oportet partem exulceratam aqua calida primum, deinde vero aqua salita, quam muriam vocamus, aut etiam aqua maritima, atq; si non videbitur satis vacuatum sanguinis, repetenda est scarificatio, & muria lauandum vlcus, ac cucurbitula sicca imponenda, aut sugendum ore vlcus post accommodatam præparationem sugentis: postea vero imponendi sunt pulli, aut columbi calentes per medium dorsi incisi, ac repetendi.

Scarificationes vero profundiores fieri debent, vt tumoris huius radices alte fixæ & inculcati humores crassi euelli facilius possint, quam rem superficietenus factæ efficere non possunt. Galenus apponit trochiscos Polyidæ & Pasionis, nos illorum loco substituemus, alia, quorum fiet post hac mentio.

Hic dubitant Chyrurgi de tempore, quo eiusce modi scarificatio fieri debeat: quia sunt nonnulli, qui aiunt, non esse scarificandum carbunculum, nisi in statu, Auicennæ verbis, vt putarunt, persuasi, qui in curatione carbunculi inquit: *Et fortasse est necesse, & proprie in statu facere scalpellationem profundam, vt egrediatur sanguis malus, constrictus in ea, qui est in natura venent.*

Erronea certe est ista opinio, quia est contra Galenum, & Auicennam & rationem. Nam Galenus *capite decimo; lib. decimoquarto, de meth. med.* inquit, scarificandum post sectionem venæ his verbis: *Quin etiam scarificare eiusmodi tumores post missionem sanguinis alienum non sit.*

Missionem autem sanguinis statim à principio conuenire, nemo est, qui nesciat.

Secundo Auicennæ contradicit, quia contextus ab illis citatus est mendosus: nam loco *status* legere debemus *prunam*, quam lectionem habent approbati omnes codices: & fortasse est necesse, & proprie in pruna.

Quod vero contraria sit rationi non est difficile persuadere: nam propositum est quanto citius fieri potest materiã omnino corruptam, & perniciosissimam foras attrahere, quod non fieret si in statu hoc opus faceremus.

Deinde exspectare ne statum oportet in re tanti periculi? Scio quid graues viri, vt illud fallax Auicennę dictum tueantur, dicant, quorum afferenda sententia non est quia supra diximus, codicem mendosum esse: Igitur de ipsa scarificatione, & cucurbitulis hæc dicta sint.

Circa cauterium actuale dubitatio. Circa cauterium, quod ab ignito ferro fieri solet, non mediocris est difficultas. In primis est dubium, num conueniat, & quomodo.

Non conuenire, ostenditur ex effectu, & opere, quod facit: nimirum ex eschara, quæ relinquitur, ex caliditate loci adurente: quorum neutrum videtur esse necessarium. Eschara enim diu durans impedit semper egressum humoris mali, & fere venenati: atque quo diutius impeditur, eo quidem altiores intus radices agit.

Affectus autem maxima inflammatio est adustorum humorum & pessimorum soboles, quam calore adurente non mediocriter augebimus.

Ex altera tamen parte communis est omnium facientium medicinam consuetudo, vt in carbunculo non vno loco, sed multas eiusmodi inustiones faciamus. Quamobrem docendum, quomodo res habeat.

Respondeo cauterium actuale in huius affectus curatione multum prodesse, primum quia putredinosus, & corruptiuus est affectus, cui maxime omnium resistit ignis, calore & siccitate humiditatem hanc corruptã tollens. Adde, quod remedium etiam est præseruatiuum, quia sanas partes conseruat, ne consimili putredine teneantur.

Tertio conuenit, quia est remedium ad sese attrahens totam, quæ ad bubonem fluere solet, materiam, quæ res summum est in præsenti curatione bonum, in qua scopus præcipuus est materiam attrahere ad partes exteriores citissime: sic enim interiores, ac præcipuas liberare consueuimus à fluxione; & à malignitate humorum.

Atque licet carbunculus proprie non fiat à veneno, sed à materia, quæ illi proxima est ob insignem putredinem corruptiuam: tamen in curatione conuenit cum affectu venenato, qui extrinsecus sit genitus, vi animalis venenosi mordentis, in quo consueuimus omnem virulentiam impressam in carne ad exteriores partes euocare, & prohibere ne venenum intus serpat: propterea ipsum ignito extinguimus cauterio, sic quidem in pestifero carbunculo easdẽ intentiones exequamur ignito ferro. Occurro allatis rationib.

Responsio. Escharam facere ignitum ferrum, nemo nescit. Hoc autem impedire non potest rectam curationem; quia artis beneficio citissime potest remoueri, atque cum eorum pharmacorum vsu, quæ huic morbo ex corruptione genito plurimum opitulantur.

Obiectio. Dices eschara non tollitur, nisi spatio dierum septem, aut nouem. at ægrotus tot dierum spatio solet mori?

Ad hoc dico, quod huiusmodi eschara remoueatur tota spatio horarum viginti quatuor aut paulo plutium, quia non tollitur eodem modo, quo reliquæ in alijs affectibus, quę postulant suppurãtia & emollientia, qualia nos in eiuscemodi eschara omnino deuitamus: quæ autem sit recta secundum Galenum, & alio ratio escharam tollendi in carbunculo docebimus, cum de medicamentis tractabimus.

Maximam esse inflammationem carbunculum admitto quidẽ libentissime, sed differt à vulgaribus inflammationibus, quod non solum adest putredo longe maior, quam in alijs, sed etiam, quod illa corruptio sedẽ habet,

suam

ſuam in humore craſſo, qui firmiter inhæret partibus: qua corruptionem habet humor, profectò poſtulat valide exſiccantia, in quorum numero primas partes habere ignem profitemur: quo certe indiget ob excellentiam putredinis: qua vero profundas partes immobiles exiſtens ob craſſitiem, occupat, indiget remedio ipſum agitante, atque mouente foras, nimirum à centro ad ſuperficiem.

Neque calore adurente nocet, quia breui tempore perdurans non poteſt primas habere ad lædendum vires.

At eſto, lædat nonnihil, tamen læſio eſt exigua in relatione ad maximum, quod ſtatim ſubſecuturum eſt commodum. Quamobrem apparet actualia cauteria ex igne vtiliſſima exiſtere.

Quomodo cauteria actualia ſint administranda.

Quomodo autem adminiſtrari debeant, controuerſia eſt, nam quidam ex candela cerea accenſa procurant guttas quatuor, aut plures deſtillare ſupra carbonem.

Alij vero ſunt, qui in oleo feruentiſſimo bucellam panis intingunt, & eam adhuc feruentem imponunt, quorum operationes merito deteſtandæ ſunt, quia ſuperficiem carbonis cum cera leniter inurimus nullo prorſus ægroti commodo, cum expediat exuſtionem fieri profundam, vt radix mali extinguatur, quod facere non poteſt leuis illa exuſtio: ideo Galenus volebat ſcarificationes fieri profundiores.

Quod vero cum oleo fit, illud quidem potentius vrit, & efficacius eſt candelæ guttulis: non eſt tamen ſufficiens ob eandem cauſam.

Ergo fieri debet cauterium, vel cum ferro, vel auro, vel argento ignis, profundius vſque ad radicem carbunculi, quæ inurenda eſt ſemel, aut bis, ſi prima vice non fuerit peruentum, vſque ad radicem, vel ob Medici negligentiam, vel ob ægroti timiditatem.

Quod ſi repeti non poſſit, ſtatim ſcarificationes augendæ ſunt profundiores, alioquin corruptum illud virus intus contentum maximum inferret malum.

Quando administranda.

De tempore autem, quo exerceri debet hoc remedium, ſolum dicere debemus, conuenire tunc, cum ſcarificationes profundiores non profuerint appareatq; augeri ſigna mala, vt nigredo, & corruptio, vt recte admonuerũt antiquiores: in hoc ipſo caſu nõ eſt exſpectandum, omnis enim vel leuiſſima morula inferre mortem ægroto poſſet.

Circa vniuerſale morbi tempus iam dictum fuit, in ſtatu non eſſe faciendum, ſed in principio, ſi oportuerit, ac fruſtra in hoc morbo exſpectari ſtatum, qui fortaſſis nunquam ſalubris futurus eſt.

Dixi ſufficienter de iis remediis, quæ in carbunculo manuali opera exerceri debent: nunc de reliquis tractandum.

CAP. IX.

De purgantibus, & repellentibus pharmacis.

DE purgatione autem ſummatim ita ſentiendum eſt, non eſſe in carbunculis obſeſſis exhibendum pharmacũ expurgans, vt materiam malignam in tumore contentam vacuemus: Hoc enim fieri non poteſt, quia materia illa nõ obſequitur pharmaco purganti, cum maturata, & concocta non ſit, hinc ipſum corpus liqueſcit attrahente pharmaco, quod in carnibus inuenerit ſibi familiare.

Deinde quia etiam ſi fieri poſſet huiuſmodi vacuatio, periculi plenum eſt ipſam exſequi, etenim à partibus ignobilioribus, quales ſunt cutaneę, non eſt humor attrahendus ad partes nobiles, atque præſtantes, vt ſunt venæ, iecur ventriculus, ad quas neceſſario trahitur materia à pharmaco pro expurgatione efficienda.

Poſtremo non eſt impedienda natura, cum bene aliquippiam vtiliter-

que operatur: At nos impediremus hunc motum naturæ, si purgare contenderemus materiam coniunctam,& fluentem ad exteriores partes. Memineris motum, quæ natura facit carbunculum esse bonum, & vtilem ratione partis, à quo mouetur, hæc enim nobilis existens, ac præcipue exoneratur eo, quod veluti sarcina præmebatur.

Ratione etiam partis, ad quam appellit, quia ignobilis est,& exterior.

Quam ob rem duplici nomine videtur detestandum huiusmodi consilium, primum ob causam coniunctam, secundo ob humorem fluentem, quem non debemus omnino impedire.

Cur igitur, dicet fortasse quispiam, conueniet? vt qui nondum mouetur humor, ad exteriores partes, multus existens, suffocationem innati calidi minitans educatur aliqua ex parte: quo natura longe melius fluxionẽ ipsam moderari possit: nõ raro enim accidit tantam copiam fluere, vt omnino moriatur calor innatus partis inflammatione obsessæ.

Fateor dum humor fluit, quod apparente statim carbunculo accidit, purgans pharmacum aliqua ex parte impediri, quin ita liberè,& tanta copia fluat, vt sine pharmaco effluerer: quod tamen quia malum non est, debet eligi à Medico ob corruptionis metum. Idem autem contingit in hoc remedio, atq; in venæ sectione, quam vt Galenus ad animi deliquium vsq; faciendam consuluit in antrace non pestifeto,& nos quantitatem moderandam in pestilenti duximus, sic in purgante pharmaco faciundum, exhibendo quidem illud, sed non ita validum, quemadmodum exhiberemus, in aliis citra pestilentiam affectibus.

Quod autem diximus de huiusmodi vacuatione, intelligendum est omnino, nisi antequam carbunculus appareret, sufficiens purgatio præcesserit: tunc enim frustra, ac temere tentaremus, quod cum summo iudicio vtiliter olim factum fuit. Quale medicamentum conueniat hic non decernimus, quia in superioribus libris horum exempla multa attulimus, ita vt non debeat hoc loco repeti. Solum illud vtilissimum in memoriam reuoco, quod scribit Auerrhoes *septimo collectaneorum*, oportere pharmacum esse catholicon, quo omnia expurgentur excrementa.

Num refrigerantia & repellentia conueniat.

Refrigerantia etiam, atque repellentia pharmaca non nihil habent controuersum. Quia debet virulenta materia, quam citissime fieri potest, ex carbunculo dissolui, & effluere: prohibet autem vtrumque vsus pharmacorum refrigerantium.

Debet præterea tota attrahi ad superficiem corporis, vt exonerentur interiores particulæ à pondere, quo præmebantur: repellentia vero ab externis partibus ad internas humores euocant, demandantq; propterea vtrũque medicamentorum genus euitandum esse Galenus præcipit.

Ex altera parte videtur rationi consentaneum, magnum illum ardorem, ægroto plerumque intolerabilem, mitigare medicamentis refrigerantibus, ac interdum summam fluxionem retardare aliqua ex parte, ne præ multitudine humoris omnino mali corruptio succedat innati caloris. Vtrumque in rem præsentem necessarium esse Galenus ipse docuit, *libro decimoquarto, de methodo medendi*. Docuerunt etiam alij, qui post Galenum de hoc eodem argumento scripserunt. Quamobrem, quid in hac controuersia sentiendum sit, breuiter doceo.

Primum vero omnium cum sermo institutus sit de carbunculo pestilenti, statuimus in illo nullo tempore conuenire simpliciter auxilia repellentia supra ipsum posita: quia cũ in solo principio vtilia sint in aliis inflãmationibus, in hac vero sit admodum breue hoc tempus, vix imo ne vix quidẽ occasionem habemus administrationis horum auxiliorum, cum antea incumbere debeamus vniuersalibus vacuationibus.

Deinde

Deinde materia tantam habet perniciem, vt temerarium fuerit consiliũ eam retropellere ad nobiliores particulas.

Præterea repellentia mixta discutientibus aliquando tuto possunt administrari. Sunt hæc prædita duplici facultate, repellente, & discussoria: quorum exemplum Galenus attulit, *libro 14. de methodo medendi*, & nos in tractatione de bubone meminimus. Sed hæc nunquam supra carbunculum applicanda sunt, sed circa ipsum per tres digitos. Cuius consilij ratio est, quod hac medendi ratione contemperamus æstum, & fluxionem mitificamus, ac de cætero tutiorem ægrotum reddimus ab eo periculo, quod frequenter in hoc perniciosissimo affectu contingere solet, ne materia intus retrocedat.

Non repellimus quidem, quoniam omnino repellentem non habet vim, quę sola in frigiditate consistit, & densitate substantię.

Neque omnino refrigeramus, quia calefacientia & dissoluentia permiscemus. Non impedimus fluxionem, sed aliqua ex parte mitificamus, & retardando vehementiam impetus, rem in tuto, quod ad nos pertinet, constituimus.

Tempus administrationis est duplex, vnum quidem post detractionem sanguinis, & purgationem; Aliud vero neque minus accommodatum, postquam tota iam confluxit materia ad carbunculum. Quia expedit quidem præcauere, ne virulentia illa retrouertatur ad viscera, à quibus deriuat, sed tota extra ducatur, euaporetque: tunc quidem repellitur quodammodo materia, ne ab extra intro denuo reuertatur. Hoc autem semper in artis operibus necessarium esse iudico, & admoneo præcauendum. *Tempus administrationis.*

Habere hanc facultatem cataplasma illud Galeni, ex lenticulo satis manifeste constat.

Est etiam in hoc opere aliud consideratione dignum, nempe quod non semper conueniat eiuscemodi remedio circum circa ipsum oblinire carbunculum, sed interdum sufficiet prouisionem fecisse versus partem principem illi proximam. Si enim fuerit ab emunctorio distans, qua parte respicit cor iecur, cerebrum, repellens solum applicato præsidium, qua vero inferiores: abstineto quoniam ad istas partes deriuare materiam malam, & malas euaporationes vtilissimum est, & è contra perniciosissimum, ad nobiles, vt prædiximus. Verum debet Medicus in horum administratione prudens, & iudiciosus esse, vt nihil temere efficiat, quia minimus in hoc curando morbo error, mortem inferre solet repentinam.

Proponamus autem nos pro nostræ methodi absolutione aliquot exempla medicamentorum, quibus tuto vti possumus.

CAP. X.

De Medicamentis pro carbunculorum sanatione accommodatis.

MEDICAMENTORVM, quæ passim vsurpari solent, pro sanandis carbunculis pestilentibus sunt differentiæ multæ, quędã enim à proprietate opitulantur; quędam moderate repellunt, ac digerunt, quędã ex alto attrahunt ad superficiem: quædam crustas inducunt, & quędam inductas crustas, aut ab illis, aut à ferro candenti cito remouent, de quibus agendum sigillatim. *Differentia.*

Consolida, quam symphytum appellant, & maior, & minor totius substantiæ proprietate opem fert mirandum in modum: vsurpatur cocta, & cruda, simplex, permixta: Cocta in aqua eius folia, & contusa superponuntur: Cruda inter duos fluuiatiles lapides contrita apponitur carbunculo, addũtque breuissimo spatio temporis morbũ superare, ita vt appareat horarũ sex aut octo interuallo separatio carnis emortuæ & corruptæ à carne sana. *Per proprietatem innatam.*

Sunt, qui permiscent ipsam vtiliter cum theriaca, aliisq; antidotis. Alij cum arnoglossa, & betonica: Nonnulli magis extollunt in hunc vsum minorem.

Scabiosa, quam ſtæben vocant, particulari quadam proprietate maturat carbunculos. Sumitur viridis, atque inter duos ſilices contunditur, deinde addito vno vitello oui, axungia porci vetere, & ſalis bene triti momento cataplaſma efficax fit.

Vidi aliquando, dum in Cingulanis montibus medicinam facere, hoc cataplaſmate carbunculum peſtilentem quinque horarum ſpatio perfecte ſuppuratum, euictumque.

Simul conſueuimus exhibere eiuſdem ſuccum hoc modo paratum:

Præparatio ſucci ſcabioſæ.

℞. *Succi ſcabioſæ depurati* ℥ v. *quorum diſſoluito, pulueris radicis mirridis* ʒ ß. *Mithridati* ℈ ij. calidum exhibetur ante cibum horis quatuor, & iubetur ægrotus, vt pannis cooperiatur, & ſudet. Tribus matutinis id facio bono ſemper ſucceſſu.

Extrinſecus vero ſcabioſa tribus vtor vicibus ſingulis horis quinquies innouando, quod ſupra deſcripſimus cataplaſma.

Ludouicus pater meus ſemper felici ſucceſſu vtebatur nucleo nucis iuglandis vetere & rancido in hunc modum.

℞. *Nucleos tres nucis inglandis veteris, ac rancidæ.*

Ficuum pinguium.

Vuarum paſſularum expurgatarum, ſingulorum æquales portiones: coquantur ſimul in vino albo generoſo, quale eſt creticum, aut moſcatum, donec cataplaſmatis craſſitiem acquirant, atq; in fine decoctionis addito ſalis minutiſsime contriti ℈ ij. *& cum refrigeratum fuerit, vitellos duos ouorum.*

In ea peſtilentia, quæ viguit anno 1527. hoc remedio ſeſe vſum fuiſſe cum vtilitate frequentiſſime, mihi communicauit. Antiquum ſane remediũ eſt à Dioſcoride ſcriptum, cuius extant hæc verba: *Veteres nuces maſticatæ & applicatæ ſanant citiſsime gangrænas: carbunculos, & fiſtulas lachrymales.* Ex quibus conſtat ſummam vim eſſe in ſolo nucleo rancido ſubſtantiæ proprietate inditam: quod Dioſcorides hoc vtatur ſolo, noueritq; certa experientia magnã vtilitatem præbere, cum aſſerat citiſſime ſanare hunc affectum.

Galenus experientiã non habuit huius rei, quemadmodum ex eius verbis apparet *lib. 7. de ſimplic. medic. facultatibus*, vbi dicit, quoſdam vti oleo nucum pro ſanandis carbunculis, nulla facta mentione nucleorum, de quo oleo Dioſcorides non loquitur.

Et certe non præſtat hanc operam, vt experimento comprobatum fuit hactenus frequenter.

Potiſſima, quorum apud me obſeruatio eſt, totius ſubſtantiæ proprietate infenſa carbunculis recenſui, alia apud alios reperies.

Repellentia.

Quæ repellunt duntaxat ablegata ſunt ab hoc munere, ſed quæ moderate repellendo, vim etiam habent digerendi moderatam, illorum tutum aliquando vſum eſſe, demonſtrauimus ſupra. Pro quo munere perficiundo ſexcenta vtilitatem afferre poſſunt, ego ex multis duo duntaxat conſiderabo, plantaginem, & lentem vtrumque pro ſanatione huius affectus à veteribus vſurpatum.

Galenus quidem cataplaſma facit ex lente, quod in hunc modum parari poterit.

Cataplaſma ex lente.

℞. *Lentium non carioſarum* ℥ ij. *coquantur cum vino dulci, vt vernaciolo, vel eiuſdem generis alio, atque vbi perfecte coxerit in mortario ligneo contundito diligentiſsime, mox huic contuſa miſceto foliorum arnogloſſa maiores contuſorum manipulum vnum atque micam panis vnius, vel eiuſdem vncias duas, fiat cataplaſma*, quod ſi craſſiuſculum videatur, fiat liquidius ex eodem dulci vino, in quo lentes concoxeris, vel ſi dulce huiuſmodi ad manus non ſit vinum, tunc ex ſapa cataplaſma fiat. Applicetur bis ac ter in die circum circa tumorem, maxime circa partem, qua nobilem partem magis reſpicit.

Panis mica ſit nec omnino à ſulphure puri, neque nimium ſulphuris haben-

habentis. Siquidem, qui omnino purus est eius substantia in cutis meatibus hærere est apta emplasticoteron Græci vocant, furfuraceus autem crassiorum est partium.

Admiror maxime recentiores quosdam Medicos, qui audent Galenum hic reprehendere circa vsum huius cataplasmatis, quod scilicet putent, nulla ratione in carbunculo pestilenti administrandum, quod scilicet repellentia, quomodocunq; administrata in hoc affectu vtilia non sunt: Ego vero profiteor tutissimum existere illius vsum, & hosce homines summum Galeni artificium ignorare.

Nam hoc ipsum cataplasma dolorem in primis mitigat ex vino, seu ex sapa. Deinde refrigerat moderate ex arnoglossa, & lentibus.

Tertio parum omnino repellit ac tuto: quia lentes coctæ amittunt ex coctione adstringentiam, maxime vero, quæ fit cum vino dulci, quod humectandi vim habet, aut siræo præparatum.

Quarto arnoglossam misti facultatem ex aqueo & terreo, euincente tamen sicco elemento, ideoque accommodatissimum est pharmacum, vt Galenus dicebat pro sanatione omnium vlcerum serpentium, maxime carbunculi, vt Dioscorides aiebat.

Quinto lens ipsa hoc modo pręparata vim habet sanandi vlcera crustacea, cum remoueat eschatam, quo remedij genere indigemus.

Sexto panis mica non adstringit, sed ob fermentum moderate exsiccat, & calefacit: ob farinam vero aqua mixtam videtur emplastica, opponiturq; detergenti pharmaco, & est finitima repellentibus.

Postremo sic etiam debere arguere, Galenum vtentem trochiscis polyidæ, & Musæ, & Andronis: quod in horum pharmacorum compositione ingrediuntur, quæ potenter adstringunt, vt balaustij, alumen Gallæ, atque in dosi maxima, sunt enim in pastillis Andronis ʒ xxij adstringentium: tota vero compositio quinquaginta & octo drachmas habet, in summa in carbunculo curando siue sit pestilens, siue citra pestilentiam, quæ solum repellunt detestanda sunt: quæ repellendo digerant, salubetrima, vt Galenus testatur *loco citato*, atque *libro quinto de comp. medicam. per genera, capite vltimo*, vbi ad verbum eundem curationem repetit, quam in *libro quarto de methodo medendi*, scriptum reliquit.

Quæ autem ex alto ad superficiem humores attrahunt, in vniuersum quidem prædita sunt calore, cuius præcipuum officium est trahere ad sese ex alto corpore non solum spiritus, & vapores, sed etiam serosos humores, ac etiam crassiores.

Si hisce medicamentis adiungatur substantia tenuis, & sicca qualitas, non solum validam attrahendi potestatem habebunt, sed etiam quod attractum fuit dissipabūt, ac validæ dissoluent, euadentq; pharmaca *μετασυγκριτικά*, his ipsis vtendum eodem tempore, quo, circa carbunculum vtebamur moderate repellentibus, imponendo ipsa supra carbunculum. Galenus in hunc vsum solum pastillos Andronis vel polyidæ, vel Pasionis adhibet, qui sic ait: *14. de meth. med. super ipsum vero vlcus valens aliquod imponendum est medicamentum, cuiusmodi est Andronis, Pasionis, vel Polyidæ, liquari id cum vino aliquo dulci ad sordium crassitudinem debebit.* Hæc quidem Galenus, qui tempus vtendi locum, & modum simul docet proponens pharmaca præstantissima, quibus solis sanari hic affectus potest. vt experientia cognitum est mihi. Pastillorum istorum compositionem refero. Andronis.

Pastilli Andronis.

℞. Balaustiorum ʒ x.
Aluminis scissilis ʒ iiij.
Calchanti ℥ j. ß. *Myrrhæ* ʒ iiij.
Thuris, Aristolochiæ, Gallarum, an. ℥ j.
Salis ammoniaci ℥ ß. *ex vino generoso conficiuntur.*

℞. Mali-

Polyidæ. ℞. *Maliconi* ʒ vj.
Mirrhæ ʒ viij.
Aluminis scißilis ʒ ß.
Thuris ʒ iiij.
Calchanti ʒ iij.
Fellis tauri ʒ vj. *vino dulci paratur.*

Pasionis. Pasionis vero sic habet:

℞. *Aluminis scißi, aloes, myrrhæ, calchanthi, an.* ʒ vj.
Croci, crocomagmatis, an. ʒ iij.
Balaustiorum ʒ iiij. *Mulso ex phalerno facto pistentur, & conficiantur.*

Placuit mihi has compositiones in medium afferre, primum, quia istis vtor familiarissime, possumq; testari, horum duntaxat auxilio, me quam plures sanitati restituisse: mox autem, vt meo exemplo admoniti essent Medici nostræ ætatis, nō solum in methodo medendi, sed etiam in materia medica, horumq; copia Galenum cæteris omnibus fore præponendum: quod vt facilius demonstrem Andronis pastillos examinabo diligenter summam illorum efficaciam pro sanando carbunculo ostendens.

Πολυχρήστοις indigemus remediis, quæ scilicet varias vtilitates præbeant, prout varij sunt scopi, quos natura pessimi huius morbi suggerit.

Expedit, vt prædiximus, summum ardorem mitigare, acrimoniam humoris acerrimi obtundere in phlegmone existentis.

Quia maxime putridum esse morbum constat inhibere putredinem oportet: valde impactum humorem educere ad superficiem, vt pars transpiret, ne suffocetur calidum innatum: atq; hic præcipuus est scopus.

Denique impedire oportet: ne maxima fiat fluxio supra vires affectæ partis.

Iam vero, quæ calida ingrediuntur hoc medicamentum, basim continent medicamenti: quia ob caliditatem potenter ad superficiem attrahunt materiam adustam, quædam tamen magis, quædam minus. Sunt autem hæc: Alumen, calchantum, myrrha, aristolochia, sal ammoniacum vinum. Calorem mitigant refrigerantia, malicorium, gallæ, quæ eandem acrimoniam obtundunt.

Repellunt, quæ adstringunt, vt alumen, & moderate calchantum, Gallæ validius.

Putredini resistunt omnia, quatenus sicca sunt, roborant calidum innatum thus, vinum, adstringentia: ac in vniuersum omnia, quæ dissoluunt insensibiliter virulentam materiam.

Non est hoc loco dissimulandus error quorundam putantium in carbunculi curatione supra locum vtendum esse pharmacis suppurantibus, nam certe hæc intentio est omnino contraria rationi: siquidem affectus hic putredinem corruptiuam habet, quam protinus conducit vacuare foras, & impedire, ne mala hæc augeatur corruptio: at suppurantia, neque ex alto materiam euocant, neque prohibent, ne illa incrementum sumens in gangrænam terminetur.

Galenus rem hanc considerans detestatur vsum suppurantiam hisce verbis: *Quæ autem pharmaca reliquis adhiberi vlceribus solent, nempe quæ concoquunt, & pus mouent, ea tunc adhibenda non sunt: quando ita putredinem particula auxerit.*

Notanda hæc Galeni verba: *ea tunc adhibenda non sunt*, quia hisce verbis testatur, non esse administranda concoquentia: tunc, cum incipit carbunculus, vel tunc, cum alios affectus exulceratos suppurare consueuimus: Siquidem nos quidem suppurationem etiam iuuamus, & procuramus cum eschara est remouenda, quam sane remouebimus humidis, & pus mouentibus, & concoquentibus pharmacis, aut si alio etiam artificio remoueri possit,

posset, remota eschara incumbere oportet concoquentibus & maturantibus primum, mox detergentibus pharmacis.

Nunc de medicamentis agendum, quæ crustam inducunt.

Non est omnibus necessaria administratio causticorum, sed iis duntaxat, qui ferre sectionem voluerunt: nam si vtrumq; prætermittatur, vix quidem aliqua spes salutis superesse poterit.

Sectio iuxta Galeni principia magis necessaria est, quam causticorum vsus, vt puta quam Galenus statim faciendam suadet post missionem sanguinis: Sunt autem horum medicamentorum gradus tres: quædam enim sunt vesicantia, quædam escharotica, quędam caustica: quæ inter sese distant in eo quod magis ac minus.

Omnia in genere conueniunt, quod sint calida & sicca gradu quarto.

Differunt vero sic, quod vesicans medicamentum summam cutem quidem exulcerat, veram rare subiectam illi carnem rarissime.

Escharoticum vero & summam cutem, & cutem veram afficit, crustasque facit, non tamen infra cutem suas exercet vires.

Causticum vero adurit cuticulam, & cutem & subiectam illi carnem haud secus, atq; cauterium actuale ex igne paratum.

Qualitas eadem omnium, substantia non eadem: nam vesicans in tenuiori substantia residet: escharoticum in paulo crassiore, causticum vero adhuc in magis crassa substantia residet.

Quæritur quo genere pharmacorum ex hisce tribus vtendum.

Respondeo, quia casus vrgere plurimum videtur, caustica magis vtilia in rem præsentem fore: nam mali radicem nisi quis attingat, non potest perniciosam hunc affectum sanare, ac neque vesicans, neq; escharoticum id efficere potest.

Materia accommodata caustici hęc sit:

℞. Vitrioli romani exusti, ℥ ij.
Salis armeniaci ℥ j.
Calcæ viuæ, cineris è face vini, an. ℥ iij.

Tritis atq; permistis affunde lixiuium ficulneum, aut titimalicum, quod deinde colatur, dum istorum materia tota dissoluta sit. Lixiuium deinde in olla noua aperta coquitur, ac feruescit, donec crassescat atq; lapidescat. In ampulla vitrea, & obturata reconditur, ne transpiret: Vsus tempore scrupulum vnum permistum cum oleo nucum supra carbunculum ponitur, ac sesqui horæ spatio suo munere citra dolorem, aut certe admodum exiguum, perfunctum est.

Aliud, quo etiam in eiuscemodi affectu vti soleo, in hunc modum habet ex Paræo: Aliud

℞. calcis viuæ ℔. iij. in situla lixiuij fullonum calx extinguatur subsideat & coletur, tum cape cinerum sarmentorum vitis,
Fabarum, tithymalorum, quercuum an. ℔. j.
Salis nitri, salis ammoniaci, an. ℥ iiij.

Trita parum bulliant, & macerentur 24. horis, tum colatura, quam subtiliter fiat, vt lixiuium reddatur perspicuum: postea in vase æneo bulliat ad medietatis consumptionem, tum adde vitrioli triti ℥ ij. bulliant iterum vsq; ad eam consistentiam, vt scindi possit: tunc scindantur cauteria omnis forma, & scissa adhuc consolidentur, exsiccentur in trochiscos, & vase clauso seruentur ad vsum.

Cæterum in edendi hæc ratio infirmior est, quam magnitudo carbunculi pestilentis postulat, optima, & sufficiens, quæ fit scarificatione præcedente, demum quæ fit candente ferro, quam nos sequenti capite explicabimus.

Modus

CAP. XI.

Modus remouendi escharam quam citissime.

POSTQVAM inustus fuit carbunculus, nihil antiquius esse debet, generoso Medico, quam statim remouere crustam ab igne inductam: in iis enim affectibus, qui inducias præbent, nihil refert, si paulatim detrahamus; at in gangræna, in cancro, in carbunculo, atque aliis eius generis putredinosis, solet mora damnum inferre magnum. Doceamus igitur, quomodo quam citissime crustam, quam escharam vocant, remoueamus.

Resp. in primis est supponendum, crustam adhuc post ignis actionem adhærere toti, quod ignis non perfecte fibras omnes exussit, quæ ligabant, partemq; sanam cum ægrota continuabant, quam ob rem oportet illas ex toto corrumpere, cum amplius ob igneam alterationem contractam vehementer, ad priorem suam naturam reuerti neq; possint, neq; debeant.

Plerique omnes docentes modum, asserunt id fieri debere supputrantibus, humidis, ac putredinem efficientibus, atq; hic videtur communis modus medicinam factitantium.

Ego autem aduersus hanc operandi rationem dubito: quia inuenio authores antiquos eiuscemodi materia non semper fuisse vsos. Proponamus pro exemplo gangrænam, quam ignitis ferris adustione affecerit Medicus: Crustam detrahet, non quidem medicamentis supputrantibus calidis, & humidis, atq; emplasticis, à quibus summa affecti loci corruptio, non mediocre sumeret incrementum, sed contrà cephalicis, quæ calida & admodum sicca sunt, & detergentibus commode vtetur. Illa enim augere putredinem constat, & à Galeno dictum fuit *lib. 14. de meth. med.* in quo illorũ damnat vsum.

Propter hanc causam Galenus crustam remoueri asserit ex Critonis pharmaco, seu pastillo, & ex Archigenis medicamento & altero Sorani, quorum quodlibet admodum siccam, imò vero causticam vim habet.

Verum ne quispiam arbitretur me hoc imponere antiquis afferendæ sunt hoc loco ipsorum dictiones, & si quæ facere dubitationem videbuntur, diligenter explananda sunt.

Exordior à Paulo Ægineta, qui *lib. 4. cap. 19. de gangrena*, sic ait:

Quidam vero post sectionem securitatis sectionis gratia etiam cauterium adhibent, in quibus sale cum porri succo vtendum est.

Porro factam escharam dicet remouendam, explicansq; materiam inquit: *Postea vero ad crustam remouendam cataplasma ex pane aut hordeacea, aut triticea farina, in aqua & oleo coctum imponunt: aut capitales siccum puluillum cum melle:* & quibusdam interpositis. *Probe autem* (inquit) *separat crustas panis cum apio tritus, aut cum ocymo, aut iris, aut panax, aut aristolochia, aut acorum cum melle, aut thus. Auffert etiam probe crustas Macharionis medicamentum, & istis melle excepta in linamentis.* Hæc Paulus: ex quo iam clare patet, non semper humidis, ac putredinem facientibus remouendam esse escharam, sed interdum calidis & siccis.

Nunc Galenum de hac re loquentem consideremus: is enim *libro sexto de compositione medicamentorum secundum locos capite secundo*, explicans rationem curandi vlcera mala, & cacoethe, quæ in ore contingunt, docet sæpenumero egere illa medicamentis inducentibus crustam, cuius remotionem docens, vult illa remoueri valde detergentibus, & ita fortiter exsiccantibus, vt etiam ipsa facultatem habeant inducendi crustas. Galeni dictio, qua concludit rationem medendi hisce vlceribus conuenientem hoc habet modo:

Rationabiliter igitur ad oris vlcera arida medicamenta cum melle miscuerunt, per quæ crustas inducimus: quomodo vero eadem remedia, quæ crustas inducunt, valeant ad crustas remouendas explicit hisce verbis proxime sequentibus.

Quæ

Quædam igitur ex eiuscemodi pharmacis primus recensui in eo loco, quo ad nomas oris medicamenta scripta sunt. Eadem enim etiam ad crustas conuenire dixi, si mel ipsis addatur: Quamobrem de ipsis scribam omnia, tametsi hic dici cuipiam videantur.

Audito nunc materiam multiplicem horum pharmacorum ex Andronico ex Crytone, ex Archigene, ex Musa, ex Sorano ex Heraclide Tarentino, quæ à Galeno mirandum in modum comprobantur.

Laudat in primis omnia Andromachi stomatica ab ipso ad nomas conscripta, tanquam commodissima ad crustas remouendas cum melle.

Deinde Critonis pharmaca, vt hoc: Misi crudum è vestigio tollit. In alio exemplari *cum melle tosto* habetur. Sunt autem Miseos torrefacti drachmæ tres, mellis boni ciathi sex. Addit, *similiter facit Chalcitis assata cum melle.*

Ex Archigene laudat stercus caninum cum melle: *Atramentum sutorium purpura marina tomento inuolutum vrito, neque agitato, deinde cum melle tritum allinito.*

Ego hic non assequor, quid sit tomentum marinę purpuræ. Fortassis est buccinum, seu testa purpuræ marinæ.

Ex Musa: *Nam ille scribit in præsenti affectione stercore canino cum melle vsum.*

Ex Sorino extat istud; *Chalcitidis tosta, & mellis attici, quod satis est.*

Aliud: *℞. Misios vsti ʒ viij. Iridis illyricæ ʒ iiij. croci ʒ j. hæc trita & mixta in pixide lignea reponito, & tum per se, tum melle vtitor.*

Ex Heraclide plura, vt quod vocatur Anthera, cuius compositionem:

℞. Iridis illyricæ, sandaracæ, cyperi, singulorum ʒ iiij. aluminis scissi, croci, myrrhæ, crocomagmatis sing. ʒ ij. his tritis, ac mixtis vtere.

Aliud: *℞. Bdellij vsti partes tres, auripigmenti partem vnam, tritis, mixtis vtitor: & super ne linamentum conuulsum impone rosaceo tinctum & expressum.*

Hic ego arbitror contextum esse deprauatum: quia nunquam obseruaui, nec in Galeni doctrina, nec aliorum Græcorum, nec Arabum bdellium vri: quamobrem pro *bdellio* legerem *βιβλίου*, vt vidi in antiquo codice Romæ in vaticana bibliotheca. Hoc sensu: id est, *libri adusti:* qua voce significetur charta adusta, ex qua huiuscemodi caustica fieri consueuerunt medicamenta, vt constat ex Paulo Ægineta, atque aliis.

Ex iis igitur, quæ hactenus diximus, constat, escharam, seu crustam remoueri duobus præsidiorum generibus, humidis calidisque & pus mouentibus: deinde crustam etiam inducentibus, & escharoticis.

In carbunculo non conueniunt pus mouentia, vt Galenus testatur *decimo quarto methodi medendi*: neque in gangræna, neque in cancro, & vt vno verbo dicam, in nullo affectu admodum putrido & corrupto. Conueniunt igitur, quæ valide & potenter detergunt, atque fibras illas, quibus adhæret parti sanæ, vim abrumpendi possident: cuiusmodi est mel optimum, quale Hispanum est, & illyricum, aut alterius regionis syncerum, & acrius, quod escharoticis mixtum detergere potest, & fibras illas citissime corrumpere.

Hinc error apparet Medicorum nostri temporis, qui in omnibus crustis remouendis butyro, axungia, & reliquis pus mouentibus vtuntur: cum in illis dumtaxat accommodatus esse debeat illorum vsus, quæ in tenera carne, sana fiunt vlcera, multis temporibus conseruanda, vt sunt fonticuli seu fontanellæ, & setani.

Quamobrē si quispiam voluerit statim remouere inflictam ex cauterio escharam, hic quidem supra ponat huiusmodi linimentum, quod tum ratione duce, tum experimento noui insigniter prodesse.

℞. misy, id est, vitrioli, calchantum vocant ʒ ij. Liniment.

Mellis optimi ʒ iiij.

Axungiæ ʒ ij. aut butyri tantundem.

Potest etiam tuto administrari sine butyro, si admodum tenerum corpus non sit, & ferendis doloribus assuetum.

Fuit hoc remedium Critonis Galeni testimonio, qui ait: *missitendum è vestigio tollit*, crustas.

Ego autem admisceo vel ipsum, vt magis accommodata fiat ipsius crustæ detersio, & interdum modicum axungiæ in corporibus delicatis. Neque reprobo alia, quorum supra facta mentio fuit ex antiquorum placitis, Galeno comprobante.

Cæterum alius etiam est motus citissime remouendi escharam: nempe, vt cauterium fiat cum ferro rotundo intus concauo, quod totam complectatur magnitudinem carbunculi, aut maiorem partem ex illo ignito fiat cauterium, quod quidem separatam faciet escharam à sana parte, aut saltem à vicina, quæ non potuit comburi: fiatque profundius, vt radicem attingat, quantum fieri possit carbunculi, tunc sane eschara ipsa solum continebatur in superficie malæ carnis & exustæ: supra quam si medicamentum descriptum imposueris, aut ægyptiacum vnguentum, aut isis, aut aliud consimile, cum butyro recenti, vel axungia horarum fere 24. spatio & escharam ipsam, & totam corruptam carnem remotam inspicies. Hæc volui de carbunculi curatione dixisse.

Cap. XII.

De colliquatiuis febribus.

ACTENVS de bubonis, & carbunculi pestilentis curatione dixisse videor: nunc de colliquatiua fluxione, quæ febribus pestiferis contingit frequentissime, pertractemus, à qua colliquatiuæ nuncupantur febres.

Verum vt natura symptomatis huius, & curatio facilius innotescat, in primis operæ precium est generatim tractare de colliquatiuis febribus, earum differentiis, & causis: alioquin ignorabimus, quid agendum, vbi pessimum hoc adueniat symptoma, quæ res magnam difficultatem habet, primum, quia Galenus satis ambiguus videtur, deinde, quia non extant, quæ de colliquantibus febribus Galenus fortasse scripsit; cum *libro decimo de methodo medendi, capite vltimo*: polliceatur sese de illis tractaturum, neque etiam extant, quæ scripta reliquit olim Phylagrius.

Postremo, quia neque ex recentioribus Medicis quisquam adest, quod sciam, qui de hoc argumento tractauerit.

Conabor itaque, vtcunque potero: materiam difficilem dilucidare, ac aliis aperire viam.

Colliquatiuæ igitur febres generatim sunt, in quibus solidarum partium alimentum, aut sensibiliter liquatur, aut insensibiliter dissoluitur.

Dixi, hanc esse generatim naturam harum febrium; quia speciatim colliquatiuæ febres, ac maxime propriæ dictæ sensibilem colliquationem habent per aluum: minus propriæ, quæ per vrinam; & adhuc minus, quæ per sudorem.

Colliquatiuæ febres quid. Ea enim dicuntur liquari, quæ ex crassis humidiora & fluxibiliora euadunt, vt mel, & oleum hyemis frigore condensata à calore liquefiunt, butyrum, adeps, pinguedo, cera, atque alia huiusmodi hanc patiuntur dispositionem à calido, imo vero & plumbum, & æs, & aurum, & argentum.

Contingit idem in viuentibus corporibus, vt in adipe, in pinguedine, in carnibus: vt enim in craticula, aut in veru agente in illis calore igneo fit colliquatio sensibilis, sic etiam accidit dum febricitantis calor depascitur humidum solidarum partium.

Intelligo nomine solidarum partium; non quidem factas à solo semine, sed quæ à sanguine generantur, vt adeps, pinguedo, caro.

Neque enim possibile videtur Galeno, verè solidas animali viuente posse liquari, quemadmodum testatur *libro decimo de methodo medendi*, cum inquit: *At vero nec fibrosa, nec neruosa, membranosaue natura eandem generationem habere vrnitur, nec par est, eiusmodi singularum partium fibras à malignis febribus liquari, veluti carnes: quoniam animal ipsum, prius quam hæ prorsus sint siccatæ, interimerent*, Hæc Galenus.

Minus tamen proprie per abusum colliquationis nomen extenditur ad extabescentiam solidatũ partium, cum illas exsiccari, & extenuari contingit insensibiliter. Author primus significationis huius fuit Hippocrates *libro secundo aphorismorum, contextu 28*, cum ait: ἢ καὶ συντήκεσθαι μᾶλλον, τῶ κατὰ λόγον, μοχθηρόν quod est. *aut etiam plus æquo colliquefieri malum*. Galenus autem *in commentaria* asseruit, verbum ipsum, *colliquefieri*, non sumi in eo aphorismo pro significatione propria, sed per abusum significare solum imminutionem, & attenuationem corporis.

Est autem huic proposito vtile totam eius dictionem afferre, quæ sic habet: *Nec vero existimare oportet Hippocratem συντήκεσθαι, verbum hoc loco propria significatione accepisse pro contabescere, & absumi, sed abusum potius fuisse pro ἰσχναίνεσθαι*, id est, *attenuari & imminui*. Nos igitur tum Hippocratem, tum Galenum immitati hoc colliquationis nomen intelligimus pro vtraque significatione: idcirco in definitione mentionem fecimus sensibilis, & insensibilis colliquationis.

Cap. XII.

De differentiis colliquatiuarum febrium.



EX iis, quæ proxime diximus, constat, duas præcipuas differentias existere harum febrium.

Quędam enim habent sensibilem colliquationem, quædam insensibilem.

Sensibilis quidem in pestilentibus quibusdam, & in nonnullis hecticis. Insensibilis vero in quibusdam ardentibus, & hecticis.

Non sunt omnes pestilentes febres colliquantes, quia summa putredo impedire aliquando solet colliquationem, quemadmodum naturæ impetus ad varias corporis partes.

Colliquatio solidarum partium non est cuiusuis caloris præter naturam effectus, sed eius potissimum, qui ingens facit negotium magis ignea qualitate, quam putredine: calor enim putredinosus multa humiditate implere solet partes corporis: alter vero easdem absumere, & colliquare, & imminuere.

Eodem modo sese res habet in humanis corporibus, atq; extrinsecus in carnibus, quæ in veru, ac graticula coquuntur, ex quibus vi ignis pinguis humiditas eliquatur, totaq; carnis moles imminuitur, at è contra, si in aqua elixabitur, euadit plenior, humidiorq; imbuta aquoso humore.

Quoniam igitur ex pestiferis febribus, quædam habent calorem mitẽ, quædam acriorem, quædam acerrimum: hinc fit quasdam pestilentes non esse colliquatiuas, quasdam parum colliquationis ostendere, alias vero plurimum: Si tamen non repugnauerit subiecti corporis natura: ideo ephemeræ pestilentes nunquam signum aliquod colliquationis demonstrant: putridæ quædam, non autem omnes colliquantes pestilentes, hecticæ omnes.

Impedire potest colliquationem naturæ impetus ad varias corporis partes, vt si forte fortuna contingat calorem igneum petere exteriores partes, vt cum fiunt erysipelata, abscessus mali, corruptiones, putredinesq; partium de quibus facta fuit ab Hippocrate mentio, *libro 3. epidemiorum*, dum pestilentium morborum catalogũ facit, quem locum superioribus libris citauimus, atque explanauimus.

Dubitatio. Dubitabit autem quispiam, quod Galenus contrarium asserere videatur. cum dicat colliquatiuum hunc fluorem semper inesse in pestilentibus febribus, affero eius verba, quæ multos deceperunt *libro tertio epidemiorum, sect. tertia, textu 57.* Hippocrates ita scribit: *Vno q. verbo, qui morbis longis, vel acutis tenebantur, ventris vitio omnes præcipue examinati sunt, cunctos nam q. venter substulit.* Galenus autem *in commentario* inquit: *Quæ euacuabantur, erant syntexis, quod quidem esse symptoma videtur in perpetuum febris quam pestilentem priuatim vocitant, cum mortales, vel citra pestes febris corripiat.*

Sed certe locus iste non est vniuersaliter intelligendus de omnibus pestilentibus febtibus sed de iis duntaxat, quæ Galeni tempestate vagabantur, in quibus appareat fere semper colliquatio per inferiorem ventrem, cum tamen multæ sint febres pestiferæ, quæ nullam syntexin habent.

Veram esse hanc explanationem Galeni verba declarant, nam *libro decimo de methodo medendi, capite vltimo,* febres pestilentes, quæ tunc vagabantur, vocat colliquatiuas, cum ait: *Verum de colliquantibus febribus differere in posterum licebit, aque, vt de iis hecticis febribus, quæ in pestilentiis contingunt, cuiusmodi ea est, quæ nunc publice grassatur.*

His igitur verbis Galenus apertissime ostendit colliquatiuam fuisse, quæ tunc publice grassabitur febris, quod etiam alibi dixisse memini.

Deinde consideranda sunt hæc Galeni verba, *quod quidem esse symptoma videtur in perpetuum &c.* Quia non dicit synrexin esse perpetuum, symptoma harum febrium sed videri perpetuum, quasi quod dicere voluerit, colliquationem in ea peste adeo frequentem fuisse, vt fere iudicare posset perpetuum signum febris huius: cum tamen reuera non sit perpetuum.

Differtia. Sunt autem in vniuersum febres colliquatiuæ tres. Ardentes quædam pestilentes hecticæ.

Ardentes colliquatiuas appello duorum generum communiter quidem, quæ insensibilem, ac proprie, quæ sensibilem habent colliquationem: insensibilis autem coll quatio, gignitur, quod corpus abundet humoribus tenuibus, à quibus solidæ partes enutritæ, facile patiuntur halitus specie dissolutionem: de his febribus loquitur Hippocrates *in primo prædictionum exitiosam* declarans faciem his verbis: *Fuerit autem eiusmodi facies, nasus acutus, oculi, tempora adstricta, aures frigida, contractaque & fibræ earum versa, & item cutis circa frontem dura, intensa, arida, & color totius corporis viridis aut niger.*

Galenus *in commmentario* referens horum causas asserit id contingere propter colliquationem aut virturis imbecillitatem: Colliquationem vero fieri à calore igneo adurente: imbecillitatem vero efficere dissolutionem, & vacuationem humorum tenuium, quo corpus ipsum rarum, atque difflabile continere non potest. Hę sunt colliquatiuæ sermone improprio, & per abusum sic dictæ.

Sunt præterea aliæ ardentes vere colliquatiuæ, in quibus adeps, & caro sensibiliter liquantur, quarum omniū naturam Galenum *decimo libro de methodo medendi* eleganter expressisse mihi quidem videtur, *capite vltimo,* vbi differentias affert inter vere colliquatiuas, & marasmodes febres. In illis enim sensibilis fit liquatio adipis, & carnis; at in marasmo colliquatio nulla visitur. Accommodatoque exemplo suum tum domesticorum, tum agrestorum, & experientia eorum, qui ægrotant, dilucidat his verbis: *Sed in eo,* inquit: *differunt, quod quæ portio carnis in his (marasmodis febribus) colliquatur, ea semper vaporis vice digeritur, in illis defluit in ventrem. Cernitur hoc etiam in carnibus, dum in craticulis torrentur euidenter fieri, siquidem ab aliquibus plurima liquatio defluit, defluitque in prunas largiter. Aliquando nihil omnino, quod vtique sentias defluere videtur, etiamsi par sit prunarum subdita copia. Quippe feris suibus, aut nihil omnino, aut plane minimum est, quod defluat, cicuribus vero plurimum.*

Quan-

Quantoq; magis vel adipe, vel carne animal abundat, tanto profectò, quod ab ipsis carnibus dum in craticulis torrentur defluit, cernitur copiosius. Ad eundem itaque modum in calidissimis febribus, si carnes humidæ, ac molles cum adipis copia fuerint, eas sensu liquari deprehendas: sin sine adipe, & siccæ sint, in marasmodes febres transeunt: clarissimo huius rei argumento sunt infirmi; qui per aluum, quod liquatur, excernunt, qui nisi prius, vel morbi violentia, vel Medicorum inscitia moriantur, in marasmodes febres incidunt. Siquidem, quæ ad materiam vberem habent, hanc colliquant: vbi illis tum adeps, tum caro mollis deficit, duras & ægre liquabiles carnes siccant: à quibus propter siccitatem nihil defluit. Veluti nec ab his, quæ sale sunt siccatæ: si quis has quoq; torrere parans pari cum aliis igni admoueat: nam & sicciores earum carnes reddentur, & corij ritu durabuntur, nec defluet ex his vlla sensibilis liquatio. Hæc Galenus.

Differunt etiam hæ febres ab iis, quæ simpliciter ardentes nuncupantur: nam duobus symptomatis perpetuo insigniuntur, siti scilicet in exhausta, & calore ardente: at colliquatiuæ febres longe maiorem caliditatem habent, ac prætetea fluorem colliquatiuum per inferiorem ventrem continent. Sic igitur habent febres ardentes colliquatiuæ; nunc de aliis agamus.

Febres colliquatiuæ pestilentes contingunt, cum simul putridæ sunt, atque hecticæ.

Duorum enim generum sunt pestilentes febres.

Quædam absoluto nomine pestilentes vocantur: quædam sunt pestilentes hecticæ.

Colliquatio in priori genere fieri non potest: siquidem generantur, vel ex corruptione spirituum cordis, vel ex corruptione humorum existentium in sinu cordis: neutrum horum facit hecticam, quę, vt prędiximus, est igneus calor in solidis partibus vehementer inhærescens, & infixus: ex quibus solidis nascitur colliquatio, nempe ex adipe, & carne.

Hecticæ pestilentes duo continent genera febrium, Hecticam scilicet, ac putridam.

Hectica est, quia adeps, & caro colliquatur, & quia cordis corpus in habitu læsum est.

Putrida vero, quia putrescit cordis corpus, & substantia.

Colliquatio fit in istis duntaxat pestilentibus sensibilis per inferiorem aluum.

Tertia species colliquantis febris est hectica, non quælibet, sed marasmo complicata: nec profectò cuilibet marasmo, sed solum incipienti.

Meminisse oportet hoc loco eorum, quæ olim scripsimus de febribus hecticis; nimirum, quod tres sint eius gradus (parum autem referat, siue gradum, siue speciem, siue differentiam dixeris, siue tempus.)

Primus complectitur incipientem hecticam: quam Galenus in principio existere significauit, *lib. 1. de feb. diff.*

Secundus gradus marasmus est incipiens.

Tertius, marasmus consumatus.

In primo natiua humiditas ebullit, & efferuescit solum, cum nondum certe dissoluta est, validaq; adhuc permanet virtus.

In secundo iam redditur imbecilla, ita vt pinguedo, & adeps colliquescant.

In tertio fibrosum, & membranosum genus maxime siccantur in halitum facta dissolutione exigui, quo præditum est, humidi: vt Galenus dicebat *10. de method. med. cap. vltimo.*

Hæc igitur si vera sunt, manifestum faciunt, solum colliquationem sensibilem apparere in marasmo inchoante: non vero in absoluto.

Verum differentia est huius colliquationis à superiori: quia superior

 super

fit per ventrem materia colliquata defluente: In hectica marasmode simplici fit per vrinarios meatus, vrina scilicet apparente oleosa, & pingui: haud secus atq; si tela quædam aranearum supra vrinæ superficiem innatarent: aut si guttulæ quædam olei supra vrinam spargerentur. Eiuscemodi vrinæ semper significant colliquationem, aut renum, aut corporis totius.

Quomodo autem distinguere alterutram oporteat, docuimus in *secundo tomo epist. med. libro septimo ad Sanctium*. Neque conturbet quenquam, quod Altimarus contendat non posse hecticam cognosci ex vrinis colliquationem habentibus; quia hunc virum, alioquin doctissimum, & in Galeni doctrina exercitatissimum, fuisse in hac re deceptum demonstratum loco citato mihi abunde fuit.

Cap. XIV.

Dubitationum, quæ hic accidunt, explicatio.

1. Dubitatio.

DVÆ sese offerunt hoc loco dubitationes non contemnendæ, quarum vna est, quod si colliquatiuæ febres proprie dicuntur, quæ solidarum partium, vt adipis, & carnis colliquationem habent, erunt quidem omnes hecticæ, quoniam omnes solidarum partium sunt affectus. At vero ex Galeni sententia positum in superioribus fuit, quasdam esse putridas ardentissimas.

Altera difficultas est, si concedamus esse omnes hecticas, male Hippocratem, & Galenum scripsisse de materia, quæ colliquatur: nam vterque videtur eam referre ad humores, quod si ita est, nulla febris colliquatiua erit hectica, omnis humoralis, & putrida. Hæc enim habet Hippocrates *tertio epidemiorum, sectione tertia, text. 55. Aluus biliosa, pinguis, tenuis, aquosa.* Hæc verba significant humores biliosos, tenues, fluxibiles, non autem adipem, neque carnem: idcirco *in commentario* Galenus ait: *Ergo cum aliis aluus abundaret succus, à statu aeris hunc, vt demonstrauimus, auxit: tandem putredine excipiente, putrefactio pro humorum differentia collectorum variabat.* & nonnullis interpositis inquit: *Proinde erat probabile, natura biliosis, ac iis, qui in ætatis erant flore, & sollicitis, iisq; laboribus sese & administrationibus conficerent, hæc abundasse.*

Rursus *in secundo prognostic. vigesimo, & vigesimo primo* hanc fluxionem ex aluo esse croceam, & subcroceam, & albam significauit apertissime. Eiuscemodi autem colores ostendunt humorum dominium in ipso corpore, vt Galenus testatur *primo aphoris. comment. 2.* & *primo de humoribus com. primo* ex sententia Hippocratis.

Amplius *tertio de ratione victus in morbis acutis* cum dixerit Hippocrates de mulsa meraciore tractans. *Meracior vero spumosa excrementa, atque plus quam conuenit valde biliosa, calidiorque quam dilutior agit magis.* Galenus in explanatione ita scribit: *Horum igitur non immemor, cum vel ex mulsa epota, vel absq; ipsa, quis spumosa simul, & syncere biliosa deiecerat, febrem scineris esse, quæ liquefaciat, & ad tabem perducat: atque ob id à mulsæ vsu abstineto.*

Iam vides colliquationes significare humores, propterea sunt albæ, viscidæ, croceæ, valde croceæ.

Responsio ad 1. dub.

Istis dubitationibus occurramus: atque quod pertinet ad primum, respondeo febres omnes, in quibus apparet sensibilis colliquatio, hecticas esse, sed quasdam hecticas, & putridas, quasdam hecticas simpliciter, quasdam hecticas pestilentes.

Hecticæ sunt, quas in superioribus diximus, marasmo incipiente coniungi: in quibus apparet sensibilis in vrina colliquatio.

Ardentes, quas loco secundo superiore capite recensuimus, simul sunt putridæ, & hecticæ: habent enim ob compositionem hanc symptomata referentia simul vtramq; febrem.

Sed præ-

Sed prætermissis reliquis, de quibus egimus alibi, deiectiones alui tenues, & crudæ, & fœtidæ putredinem indicant, pingues vero colliquationem, vt Galenus dicebat *sectione tertia in tertium epidem. com. 55.* Ita sentiendum de febribus colliquatiuis ex sensibili per aluum colliquatione.

Sed si colliquatio sensum latcat, febris ardens esse potest primi ordinis, vt ex Hippocrate & Galeno diximus *primo libro prædictionum.*

Potest etiam esse hectica gradus vltimi Galeni sententia *libro nono de method. meden. cap. vlt.*

Patet igitur, quomodo febres ardentes sint colliquatiuæ. Atque sic primæ dubitationi satisfactum putamus.

Secunda vero duplicem solutionem habet: quarum vna est, vt per deiectiones albas, flauas, croceas, virides intelligamus eas, quæ colore humores excrementitios repræsentent, non substantia: in hunc modum appellare consueuimus deiectiones biliosas, quæ colliquatiuæ sunt, ac pendent ex colliquatione adipis vetusti, qui croceus est, vt bilis ipsa. 2 Responsio.

Appellamus etiam biliosas, quæ & colore, & substãtia ex flaua bile pendent, vt in diarrhœa biliosa quotidie cernimus, secundum quem sensum colliquatiua deiectio nuncupari non potest.

Hanc solutionem dedisse huic loco Galenum constat ex eius verbis *libro secundo prognosticorum, comment. 21.* quæ sic habent: *Duplicem hoc loco deiectionum formulam docet ambarum aduenientium propter assumptionem; dissentientium vero in quantum exigua, & glutinosa, candidaq́; deiectio pinguedine absumpta ab igneo calore, non tamen maligno efficitur. Subcrocea quoq; ac lenis absumpta pinguedine consistit, sed aut propter caliditatem vehementiorem, aut quia pinguedo ipsa vetusta, ac veluti semiputris extiterat: itaque exterior non solum pinguedo, sed etiam seuum mutare spatio temporis priorem colorem, ac perspicue subcroceum reddi perspicitur. Si vero subuiridis fit, de aruginosa bile (id enim, vt antea dictum est secundum voculæ clorae, id est, viridis ac croceæ significatum est) vehementis consumptionis indicium est.* Hæc Galenus.

Altera etiam, nec minus vera, nec minus ad Galeni mentem excogitata, sese nunc mihi offert solutio, pro cuius intelligentia sciendum, aliud esse carnem simpliciter dictam, aliud biliosam, pituitosam, & melancholicam carnem, vt Galenus ait *tertio de sympt. causis cap. 2.* Idem est sentiendum de pinguedine: aliud est pinguedo, vt pinguedo; aliud pinguedo biliosa, aut pituitosa; aut melancholica.

Colliquatio fit adipis, & carnis ab igneo calore, quem dominari in biliosis corporibus rationi est contentaneum, quod cum alantur humore proportionato, facile in illis vertitur in excrementitiam bilem, quæ colliquata deiicitur per inferiorem ventrem.

Sic in pituitosis corporibus, si aliquando ardentissima corripiantur febre, quod colliquabitur, non erit biliosum, sed album colore, & substantia viscidius.

Hanc explanationem confirmare mihi videntur Galeni verba *octauo de decretis Hippocr. & Plat. cap. 6.* quæ sic habent: *At colliquata caro similem colore habet colliquationem pallidæ bili ad albedinem magis tendentem, ita vt efficiatur, quod subpallidum fuluum appellant: est præterea crassior etiam colliquatio hæc, quam pallida bilis: potiusq; olet: & quandam sæpenumero tenacitatem, pinguedinemq; in se habet.*

Constat ex dictis colliquationem carnis, & adipis aliquando repræsentare bilem flauam, & aliquando pituitam ob eas, quas proxime recensuimus, causas. Adnotandum tamen est, humores ipsos etiam liquefieri, præsertim sanguinem, liquationemq; ipsam vel per vrinam, vel per sudores, vel per alui deiectionem apparere; quod Galenus declarauit *libro tertio de caus. symptomatum* hisce verbis vsus: *Fit igitur quadam veluti ἀναστοιχείωσις (quasi dixeris reelementatio) colliquatio, siue resolutio, siue dissolutio, siue quomodocunque aliter nominare velis, aliquando totius corporis, aliquando succorum, qui in venis sunt duntaxat: quod autem ex*

ex colliquatione prouenit: alias ad ventrem confluit, alias ad vrinas, alias ad sudores pellitur. Ac succis quidem, qui in venis habentur, in serosam saniem solutis, renes qui ad excrementum id trahendum sunt nati, potissimum cum sani sunt, serum quidem à venis expurgant, fluxionem autem assidue ad venas mittunt: vbi autem renes trahere non valent, aut venæ huiusmodi serum in ventrem mittunt, aut toti id corpori partientes, subitaneos hydropum status inducunt. Si vero quod liquatum est, crassum sit, qualeq́; renes trahere non possunt, totum in ventrem necessario confluit. Carnoso vero generi ita colliquato, tum venter fluxionem eius recipit, vbi scilicet ea est crassior, tum sudores multi superueniunt, vbi in halitus est resoluta.

CAP. XV.

De causis colliquationis solidarum partium, & signis.

DE causis nunc agendum colliquationis: verũ sunt omnino prætermittendæ, quæ ad insensibilem pertinent, quia tum in tractatione de ardentibus febribus, tũ de marasmo videor omnia ad hoc argumentum pertinentia exacte, nisi fallor, prosecutus. Quamobrem solum de causis sensibilis colliquationis agendum. Quæ quoniam est duplex, quædam humorum, qui interdum per vrinas interdum per alui deiectionem, & interdum per deiectionem fit; quædam vero carnis, & adipis, solum transigendum est mihi de hac postrema, cum prior ad tractationem de febribus putridis sit referenda.

Principium autem sumendum est ab iis, quæ sensu cõspicua sunt in iis, quæ non viuunt, quoniam hæc ipsa certiorem tractationem facient, atque vt à Galeni exemplo discedam, caro in craticula aut veru concoquitur, per assationem: dumque hoc fit inprimis pinguedo illius, postea vero substantia carnis eliquatur, ac sensibiliter defluit in prunas: & quanto caro fuerit humidior, & pinguior, tanto maiorem fieri colliquationem necesse est: quod ille præclaro exemplo suum domesticorum, & agrestium demonstrauit: atq; ex eo, quod pari portione prunarũ existente, humida, & pinguis caro promptius colliquatur, minus humida, & pingui.

Simili modo sese res habet in colliquatione viuentis corporis.

Nam cum duo sint, quæ recipiunt colliquationem, pinguedo, & caro vnus calor est colliquationem efficiens; igneus quidem. At quia eiuscemodi calor magnam habet latitudinem, cuius differentiæ sunt plures in eo, quod magis, ac minus, non fit colliquatio, nisi à calore vehementissimo; cuius etiam gradus duos constituere ex Galeno mihi nunc liceat; vnum quidem, quo ipsa caro; alterum, quo pinguedo colliquatur. Est ille longe vehementior; hic autem moderatior, quia adeps magis eliquabilis cum sit, à minus vehementi calore eliquatur, at vero caro magis compacta, & solidior non nisi à vehementissimo liquescit. Quam rem, vt omnia, Galenus explicuit diligentissime, cum *in tertia sectione tertij epidem. libri, commentario 72.* inquit: *Nam calor est feruentissimus, qui carnem fundit: moderatior, qui pinguedinem; nempe fusa oriuntur, putant Medici, quæ aluo exeunt, à pinguibus deiectionibus distare: in peste quidem longissima nostra ætatis colliquati prope aliquid omnes excreuerunt; quidam vere adusta: quidã moderatius, omnes tamen putrida.* Hæc ille.

Ex quibus non solum apparet differentia caloris colliquantis carnem, à calore colliquante adipem, & pinguedinem: sed etiam deiectiones ipsas pingues ex omnium Medicorũ consensu distingui à colliquatiuis deiectionibus: quod certe notatione dignum est, quod putent plerique omnes hac tempestate pinguia excrementa significare colliquationem pinguedinis, & carnis. Sed temere id arbitrari Galeni verba apertissime significant.

Est autem ratio huius rei, quod potest esse pinguis deiectio ex venis colliquato sanguine, vt ex Galeno supra demonstrauimus.

Potest

Potest etiam in quadam specie dysenteriæ pinguedo per aluum fluere, potissimum in ea, quæ fit ex crassorum intestinorũ vlcere; nam quæ sanguinis fit fusione, ea quidem ardens quædam est synochus: at colliquatio illa dysenterica non est corporis totius, neq; febrem perpetuo comitem habet, sed plerunq; sine febre visitur.

Cæterum calor hic vehementissimus totum corpus colliquans febrilis est, suasq; vires potissimum exercet in corporibus molli carne, & adipe præditis: nam duriorẽ habitũ habentia vix sensibili colliquationi sunt obnoxia obnoxia ob subiecti corporis resistentiam: propterea magis iuuenes, quam senes hunc affectum patiuntur. Adiuuat hoc opus cœli status calidus & siccus vitæ anteactæ studium, regionis, & anni temporis conditio.

Febris est ardens, aut pestilentialis, ideoq; harum signa præcedunt. Excrementa alui calidissima in transitu statuuntur, pinguia, atq; vt plurimum subcrocea, interdum vehementer crocea, nonnunquam viridia, sed tamen semper fœtidissima, color fauci statim mutatur ad χλωρὸν & parum postea ad plumbeum, statim decidunt vires quarta, aut septima, aut nona moriuntur: aut certe ægre conualescunt: & quidem generoso indigent Medico, qui non statim adstringat, sed omnia iuxta Galeni operetur methodum, de qua tractare iam tempestiuum est. *Signa.*

Cap. XVI.

De scopis curationis, & materia medicinali in genere.



X iis, quæ Galenus de materia medicinali fluori colliquatiuo accommodata duobus scripsit in locis. Facile colligo, qui scopi curationis esse debeant: quæ res, vt innotescat facilius, eius authoris afferre cumprimis verba placet, quæ *lib. 3. de ratione victus in morbis acutis com. 13.* sic habent. *Atq; ob id ab vsu mulsæ abstineto: atq; in ptisana cremorem deuenito, signum quodpiam coctionis morbi, quantumuis momentaneum ex vrinis obseruans: nam si tunc frigidam dederis, maximo erit præsidio.* Rursus *lib. 10. de methodo medendi, cap. vltimo* idem confirmans inquit: *Hac igitur cum scias: etiam colliquantium febrium iisdem methodis curam ages: nam ad frigidam exhibendam quamprimum properans, tum iis quæ refrigerent & humectent nutrient. Mulsam vero inimicissimam censebis, quæ tamen vti plerosq; Medicorum in eiusmodi febribus vides.*

Colligo (inquam) ex hisce Galeni verbis, quales habere debeat generosus Medicus pro febris huius curatione, indicationes scoposque curatiuos.

Nam quoniam colliquationis causa est ignea caliditas vniuersum corpus occupans, & adipem & carnem fundens, indicatio, quæ per contrarium præstatur, postulat refrigerantia, & humectantia, quæ indicatio licet propria sit febris, quatenus febris est, conuenit tamen etiam huic proprie, quatenus est colliquatiua. Propterea Galenus *in 10. de meth. med.* recte dixit, *eisdem methodis agens.* vocans easdem methodos, quas supra agens de febrib. hecticis proposuerat: quæ solum refrigerandum, & humectandum indicant.

Deinde vero quoniam non solum est hectica, sed simul colliquatiua, operæpretium est nutrire, quia solidarum partium nutrimentum deficit, tum quatenus insensibilis fit dissolutio in illis, tum quatenus adeps, & caro sensibiliter dissoluuntur: renutrire igitur oportet: ideoq; non contentus dixisse, refrigerandum esse ac humectandum, addit. *Nutriens*; quasi dicere velit: nõ esse solum administranda, quæ refrigerant humectantq;, sed etiam simul ea, quæ nutriendo id præstent: quorũ vsus nullo tempore administrandus non est, at quæ refrigerando, & humectando duntaxat opem ferunt, vt frigidæ porus postulant accommodatum exhibendi tempus, de quo ait *in tertio acutorum; Signum quodpiam coctionis morbi quantumuis momentaneum obseruans; &c.* de qua re tractabimus loco suo.

Quam-

Quamobrem Galenus duas affert indicationes; quarum vna proprie curatiua est pertinens solum ad morbum; cuius exacta curatio dicitur.

Altera vero partim præseruatiua, partim vitalis est.

Curatiua refrigeratio, & humectatio.

Præseruatiua, & vitalis nutritio refrigerantibus, & humectantibus facienda.

Dubium. Sed circa harum indicationum numerum sese offert dubitatio, an scilicet sufficienter Galenus proposuerit, nam videntur adhuc duæ addendæ, vna est adstrictio huius fluxus: altera vero exsiccatio.

Adstrictio quidem, quia imbecilla virtus redditur, & quia salutaris substantia funditur & eliquatur. Exsiccatio autem, quia febris pestilens est, cuius summa indicatio siccitas est, vt *libro quarto & sexto tractationis huius* explicauimus.

Non conueniunt statim medicamenta adstringentia, quoniam, quod colliquatum est, corruptionem habet maximam, cuius indiciũ præbet ipse fœtor, quem semper in eiusmodi febribus intolerabilem inesse conspicimus. Neque enim vtile fuerit, materiam perniciosissimam retinere in corpore: at vero progrediente morbo fortassis non erit ab re, consultis diligenter viribus, moderate adstringẽtibus vti: quod vires ipsæ in hoc lethali morbo breui tempore ad extremum languescant. Nam vt periculosum est, aquam omnem sectis hydropicis, atque vomica aperta totum pus, affatim, & subito vacuare; sic etiam tutum nunquam fuerit naturam continuo per deiectionem alui eliquatam, ex adipe, & carnibus materiam educere: quamobrem cõtemperare naturæ motum fuerit longe saluberrimum: fiet autem id via duplici, quarum vna est moderate adstringentia miscere, altera vero refrigerãtibus & siccantibus vti, ac iis potissimum, quæ simul totius substantiæ proprietate pestilentiæ opitulari longa patrum nostrorum obseruatio comprobauit: vtraq; via rationi consentanea imitari tuto potest in artis operibus.

Si cui magis placuerit prima, is admistione leuiter adstringentium ptisanam dabit colatam, & non colatam, vtputa permiscendo rosarum pulueres, & plantaginis semina, vel mediocre aliud eiusdem generis.

At vero si quis aliam inire voluerit medendi rationem quæ sane mihi magis videtur salutaris, posset exsiccantia tuto administrare: qua vero medica materia id fieri debeat, & quomodo, in studiosorum gratiam nunc sedulo declarandum.

Cap. XVII.

De ratione victus in febre colliquatiua.



NPRIMIS vero à ratione victus exordiamur, quæ non mediocrem Medici diligentiam postulat.

1. Regula. Sit autem prima regula in victu seruanda, quam proponit Galenus, vt scilicet refrigeret, atq; humectet. Hanc respiciant res non naturales vocatæ, hac potissimum adhibita limitatione, vt magis de frigiditate, quã de humectatione artifex sit sollicitus: quia magis vrget caloris intensio colliquationis causa: si magis humectaremus, putredinem illam corruptiuam augeremus quidem ita, vt de cætero nullus daretur locus remedio: quod præceptum locum habet solum in pestilenti febre; non autem in ardenti colliquatiua citra pestem: cuius rei discrimen explicatum mihi fuit in iis, quæ de ardentium curatione scripsi.

Aer itaq; sit frigidus, & moderate humidus.

Quod si talis natura nõ sit, arte pręparetur, in cubili aspergendo aquam aceto

aceto permistam, idq; frequenter fiat quotidie, ac in obscuro ægrotus degat, nisi morbo declinante: quo tempore tum paulo minus frigidus, tum etiam magis luminosus eligendus est.

Somno magis, quam vigiliis indulgẽdum, & die, & nocte: vt enim dormientibus vires magis instaurantur, sic vigilantibus magis dissoluuntur: ac si oportuerit accõmodatis remediis, qualia descripsimus alibi, opitulãdum. *Somnus & vigilia.*

Solet hanc febrem concomitari summa corporis iactatio, quæ etiam adauget postea imbecillitatem virtutis. Propterea monendi sunt assistentes, vt omni opera, omnique diligentia admoneant ægrotum, vt quiescat, doceantq; de periculo, sic enim facile cauebit sibi. *Quies.*

Caueat ne in lecto dormiat ex pluma, hæc enim vel maxime inflammat renes, totumq; corpus: ex lana commodius: ac multo vrgente æstu, supponantur inter lintea, pelles morbidæ, quales vocantur cordouani: aut etiam eius generis aliæ.

Cauendum præterea, ne à lecto surgat emissurus alui excrementa: quoniam hoc perniciosissimum quidem fuerit breui syncope profuturum; sit autem hoc primum, ac præcipuum in tota hac curatione mandatum.

Frequentibus præterea vtẽdum clysteriis diuersis illis quidem pro diuersitate indicationũ: quidam enim refrigerationis gratia imponendi: quidam ad acrimoniam obtundendam humoris acerrimi: & quidam ad detergendum. Denique alii ad omnia hæc simul instituenda sunt, quorum exempla infra scribentur.

Procurandum, vt quantum fieri potest, non spondeat animum ægrotus: nihil enim non in huius morbi duntaxat, sed in omnium curatione contingere ægroto potest.

Quod vero ad cibum, & potum pertinet, talem sese gerere debet Medicus, qualem decet dignum doctrina Hippocratis & Galeni. *Cibus & potus.*

Proponitur inprimis ptisana alimentum medicamentosum celebre, antiquis vsitatissimum, quod refrigerando, humectando, abstergendo, & nutriendo solidis partibus calore putredinali, & æstiuo præditis, mirandum in modum conuenit. Vtramque dare oportet ægrotis, colatam, & non colatam; ego magis hanc, quam illam vtilem censeo, quia magis est compacta, & emplastica, quæ fluente aluo commodior semper iudicari debet: imo vero, si cum summa putredine summam etiam adesse noueris acrimoniam, saluberrimum fuerit recens admiscere amylum in exigua quantitate, acrimoniam humorum egregie obtundens.

Ludouicus pater bolo armeno vtebatur, aut ex vino, aut ex aqua horis duabus ante ptisanam, successu quidem admodum felici, modus autem exhibendi erat drachma vna boli armeni cum vncia vna aquæ fortis optimæ: mox pro prandio totam dabat ptisanam.

Ego vero, quoniam carebam vera bolo armena, vt superioribus libris demonstraui, habebamq; suspectum adulterati pharmaci vsum, pro bolo armena plerumque addidi terram lemniam, aut, quando neque illa ad manus erat, eligebam melitensem, præstantem quidem multo efficacius opera, quæ à lemnia fieri posse dicuntur. Atque cum anno 1572. in cingulanis montibus colliquatiuæ febres vagarentur, polychreston alimentum parabam in hunc modum.

Sumebam farinam zeæ tenuissimam, hanc in terreo vase vitro obducto imponebam; supra quam puluerem sacchari fini addebam, ac rursus supra saccharum farinam, & supra farinam saccharum, donec totum vas plenum erat farina. Erat aũt hæc proportio, vt pro libra farinæ, vnciæ quatuor adderentur sacchari puluerisati. Hoc vase in furno calente imposito coquebam farinam, quæ reddebatur dura & sicca. Mox ex huiusmodi farinæ vnciis tribus dissolutis cum succo carnis, (quem Auicennas aquam carnis vocat) &

quarta

quarta parte aquæ rosaceæ, & drachma dimidia sandalorum alborum præparabam ptisanam ex zea præstantissimam.

Interdum simpliciorẽ præparabam ex iure optimi capi facto aqua chalybeata addito rosaceæ tantillo & sacharo, quibus non displicebat; ac interdum coquebam radices graminis in chalybeato iure ac cum farina dissoluebam semina maiora frigida, & amygdalas dulces, si in animo erat, acres biliosas ac putridas humiditates per vrinarias meatus aliqua ex parte deriuare: quam rem in artis operibus salutarem sæpenumero obseruaui, dabamq; huiusmodi compositionem quotidie bis.

Huius præparationis ratio hæc est: Farinam ex zea (quam Itali vocant speltam) tum potissimum eligebam, cum maius, leuius & iucundius parare nutrimentum oportebat, quod potissimum euenit in corporibus gracilibus habentibusq; tenues succos, ac facile dissolubilibus, coquebam, vt siccior euaderet, fieretq; magis emplastica.

Saccharum iucunditatem præstabat alimento, & detersionem non paruam.

Aqua carnis mirandum in modum nutrit, vt superius explicauimus, vbi etiam ex antiquis rationem docuimus præparandi.

Rosacea odore vires recreat, mediocri adstringentia compescit fluxionis impetum.

Sandali refrigerant, cor ipsum roborant.

Hoc alimenti genus in hac ipsa febre præstantissimum esse omnium, non solum ratio, sed & experientia manifestum fecit. Nam cum anno 1576. eiusce modi febris in montibus Cingulanis vagaretur, animaduerti omnibus qui eo fuerant vsi alimento, opem tulisse magni momenti.

Pisces saxatiles ex albo iure Galeni consuetudine conueniunt, sed erunt longe præstantiores, si vna cum albo iure coxeris vuas acerbas, aut si eius tempus non sit, eius succus, cum acido citri succo, aut oxalydis momento. Quod si in albi iuris conditura, tenera melissæ folia simul addiderimus, præterquam quod gustui reddentur suauiores, etiam erunt pro curando affectu salubriores.

Ex fluuiatilibus trutta sola, & thymaldus (ab Insubribus vocatus, Temero) mihi laudatur, quia cum saxatilibus magnam similitudinem habent: horum exemplo, quid sentiendum sit de piscibus, quorum notitiam non habeo, conspicuum est; in qua re meminisse iuuabit, consuetudinem ægroti semper esse seruandam, de qua aut eius, aut assistentiũ relatione fies certior.

Possunt ex paruis auibus gustari ficedulæ, hortulani, extremitates pullarum, & restes Gallorum, qui lacte sint alti, & alia huius generis multa, quorum in curationibus hecticarum, & ardentium febrium vbiq; fit mentio.

Pro potu decoctione vtatur hordei, aut radicum graminis, & hordei simul, aut solius graminis, quo cum succus misceatur malorum punicorum acidorum, aut succus citri. Sunt, qui iuscula caponis exhibent, quæ ego tamen maxime suspecta habeo; etenim omne ius ob pinguedinem nõ mediocrem habet vim inflammandi: adde quod alui fluorem promouet, quem, vt supra diximus, contemperare expedit, & interdum adstringere. Ferenda magis est illorum opinio, qui stillaticiis vtuntur aquis, quæ ex carnibus eliquatis deducuntur, si præsertim illis misceamus acida, vt oxiacanthæ succum, aut omphacii, aut malorum punicorum, aut quod in frequenti vsu mihi est succum cerasorum acidorum, quæ marasſæ nuncupantur. Ex quo etiam asseruo syrupum, gustui delicatissimum: qui pari portione aut simplicis aquæ coctæ, aut stillaticiæ perfusus miram vtilitatem ardentibus febribus præstat: preparandi rationem docuimus *libro quinto.*

A vino quidem semper abstinendum, nisi casum virtutis timeamus: tũc enim tuto exhiberi posset olygophorum, quale in acutorum morborum curatione

ratione vtitur Hippocrates: eritque eius tutior vſus, ſi nullus capitis dolor ægrotum fatigauerit.

Cap. XVIII.

De potu frigidæ in fluxu colliquatiuo.



ALENVS potum frigidæ vtiliſſimum eſſe in hac febre contendit, ad quam iubet quamprimum accedendum, vt *decimo de methodo medendi* dicebat: alibi vero admonuit, concoctionis aliquod ſignum, etiamſi leue ſit, antea eſſe expectandum.

Recte quidem frigida vtendum præcipit, quia magno exiſtente in ſolidis partibus ardore, quo illarum colliqueſcit ſubſtantia, refrigerantibus, & humectantibus citiſſime vtendum, magno exiſtente in mora periculo. Generoſum hoc remedium adminiſtrari nunquam debet, niſi vires valeant: at valere nunquam poſſunt, ſi colliquatio notabilem fecerit progreſſum.

Sed vult ſignum aliquod coctionis apparere in vrinis, quæ ſane res videtur mihi admodum controuerſa duplici potiſſimum nomine. Ac inprimis, quia ſi in principio vniuerſali frigidam dare conuenit, id tempus cruditatis eſt: eum in augmento euidentes coctionis notæ ſeſe nobis offerant. Deinde cum hic morbus ſit pernicioſiſſimus, quis coctionis notas expectaret in exercendis remediis, quæ fortaſſis futuræ non ſunt?

Atq; eſto appareant coctionis notæ, quis confidet? an dubium eſſe poteſt coctionis ſigna maxime infida apparere in peſtilentibus febribus? quod Galenus *libro ſecundo aphoriſmorum* euidenter explicuit.

Reſpondeo Galenum in hoc præcipiti caſu nolle concoctionis ſigna expectari manifeſta, quia ad frigidam exhibendam quamprimum accedendum eſſe vult, vt conſtat ex iis, quæ ſcribit *decimo libro de methodo medendi, capite vltimo*: at vero dum *libro tertio de ratione victus in morbis acutis* ait: *Signum quodpiam coctionis morbi, quamuis momentaneum ex vrinis obſeruans*. non vult ſignificare exhiberi non poſſe frigidam, ſi concoctionis aliqua non appareant ſigna, ſed nos potius admonere voluit, quod in morbi principio, ſi momentanea quædam in vrinis appareant ſigna, qualia potiſſimum in vltima parte principii ſeſe offerre ſolent: multo tutius accedendum ad frigidam: quod leue id ſignum det Medico ſpem aliquam boni euentus, indicans morbum, ſua natura infidelem, & fallaciſſimum, minus malignum fore.

Quod ſi non adfuerit aliquod huiuſmodi ſignum, dico audacter ad frigidæ potum accedendum in principio vniuerſali tutius, quo tempore vires validiores exiſtunt, & aduſtio illa colliquatiua nondum progreſſum fecit affatu dignum.

Quod ſi principij tempus præterijt, poterit in augmento inchoante idem tentari remedium: ac etiam toto incremento, ſi tamen vires valeant.

At maxime dubium eſt, an valere poſſint, propterea cautius frigidam exhibebimus.

Hoc enim tanquam conſtans, & omnino firmum teneri præceptum debet, inutilem eſſe potum frigidæ, ſi vires fuerint imbecillæ: & econtra, ſi valeant, ſemper vtiliſſimum.

Quoniam vero circa morbi principia, vt dicebat antiquus magiſter, omnia ſunt imbecilliora, quæ præter naturam habent, virtus ipſa validior eſt, quam aliis temporibus, propterea tempus magis accommodatum principium eſt. Secus autem ſtatuemus in frigidæ potu, in aliis febribus, de quibus abunde ſcripſi in tractatione de exhibenda frigida, & in methodo curandi putridas febres.

Dubitari ſolet hoc loco, an frigida ad ſatietatem vſque ſint propinanda ægrotis. *Quæſtio.*

Sunt qui omnino inficiantur, quod putent vires neq; tantam ferre posse quantitatem frigidæ, atq; si possent, non esse tutam: quod vtplurimum in pestilentibus non valeant vires, quodque timendum sit, ne solidæ partes nimium refrigeratæ senilem habitum contrahant.

Est quidem coniectura horũ hominum, vt mihi videtur, rationi aliqua ex parte consentanea, attamen non omnino necessaria. Quia inchoante hac febre, vt possunt esse vires ita validæ, vt generosa ferant remedia, purgationem, scilicet validiorem, venæ sectionem, cur non poterunt etiam ferre potum frigidæ? Neque oportet admodum vereri, ne marcor ille gignatur senilis: quia si corpus erit gracile, ac dissolubile, non dabitur frigida ad satietatem: quemadmodum in corpore musculoso, & boni habitus tuto administrabimus.

Sed esto sit remedium periculosum, non propterea abstinendum quia vbi ægroto necessario ex morbi huius vehementia moriendum est, si generoso non succurratur remedio, experiundum id, atq; tentandum, in gratiam longioris vitæ, quod fuit ab antiquis Medicis receptum, à Galeno laudatum, & à nobis in aliis operibus non raro executioni demandatum.

Ponamus modo virium robur non plane constare, nobisque incognitam esse propriam naturam, certe quidem frigidam dabimus, sed non ad satietatem, neq; simplicem: ita enim omnia euitabimus pericula.

Quod dixi, nõ esse dandam simplicem, eo pertinet, vt tutiorem quandam ineamus medendi viam, quæ mihi bene cessit, ac omnibus, qui mea imitatione, idem facere voluerunt.

Pro fontana dare soleo hordeaceam, qua cum radices coxeriat graminis: in hac ipsa colata, macerandam iubeo panis clibanarij micam vnam calidam, vt è furno exiit, ac interdum duas, postea decoctionis exhibeo libram vnam quotidie semel ante prandium horis quinque: etenim hæc refrigerat humectatque solidas partes, nutrit, vrinas, & sudorem prouocat, emplastica demum vi, quam scil. ex panis medulla comparauit, colliquationem emendat.

Meminisse etiam oportet, non esse exhibendam frigidam, si inflammatio aliqua exerceat intestina, vel iecur, aut alias interiores particulas, quod à Galeno proditum fuit *libro nono de methodo medendi*: nam incurabilis omnino redditur inflammatio, in scirrhi naturam à frigiditate transmutata.

An balneũ frigidæ conueniat.

Quærunt hic recentiores, an balneũm frigidæ conueniat in fluxu colliquatiuo.

Nonnulli admittunt hoc potissimum ducti argumento, quod Galenus *libro decimo de methodo medendi* in febribus hecticis torrido marasmo coniunctis balneum aquæ dulcis, & actu frigidum consuluit esse administrandum: quod si ita est, à pari etiam (inquiunt) conueniet balneum in febribus hisce colliquatiuis, quæ omnes hecticæ sunt marasmo coniunctæ.

Ego quidem longe vtilius putauerim abstinere: quia calor in extima corporis superficie contentus, ex qua continuo euaporat, febrilis intro repelletur ad æstuantia viscera, ad omnes interiores particulas, in eis genito nouo calore igneo, adeo magna fiet colliquatio, vt vires non erunt de cætero ferendæ, nec ipsum incendium, nec vacuationem: sic calor naturalis internatum partium dissoluetur, & marcescet. Corrumpetur etiam naturalis calor externi habitus corporis per *actum* extinctus à suo contrario: & calido effluuio simul impedito nullus quidem remedio locus erit.

Neque illorum ratio, mihi vt videtur, aliquid necessario concludit: quia non est eadem similitudo inter istos affectus. Febris enim hæc colliquatiua putrida insigniter est. Hectica vero quam *decimo de methodo medendi* Galenus curat, hectica simplex est marcori coniuncta. In colliquatiua summus estar-

est [illegible] naturalium viscerum & inæqualis intemperies. In hectica vero & intrinsecus, & extrinsecus æqualis est intemperies: in illa semper necessarium est ex cute effluuium humorum fuliginosorum, qui semper expirant: in hac vero eiuscemodi vacuatio non leuem infert noxam magis exsiccando solidas partes. Propterea id balneum in hecticis aliquãdo vtile ad vitam prorogandam, quod inutile est in colliquatiuis.

Cap. XIX.

De lactis vsu in febribus colliquatiuis.



SEQVITVR, vt doceamus, an lac febribus colliquatiuis vtiliter sit administrandum: quod quoniam duobus modis in vsum accommodari potest, tum clysteriis iniectus, tũ potatus, de vtroq; modo breuibus edisseram.

Dico itaq; clysteres, vt ab ipsis exordiar, nullo tempore non esse vtilissimos: quia cum humores biliosi potissimum per colliquationem exeant, acrem deiectionem faciunt, ex qua duo plerunq; incommoda sequuntur: dolores, ac tormina in ipso transitu interdum acerbissimi: & vlcera intestinorum, vel crassiorum, vel tenuiorum, vel quæ medio inter ista interiacent loco. Clysteres ex lacte parati duobus hisce egregie subueniunt incommodis, refrigerando, humectando, acrimoniam humoris obtundendo: at etiam si quæ portio hæserit in intestinis, vt fere fit, illam detergẽdo, citra molestiam: fieri itaq; debent ex lacte clysteres singulo quoq; die semel, ac etiam, si oportuerit, bis. *Clysteres ex lacte.*

Eligendum est lac, aut caprinum, aut ouinum, vel si in animo fuerit, simul magis abluere, ac detergere, asininum.

Laborantibus crassis intestinis sufficient lactis vnciæ quindecim, laborantibus intermediis, augenda est dosis vsq; ad vncias xviij. altior enim pars maiorem postulat quantitatem. Tenuibus intestinis aliquam afferre vtilitatem non possunt clysteres.

Eandem præstabit vtilitatem ptisana hordeacea colata: quod & refrigeret, & humectet, & morsum prohibeat, & detergat sine incommodo.

Sunt, qui emplasticis vtuntur, addentes amylum, gummi tragaganti, sæpum hircinum, iuscula pinguia intestinorum, aut renum animalium pinguium, aut capitis veruecis, aut vituli: sed quo consilio, ipsi viderint, qui certe si methodum, & rationem insequi placuerit, cognoscemus multo magis nocitura hæc, quam iuuatura, dum enim intestina emplasticantur (sic mihi in præsentia liceat loqui) qui humor acris subtus continetur, prohibitus vacuari, dolores infert maximos, ac certe intestina exulcerabit, fietq; affectus longe grauior.

Quam ob rem non sunt sola emplastica per clysteres iniicienda.

Sola dixi, quia vtilissima sunt, quę nonnihil huius facultatis habent permistum cum validius detergentibus, doloremq; mitigantibus, cuiusmodi esse lac, & ptisanam communi omnium decreto constat.

Vtrum vero potari debeat, difficultatem habet: quia cum febris putrida sit, lac augere putredinem videtur: idcirco scriptum fuit ab Hippocrate: *lac dare febricitantibus malum*, præsertim vero iis, quorum acutæ sunt febres: nam putredinem augere scriptum à Galeno fuit *libro de alimentorum facultatibus*, atque in calido ventriculo verti in nidorosam qualitatem, tum *ibi*, tum *in commentario 64. quinti aphorismorum* testatur, vbi etiam habet Hippocrates malum esse vsum lactis, vbi deiectiones biliosæ sunt. *Num conferat hisce febribus laborantibus lactis potatio.*

Quam ob rem tria sunt, quæ dehortantur lac, intemperies calida ventriculi, & viscerum, deiectiones biliosæ, febris acuta. Tria hæc in febribus colliquatiuis inesse adeo certum est, quam quod certissimum.

 Exal-

Ex altera vero parte possum testari me sanasse multos hoc ipso fluore colliquatiuo detentos, neque deest ratio confirmans experientiam, nec præstantissimorum Medicorum authoritas.

Ratio quidem est, quod oportet refrigerando, & humectando quam citissime biliosos humores corruptos expurgare, acrimoniam eorundem obtundere, ac prohibere, ne succedant intestinorum tormina, exulcerationesque. Omnia hæc necessario postulat morbi huius natura: fiunt autem à lactis asinini potu, quæ diximus, citra laborem, si in multa quantitate detur, nimirum ad heminas decem, plus, aut minus, vt ægrotus ferre poterit.

Modus porrigendi lac. Modus dandi est, vt prius æger bibat tantum lactis, quantum vno haustu poterit bibere, postea vero interposito exiguo tempore rursus bibat, ac ita faciat tertia, & si oportuerit quarta vice. Hic modus exhibendi tutissimus est, pro exequendis scopis omnibus propositis, mihique familiarissimus.

Desiderant quidam magis lac coctum, quam crudum: quia flatuosum dum sit, coctione emendari consueuit, qua omnis flatus dissoluitur.

Sed quidem non latet me Hippocratem & Galenum sic præcepisse: At in proposita curatione non est opus concoquere, quia volumus cito ipsum vacuare per inferiorem sedem, coctura vero nonnihil detrahit de facultate expurgatoria, quæ in seri consistit acrimonia, hanc enim in auram dissolui aliqua ex parte ob concoctionem rationi consentaneum est.

At si quispiam magis voluerit exhibere lac coctum, minime reclamabimus, dummodo parum concoquat. Soleo exhibere ipsum statim in principio.

Sed hic est aduertendum pro hoc opere præstando non esse satis expurgasse semel, quia adeo sordida putredo est, ac multa, adeo insignis viscerum calor, vt non cedat morbus, nisi tribus successiuis diebus potetur.

Hanc porro antiquam esse medendi rationem veterum authorum, & Galeni testimonio facile probari potest.

Nam pro ardentis febris curatione author *quarti libri acutorum* lacte expurgat asinæ cocto, vt constat ex verbis authoris illius, quæ sic habent. *Verum si adhuc non superetur, lacte asinæ cocto purgabis.* Galenus sententiam confirmans *in commentario* sic ait. *Quod omnino quidem eam, quæ in ventre est, bilem vacuare præcipiat, timent autem purgantia medicamenta, quod & acria & calida prorsus existant, ob id ad lac asinæ diuertit, vtpute quod nullam, vt non aliud vllum, habeat acrimoniam: sed præ omnibus vnum humiditate exuperas, atque ob id ventrem subit. Percoquit autem ipsum ob flatus.* Hæc ille.

Quæ si vera sunt, cur quæso in ardente colliquatiua nos verebimur dare lac asinæ?

Præterea idem author infra inquit: *Coctum deinde lac asinæ dabis, bibetque heminis duodecim, non minus, & si virtus tolerauerit, sedecim magis.*

Curationem hic docet morbi peracutissimi, cuius causa & sanguinis missionem copiosam, & purgationem per veratrum album, vel ex aliis, quæ vomitum cient, vt Galenus interpretatur, consulit: ac etiam per inferiores partes purgandum esse vult ex lacte asinæ cocto, pro consuetudine antiquorum magnam quantitatem exhibens, vt idem Galenus testatur: qui desiderat aliquid mellis, & salis miscendum, ne scilicet lac ipsum epotum inspissetur. Quod necessarium non est, si crudum potetur, aut exigue coctum.

Amplius in curatione choleræ (morbi quidem peracutissimi) lacte asinæ purgationem molitur. *Si autem non cessauerit dolor* (inquit) *lac asinæ bibendum dato, donec purgetur.* & Galenus. *Lacte asinæ purgandum præcipit, quod purgantia inter medicamenta omnia mitius, tranquilliusque existit. Id quoque & lacte omni humidius est, & ventrem magis subducit.* Hæc illi.

Exqui-

Ex quibus patet, nostram hanc medendi rationem dogmaticam esse, & à præclarissimis viris confirmatam. Nunc iis respondeo quæ contrarium persuadere videbantur.

In primis non obest calida viscerum intemperies, quia illa corrigitur à frigido, & humido temperamento lactis.

Hoc autem non auget putredinem, quia cum in magna quantitate sumatur, nō trahit moram in corpore, vt possit à calore partis alterari, sed quia simul cum biliosis excrementis, & acribus subducitur, colliquationem tollit è medio refrigerando.

Fluxionibus biliosis obest lac, si in exigua quantitate detur; vt fieri solet, cum in animo est nutrire corpus: at potatum, vt expurget, remouendo causam, singulare est remedium vniuscuiusque fluxionis à bile, & ab acribus humoribus procreatæ; præsertim si præbeatur asininum, hoc enim longe tutius est reliquis omnibus, quia vt Galenus dicebat, longe facilius subducitur.

Est autem quod aliquis hoc loco interroget, cum duo sint generosa remedia, potus frigidæ, & lactis asinini vsus, an vtroq; vtendum pro sanando fluxu colliquatiuo: an alterutro? & quod sit magis vtile? *Quæstio.*

Respondeo nos vti interdum posse vtroque, & alterutro interdum. *Responsio.*

Quomodo autem id contingat, nunc breuiter doceo.

Si quispiam frigidam ad satietatem biberit, hic alterius non indiget remedii; quia illa sufficienter alterabit, expurgabit per sudorem, per aluum, ac per vomitum etiam, ita vt refrigerato corpore vniuerso, sanitati ægrotum fore restitutum coniectari merito oporteat.

Quod si non confidimus de ipsis viribus, coactiq; simus abstinere à frigidę, lactis potum præbebimus, poterimus autem exhibere frigidam, sed non ad satietatem, neque simplicem. Paulatim, ac sensim tuto refrigerabit, humectabitque.

Fiet autem id multo tutius, si præparatam dabimus ex medulla panis, & radice graminis, quæ inseruiet ægroto pro potu medicinali: atq; sic vtroq; licebit vti præsidio.

Lacte solo in exigua quantitate, vt alimento, quemadmodum in hecticis fieri solet febribus, nunquam ægrotum vesci permitterem quod vererer, ne putredinis magnum fieret incrementum ipso lacte in nidorem conuerso à calore igneo, hoc modo exhibitum semper obest acute febricitantibus.

Cæterum in iuuene optimi habitus, bene carnoso, validis viribus prædito, æstate media, intenso existente febrilis caloris incendio atque eius potationi cum primis assueto, frigidæ potum præponerem. Quæ si defuerint circumstantiæ, aut omnes, aut plures, aut ægrotus abhorruerit frigidam, vel quidpiam aliud prohibuerit ad lactis asinini potum aggrederer, quod sperarem vnicum fore pro sanando ægro præsidium.

CAP. XX.

De aliis medicamentis purgantibus.

QVÆRITVR num alia conueniant purgantia medicamēta, quia non raro vsuuenit, non posse, aut frigidam, aut lac dari, quo in casu, cum magna adsit expurgandi necessitas, iure considerandum venit, quo modo subuenire huic necessitati debeamus. Sunt igitur qui contendunt nulla ratione exhibenda esse, quæ purgent pharmaca, quia corpus satis superque videtur expurgari à natura, ita vt vires non ferant artificialem expurgationem. Addunt præterea pharmaca calida esse, & sicca, quæ caliditatem colliquantem non mediocriter augent. Confirmant

mant opinionem, quod Galenus non videatur in fluxu dysenteriæ expurgasse hisce medicamentis, ideoq; multo minus conuenire in fluxu pestilentiali: ac postremo confirmant ex recentioribus Medicis. Siquidem Holerius quidem purgantium pharmacorum non meminit, dum *in tractatione de fluxu colliquatiuo* ita scribit. *Non temere supprimendus fluxus, sed bezoardicis vtendum, syrupis, cordialibus conseruis opiatis, rasura vnicornu, & similib.* Hæc ille *in fine scholia.*

Est hæc opinio tum rationi, tum experientiæ & authoritati clarissimorum virorum contraria.

In primis enim licet solidæ colliquentur partes, tamen colliquationis causa est calor igneus ab humoribus acribus, & prauis concitatus, qui vacuatis iis humoribus, vna euanescet, aut saltem non mediocriter minuetur, ita vt facile de cætero alterantibus medicamentis cedet.

Quod calidi & acres humores magnum faciant in hoc affectu negotium, adeo certum est, vt dubitari nequeat.

In hoc tamen opere est aduertendum, quod purgatio ex arte instituenda, statim atque incipit fluxio, quo tempore natura est valida, poteŝtque facile medicamentum ferre: atque experientia compertum est in omnibus alui fluxionibus consentiente virtute tutissimam esse hanc curandi rationem. Aliud etiam considerandum, quod pharmacorum purgantium, quædam admodum calida & sicca sint, & acria: quædam non ita insigniter calida: alia etiam frigida. Pro curatione huius fluxus ab acribus, & calidissimis abstineto: vtitor mitioribus, ac multo tutius frigidis tum simplicibus, tum compositis, quorum exemplum infra patebit.

Aliorum fundamenta responsionem habent facilem: quia in principio supponuntur vires validæ, quin circa principium, & finem omnia sunt imbecilliora, cum vero consistunt, melius est quietem habere, vt ait Hippocrates *2.aph.30.* Idcirco inchoantibus morbis mouendum, si quid videtur necessarium moueri: idq; faciendum pharmacis accommodatis.

Vt vero debeamus Galenũ interpretari in tractatione de ipsa dysenteria abunde explicatum mihi fuit, in qua Aloisij Myndellæ Brixiani rationibus contra vsum pharmacorum purgantium excogitatis, satisfecimus.

Quod de Holerio dicit Massaria, non est simpliciter audiendum, quia licet eo in capite non meminerit purgationis, tamen meminit alibi, nimirum *in capite de dysenteria*, in cuius curatione purgationem esse perquam necessariam asseruit, purgantisq; pharmaci non vnum exemplum affert.

Quod autem hoc ipsum sit verum, eius verba *in capite de fluxu pestilentiali* demonstrat, quæ sic habent: *Præter remedia dicta in dysenteria vtatur auro, &c.* Videat igitur Holerium admittere; quæ proposita ab illo fuere in eius affectus curatione remedia.

Quamobrem concludo purgandum statim esse, postero autem die aggredi oportere vsum lactis, iuxta regulas in superioribus propositas: sic enim longe tutior futurus est illius vsus expurgata magna ex parte biliosa cacochymia à venis ductuum.

Imo addo, quod si fluor hic in longum protrahatur, non solum in principio purgationem fore vtilissimam, sed etiam in aliis temporibus factam, tum per clysteres detergentes, tum sumptis, vt ex cassia, & tamarindis: quod ego consueui in artis operibus cum summa ægrotorum vtilitate, efficere.

Ergo sunt, qui sic purgandum censent (tam enim ad particularia exempla me confero) statim inchoante hoc fluxu in hunc modum.

Purgationis recentiorum exemplum.

℞ *Polypodij querni contusi cum pauco semine fœniculi.* ℥ ß.
Scariola,
Cichorea,
Oxalydis an. man. j.
Tamarindorum pinguium ℥ iij.

Pruno-

Prunorum acidorum num. v.
Passularum enucleatarum ℥ ß.
Seminum scariolæ & anisorum an. ℥ ß.
Florum cordialium pugil. j. Fiat decoctio ad dosin sufficientem: in qua infunde Rheubarbari electi ʒ ij.
Cinamomi ʒ ß. Facta post sex horas forti expreßione, adde iulapij rosati, aut syrupi cydoniorum ʒ vj. misc. fiat potio.

Alijs vero maxime vsitata est michleta Nicolai, quod pharmacum mitissime expurgat, & nullũ caliditatis sensum inuehit, atq; vtiliter etiam permiscent trypheram persicam, vt si ad vnciam vnam trypheræ misceamus michletæ drachmas tres, plus aut minus pro conditione vitium, & morbi.

At ego non inuenio, quod magis sit tutum, quodq́; magis omnibus scopis respondeat, quam cassiæ succus, simul cum aliqua portione tamarindorum: hoc enim pharmacum præterquam quod refrigerat, & humectat, acrimoniam et humoris obtundit insigniter, expurgat iecur, simulq́; per vrinarios meatus bilem flauam educit.

Tamarindi vero similiter habent vim refrigerandi, & putredinem remouent, febribusq́; pestilentibus mirandum in modum opitulantur, ob has causas frequenter his vtor.

Modus est, dando bolum ex sacc haro drachmarum decem cassiæ, & tamarindorum maturorum ʒ j. ß.

Nec est, quod quispiam habeat suspectos tamarindos, ob eam, quam habeat vim astrictoriam, qua carere debeant, quæ fluxum hunc colliquatiuũ sanant: quia permisti cassiæ nihil quidem lædere eorum potest adstrictio, exigua existens, & multa humiditate cassiæ contemperata.

Soleo etiam cum maxima vtilitate miscere trochiscos de camphora, vt dantes cum supradicto bolo ʒ ß. pro vice, aut quod minimum scrupulum vnum: ac semper obseruaui hunc vacuandi modum contulisse, quem repeto etiamsi oportuerit (neq; enim aliquid inesse periculi video) bis, ac tertio. Polliceorq́; hac ipsa medẽdi ratione me nunquam meo fine frustratũ fuisse.

Interim vero lectores admoneo, quod si quis compositis, & quæ sunt in maximo apud nostrates Medicos vsu, pharmacis opitulari voluerit, me quidem non detestari michletam Nicolai, neq; trypheram persicam, vtputa qui sciam pharmaca hæc satisfacere posse scopis præpositis, præsertim si scrupulum semis trochiscotũ de camphora admisceamus: atq; si in decoctione cardiaca rheubarbarum maceremus non exustum, vt nonnulli volunt: sed citra vstionem: quia illud nimis adstringit: quam rem in hoc fluore suspectam esse docuimus.

Cap. XXI.

De medicamentis alterantibus.



VÆ totius substantiæ proprietate opitulantur pestilenti febri, eadem etiam huic opem ferunt: quamobrem illa hoc loco non recensebo, cum iam de eiuscemodi pharmacis libro quinto huius tractationis omnia videar explicuisse. Solum hic recenseo, quæ peculiariter huic conferre affectui recentiorum obseruatione constat.

Inprimis Holerius laudat auri limaturam: nam puluerem bezoardicum describens, sic ait.

℞ Limaturæ auri ʒ j.
Diamargariti recens facti ℥ ß.
Nucis muscatæ ʒ ß.
Margaritarum Zaphyrorum:
Smaragdorum, an. ℈ ß.
Sacchari fini, ℥ ß. fiat puluis collatitius inspergendus.

Conditum eiusdem facultatis.

℞. Conseruæ rosarum ℥ j. ß.
Conseruæ corticum citri cum sacchara conditi ℥ j.
Corticum citri ʒ. j. ß.
Margaritarum electarum ʒ j.
Hiacinthorum,
Smaragdorum, an. ℈ ß.
Serici crudi ℈ j.
Seminum citri mundati ℈ ij. ß.
Acetosæ ʒ ß.
Boli armenæ,
Terræ lemniæ, an. ʒ ij.
Limaturæ auri ʒ j.
Cornu cerui,
Vnicornu,
Rasuræ eboris, an. ℈ j.
Sacchari fini ℔. j. ß.
Foliâ auri, num. x. *Fiat conditum ad formam zacchari rosati cum aqua rosata muscata.* Dosis est, ℥ ß. summo: mediocris ʒ ij. ß. minima ʒ j. ß. detur horis duabus ante cibum.

Empyrici puluerem foliorum scordij imperant satis felici successu, & in eundem vsum adhibent, etiam eius succum.

Pulueris dantur ʒ j. ß. cum iure optimæ pullæ, oxalide & portulaca, & ribes alterato.

Succi ℥ ß. depurati, aut cum iure aut solum.

Ego in Cingulanis montibus vigente mala constitutione, myrrhidis puluerem, & radicis angelicæ cum conserua ribes, & modico theriaces mediocris ætatis obseruaui semper egregie contulisse. Et hic mihi finis esto curationis huius octaui libri.

HORATII AVGENII DE FEBRIBVS PESTILENTIBVS.

LIBER NONVS.

De variolis & morbillis.

CAP. I.

Quid actum sit superiori libro: quid tractandum in hoc nono, de huius tractationis difficultate, & de variolarum, ac morbillorum nomine.

HACTENVS de bubone, & carbunculo pestilentibus, atque aliis affectibus pessimis, superiore libro egimus, nunc reliquum est, vt in hac fere postrema tractationis nostræ de febribus parte, de variolis & morbillis differamus, tum quod longe obseruatione constet, eiuscemodi affectus interdum prædicere pestilentiam, tum etiam quod pestilentem febrem maiori ex parte, vt ego sentio, concomitentur: quod potissimum considerasse visus est, inter mauritanos scriptores Rhases magni nominis eo libro, cui DE PESTE titulum indidit: in quo prætermissis reliquis, de solis variolis, atque morbillis agit; quasi quod alia non sit pestis.

Ego vero licet pestem proprie variolas, nunquam vocauerim, ita certe plerunq; fieri à pestifera humorum constitutione in huius operis progressu, me facile demonstraturum spero.

Est porro hæc tractatio pro absolutione instituti operis necessaria, maxime difficilis: Primum, quod non bene conueniat inter scriptores ætatis nostræ, an cœli mala constitutio ex syderum quorundam aspectu proficiscens, eiusmodi infectiones efficiat, an autem solum interna sit causa.

Deinde quod video dubitari an Hippocrati & Galeno cognitus fuerit hic morbus; siquidem nostra ætate non desunt, qui nouum extitisse morbum profiteantur.

Postremo, quod in curandi ratione pleriq; maxime dissentiant.

Quamobrem ne in hac materia videar studiosis defuisse, eadem prorsus methodo vsus, quam hucusq; in aliorum inuestigatione adhibui, à rei natura exordiar, si prius quædam de ratione nominis dixero.

VARIOLÆ igitur, atq; morbilli appellantur à Latinis isti affectus, nuncupatione sumpta à varis, & à morbo. Sunt vari *paruæ pustulæ nascentes in facie*, quas etiam nonnulli vocant, cossos, quarum similitudinem repræsentant, apertissime variolæ. *Variola vnde dicta. Variola quid.*

Morbilli vero longe deteriores, & magis perniciosi sic vulgo nuncupantur, pustulæ pestilentes: ita vt vulgi consuetudine idem sit, quod pestiferũ quoddam malum paruæ pustulæ effigie in ipsa cute efflorescens. Nam Pestis vulgo in multis regionibus, morbus appellatur: imo vero apud Poetas Latinos eodem nomine pestis ipsa significari solet. Sic enim *libro septimo metamorph.* ait Ouidius: *Morbilli.*

Strage canum primo, volucrumq;, auiumq;, boumq;,
Inq; feris subditi, deprehensa potentia morbi est.

Et postea:

Acer equus quondam, magnaq; in puluere fama,
Degenerat palmã, veterumq; oblitus honorum.
Ad præsepe gemit morbo moriturus inerti:

Deniq;

Denique repetit:

Quo propior quisq; est seruitq; fidelius agro
In partem lethi citius venit, atq; salutis,
Spes abiit, finemq; vident in funere morbi.

Hæc vero de peste intelligenda eius verba indicant, quæ sic habent.

Peruenit ad miseros damno grauiore colonos
Pestis, & in magna dominatur mœnibus vrbis.

Aloisius vero Anguillarius verbum verbo reddidit, cum ita ex vulgari, & communi loquendi consuetudine canit:

Giaciano per ogni suol (chi fia che'l creda?)
Nel can n' osa mangiar nel lupo nigordo,
Et par, che al lezzo ogniun conosca & veda
Chiogni corpo è di peste infetto & lordo
Gl' augei rapaci, & vsi à simil preda
Dal naso han tutti il medesmo ricordo,
L' Astone, & il nilio, & lo sparuiere & corbo
Sente & fugge il fætor, che rende il morbo.

Et parum postea:

Et quanto serue alcun con maggior fede
Tanto piu tosto vien del morbo in parte.
Onde fugge ciascun star loro appresso
Et cerca piu che puo saluar se stesso.

Hinc igitur morbillorum nomen originem habuisse puto: & quidem iure, nisi fallor, quod longe sint deteriores variolis.

Appellantur etiam vulgo, ferse, quasi dixeris affectus quosdam feruentes, & Rossalie, in piceno, & alibi, quod locum maxime inflamment, roseumque colorem inducant, quamuis ego, vt notaui supra, aliud sentiam, Græcis vocatur, vterq; affectus nomine exanthematis, vt ex Galeno coniecturari possumus *libro 5. de methodo medendi, cap. 12.* in quo scribit in hunc modum: *Atq; cum ita iam vacuati essent, iis, qui euasuri erant pustula, quas exanthemata vocant, nigra, toto corpore confertim multa apparuerant, vlcerosa quidem plurimis, omnibus certe sicca; Erat q; intuenti perspicuum reliquias eas esse sanguinis, qui in febri putruerant, quas veluti cinerem quempiam natura ad cutim misisset; sicut alia ex superuacuis nonnulla tradit.* Hæc Galenus.

Duo ex iis, quæ diximus, constant ex communi notione nominis. Alterum, cur variolæ, & morbilli appellentur, alterum vero vtrumq; affectum in communi natura conuenire: nam pustula est illorũ genus: nemo enim est, qui non videat in tumorem paruum attolli (pustulas vocant) quæ quomodo à tuberculis distinguantur, in sermonis progressu demonstrabitur.

Cap. II.

Quid sint variolæ & morbilli authoris opinione?



VARIOLÆ autem ac morbilli pustulæ sunt à ferueſcentibus humoribus in omni superficie corporis factæ à natura sanguinem ipsum in malis febribus expurgante.

Omnes variolæ continentur in genere tumorum præter naturam, siquidem constat affectam particulam maiorem acquirere magnitudinem, quam ex natura illius postulet: vsus tamẽ loquendi inualuit, vt appellentur tumores, qui affatu dignam magnitudinem habent, qui vero minorem consecuti sunt, tubercula merito dicentur, qui adhuc minorem, exanthemata seu pustulæ Galeno sunt, vt legere est *libro sexto aphorismorum commentario nono:* quoniam igitur omnium tumorum minimi sunt variolæ, ac morbilli, propterea pustulas vocabimus: Iam ex eo, quod sensibus apparet: & com-

& communi notione constat, vniuersalis forma horum affectuũ inuenta est.

Materia vero sunt humores perniciosi sanguine permisti, q naturæ faciunt negotium, vt bilis flaua, bilis atra pituita, serum, quando eam susceperunt putredinem, quæ proprie febribus pestilentibus conuenit. [Materia]

Hinc variæ contingunt horum affectuum differentiæ: quandoquidem aliquando apparent variolæ magis pruriginosæ, acuminatæ, aliquando minus, latæ, coniunctæ, vt in Simone contigisse Hippocrates inquit *6. epidem. sectione, contextu 28. & 6. aph 9.* cũ scribit, *latas pustulas non ita pruriginosas fieri.* Quædam nigræ, quædã albæ, quædam rubræ, quadam flauescẽtes conspiciuntur. [Differentia]

Sunt, qui putant materiam esse sanguinem efferuescentem, quod synochus febris adsit.

Ego vero vt facile admodum admitto, efferuescere sanguinem, synochumq; febrem fieri, sic nõ admitto materiam, ex qua variolæ fiunt, ac morbilli, existere hunc sanguinem, cum ratio & experientia contrarium attestentur, vt dicam loco suo diligentius.

Porro in malis istis, ac perniciosis humorib. considerare possumus duo: nempe ipsorum substantiam, & calorem summum, illa est semper materia, ex qua: hic autem concausa est efficiens ebullitionem, & efferuescentiam in toto sanguine.

Dixi concausam, quia præcipua causa est, conatus naturæ (idem autem sit natura, quod innatum calidum) ad expellendum humorem coinquinantem sanguinis massam. Etenim fiunt omnes variolæ, ac morbilli natura crisi soluente febrem pestilentem: nec fere aliud est iudicium huius febris, si variolas excipias, ac morbillos, vt postea docebimus.

Locus efferuescentia huius, sunt omnes venæ, præsertim maximæ, quæ sunt inter alas, & inguina. [Locus efferuescentiæ.]

Locus vero, in quo fiunt variolæ, ac morbilli; est corporis superficies tam extima, quam intima: siquidem non solum conspiciuntur in superficie externa, vt in cuticula ipsa, sed etiam intrinsecus fiunt in pulmonibus, faucibus, intestinis, ventriculo, in vtero etiam ipso, imo vero in fœtu quem natum cum variolis hactenus frequenter obseruaui. [Locus pustularum.]

Finis vero generationis huius morbi est vt sanguis expurgetur ab huiuscemodi inquinamento: Quæ res contingit etiam in omni crisi. Iam videor in vniuersum, ac veluti in figura docuisse, quid sint variolæ, ac morbilli. [Finis.]

Cap. III.

Qui affectus præter naturam sint variolæ, ac morbilli, & an febris necessario variolas antecedat.

LICET omnes variolæ, ac morbilli rationem morbi, vt propriè sumitur à Medicis, habere videantur: tamen re vera non semper sunt morbi: siquidem interdum rationem causæ, interdum etiam symptomatis complectũtur. Meminisse oportet eorum, quæ a Galeno *libro de morborum differentiis*, dicuntur, quæ fidem faciunt nobis sub variis generibus affectuum præter naturam reponi posse.

Quicquid præter naturam nobis accidit, si actiones non lædat, symptoma est: quod vero actionem lædit, aut morbus, aut causa morbi: non est morbus, nisi cum immediate lædat actiones: cum vero alterius morbi interuentu accidit læsio, causa nuncupabitur morbifica.

Porro, variolæ, & morbilli aliquando lædunt operationes, aliquando non lædunt. Quæ in manibus, in cruribus, in fronte, in palpebris contingunt proxime apprehensionem, itionem, seu ambulationem, motum frontis, ac palpebrarum lædentes, quemadmodum, quæ in aliis eiusdem generis partibus accidunt, proprie morbi nuncupabuntur.

At vero,

At vero, quæ natibus genitæ, faucibus, asperæ arteriæ, gulæ, intestinis, lædunt respirationem, deglutitionem, fæcum transitum, quod obstruant, merito causæ nuncupabuntur.

Quæ in cute, ac ventre sunt cum nullam operationem oblædant, solius symptomatis naturam habebunt.

Gignuntur in superficie corporis, quo nomine intelligo, non extimam duntaxat visu conspicuam, sed etiam internam: siquidem constat tum in cuticula apparere illas, tum in ventriculo, intestinis, vtero, ac denique in omni parte generari.

In partibus externis consistentes visu, ac tactu deprehenduntur: propterea non ab re, quispiam vocauerit, qualitates mutatas, quando solum symptomata sunt.

Interiores autem symptomata nunquam sunt, vt puta, quæ semper lædunt operationes, aut proxime, aut alterius morbi interuentu.

Morbus autem multiplex est: In primis adest intemperies calida, tum in variolis, cum in morbillis: calidior in his, quam in illis, ac etiam siccior, variolæ quidem humiditate multa participãt putrida, ac maiori ex parte pituitosum excrementum referunt. quæ potissimum magnæ, & latæ generantur: acuminatæ vero acriorem humorem intus inclusum habent, suntque magis pruriginosæ, vt dicebat Hippocrates. Omnes enim variolæ & morbilli in hoc vno cõueniunt, quod sint pruriginosæ, differentia existente in eo, quod magis ac minus, vt *sexto aphorismorum* dicebat Hippocrates.

Pruritus autem est dolor quidam mixtus voluptati: propterea ægroti non multum conqueruntur de dolore in variolarum generatione: aliquando tamen accidit magnus, cum exulcerantur internæ partes, vt intestina fauces, aspera arteria sit.

Vnus igitur morbus sit intemperies materialis calida, aut cũ humore, aut cũ siccitate, aut æqualiter in passiuis habens: quæ intemperies materialis est. Distinctius tractabo postea, quæ materia efficiat ipsas.

Adest præterea morbus in magnitudine partis: etenim sub tumore præter naturam continetur: omnis vero tumor morbus est magnitudinis adauctæ. Concomitatur tertio solutio continui, quia tum cutis à cuticula, tum cutis à carne diuiditur, dum eiusce modi pustulæ generantur.

Morbi præterea adueniunt plures in superficie corporis, primum, quia lenem esse superficiem oportet, idcirco aduenientibus variolis, morbillisq; asperior & inæqualis admodum redditur, vt tactu & visu constat.

Deinde adnectitur morbus in via, vt raritas venularum, quæ in ipsa cõtinentur cute, & carne, siquidem ex efferuescentia sanguinis dilatari oportet illas, ita vt non contineant humores, sed effluere cogantur rumorem in ipsa cute, & cuticula facturi, in qua vbi inhæserint, prohibita euentatione ipsorum alter fit morbus illi contrarius, atque hoc modo constat morborum concurrere multa genera in constitutione variolarum.

Disquisitione dignum est hoc loco, an febris necessario cum variolis coniungatur: Siquidem nos definientes dicebamus, variolas fieri natura sanguinem expurgante in malignis febribus. Tamen suspecta videtur recentioribus quibusdam opinio: qui putant sine febre interdum variolas contingere, quod illi experientia sese nouisse profitentur, atq; authoritate illustrium Medicorum: Rhases enim in 18. *libro sui continentis* ita scribit: Et variolæ *euenientes post febres sunt salubriores præcedentibus eã:* quibus verbis constat variolas admitti, quæ præcedant febres: quod si ita habeat, aliquo tempore dabuntur variolæ sine febre: quod etiam Auicenna dixit à Rhase mutuatus *capite de variolis* cuius verba sic habent. *Melius est morbillos antecedat febris, quã vt subsequatur.* Et Auenzoar *lib. 2. theisir tract. 7. cap. 3.* ait: *Cum mouetur natura ad hanc expulsionem faciendã, excitatur pro maiori parte febris.* Quod si pro maiori parte excitatur, febris, semper necessaria non est.

An febris necessario adsit in variolis & morbillis.

Nos

Nos vero arbitramur ex necessitate febrem præcedere, quod fiant per viam crisis natura expellente ad superficiem humores corruptos: ita vt variolę quædam sint febris pestilentis symptomata. Crises vero non fiunt, nisi in continuis, & acutis febribus, idq; præterea ostendit experientia, cum ego nullum inuiserim affectum hoc morbo quin antea febricitauerit.

Ita etiam Auicennam sentire ex eius verbis facile ostendo.

Nam de signis pręcedentibus variolas agens, in earum numero febrem conclusam enumerat.

Verum præstat hic diligenter perpendere, quid docti quidam nostra tempestate Medici opinentur. Dicũt quasdam variolas esse sine febre, quasdam comitem habere febrem semper: quasdam vero non semper.

Ad producendas, inquiunt, variolas requiritur, vt ebulliens sanguis ad cutem confluat, ad febrem vero, vt sanguinis calor cordi communicetur. Si vero prorumpentibus variolis sanguis leuiter ebulliat prope cutem, fieri potest, eius calorem non communicari cordi, atque ita toto variolarum progressu nunquã apparebit febris, hunc casum licet raro contingere profiteantur, ab antiquis tamen ac recentioribus fuisse obseruatum asserunt.

Addunt, variolas insequi febrem, quæ fiunt crisis cuiusdam ratione natura expurgante sanguinem: ac de istis febribus locutum fuisse Auicennam *lib. 4. fen 1. tract. 2 c. 44. & 45* & Auerrh. *4. lib suorum collectaneorũ*, aliosq; plerosq;. Cæterum febrem subsequi variolas, quando in declinatione vniuersali existentibus illis, accidit febris: hæc illi præclare disputant.

Ego autem, qui, vt dixi, ab illis dissentio, longe aliter sese rẽ habere dico.

Admitto inprimis, quæ illi de origine febris dicunt, non admitto, quæ de variolis: siquidem fiunt variolę, quando sanguis ebulliens trãsmittitur ad superficiem corporis tam internam, quam externam, transmittitur autẽ à centro: nempe à venis maioribus, & à locis calidissimis, in quibus efferuescens ac ebulliẽs ob communicationem, & viciniam cum corde fieri nequit, quin euaporatio putrida communicetur cordi, & febrem faciat.

Adde quod in cute existens, aut prope cutem efferuescere ac ebullire non potest sanguis, quod locus ille ab aere attracto per transpirationem refrigeretur, ideoq; non sit locus ebullitioni huic accommodatus.

Neq; est, quod hic obiiciant mihi synochum febrem, quę fieri solet cõstipatis meatibus omnibus externis: nam vt in synocho ex eiusmodi constipatione ebullitio fit in venis maioribus, sic etiam ebullitio variolarum fit in eisdem. Deinde vero par non est ratio, siquidem in variolis exterior terminus constipatus non est, vt variolarum ostendit euentus, igitur prope cutim fieri nequit eiusmodi ebullitio: sed in loco fit calidiori, ac magis accommodato plus, aut minus pro varietate causę, vt dicemus infra: idcirco febris continuo præcedit maior aut minor.

Deinde quod asseuerent febrem aliquando solum contingere in variolarum declinatione, meo iudicio consistere non potest: Siquidem vigentes variolę nõ effecerunt febrẽ, quomodo ergo declinantes facient, vigere illas dico, quando attolluntur in tumorẽ, ichorq; intus existens suppuratur, quo tempore consonũ est rationi, vt si antea nõ præsens fuit: febris generetur: ac ita experientia contingere manifestum facit: cum vero iam facta suppuratio est, & crustę decidunt, materia vel insensibiliter vacuatur, vel artis beneficio exsiccatur, vt ipsa insalatione, vel deniq; perforatione educitur, qui fieri potest generari febrẽ? Dicent fortassis gigni febrẽ ex aliquo errore, aut ægroti, aut assistentiũ, aut Medici, quod illi admittere mihi potissimum videntur, cũ inquirant, quomodo quis in declinatione variolarũ mori possit. Quæ tamen explicatio admodũ consona rationi non videtur: quandoquidẽ quę ex errore contingunt febres, vel periculosæ non sunt, vel saltem minus periculosæ, quam quæ citra errorem ab interna causa proficiscuntur, atqui Rhases vult,

quo cum sentit Auicennas, longe deteriores illas existere, quæ à principio sine febre aduenientes, eam postea accersunt, quam è contra, cum post inuasionem febris variolæ contingunt.

Præterea comparatio fit inter ea, quæ sunt eiusdem generis: Cum enim dicunt: *Et variolæ aduenientes post febres sunt salubriores præcedentibus eam*: Comparant febrem aduenientem in principio, & aduenientem postea, tanquam signum prognosticum ad bonum, aut malum.

At si vna febris est vnius naturæ, alia vero est alterius, vna per accidens, alia per se contingat, ambæ significare non poterunt variolas aut mortales, & salubres: prognostica enim signa vera sunt, quia ex rei deducuntur natura.

Quamobrem colligo, febrem significare nihil posse supra variolas perniciosas, ac lethales, nisi ex propria variolarum natura contingant.

Dicam postea, quid de eiusce modi febre sentiam, vbi antea explanauero Rhasis & Auicennæ verba.

Quando febris antecedat variolas.

Febris facit variolas & variolæ efficiunt febrem. Quando variolæ apparent natura iudicante morbum, sanguinemq; ipsum expurgante, fiunt febres antea, quarum iudicium est, variolarum apparitio: atque tunc febris imminuitur, deniq; cessat, si ad suppurationem non perueniunt: Sunt itaque variolæ symptomata febrium.

Quando sequantur.

Sunt etiam febres symptomata variolarum: nam quando accidit ipsas variolas & multas esse, ac admodum magnas, multumq; ichorosę substantiæ sanguinis in illis fuisse congestum, cum digeri non possint, suppurantur, fiunt autem in suppuratione febres, atq; ita febres istæ non sunt eædem cum superioribus, quæ erant essentiales, sed euadunt symptomaticæ, insequentes tamen variolas, quatenus concoquuntur. Perinde res habet, atque in omni inflammatione: in qua febris accidit pro inflammationis natura, at si illa forte fortuna ad suppurationem tendat, quæ iam diminuta antea febris erat, vel quæ euanuit, equidem augetur, vel reuertitur, sic in variolis, vt dixi, contingit.

Quæ cum ita habeant, iam satis patet, quem sensum habeant verba præstantissimorum hominum.

Variolæ, inquit Rhases, *quæ sequuntur febres, sunt salubriores, quia symptomata sunt febrium, quæ iudicantur aduenientibus illis, propterea soluitur febris, sanantur variolæ.* At vero quæ variolæ nouam efficiunt febrem ex generatione puris, vel adaugent febrem præteritam, quæ apparentibus illis fuit diminuta, sunt longe deteriores, vt puta, quæ significant incrementũ putredinis, & incrementum febris, à quibus postea vlcera mala gignuntur in faucibus, in pulmonibus, in ventriculo in intestinis, denique accedit mors.

Quando igitur dicunt, febrem præcedere variolas, & variolas præcedere febrem, hunc sensum habet.

CAP. IV.

Quæ febris sit, quæ variolas præcedit, & quomodo fiant variolæ.



OMNES variolas præcedit febris, non æque magna omnibus, quia efferuescentia, & ebullitio sanguinis, & omnium humorum, quæ fit in omnibus venis corporis, aut saltem maximis, quæ sunt inter alas, & inguina, aliquando magna, aliquando parua est.

Porro synochum esse hanc febrem rationi quidem est consonum: quod à principio vsque ad finem omnino æqualis calor conspicitur carens circuitu, quodque variolæ, ac morbilli vniuersum corpus inuadant: tum quidem in partibus intimis, tum etiam externis: idcirco diximus fieri ab efferuescentia sanguinis, quia hæc vera est, atq; essentialis causa synochi, vt loco suo demonstrauimus, cum in omnibus fit venis.

Quo-

Quoniam vero synochus est duplex, quædam putrida, quædam citra putredinē, explicemus, quæ nam sit ex istis variolarum febris. Sunt qui contendunt, semper esse putridam ego vero plerunq; putridam, tum aliquando pestilentē, aliquando non pestilentē: interdum autē citra putredinem consistere affirmo: quod ne videar gratis dixisse, præstat id paulo plenius exponere. Exordiri ab eo placet principio, quod experientia ipsa confirmat.

Id vero est: Succos propemodum omnes efferuescere, ac ebullire, vbi statim extracti in vase reponantur: hoc enim modo concoquuntur, quod Aristoteles in *quarto metheorologicorū*, præclare, vti solet, exemplo alimenti, ac musti, explanauit. Siquidem dum alimentum concoquitur à calore, qui in ipso est alimento ebullit, idem fit in ventriculo, ex quo segregatis excrementis remanet perfectum alimentum, atq; concoctum. Sic mustum in dolio repositum statim ebullire cernitur, atque dum hoc fit segregantur ab eiuscemodi succo partes crassiores, quæ in imo resident partes tenuiores, quæ in summo permanent. sicque vinum postea fit, & appellatur, acquisita meliori forma in ipso musto in potentia existente. In alijs succis repositis idem contingere nemo non obseruauit.

Tale quidpiam in sanguine contingere dicimus: Efferuescit hic in venis omnibus, quando impurus est, & multorum excrementorum permistione coinquinatus, natura ipsa conante puriorem ipsum reddere, & expurgatum: quod inquinabat, expellitur à magnis venis ad paruas, ab iis ad minores, à minoribus ad minimas, donec ad corporis habitum, & cutem ipsam peruentum sit, quæ inficitur propulsato foras excremento varijs quidem pro eius varietate modis: In hoc motu sanguinis vehementi fit necessario febris, quod calor præter naturam, ac igneus generetur, in loco cordi proximo, à quo ipsum affici oportet.

Hæc febris interdum citra putredinem, plerunq; cum putredine consistit, sed vt necessarium est propter viciniam cordi communicari calorem igneum: sic profecto necesse est eum ipsum; ad principium insiti caloris transmitti, qui à materia ebulliente attollitur. Si enim ebullit materia non putrida, sed aliena à natura sanguinis, minime quidē putredo, sed solus calor præter naturam cordi impartitur: Si vero putredo etiam adest, vapor putridus ad cor mittitur putridam effecturus febrem, contingit vtrumque in variolis, & morbillis. Nam aliquando mitis accidit febris, quæ prorsus euanescit tertia aut quarta die, cum scilicet variolæ incipiunt apparere, nec amplius reuertitur: atque huius duplex est modus, quædam enim mitissima est, quam pueri fere negligunt, nec prorsus omnibus conspicua, sed iis solum, qui curam diligentem adhibent: quædam paulo maior, istæ accidunt in variolis benignioribus, quæ separatæ nascuntur, & paucæ, boni coloris, nec suppurantur, aut certe putredinem non acquirunt insignem: hanc ego synocham appello non putridam, tutissimam, atq; benignam.

Longe grauior accidit aliis, quando ebulliens materia putredinem nō suscepit. Tunc enim putrida gignitur, symptomatis comitata prauis, atq; verendis: qualia insequi solent putredinem in vasis maioribus existētem: hæcque febris tum à principio maior inuaditi tum in progressu, postquam aduenientibus variolis mitior aliquando fuit reddita, ex illorum putredine mala & exactione naturę validiori suppurationem efficiente, denique ex malis vlceribus, quæ interdum in vētriculo in faucibus, in aspera arteria, in pulmonibus, in intestinis, gignuntur, non mediocre sumit incrementum: atque tunc degeneratio fit febris in alienam naturam ob varietatem excrementorum. Quamobrem toto cœlo aberrant, qui putant febrem variolarum, & morbillorum semper esse putridam synochum, atque etiam pestilentem, at rectissime omnes statuunt hanc febrem, ab initio esse synochum, quam Auicennas suo nomine appellat cōclusam. Docebo post hac ex qua febre pestilentificant variolæ.

Merito autem dubitabit aliquis hoc loco, quod nostra hæc opinio non sit recipienda secundum sententiam Galeni, & Auicennæ, aliorumq; Arabum. Galenus enim, qui sub ipsis exanthematis complectitur variolas, ita scribit in methodo medendi: *exanthemata illa, quæ nigra in vniuersum corpus, in pestilentia contingebant, sanguinis esse reliquias, qui in febre putruerat*, locum supra citauimus. Ergo si exanthemata illa sunt reliquiæ sanguinis putrefacti, febris ipsa synochus citra putredinem esse non potuit.

Secundo Auicenna statim *in principio suæ tractationis de variolis*, in hunc modum scribit. *Quandoq; accidit in sanguine ebullitio, secundum semitam putredinis cuiusdam de genere ebullitionum, quæ accedunt succis*. Quæ verba cum sint de omnibus variolis intelligẽda, significant omnes fieri ex putredine sanguinis. Hæc autem tantum abest, vt opinioni nostræ opponantur, vt omnino, maxime confirment, quod nunc doceo.

Galenus non egit de omnibus exanthematis, seu variolis, sed de illis duntaxat, quæ in illa sui temporis contigerunt, pestilitate: at verum omnino indicari debet, omnes variolas, quas febris pestilens efficit, ex putredine sanguinis ducere originem, quod nos docebimus infra diligenter: sed non est verum, variolas citra pestem contingentes fieri à putridis febribus. De iis Galenum eo loci non fuisse locutum constat.

Quod porro attinet ad Auicennam, ita statuendum duco. Omnem in succis putredinem fieri cum efferuescentia, & ebullitione humorum: at non reciprocari, omnem ebullitionem fieri cum putredine. Siquidem efferuescere possunt humores citra putredinem. Neque id affero, quod non sit rationi consonum, atque certissima experientia confirmatum, cum id in ipso apparet musto adeo euidenter, vt dubitari non possit: quod ebulliens suam naturam perficit, inchoatam, & rudem habens, dum permansit mustum.

Agitatio, & ebullitio illa, quæ artis beneficio fit in lacte ex baculo admodum laboriose & continuo agitante ipsum lac, non est corruptio lactis, sed perfectio: cũ ex eo butyrum extrahatur, quod ineraat potentia, extrahatur caseus, & serum. Satis duo hæc sint exempla pro multis, quæ afferri possent in rem præsentem; vtpute omnium iudicio certissima: ex quibus colligendum est mihi, quandam inueniri efferuescentiam, & ebullitionem, qua res ipsa perficitur, ebulliens. Quod, vt citra omnem controuersiam verum esse apparet, sic etiam minus apparet quandam ebullitionem esse corruptiuam. Neq; hic discedendum est à sensu conspicuis.

Idipsum vinum iam perfectum post ebullitionem, & in dolio repositũ, æstiuo tempore austris calidis aduenientibus denuo efferuescit, & ebullit, euaditq; omnino putridum, & gustui, & sanitati corporis inimicissimũ. Hic feruor est cum putredine.

Consimilem velim animo concipias, affectum contingere sanguini; quo cum si forte fortuna permisceatur aliquid graue calori innato, ac sanguinis naturam coinquinans, ebullitione & feruore quodam duce, expellitur: sanguis uo perfectior redditur, ac purior. Redditur etiam interdum impurior, crudior, ac magis imperfectus, cum putrescit eius substantia.

Ad eos auctores explanandos nunc mea properat oratio, qui de hoc affectu doctissime scripserunt: Variolas fieri secundum semitam putredinis, non esse fieri ex materia putrefacta: sed ex ebullitione secundum eum modum, ac similitudinem, secundum quem fit putredo. Est autem modus huiusmodi: Quod putrescit, ebullit, & efferuescit primum, mox segregantur ex ipso tenuiores partes, deniq; sicciores remanent, vt Aristoteles dicebat *libro quarto methereologicorum*: sic variolæ, & morbilli omnes fiunt hoc modo, prius efferuescit sanguis, postea segregantur eius partes alienæ ab ipsius natura, expelluntur q; ad cutem, quæ veluti cineres quidam humoris putrefacti, aut ebullientis. Hoc in omnibus accidit.

Differunt, quod in quibusdam ex ebullitione non corrumpitur calidum innatum, ac proprium in suo humido existens, sed contra perficitur, in aliis vero corrumpitur.

Hactenus explanatum fuit, febrem variolas præcedentem synochum esse, aliquando sine putredine, & aliquando cum putredine, ac interdum pestilentem, interdum vero simpliciter putridum: Fierique à natura sanguinem expurgante ab omnibus illis, quæ illius coinquinabant naturam, quæ progrediente sermone fient manifestiora.

Cap. V.

Variolas à natura fieri iudicante morbum.

OMnes variolæ critice à natura expellente fiunt. Est enim crisis *mutatio quædam subita ad salutem, aut mortem*: propterea duplex est, bona, & mala. *Crisis quid & quotuplex.*

Bona ad salutem subita mutatio est, mala vero ad mortem. Vtraque mutatio contingit variolis.

Bona crisis fit, cum is humor duntaxat vacuatur, à quo morbus efficitur, per eas vias, per quas vacuari debet, cum facili tolerantia, virtutis, præcedentibus signis coctionis, & in diebus ab ipsa natura destinatis ad eiusce modi motum, vt Galenus explanauit *lib. 1. de crisib. & aphorism.*

Iam quidem in variolis natura expellit noxia excrementa, vt biliosa, aut pituitosa, aut melancholica, aut serosa, aut plura ex his, aut simul omnia, ex quorũ permistione coinquinabatur sanguis: quibus cum etiam expelluntur qualitates omnes malæ, quas aut victus ratio, aut ambientis aeris conditio, aut menstrui sanguinis reliquiæ, introduxerunt in humoribus, ac partibus, quemadmodum infra docebimus.

Præterea accommodatissima est via vacuationis huius, nempe superficies corporis: longe enim melius est ad superficiem expelli humorem noxium, quam in centro contineri: licet longe melius, ac vtilius foret, si expulsio fieret duntaxat ad superficiem externam. Facilem vero tolerantiam insequi docet experientia: quod illis apparentibus, ac pro naturæ modo exeuntibus, ægroti semper melius habent; febris diminuitur illico, & benignioribus existentibus variolis, omnino cessat.

Obseruatum est etiam signa coctionis præcedere, vt fit in synocho citra putredinem. Et ego sane id frequentissime obseruaui.

Postremo apparere illas, aut tertio, aut quarto, aut quinto die adeo constat, vt superuacaneum mihi videatur hoc loco longiori oratione prosequi.

Interdum vero crisis est imperfecta, cum vel non expellitur tota materia ad superficiem, vel ipsa virtus non admodum bene fert eiusce modi vacuationem, vel lenta est expulsio, vel non æqualis, in summa, cum deest aliquid pro iudicio naturæ perfecto requisitum.

Postremo, aliquando crisis pessima est, cum ægroti ad mortem ex subita mutatione perueniunt, de qua re dicemus infra.

Hæc si vera sunt, ostendunt rectissime dixisse Arabes, variolas contingere per modum cuiusdam crisis: siquidem modus quidam est particularis, quo febris magna sanari crisi consueuit, longe distans ab aliis. Omnes enim aut per vomitum, aut per aluum, aut per vrinas, aut per sudores sanantur, at huiusmodi febris nullo ex illis sanatur modis, sed per solam superficiem, non extimam solum, vt ardentes febres, quæ sudore copioso superueniente liberantur, sed extimam acintimam simul, Atque sic per abscessus paruos, quos pustulas, nuncupauimus, vbique procreatos. Nunquam alui fluore, nunquam vomitu sanantur, imo si forte adueniant, pessimum signum est, vt docebo cum de prognosticis agam.

Hoc animaduertisse mihi videtur Galenus *libro sexto de morbis vulg. sect. 6. commen. 30.* cum in historia Simonis ita scribit: *Pustulæ egerminant natura corporis sedes altiores repurgante per depositionem ad cutaneas partes.* Hæc certe optima censetur, ac omnibus numeris perfecta expurgatio: propterea, quo minus intimæ partes laborauerint, eo melius, quo magis extimæ eo melius. Deterius si paucæ in extimis pullulent, multæ vero in internis partibus eruperint.

CAP. VI.

Quid sanguinis ebullientis nomine intelligendum?



SANGVINIS nomine quid intelligendum sit, in iis docuimus, quæ de physiologia scripsimus, nunc vero solum superest, vt doceamus, cum fieri variolas diximus ab efferuescente sanguine, qua significatione ipsum audiamus.

Sunt qui putant, eo nomine solum intelligere oportere sanguinem pro tota massa sanguinea, ita vt scribant generari non posse variolas, quin sanguis secundum omnes partes suscipiat putredinē: alij vero & omnibus succis sanguineis, & pro qualibet parte audiunt. Rectum habere vtraque opinio sensum potest. Ego, quoniam in magnis omnibus venis sanguis efferuescit, vix animo possum concipere, imo ne vix quidem, vnam duntaxat particulam efferuescere aliis nō feruescentibus: quasi quod si in lebete misceatur aqua, & vinum, aut diuersi alij cuiuscuis speciei liquores, ignis illi subditus ebullire solum faciat vinum, non aquam: hoc videtur mihi omnino supponendum, fieri non posse, quin totus sanguis venarum omnium, in variolis efferuescat. At non est idem efferuescere, & putrefieri: Efferuescit in synocho non putri. Efferuescit, ac putrefit simul in synocho putri: aliquando totus sanguis, aliquando biliosus & ichorosus, aliquando melancholicus, aliquando temperatus: Atq; interdum putrefit solus sanguis, aliquando cum eo humores excrementitij, vt flaua bilis. Ergo in variolis semper sanguis secundum se totus efferuescit, non putrefit: vbi benignior est affectus, qualem supra notauimus, est citra putredinem: In grauioribus variolis putrefit quidem aliquādo totus euadens malus, ac eruginosus: aliquando eius pars, vt contingit in morbillis, qui fiunt ex putredine sanguinis biliosi aut solius, aut misti cum flaua bile excrementitia, propterea sunt longe maligniores, quam variolæ.

Variolas concitari ex putredine sanguinis pituitosi, aliquando melancholici traditum ab antiquis fuit, atque longa obseruatione ab omnibus confirmatum.

Dubitationem habet hoc loco minime contemnendam, an hic affectus etiam fiat à reliquiis sanguinis menstrui, quo fœtus in vtero matris nutriebatur, ita enim putare videtur Auicennas, qui *in tractatione de variolis, cap. 1.* ita scribit: *Et de hoc est, cuius causa est res quasi naturalis faciens ebullitionem sanguinis, quare putrefit ab eo illud, quod admiscetur ei de reliquiis nutrimenti sui menstrualis, quod est in impragnatione.* Hæc Auic. idem etiam Haliabbas *lib. 8. sua medicina cap. 14.* Et quam plures nostræ ætatis viri doctissimi; denique omnes Latini Glossematarij Auicennæ vnanimi consensu admiserunt. Hanc tamen opinionem redarguit multis rationibus Ioan. Fernelius *lib. 2. de abditis rerum causis, cap. 12.* quo cum alii viri etiam celebres consentiunt.

Verum vt constet, quid pro veritate sit sentiendum in hac re maxime controuersa, primum declarabimus opinionem Auicennæ, demum quid alij contra Auicennam scripserint, perpendemus, singulasq; illorum rationes examinantes, apparebit quid bene, & quid non bene dictum sit.

Quæ-

CAP. VII.

Quomodo à sanguine menstruo fiant variolæ; & morbilli ex Arabum sententia.

PONENDA sunt hoc loco quædam principia, quæ nemo non admittit, ceu omnium obseruatione confirmata.

Horum primum est, variolas & morbillos quosdam affectus existere communes, qui scilicet vnumquemq; inuadunt aliquando, nisi mors alia de causa præueniat, potissimum vero inuadunt pueros (licet nulla sit, vt dicemus postea, ætas immmunis ab hac labe) à principio natiuitatis vsq; ad quintũ septimumue annũ, imo vero interdum visum fuit, & ego nõ semel obseruaui, mulierem peperisse puerum variolis affectũ.

Huic principio addo aliud longe diuersum, nẽpe variolas esse nonnunquam affectum sporadicum, qui scilicet ob priuatas causas inuadit, ita, vt non solum pueri, sed etiam iuuenes, & ætate consistentes, ac interdum senes ob victum prauum patiantur hunc morbum: & qui semel passus fuerit, non est immunis, quin secundo in eundem incidat.

Vidi ego dum in Cingulanis mõtibus faciebam medicinam, quosdam, qui secundo, ac tertio variolas habuerint; quamuis certe casum rarum esse profitear; vt etiam rarum est, senes eisdem laborare: at interdum Gentilis nouit sexagenarium: ego vero septuagenarium hoc obsessum morbo.

Duobus igitur modis considerentur variolæ. Vel vt communis quidam affectus, vel vt sporadicus: atque secundum hasce duas considerationes quamplura elucescent, quæ nondum plane perspicua existere videntur.

Communis omnis morbus à communi proficiscitur causa, vt superioribus libris demonstratum fuit.

Communis porro causa triplex est, si bene iudico, sanguis menstruus, lac ipsum & aer ambiens: quæ vel simul omnes, vel plures, vel vna, efficiunt, vt communi modo omnes pueri hoc morbo teneantur. Differunt autem inter se istæ causæ, quod priores duæ solis pueris conueniunt: tertia vero communis est omni ætati. Propterea agendum prius de prioribus. *Communis causa triplex.*

Nutriri fœtum in vtero ex sanguine dubitari non debet: hunc ipsum appellare consueuimus menstruum, quod sanguis ad vterum profluens hac peculiari nuncupatione, vocari soleat. Quod suauissimum, & dulcissimum est in sanguine id ad sese fœtus attrahit: ex quo non modo viscerum & musculorum carnes generatæ sunt, sed etiam totum corpus nutritur, insitusq; in solidis membris calor fouetur, ac instauratur: fieri tamen non potest, quin grandior factus nonnihil etiam mali sumat sanguinis: quod bonus non sufficiat pro nutritione matris, ac fœtus, vt Galenus præclare docuit *libro primo de causis sympt. cap. 7.* vbi vult primis mensibus optimo sanguine nutriri, aliis autem maiori ex parte vitioso: quæ sententia ob rationem iam dictam verissima est: nisi quispiam dicere velit, totum sanguinem in mulieribus esse optimum, atque eum, qui ad vterum fluit expurgatorius singulis, mensibus nullam habere labem: quod certe admitti non debet.

Igitur statuamus cum Galeno primis mensibus fœtum pauco indigentem sanguine, admodum bono frui: tuncq; matrem reddi morbosam: grandiorem vero, partim bono, partim malo nutriri, hinc morbosum fieri fœtũ, id est, infici mala qualitate sanguinis, esseq; id matri vtile.

Quam ob rem si contingat prægnantem variolas pati, ac puer nascatur, hic idem eisdem nascetur refertus: cuius alia reddi causa euentus non potest, quam sanguinis attracti pro nutrimento impuritas: neq; hic aliquem esse arbitror, qui dubitet.

Sed cur natus puer beneq; habens, anno postea tertio, aut septimo, incidat in variolas sanguinis menstrui vitio, non immerito dubitatur. Ego autem soluere hunc nodum ita soluo. *Cur natus puer anno tertio aut septimo corrumpatur demũ variolis.*

Sanguis ille malus in pueruli venis post eius ortum, cum lactis suauitate fruitur, non cõtinetur, vtpute qui absumptus, ac in substantiam partis transmutatus, solum in solidis partibus reliquit dispositionem sibi consimilem. At si quædam reliquiæ illius superfuerunt post ortum, natura illas educit prima die vsque ad tertiam per aluum, ex quo concretum, nigricantem, putridumque, ac viscidum educi conspicimus: quia vero huiusmodi vacuatio vtilis est, ne impediatur, iubemus puerulum abstinere à suctione lactis primis diebus, vtq; iuuetur vacuatio naturæ, lingendum datur aut decoctum sachari, aut mellis, aut aliud quidpiam eiusdem generis. Ex ea dispositione relicta in ventriculo, ac in toto corpore simili malitiei humoris, lac, quod primis annis sugitur, alimentum deinde, quod sequentibus datur, licet suapte natura sint optima, tamen non prorsus in bonum sanguinem mutantur: sed pars bonus efficitur, pars vero malus euadit sanguis, ab vtroq; nutritur fœtus, siquidem vterq; sanguis cum nutriendis membris familiaritatem habet, bonus quidē cum calido innato inexistente in partibus, vere solidis malus cum dispositione acquisita in carnibus, & musculis.

Consimiliter accidit partibus humani corporis, atq; dolio. In quo etiam si vinum amplius non adsit, tamen seruat odorem, ac dispositionem eius vini, quod diu multumque continuit: si bonum id fuit, quod superinfunditur, semper bonum seruabit & odorem, & saporem, si malum, quamuis suauissimum imponas, coinquinabitur.

Quo enim semel est imbuta recens, seruabit odorem, testa diu.

Sic solidæ partes corporis longa assuetudine sanguinis mali, nutritæ acquisiuerunt dispositionem illi consimilem, quæ mutat chylum in iecinore in sanguinem malum, eandem dispositionem fouentem, atque conseruantem. Quemadmodum cibus & potus, cum in aliis fere partibus, tum maxime in ventriculo acquisititiam, & aduētitiam naturam efficiunt pro sua natura: quamuis enim à corpore, quoad eius fieri potest, maxime vincantur, & mutentur, ipsum tamen secundum suam ipsorum naturam efficiunt quodammodo. Siquidem omne agens agendo repatitur, vt philosophis placuit.

Reuertor ad sanguinem. Hic licet malus, quatenus redolet naturam dispositionis relictæ à sanguine mēstruo: diu tamen, ac multum à natura fertur duplici nomine: primum, quia assuetus ille fuit naturæ, à quibus minus patimur, vt dicebat Hippocrates *lib. 2. aphoris. 50.* Deinde quia non gignitur solus, sed mistus bono, & admodum salutari, neq; in maiori, sed in minori copia: at vbi increuit ita, vt naturæ sit onerosus, expellitur per cutaneos meatus, fiuntq; variolæ.

Non est sanguis aquosus, crudus: vt arbitratur Gentilis, quia tum bene fibrosus, tum bene coctus est, omnisq; sanguis ebullitionem potest suscipere: verum talem naturam habet, qualem dispositionē reliquit in partibus menstruale alimentum: in quibusdam nimis calidus, & exustus: in quibusdam melancholicus, in quibusdam crudior, ac serosior.

Ebullitio illa est quædam concoctionis species. Quandoquidem, si variolæ fiunt, vt expellatur materia, nequit fieri hoc opus, nisi segregetur materia bona à mala: atqui non segregatur, nisi concoquatur: opus igitur est concoctionem præcedere, vt separatio fiat accommodata & expulsio.

In ebullitione natura concoquit, & separat haud secus, quam in musto ebulliente fieri quotidie experimur: id enim maturatur ebulliens, segregationemq; patitur cum crassiorum, tum tenuium partium.

Neq; conturbet nos, quod febris adsit, quasi quod hæc coctionē ipsam impediat. Etenim eo modo fit febris in hoc affectu, quo modo fit in generatione puris: de qua recte dictum fuit in aphorismis in generatione puris febris & dolor augeatur magis, quam cum iam genitum est. Declaratum autem mihi fuit in alio opere concoctionem quandam suppurationem esse.

Calor natiuus efficit ipsam ebullitionem, dum vnitur ad fomitem, à quo segregatio, & expulsio fieri debet; motus ille caloris & vnio intensiorem ipsum reddit, à quo febris.

Recordor me legisse apud Hippocratem, *libro sexto de morb. vulgar.* Hermocratem, qui morbo acuto 27. mortuus fuit, non febricitasse 17. Galenumque causam explicantem dixisse, id factum fuisse, quod calor innatus non fuerit aggressus coctionem: vbi enim hic ad coctionem faciendam vnitur, febris fit.

Plura hic dicenda non sunt, quod de hoc argumento superioribus libris, vbi febris essentiam docuimus, copiose fuit disputatũ. Ille igitur locus dilucidabit hanc partem: ideo dico, ebullitionem istam fieri à calore quasi naturali, vt verbis loquar Auicennæ (qui ex motu, ac vnione, & conatu intensior redditus fuit, quam naturali conueniat) vt fiat segregatio sanguinis huius, denique expulsio.

Cæterum ex iis, quæ hactenus diximus, videor mihi opinionem Auicennæ, ac reliquorum Arabum dilucidasse, quæ in his propositionibus, vt in summa dicam, consistit.

Prima; sanguis menstruus fœtum in vtero existentem potest variolis inficere.

Secunda, puer natus à sanguine mẽstruo in venis existente nõ inficitur.

Tertia dispositio impressa primum, ac maxime in ventriculo, mox autem in singulis partibus à menstruo, causa est, vt tum frequenter pueri, tum omnes aliquando semel variolis afficiantur.

Quæ cum ita sint, certissimum est, ab ipso lacte id contingere non posse, quod eius substantia benignissima, & amicissima sint humanæ vitæ, ex qua non videtur posse fieri agitatio & ebullitio.

Adde quod in vtero, puero existente cum gignantur variolæ, atque ibi non vescatur lacte, non videtur accommodatum lac ad huiusmodi affectus generationem: neque etiam quando in iuuentute, & in ætate consistente, & in senectute contingant.

Aerem porro ambientem tanquam causam communem, externam tamen admittimus: hic autem internã, ac necessariam quærimus, à qua fiunt variolæ in omnibus semel, præsertim in pueris.

Verum loquemur de aere, cum de causis externis sermonẽ habebimus.

CAP. VIII.

Dubitationes, quæ hisce dictis accidunt.

CONTRA hanc opinionem dubitationes multæ afferri consueuerunt, quarum aliæ ab antiquis explanatoribus, aliæ à recentioribus fuerunt propositæ, affero sigillatim omnes, vt in hac materia nihil relinquatur, quod facere dubitationem possit.

Prima dubitatio est, quod non videtur admitti debere fœtum nutriri sanguine vitiato, vt nos dicebamus contingere saltem post primos menses: nam Galeni sententia est *quinto aphor. com. 37. lib. primo de semine cap. 8. lib. primo de sanit. tuen. libello de atrabile, ac tertio de morbis vulgaribus*, ac passim alibi nutriri fœtum sanguine purissimo, & dulcissimo: ex quo fundamento ruit opinio nostra, qua contendebamus dispositionem quandam malam relinqui in singulis partibus à menstruo, sanguinis generationem coinquinante. 1. Dubitatio.

Secunda ratio. Apparet variolas ipsas aliquando non solum pueris, sed iuuenibus, ætate consistentibus, ac senibus ipsis contingere: quod si ita est, mirum quidem videtur, imo fortassis impossibile, quod tandiu illa materia lateat in venis, & in habitu corporis occulta, ita vt nullam omnino læsionem inferat. Causa est huius rei, quod venenosa est menstrui substantia, quæ tamdiu nequit delitescere. 2.

Tertia

Tertia ratio, si sanguis menstruus, vt puta malus, inficit pueros, gignitq; variolas: cur non inficiet multo magis mulieres, quibus menstrua detinetur purgatio ad multos & menses, & annos? Hoc autem contingere nunquam videmus, signum igitur satis videtur efficax, quod ex sanguine mēstruo non fiant variolæ.

Has rationes affert Gentilis, vir citra omnem controuersiam doctissimus: à quo postea elegans Fernelius mutuatus est.

Addit præterea Gentilis hanc ebullitionem fieri non posse à menstruo sanguine; quia ille iam in substantiam ac naturam corporis transiuit: oportet ergo hanc ebullitionem fieri nō in venis, sed solum in membris puerorū.

Amplius quærit, cur non ebulliat statim, atque vterum egressus est, sed tardatur vsque ad tempus determinatum. Etenim si hoc tempore ebullit, & antea non ebulliuit; quærendū non immerito, in qua dispositione fuit puer, cum dispositionem hanc nouam acquisiuit.

Deinde sic instat Fernelius: si ex menstruo sanguine fierent variolæ, homines non nisi semel variolis forent obnoxij, siquidem sanguine menstruo expurgato nulla superest amplius occasio nouæ inuasionis: atqui videmus & pueros ipsos, & eosdem prouectiori ætate incidere in variolas.

Ac præterea etiam videmus, quod multi euadant à variolis: at nemo foret immunis ab hoc morbo, si causa in menstruum sanguinem foret referenda.

Dubitat Michael Florinus à Lambstein contra Arabes, quod sanguis menstruus omnino venenatam & maleficam naturam habens non videatur diu contineri posse in corpore, quin maxima inferret corpori incommoda, vel breuissimo tempore expelleretur è corpore: venenosam illius naturam esse probat tum auctoritatibus multis illustrium Medicorum, tum etiam experientiis: ac propterea non videri consonum rationi variolas fieri à sanguine menstruo.

Hieronymus Mercurialis *libro de puerorum morbis primo capite* multis rationibus eandem opinionem refellit, quas hic sigillatim referre constitui, quia non exigui momenti videntur.

Primo igitur in hunc modum disputat. Variolæ maiori ex parte proueniunt vitio morbidi cœli, vel aeris, non solum quia sic scribat Rhases *18. continentis*, & Auicenna, sed etiam quia ita statuit Auenzoar, quem admirabilem vocat, qui profitetur variolas, & morbillos semper contingere vitio aeris, vel substantialiter corrupti, vel propter aquas, halitus terræ, & cadauera.

Confirmat ex historiis noui orbis, harū scribunt auctores, incolas quarundam regionum fere extinctos fuisse à variolis vitio aeris infecti, quæ res non fuit, neq; esse potuit propter materiam vitiatam à sanguine menstruo.

Secunda ratio; quod vitium sanguinis menstrui sempiternum fuit à mundo nato post peccatum Euæ: vnde factum est, quod homines semper hac menstruorum labe sint labefactati. Perennis quoq; est causa efficiens, scilicet morbi natura, aut calor naturalis: Quare iure debuissent omni tempore homines hoc morbo vexari. Sed hoc falsissimum esse dicunt, quod ante Arabum Medicorum tempora nullum reperire licet auctorem, à quo hos morbos, aut generatos, aut plane explicatos habeamus.

Tertia ratio: Quod nullus sit homo, qui vel in pueritia, vel in adolescentia, vel in alia ætate grauissimos non patiatur morbos, in quibus fiunt ebullitiones sanguinis, fiunt putredines: horum causa Medici varia exercent remedia, vt sanguinis mistiones, purgationes, inediam, quæ omnem emendant sanguinis abundantiam, atq; putredinem: quod si statuamus seminaria huius morbi esse reliquias sanguinis menstrui, non videtur consonum rationi, post tot, tantaque remedia adhuc conseruari in corpore pro efficiendis variolis.

Quarta ratio: Quod si opinio Auicennæ esset vera, oporteret omnia propemodum animalia pati variolas: siquidem sententia est Aristotelis *6. de anim. histor. cap. 18. & primo de gener. anim. c. 19.* omnia bruta sanguine prædita habere purgationes menstruas, vt equas, canes, asinas, &c. quod si hæc, quando vtero gerunt, non emittunt menses, eo sanguine nutriri fœtum oportet, ac ita aliquando generari variolas, quod tamen nunquam fuisse obseruatum legimus.

Quinta ratio, quam ille omnium efficacissimam arbitratur potissimum fundamentum habet, quod natura, vt homo sanus, & incolumis in hoc mundo nasceretur, sapientissime excogitauit, modos tres expurgandi omnia excrementa corporis.

Primus colligitur ex Galeno *primo de sympt. caus. c. 7.* vbi dicit: Naturam deponere omnia fœtus excrementa vsq; ad tempus pariendi in duas tunicas: igitur ibi etiam deponit sanguinem menstruum.

Alter modus est purgatio infanti contingens statim genito per intestina: nam educuntur illico omnia excrementa nigra, mucosa, sanguinea, alba viscida: vt docet Hippocr. *libro de carnibus*: Aristoteles vero *libr. 7. de histo. ria anim. c. 10.* vocauit hoc excrementum, vt vertit Gaza, papauerculum, Græce autem μηκώνιον.

Tertius modus est ab eodem Hippocrate explicatus *libro de sacro morbo*, & à Galeno *primo de compos. medicam. secund. locos cap. vlt.* nempe quod postquam homo editus est, accidunt illi varij morbi in capite, vt vlcera, & in facie pariter, ex quibus expurgatio fit reliquiarum, si quæ superfluerunt ex menstruo sanguine.

Hæc igitur cum ita sese habeant, inquit, quid suspicari debemus in omnibus hominibus tanto tempore excrementa sanguinis menstrui perdurare? Vana quidem potest esse naturæ solertia in vno, vel in altero: sed quod in omnibus hominibus decipiatur, quod frustretur semper à fine, quem intendit, absurdissimum omnino videtur: ob hanc causam putat constare non posse opinionem Auicennæ de variolarum, & morborum generatione. Hęc satis aduersus Auicennam dicta sint.

CAP. IX.

De responsionibus ad rationes antiquorum, Fernelij, & Michaelis Florini.

IAM vero propositis dubitationibus vt facilius occurramus. Primo loco supponendum est mihi, ex Auicennæ sententia causam essentialem, & communem variolarum, morbillorumq; esse ebullionem seu efferuescentiam sanguinis in omnibus venis, aut saltem maximis, quæ sunt inter alas, & inguina, qua efferuescentia segregatur bonus sanguis à malo, malusq; expellitur per variolas.

Huius ebullitionis causæ sunt, sanguis mẽstruus iuxta modum iam explanatum: alimenta mala: aer putrefactus, & inquinatus mala contagione, aer calidus, & humidus, ac alia eius generis, de quibus loquemur postea: quamobrem aduentus omnium variolarũ causa in solum sanguinem menstruum referri non debet.

His ita suppositis, satisfacere incipio dubitationibus propositis, ac occurro primo argumento.

Nutritur fœtus eo sanguine, qui suppeditatur illi ex matre: si bonus duntaxat est, ita vt nihil contineat mali, variolę nunquam eius occasione nasci possunt, quamuis hic sit casus omnino impossibilis: neque enim inueniemus mulierem, quæ ita bene sit affecta, vt non habeat sanguinem, aut qualitate, aut quantitate molestantem, aut vtroq; affectum vitio. Ergo si bonus simul Respons. ad primum.

simul cum malo permistus est sanguis. puer in vtero iam primum conceptus attrahit ad sese optimum,& dulcissimum,quia ob paruitatem pauco indigēs, non nisi bonum trahit, quod Galenus dicebat *primo de cauf symp.c.7* grandior factus ob causam supra explanatam cogitur attrahere vtrumq;:fitq; ex vtroq; in membris dispositio quædam inæqualis duplex: alia à bono, alia à malo sanguine, superatq; interdum vna, interdum alia pro maiori, aut minori copia exhausti sanguinis, aut boni, aut mali. Supponenda sunt hæc declarata mihi *libris de generatione hominis*.

Quæ cum ita sint,fit necessarium esse aliquando puerum tentari variolis: quia grandior factus cogitur exhaurire mali sanguinis portionem aliquam non sufficiente sanguine bono pro eius & matris nutrimento.

Add. Secunda ratio videtur longe difficilior:quia inter omnes dubitationes de rebus medicis agitari solitas, nondum explicata est,quod sciam,hæc dubitatio, quanto scilicet tēpore maneat humor in corpore veluti delitescens, & suas vires non exercens. Legimus quidem apud Galenum *libro de cibis boni ac mali succi*, errores factos in iuuentute apparere in senectute ipsa:scribit etiam *lib.3.aphor.c.30.* bilem flauescentem genitam in iuuentute posse vsq; ad senectutem deduci, ac in ipsa elucescere:quod etiam dicit Auicennas *in quarta primi cap. te de signis hemitritæi*. Scimus etiam quæ de canis rabidi morsu dicuntur,admiranda ac verissima.

At vero manifeste profiteor me ignorare determinatum hoc tempus speciatim, ita vt illud ipsum nequeat præteriri. Philosophos adiui, Medicos præstantissimos sum percunctatus, nihilq; offendi, q mihi satisfaceret: Generatim quidem id scio,tamdiu ferri humorem à natura,quamdiu potest,ac tentare expulsionem,cum scilicet amplius ferre non potest.

De variolarum euentu id sane dico, quibusdam citius, quibusdam tardius contingere, prout multa materia fuerit aut pauca: multum stimulans naturam,aut parum.Multa,& plurimum mala diutius prorogari non potest, quin eam natura expellere festinet: Pauca tardius expelletur,quia aliquando vsque ad senectutem suos affectus non edit: in qua paulatim cumulata materia, non mediocre naturæ facit negotium. Sic ego sentio de ista difficultate,quicquid alij dixerint.

Add. Ad tertiam rationem, quæ difficilis maxime à quibusdam reputatur, si vera sunt, quæ supra diximus,difficile profecto non est respondere:Si mulieres, in quibus sanguis menstruus præter naturam retinetur, in ventriculo,ac singulis partibus solidis ex alimēto olim assueto in vtero, habeant adhuc infectionem illam, & dispositionem, cuius causa in venis & gignitur,& multiplicatur consimilis sanguis; præterea sanguis retineatur menstruus contra naturam, in variolas istæ, morbillosq; incident copiosissimos,& summopere periculosos,à quibus fere vix euadent,quia causæ potentissimę sunt.Infectio scilicet contracta in vtero, & multa copia sanguinis mali in venis omnibus, virtutumq; naturalium imbecillitas longe maior, quam in pueris. Id autem verissimum esse ostendit experientia: cum ex multis mulieribus incidentibus in hunc affectum, vix paucæ euadere queant superstites,etiamsi non habeant suppressos menses.

Ex mulieribus variolis laborantibus paucæ euadere.

At si fomes ille iam semel euanuit, dico si retinentur menses, non incidere in variolas, quod in ipsis partibus desit dispositio naturam stimulans ad ebullitionem,& expurgationem reliquiarum omnium: propterea natura per aliam viam, si potest, vacuare tentat multitudinem sanguinis, vt per vomitum plerisq;, nonnullis vero per tussim.

At si non potest, sæuissima inducens symptomata,vel putrefactus febrem malignam generat, vel calore naturali extincto hydropem,vel ad superiores partes raptum habens apoplexias,syncopes,cardialgias, ac alia eiusdem generis inducit.

Neq;

Neq; etiam impossibile fuerit aliquando fieri variolas, si alia superueniat causa ebullitionem faciens in sanguine, vt malorum ciborum vsus, præsertim lactis, vino aut aliis rebus excalfacientibus permisti, vel aeris nos ambientis mala constitutio, de qua dicam postea. Etenim, vt homo semel incidit in variolas ob eam necessitatem, quam docuimus, sic bis potest in easdem incidere ob alias causas. Quam rem animaduertens Auicennas confirmat his verbis: *& multoties quidem variolatur homo duabus vicibus, quando aggregatur materia ad expellendum bis.* Quæ verba sic explanari debent. Variolæ, quæ nascuntur ex infectione sanguinis menstrui semel duntaxat inuadunt, quia natura purificat sanguinē, ac ita emendat, vt omnis mala infectio partium funditus pereat: rarum quidem, ac inauditum est, naturam non vacuare perfecte omnes reliquias: id Auerrhoes *lib. 4. suorum collectaneorum* considerans dicebat, hominem semel duntaxat incidere in variolas. Sed si quispiam semel habuerit illas, poterit denuo affici ab aliis causis facientibus ebullitionem: vt statim in principio capitis dicebat. Nam posita communi, & essentiali variolarum causa, particulares explicans, egit de infectione menstruali primo loco, postea vero addit alias causas: vt ostendat illam esse necessariam, quia scimus cur omnes homines semel in variolas cadant: Aliæ vero causæ efficiunt repetitionem: vel eisdem concurrentibus cum priori causa, malum adaugent. Satis de ista quæstione: nunc de reliquis agamus.

Ad quartam Gentilis dubitationem ex iis, quæ proxime diximus, patet solutio. Nam dum puer in vtero existens variolis afficitur, locum non habet dubitatio: quia tunc menstruo abundat sanguine, & non est totus in substantiam partis conuersus. Cum vero quæris de variolis extra vterum, dicēdum, partes corporis non efferuescere, neq; ebullire, sed præbere causam, quatenus gignitur humor in iecinore infectus eadem qualitate, vt diximus.

Causa vero ob quam statim non fiat eiuscemodi ebullitio, atq; vterum egressus est puer, censetur mihi, quod dispositio illa partium, & qualitatiua, vt sic dicam cum aliis Medicis, infectio, non sit semper tantæ virtutis, vt ad expulsionē cogat: idcirco, vt quidam pueri statim in vtero variolas patiuntur, sic quidam etiam statim atq; egressi sunt vterum, hunc morbum habent vrgente multum causa: vtplurimum tamen à principio non accidunt variolæ, sed post medietatem anni primi vsq; ad septimum frequentissime: prorogatur postea in quibusdam vsque ad iuuentutem, ac alijs ad senectutem, vt nunc accidit in muliere Patauina anno nata 65. quæ adeo plena variolis est, vt admiranda res videatur.

Porro non recte dubitat Fernelius, tum quod oportuisset non nisi semel tentari hominem variolis, tum quod omnes inuaderētur aliquando illis. Etenim si vna duntaxat ebullitionis illius foret causa, ea cessante, cessarent variolæ: sed quia causæ multæ sunt, vt retuli, deficiente vna, supplere possunt aliæ.

Dico itaque hominem non nisi semel inuadi variolis ob infectionem menstrualis sanguinis: hancq; inuasionem necessariam esse omnibus aliquo tempore: siquidem pro miraculo haberi debet, quod moriatur homo annis confectus, qui aliquando caruerit variolis: Ergo, si quis bis incidit in hunc morbum, semel incidit ob causam necessariam, secundo autem ob aliquam ex alijs occasionibus.

Michaelis Florini argumentationem Petrus Andreas Matthiolus Senensis optime quidem diluit *in libro tertio epistolarum medicinalium.* Ego vero ita breuiter satisfacio.

Menstruus sanguis, qui ad vterum descendit, quo tempore fieri debet conceptus, venenatus non est, imo vero maiori ex parte bonus: nam suppono in quatuor partes distribui, quarum omnium purissimam destinauit natura generationi fœtus assistens, pro generando parenchymate solidarum

omnium partium, & musculorum carne: cui accedit pars alia, quæ sane conceptum iam efformatum, singulisq; exornatum partibus nutrit. Tertia pars à natura pro lactis in mamillis procreatione destinatur. Quarta excrementosa & inutilis relegatur in suis membranis vsq; ad tempus parturiendi. Maior igitur pars sanguinis huius est salutaris, & bona, cum vna solum sit mala: quatenus excrementosa, inutilis naturæ, non quatenus proprie venenosa: quæ licet ita sese habeant, fieri tamen non potest, quin fœtus, dum bono sanguine nutritur, nonnihil etiam sumat illius portionis malæ, tum quia omnes partes inuicem permistæ, & confusæ sunt, tum quoniam plerumque bonus non sufficit sanguis, vt solus nutriat fœtum, quando grandior redditus est: tunc quidem mali aliquidpiam exhauriens, infici ipsum necesse est: non tamen ita, vt longo tempore ferri non possit à natura ex optimo sanguine pro maiori parte nutrita, & confirmata. Propterea statim post editum puerum vtplurimum non adueniunt variolæ, sed statuto tempore, quando scilicet illa infectio incrementum suscepit eo modo quem supra explanauimus.

Hac etiam de causa fit, quod non solum non moriuntur omnes affecti variolis, sed etiam, quod maiori ex parte sanentur sanguine ipso puriori reddito, & infectione illa sanata: excipio tamen variolas, ac morbillos pestilentes, qui multos occidunt pro natura morborum pestilentium: de quibus loquemur infra.

Quæ hic de sanguinis menstrui in quatuor partes diuisione diximus, supponenda sunt in ijs declarata, quæ de hominis generatione scripsimus.

Cap. X.

Quid differat generatio variolarum, à generatione Lepræ, quam Arabes à sanguine menstruo ducere originem scripserunt, & de opinione Alexandri Petronij Medici Romani.

POSTQVAM in hanc considerationem venimus, haud ab re fuerit nonnihil dicere de veteri dogmate Arabum, quod illi circa lepræ ortum prodiderunt.

Putant perniciosum hunc, & abominabilem affectum fieri ex menstruo sanguine: atqui variolæ etiam ex eodem gignuntur, merito igitur hic explananda est differentia affectus vtriusque.

Opinio Alzarabij. Audias primum, quid scribat Alzarabius magnæ experientiæ Medicus. Conceptus in prima die menstruorum fit leprosus anno duodecimo, vel ante: Conceptus die secundo fiet leprosus in vigesimo tertio vsque ad vigesimum quartum: Conceptus in tertia die, efficietur leprosus anno trigesimoquinto, vsque ad trigesimum sextum: Conceptus in quarta, leprosus fiet ab anno quadragesimo septimo, vsque ad quadragesimum octauum. Mira certe fuit obseruatio: quæ an in omnibus præcise respondeat, me sane fugit, vt qui nihil eiusmodi hactenus cognitum habuerim experientia: hoc tamen certo profiteri possum ex causis lepræ intimis, vnam esse, quæ à sanguine menstruo contrahitur, quandoquidem id mihi retulerunt mulieres, quæ hunc ediderunt partum non infrequenter. Inquirenda causa nunc est, cur ex vno sanguine menstruo fiant variolæ, quibus totus sanguis redditur purior, corpusque sanum fit ab omni prorsus labe immune. Et ab eodem ita inficiatur corpus, vt nunquam sanari possit, vel certe rarissime, & cum magna difficultate.

Id etiam aliquando cũ duxerit, animaduertendũ Arculanus Veronensis, in hunc modum pro dissolutione problematis, inquit. *Infectio contracta ex infectione fœtus tempore menstruationis eſt deterior, quã contracta ex mora fœtus in vtero* cum

cum sanguine menstruo, ea forte ex aliquali nutrimento eius: & similiter est valde deterior, quam infectio contracta in vtero cum sanguine menstruo. Et quia sanguis prima die menstruorum est deterior, & acutior magis, accederet ad lepram, & similiter sanguis secunda dici in comparatione ad tertiam, & sanguis tertiæ in comparatione ad quartam, cum ergo fœtus concipitur extra tempus menstruationis, concipitur ex sanguine laudabili: & quia sanguis est magis laudabilis post integram purgationem menstruorum, quam alio tempore, magis debemus elaborare ad impragnationem tempore illo scilicet perfectæ mundificationis. ac eo tempore coitum celebrare. Hæc ille, cuius afferre opinionem idcirco volui, quia nemo diligentius, ac verius, vt sentio, scripsit de hoc argumento.

Dictum enim mihi fuit in alio opere, quod triplex sit conceptionis tempus: vnum anteaquam adueniant menses; alterum cum statim erumpunt menses: tertiũ statim, atq; menses eruperũt, & optime expurgata est mulier. Maxime accommodatum tempus ad conceptionem est hoc postremum: huic proxime accedit primum: omnibus est deterius medium. Ratio est: postquam expurgata est mulier, totum corpus à sanguine excrementitio liberatum est, vterusque nihil continet mali humoris, adueniente semine, qui sanguis cum ipso statim miscetur ad faciendam genituram, malus esse nequit, iam enim ex vtero purgatus fuit, sed omnino existens bonus, carnosas partes gignit, qui vero fluit ad vterum pro hoc opere admirando hic pariter labem non continet aliquam in comparatione ad alia duo tempora, non simpliciter, siquidem impossibile est inueniri sanguinem adeo perfectum, adeo elaboratum, quod aliqua eius pars imperfecta non sit.

At vero conceptio, quæ fit anteaquam expurgatio veniat, tanto existit deterior prima, quanto à menstrua purgatione recedit, nam si proxima est noua expurgatio, cum semen in vtero genituram debet efficere, paratũ sanguinem inueniens ibi ad exitum, qui malus est, ac totus superuacaneus, quia alioquin non expelleretur, non potest tam perfectam efficere carnosi generis, & parenchymatis generationem, quam quando exacta præcessit expurgatio: de qua re neminem esse arbitror, qui dubitet.

Conceptus vero, qui fit, cum actu menses fluunt, detestandus est, ac etiam legibus prohibitus, tam sacris quam profanis.

Nam in sacris literis ita scriptum est *Ezech. 18. Vir si fuerit iustus, ad mulierẽ menstruatam non accesserit.* Et *Leuit. 18. Ad mulierem, quæ patitur menstrua, non accesseris.* Et *eodem libro cap. 20.* dicit Dominus: *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, & reuelauerit turpitudinem eius, ipsiq; aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui.* En quam aperta sit lex de euitando concubitu cum muliere menstruata: Sed cur hanc tulit legem Deus, & tanta pœna voluit affici delinquentes? quia ex hoc fœdo coitu nascuntur leprosi. vt supra ex obseruatione Alzarabij dictũ fuit: at lepra fœdissimus morbus est, maximeq; apud omnes gentes detestandus. Reuertor ad differentiam horum affectuum.

Differentia inter variolas & lepram.

Variolę fiunt ex sanguine maiori ex parte bono: lepra fit ex sanguine maiori ex parte malo: Siquidem, qui variolas pati debet ex ordine naturæ, hic quidem contrahit illas vtero existente mundo, postquam scilicet omnẽ impuritatem deposuit vel anteaquam impuritas ad vterum accedat: ex sanguine quidẽ bono, sed non ita bono, quin aliquid habeat mali, & excrementosi, quem exhaurire simul cum multo bono cogitur, vt sufficienter nutriatur. Qui vero in lepram casurus est, hic profecto ex malo sanguine statim generationem sortitus est carnium tum viscerum, tum corporis totius (à qua labe omnino immunis est alter) deinde nutrimentum sumit omnino malũ. Sic quidem ille affectum contrahit sanabilem: natura solidarum partium, & carnosi generis optime sese habente à natiuitatis principio contracta: Hic vero non sanabilem contrahit affectum, quod carnium generationem ab ortu ipso ex malo sanguine sortitus est.

Hæc, quæ de horum affectuum differentia diximus, persuadent toto cœ-

 lo aber-

lo aberrare Alexandrum Trallianum, & Petronium Romanum ciuẽ, & Medicum celebrem, qui de horum affectuum ortu longe diuersam opinionem habeat. Siquidem variolas, morbillos, leprã, elephantiasim, luem veneream, ex vtero ducere originem arbitratus est hic: in hunc modum: *Fœtus in vtero nutritur, ex alimento putrefacto, cum enim suppetat illi copiosum adeo, vt putrefieri sit necesse, puer hoc alimẽto putrido nutritur.* Huius ipsius nutrimenti putridi seminaria seruantur toto vitæ nostræ tempore, potissimũ circa ipsam cutim, & quia hæc seminaria sopita sunt, vt ille inquit, indiguerunt, aliquo impulsore, quo ad actum deducerentur, fieretq; expulsio ex meatibus cutaneis. Hic autẽ impulsor est calor putredinalis excitatus, vel ab aere, vel à contagio, vel ab aliquo in victu errore. Dat autẽ exemplũ huius rei de alimento scilicet putrido, dicẽs, hoc alimentum malum fœtui esse accommodatum, & familiare haud secus, quam aqua putris, & cœnosa ipsis ranis: quę in ea victitant, adolescunt, & ex ea generantur, ac nutriuntur: hæc quidem summatim ille dicit *libro 1. de morbo Gallico, olim Romæ impresso,* de ortu horum affectuum.

1. Ratio, refutans opinionem erroneam. Porro, quia opinio maxime erronea est, non debuit hoc loco dissimulari à nobis veram variolarum originem indagantibus.

Primo sequeretur febrem ardentem, & synochum, aut saltem aliquam ex continuis necessario præcedere generationem omnem fœtus. Etenim alimentũ hoc in venis continetur vteri, quæ, vt Galenus dicit, sunt prægrãdes, cordiq;, iecinori, ac in vniuersum toti corpori communicant. Hoc alimentũ est putridum vt ille dicit: Ergo putredo existens in venis magnis putridam continuam efficit febrẽ. Hoc argumento Galenus vtebatur, quando ex sanguine putrefacto in venis vteri dicebat gigni febrẽ synochum. Hoc autẽ non contingere in generatione fœtus, adeo certum est, quam quod certissimum.

2. Secundo sequeretur omnem fœtum statim corrumpi anteaquã ad maturitatem peruenerit, quod sic probo: *Quod tangitur à putrido, putridum fit,* si eiusdem sint generis, si putredo communis est vtriusq; passio, multoq; magis, si fit contactus iste per mutationem substantię.

Atqui fœtus nutritur sanguine putrido.

Ergo fœtus putridus fiet.

Hoc videtur à Galeno scriptum, quando *libro primo de febrium differentiis* inuestigans causas febrium putridarum ac pestilentium, asserebat illas fieri ex malo alimento, & ad putredinem parato, aut etiam putrido. Quod si ita est, cur non magis febre tentabitur puerulus in vtero matris ex hoc tam putrido alimento: minus enim ob corporis paruitatem causis morbificis potest resistere, præsertim putredini, quod humidus sit puer, & loco humido contineatur, maxima vero omnium putredo est, quæ concitatur in sanguine omnium humorũ salubertimo, vt explanaui in cõmentariis artis medicinalis.

3. Tertia ratio: *Ex eisdem nutrimur, ex quibus constamus.*

Atqui, vt Petronius inquit: *nutrimur ex sanguine putrido.*

Ergo sanguine constamus putrido.

Hoc absurdissimum esse ignorat nemo: sic enim funditus ruerent medicinæ principia. Hoc enim vnum est maximum. Fœtum generari ex sanguine purissimo. Aliud fœtum nutriri ex sanguine optimo. Aliud: Naturam semper conari, id quod melius est: ac alia huius generis subuertuntur hæc principia, & solida fundamenta ab Hippocrate primum stabilita, mox à Galeno, reliquisve Medicis confirmata.

4. 2. aphor. com. 15. Amplius, *quod generauit à principio, & nutriuit fœtum, est calidũ innatum. Ergo infantis in vtero ortus, & nutrimentũ fieri nõ potest à sanguine putrefacto.* Siquidẽ putredo est mutatio totius putrescentis substãtiæ à calore præternaturali: omniaq; à calore hoc corrumpuntur, à naturali autem & proprio cõseruantur, nutriuntur, augentur, generantur, vt Galenus dicebat *lib. 11. de meth. med. cap. 8.*

5. Præterea implicare contradictionem videtur mihi, asserere puerum in

vtero fieri ex materia putrida, ac nutriri ex eadem, tamen seminaria huius putredinis latere. Siquidem vbi adest putredo, ibi necessario adest calor alienus, ac præter naturam: huius ipsius delitescere actio non potest, cum sit vna ex qualitatibus primis, quæ maxime agant.

Dicet excitari calorem præternaturalem postea, qui naturam impellat ad motum, excitari autem à caussis externis. Sed admodum inane subterfugium est hoc: cur enim excitandus est hic calor, qui in materia putrefacta semper inest, cur non semper aget? Cur non semper iidem fient effectus, qui ab eius natura fieri debent? nullum impedimentum adest, quia materia iam suscepit putredinem: cur non fiet maior progressus putredinis materia existente humida, & multa, & in loco calido, & non difflata.

Sexta ratio: *ex eo, quod necessaria causa est interitus caloris naturalis ac proprij, necessaria fieri non potest generatio eiusdem caloris naturalis, ac proprij.*

Atqui putredo est corruptio caloris naturalis ac proprij in vno quoq; humido à calore alieno.

Ergo putredo non potest esse generatio caloris naturalis, ac proprij. Sunt enim contrariæ, putredo, & generatio.

Peripatericum hoc argumentum falsitatem ostendit huius dogmatis: quod scilicet fœtus fiat ac nutriatur ex materia putrida.

Item, sumo mihi argumentationem ex Galeni verbis *libro primo de causs. sympt. cap. 7.* vbi dicebat fœtum nutriri ex puro sanguine, quando illius aderat copia: vbi vero non tanta suppetebat copia, tunc nonnihil exhaurire mali sanguinis. Ex quibus colligo falsitatem huius opinionis, siquidem dicit in vtero fœtui præsens adesse alimentum copiosissimum: igitur semper purissimo nutrietur sanguine, donec tanta copia conseruatur alimenti: at ille vult ex copia alimenti argumentari, sanguinem fieri putridum, ac fœtum nutriri ex ipsa putredine.

Præterea quæro quæ sit caussa putredinis huius, an sanguis ipse menstruus à natura singulis mensibus genitus, & ex vtero purgandus: an vero aliquid huic ipsi sanguini adueniens.

Si dixerit, sanguinem menstruũ esse suapte natura putridũ, præterquam quod omnibus contradicet Medicis, Græcis, Arabibus, Latinis, rationem & experientiam etiam contrariam habebit.

Ratio est, quod ex sanguine putrido in venis vteri existente necessario fit febris synochus putrida, vt sentit Galenus: itaq; oporteret semper vterum gerentes dum expurgantur, hanc febrem pati: sic singulo quoq; mense inciderent in huiusmodi febrem: at experientia ostendit contrarium, nunquam febrire illas.

Si voluerit aduenire, putredinem extrinsecus: peterem, an adueniat necessario, an contingenter?

Si necessario, in omni sanguine menstruo erit putredo, quod fuit reprobatum.

Si contingenter, ergo poterit adesse, aut abesse huiusmodi putredo à sanguine menstruo.

Ponito non adesse: quid sequetur? omnem fœtum semper sanguine putrido minime nutriri: ideo nõ oportere semel affici variolis: cuius contrarium experientia docet, atq; ipsi perlibenter admittunt cum cõmuni omnium consensu. Ad hæc nihil arbitror excogitari posse absurdius similitudine, quam ipse vsurpat. Hominis scilicet generationem, & nutritionem similem facere ranis. Homo enim omnium vt est animalium perfectissimum, sic & sui ortus principium perfectissimum, & supra aliorum animalium naturam alimentum habebit præstantius: quod nulla ratione debet ranis comparari. Sed pudet me amplius versari circa hoc argumentum, quamobrem ad institutam disputationem reuertor.

CAP. XI.

Variolas ac morbillos non fuisse morbos incognitos Græcis auctoribus: rationibusq́; Hieronymi Mercurialis respondetur.

VARIOLAS ac morbillos originem non habere ex menstruo sanguine, multis argumentis persuadere conantur Medici hac nostra ætate præcipui, in quorũ numero potissimum est, quod cum semper ab ortu mundi vitium in ipsis mulieribus adfuerit sanguinis menstrui, oportuisset etiam extitisse hunc morbum ab orbis principio. Atqui dicunt, hic non adfuit semper, quia incognitus fuit omnibus ante Arabum tempora: propterea nouus morbus fuit Græcis incognitus, qui solum Arabum tempestate innotuerit: iuuat hanc ingeniosam opinionem considerare hic diligenter.

Arbitrantur non fuisse cognitum Hippocratis tempestate, quia illæ papulæ, quarum meminit *5. lib. de morb. vulgar.* in filio Euphranoris, & in Pherecide *lib. 7. epidemiorum*, non erant morbilli, eo quod illæ in octauo apparebant die, & similes erant morsibus pulicum. Morbilli autem in secundo, aut quod summum est, in tertio die apparere consueuerunt, & nullam omnino cum morsibus pulicum similitudinem habent.

Similiter etiam neque possunt ad has referri pustulas, quæ ab eodem auctore describuntur *primo de morbis vulgaribus* pueris contigisse, & ex quibus multi moriebantur ob eandem rationem, quod scilicet asserat extitisse similes morsibus pulicum.

Secundo, quia Aetius *libro quinto, cap. 129.* agit de pustulis, quæ in principio prauarum febrium contingebant: & *libro 14. cap. 63.* agens de pustulis infantium, suspicari posset ipsum variolas, & morbillos intellexisse, inquit, secus rem habere, quia erant illæ pustulæ similes morsibus pulicum, quibuscum non habent similitudinem aliquam variolæ nostræ.

Deinde illæ pustulæ desinebant in vlcera: at nostræ non desinunt in vlcera.

Tertio, quod pustulæ, de quibus *libro decimoquarto* aduenicbant in coxis mulierum, quæ non purgabantur, & aliquando pueris: at nostra tempestate frequenter adueniunt pueris: mulieribus, quæ non purgantur, nunquam. Ex iis arbitratur sese confecisse variolarum nullam factam fuisse à Græcis mentionem, quod scilicet eas minime cognouerint, vt quæ post illorum tempora apud Indos contigerunt, ideo solum Arabibus cognita ab illis diligenter tractantur. Neq; enim tractare oportet incuria prætermisisse illos morbi huius grauissimi descriptionem, cum omnino leuissimos fuerint sermone prosecuti. Hæc illorum sententia est.

Verum ego hanc admittere opinionem non possum multis quidem nominibus: atq; primum, quod si nouus hic morbus iam inuadere cœpit homines illorum Arabum tempestate, qui antea nunquam præfuit, cur illi diligentissimi alioqui scriptores, nunquam scriptis tradiderunt huiusce morbi principium, vt fieri ab omnibus solet. Lues illa venerea, quam morbum appellant Gallicum, incognita antiquis, occasionem dedit scriptoribus notificandi tempus, in quo cœpit: sic fecit Plinius de mentagra, & elephantiasi, & Cornelius Celsus: sic profecto fuisset rationi consonum, docuisse Arabes, quo tempore incœpissent variolæ.

Præterea, quod de ipsis Græcis dicunt, mihi quidem minime satisfacit. Nam etiamsi non meminerint affectus huius, id fortassis fecerunt, vel quod putarunt nullam curationem, atq; diligentiam Medici postulare, cum adueniat pueris ratione crisis cuiusdam natura iudicãte expellenteq; omnem labem contractam vitio mensium: quemadmodum hodie etiam fit, cum raro soleant vocari Medici, nisi ad corrigenda quædam symptomata illis superuenientia.

Deinde

Deinde vero fortassis etiam scribere neglexerunt. quod quæ variolæ adueniunt vitio pestilentis aeris, insequuntur febrem pestilentem, tanquam illius symptoma, vel etiam signum separatamque non videtur tunc recipere curationem debere ab ipsa causa pestilentiæ, eadem prouisione sufficiente vtrique.

Vel tertio scribere neglexerunt, quod omnia non possumus omnes: artesq; ipsæ per additamentū fiunt: idcirco Arabes, vbi defecerunt, Græci supplere voluerunt: quam ob rem leue admodum hoc argumentum videtur.

Postremo consideremus, an illi meminerint: nam fortassis aliquid inueniemus apud Hippocratem, & Galenum, quod huiusce rei fidem faciet satis conspicuum.

Exordior ab Hippocrate, scribit *lib. 7. de morb. vulg.* hanc historiam. *Tymonalli puero quasi duorum mensium exanthemata in cruribus, in coxis & lumbis, Hypochondrio, & tumores valde rubicundi. Sedatis autem his, conuulsiones, & epileptica fiebant sine febribus multis diebus, & mortuus est.* Dico hanc historiam referre variolas, quas Hippocrates vbiq; sub nomine exanthematis intelligit.

Patiebatur hic puer variolas biliosas, seu dixeris morbillos, quia erant illa tubercula valde rubicunda: sed quod fuit maxime lethale, non proruperunt in toto corpore, neq; tamdiu quantum oportebat, siquidem in cruribus solū, coxis, lumbis & ventre floruerūt: at vero reliquum corpus omnino fuit immune. quę res aperte significabat mouisse naturā humorē excrementitium ad cutem, sed non sufficienter: oportebat enim totum corpus æqualiter iis affici. Mox vero non durauit affectus, sed breuissimo temporis spatio delituit: Propterea dixit, *Sedatis autem iis:* scilicet extra oportunum tempus, quod euentus rei significauit apertissime, dicens ægrum fuisse mortuū, modus autem mortis fuit quod sine febre, quod conuulsiones & epileptica symptomata multis diebus contingentia hominem occiderint: materia scilicet petente interiores, nobilesq; particulas: hoc autem admodum peculiare est harum variolarum, quæ malignę sunt, atque non bene prodeunt quemadmodum decet.

Historia hæc videtur mihi satis dilucida, ac in rem præsentem accommodata.

Affero nunc aliam non minus, vt ego sentio, conspicuam, *In primo de morbis vulg. sect. 2.* ita scribit: *Quodcunq; autem horum violenter fiebat, celeriter corrumpebat, ac rursus nihil proderat, Exanthemata parua, & non pro dignitate excretionis morborum, ac cito rursus euanescentia.* Pro cuius intelligentia sciri velim, hic agere Hippocratem de actisia, seu indicationis difficultate, quam in maligna constitutione anni illius omnes patiebantur ægroti: non tamen eodem modo: nam quidam recidiuam habebant, quidam solutiones tardas, paulatiuas, quidam abscessus non bene iudicantes: inter quos abscessus longa oratione, ac diligenter ab Hippocrate enarratos, fuerunt exanthemata, id est, pustulæ paruæ, quæ nō apparuerunt pro dignitate excretionis morborum: vel, quod non apparebant in vniuerso corpore, vel tardius, quam oportuisset, vel apparentes delitescebant statim, euanescebantque, vt particulariter eo anno contigisse scribit: Ideo ait *ac cito rursus euanescentia:* quod signum malum erat, siquidem quod iudicare solet morbum, si non iudicat, vt alibi dicebat Hippocrates, malum prænunciant.

Hac de causa, quia exanthemata illa parua puerorum propria symptomata erant, paucis interpositis verbis dicit: *Moriebantur autem ex omnibus quidem, plurimi autem ex iis pueri iam ablactati, & maiores, octenes, decenes, & vsque ad pubertatem,* quæ verba adeo præclare ipsarum variolarum naturam repręsentant, & euentum, vt præclarius nihil possit excogitari.

Affero tertium locum: *Qui in tibia vlcus habebat & Attico vsus est: Huic exanthemata eleuata, rubra, magna. Hoc pro tussi quæ postea accessit: antea enim non in fistula ...*

verba sunt Hippocratis *libro 4. de morbis vulgaribus*, quæ nequeunt explanari alia ratione, quam de variolis: quæ quoniam duas habent differentias, quædam enim sunt latæ: quædam eleuatæ, seu acuminatæ, vt ex Hippocrate dicam, parum postea, huic ipsi contigerunt eleuatæ, rubræ ac magnæ: cui etiam tussis postea accessit, quam non habebat antea: etenim signum est variolas in calidioribus partibus, vt in thorace contingere prius, quam in partibus extimis: quemadmodum in tractatione de signis explanabo.

Quartus est ex *libro 2. epidemiorum sect. 2. cum 30.* vbi Hippocrates in historia Simonis ita loquitur. *Lata pustula non admodum pruriginosa, quales Simon hyeme habebat*, de eisdem *in aphorismis* loquitur, cum ait: *Lata pustula non admodũ pruriunt.* Galenus vero *in commentario nono* ait: *Sicut tubercula omnia duplicem habent differentiam, quoniam quadam tendunt in acumen, & altum petunt, quadam ad maiorẽ extenduntur locum, non tamẽ in altum extolluntur. Sic & pustula nonnulla sublimes, nonnulla lata sunt. Sublimiores autem pustula, atq; tubercula à calidiore humore generantur: latiores autem à frigidiore*; quę verba optime videntur repræsentare variolas, ac morbillos.

Lib. 6.

Ex istis locis arbitror Hippocrati hoc morbi genus fuisse notissimum.

Galeno etiam similiter tum ob ea, quæ proxime docuimus, tum quod scribat, *libro 5. de methodo medendi, cap. 12.* hæc verba: *Caterum qui ex pestilentia hoc vitio laborarunt, propterea mihi facile sanari videntur, quod præsiccatũ iis, prępurgatumq; totum corpus fuerit, quippe cum & vomuerint ex iis nonnulli, & omnibus venter profluxerit. Atque cum ita iam vacuati essent, qui euasuri erant, iis pustula, quas exanthemata vocant, nigra toto corpore confestim multa apparuerunt, vlcerosa quidem plurimis, omnibus certe sicca. Eratq; intuenti perspicuum reliquias esse sanguinis, qui in febre putruerat. quas veluti cinerem quempiam natura ad cutim transmisset, sicut alia ex supernacuis nonnulla tradit.* Hæc Galenus: quæ ad solas variolas, ac morbillos referri debere, meo iudicio, notissimum est. Quod si diligentius postea de eisdem non tractauerit ibi, non est vitio vertendum illi: Siquidem proprius locus tractationis huius erat post tractationem de putridis febribus, vti sese facturum promiserat, *in libro decimo, de methodo medendi, capite vltimo*, in quo pollicetur acturum de pestilentibus febribus: quod tamen præstitisse non video; caussam considerabunt alij.

Porro Aetij locus ad confirmandam opinionem nostram satis videtur illustris; nam *libro quinto, cap. 130.* agit de pustulis paruis vniuersum corpus occupantibus, tum in febribus ardentibus, tum malignis atque pestilentibus. Estque locus eo illustrior, quod ex Herodoto eam tractationem instituat, qui ætate Galeno fuit antiquior.

Admiror ego plurimum, quod dicant viri doctissimi, agere ipsum ibi de exanthematis, quæ pulicum morsibus similes inuadunt, minime vero de variolis, quasi quod morbilli & variolæ cum primum incipiunt efflorescere, nõ appareant, quo ad colorem similes morsibus illorum animalium: at postea differunt ab illis: quod morsus illi non faciunt cutem inæqualẽ at isti affectus inæqualẽ reddunt: quia tumores præter naturam euadunt: de istis agere Herodotũ hæc verba manifestũ faciunt: *Sed earũ, quæ à multũ deprauatis humoribus accenduntur in vniuerso corpore, aut in plerisq; membris apparẽt pustula parua.* Ergo, si vera hęc sunt, nõ sunt solũ maculæ, & infectiones cutaneæ: si pustulæ paruæ sunt: præterea vero cum addit: *& vlcerantur etiam, & ad carbunculorum speciem accedunt.* non possunt audiri de illis maculeis rubeis, sed necessum est de variolis intelligi, quas exulcerari, ac carbunculorum naturam sumere interdum tum ipsa docet experientia, tum etiam nos ipsi in sermonis progressu explanabimus.

Est etiam dignum consideratione, quod *libro 14. cap. 64.* idem inquit auctor de bullis, quæ infantibus accidunt in toto corpore: pro quarum sanatione vtendum esse præcipit perforatione facta, cum acu, quæ curandi

ratio

ratio & solis conuenire variolis, & maxime ex Arabum testimonio demonstrabimus loco suo.

Hactenus itaq; explicuimus Græcis, Hippocrati scilicet & Galeno, & Aetio cognitas fuisse variolas, & morbillos, de iisq; sub nomine exanthematum tractasse, ac propterea fuisse notas antiquioribus, ex quibus apparet, quomodo sit satisfaciendum secundæ rationi Mercurialis, quam contra Auicennæ sententiam affert. Nunc satisfacio reliquis.

Dicit variolas maiori ex parte contingere vitio aeris infecti ac putridi, aut propria substantia, aut ob euapotationes rerum inferiorum. Hic non admitto illud maiori ex parte: quia falsum: etenim raro contingunt hac de causa, quandoquidem aeris hic status pestilens rarus est, non frequens. Ergo statuendum aliquando contingere vitio aeris, quæ res non prohibet, quin aliis etiam de causis possint contingere.

Prudentissimi Arabes dixerunt, communem essentialemq; causam esse ebullitionem sanguinis, quę fieri potest ab aere nos ambiente è cibis ab infectione sanguinis menstrui. Ergo à sanguine quomodocunque ex calefacto fiunt variolæ: siue ebullitio illa sit corruptiua, siue perfectiua.

Neque magis concludunt, quæ supersunt diluenda: nam cum inquiunt, sanatum ex variolis non incidere in alios morbos debere, & sanatum ab acutis morbis, non posse in variolas incidere: dico neutrum insequi ex positione opinionis huius.

Non quidem primum, qui non sunt omnes, qui supra uenire possunt morbi, ex sanguine menstruo inficiente ipsas particulas vti sunt variolæ: quibus perfecte sanatis, & sanguine excrementoso consimilis naturæ infectioni contractæ in partibus, expurgato, & à natura paulatim euicta & superata infectione illa mala: de cætero non incidunt amplius in eundem morbum: ac possunt in alios incidere diuersi generis, quorum causę sint plurimum diuersæ. Neque etiam sequitur secundum, quandoquidem sanatus ab acuto morbo, non sanatur ab infectione menstruali in solidis partibus contracta. Etenim dum sic argumentarentur, debebant meminisse, vnumquemque morbum suam habere determinatam contrarietatem, vt Galenus ait, *vndecimo libro, de methodo medendi, cap. 2.*

Pro explanatione quarti argumenti dicimus, non insequi animalia bruta, quæ menses habent detineri etiam ipsas aliquando debere variolis, multa enim impedimento sunt: Primum cutis, nam in brutis adeo dura crassa, & densa est, vt variolas admittere non valeat. Homines vero habent summam illorum compatatione cutis mollitiem, ac in vtero materno maiorum sanguinis copiam. Hinc fit pueros magis, quam puellas affici, quod sint calidiores, & rariores: puellæ vero densiores, vt Hippoc. ait *6. aphor. 69.* *Cur non etiam bruta incidant in variolas.*

Deinde bruta non habent tantum sanguinem in vtero. Postremo pili, cornua, vngues, & alia multa sunt in brutis, quę in ipso homine non sunt.

Tres, inquit, modos excogitauit natura, quibus procurauit, vt fœtus sanus & incolumis nasceretur, ac viueret: membranas ambientes fœtum, intestinorū capacitatem, & capitis externę affectiones variæ. Frustra igitur alium modum tentasse dicimus, si isti tres sunt in hoc opere sufficientes.

Respondeo, naturam quartum etiam modum effecisse præseruationis huius, nempe cutaneos meatus maxime necessarium: quo infectio relicta in carnibus ipsis suo tempore expurgari possit, quæ non poterat sanari aliquo ex tribus modis. Nam membranæ illæ recipiunt sanguinē omnino malum & corruptum, qui nullam vtilitatem afferre poterat corpori non possunt illę aliquid proficere infectioni, quam sanguis semimalus genuit mistus cum multo & optimo in genere carnoso omni.

Secundo neq; per intestina id fieri accommdate potuit, siquidē papauerculū, illud scil. mucosum excrementum, ac nigrū, q; exeunti fœtui ex vtero

In sto-

in ſtomacho remanſit, commodiſſima via educitur per aluum, per quam nõ poſſe remoueri relictam infectionem certo certius eſt.

Poſtremus modus fuit etiam huic operi inutilis: quia non in ſolo capite, ſed in omnibus carnibus continebatur hæc infectio menſtrualis: ergo debebat ex omnibus partibus remoueri, nulla vero fuit via magis conueniens, quam ſuperficies corporis tam interna quam externa: ſic enim æqualiter totum corpus ab hoc inquinamento redditur liberum.

Cap. XII.

Impugnatio opinionis Fernelij, & Mercurialis de variolarum cauſa.

POSTQVAM hucuſq; veterem ſapientiſſimorum Arabum opinionem tutati ſumus, anteaquam ad aliarum cauſarum explanationẽ noſtra ſeſe transferat oratio, docere decreuimus, quid alii opinati ſint: atque primum de opinione Ioan. Fern. & Mercur. tranſigam, quod ſint quadamtenus ſimiles.

Opinio Fernelii. Fernelius igitur opinatur omnium variolarum cauſam è ſublimi ducere originem, nempe ab ipſo aere à tota ſubſtantia, ſeu à proprietate occulta in nobis agente: hancq; ſolam eſſe, & immediatam cauſam. Huius opinionis multas profert rationes, quarum ſumma hoc modo habet.

1. Ratio. Primum, *Si ex ipſa efferueſcentia, & ebullitione ſanguinis contingerent variolæ, ſolum quidem calidis temporibus inuaderent, minime frigidis: Atqui obſeruatum eſt illas non ſolum æſtate vagari in populum, ſed etiam hyeme*, vt anno 1572. contigiſſe in Cingulanis montibus animaduerti: *Idcirco accidunt ex occulta malefici aeris qualitate.*

2. Præterea quod annos complures ſileant, & certis annorum interuallis ſæuiant in plebem, vt anno 1536. & 1542. at ſi non haberent originem ex cæca aeris pernicie, idquidem contingere non poſſet.

3. Addit rem habere in variolis, vt in carbunculo, & bubone peſtilentibus: nam hi contingunt ex aeris malignitate, vt potiſſimum contingit in peſtilentia, ſic etiam variolæ generabuntur ex eodem aere, malaque conſtitutione cœli.

Differunt autem, quod longe maior pernicies aeris facit carbunculos, & bubones, mitiori exiſtente, ex qua fiant exanthemata & ecthymata.

Cur magis accidant infantibus. Cauſa vero, cur magis infantibus, ac pueris familiaria ſint, aliam non eſſe exiſtimat, quam quod firmior ætas, & adultior tantulis malis nõ laceſſitur, niſi cum forte conſtitutio grauior inuaſerit.

4. Idem præterea confirmat ex ipſorum morborum deſcriptione, & figura: In cute ij quidem efloreſcunt, non ex ambientis contactu, ſed ex inſpiratu, quo vt cor afflatum, delibutumq; fuerit, ipſo ſtatim initio vniuerſum corpus, maxime vero caput ingraueſcit: hoc etiam plerumq; dolore concutitur, oculi tument, & illachrymantur, facies quaſi inflammata rubeſcit, vox rauceſcit, ſpiritus crebrior, ac difficilior euadit, pulſus creber, ac celer nuntius febris. Malo deinde ingraueſcente venenum ex humoribus die tertio, aut quarto foras proſilit, & in cute efloreſcens mali ſpeciem detegit. Tandem compreſſo furore ſoluta aluus humorum, qui contaminati fuerunt reliquias criſi expurgat. His ita apparentibus, nullum tamen putredinis ſignum in vrinis cernitur, argumentum, eos venenata qualitate vitium, corporiſque noſtri totam ſubſtantiam demoliri.

5. Hoc etiam morborum fœditas teſtatur, tam deformis aliquando viſa vt obcæcatis oculis vniuerſa cutis in ſquamas fœtidas, & in cruſtas ingentes ſolueretur, corpus omne non aliter contabeſceret, & macie, nigroreq; torreretur, quam ſi menſes quatuor è furca pependiſſet: neque vero ſolius cutis hæc vitia, verum etiam omnium internorum, muſculorum, viſcerum, ſolidarumq;

[illegible]darumque partium omnes prius quam cutis labefactatæ: cum non raro visum sit prægnantes fœtum edidisse variolis istis refertum. Hęc equidem omnia eidem faciunt variolarum venenatam esse causam, atque ab ipso cœlo ducere originē: ita Fernelius elegantissime de hoc argumento disputat.

Hieronymus vero Mercurialis cum Fernelio consentire videtur, quod variolarum generatio ab ipsius aeris ambientis iniuria proficiscatur: si de prima ipsorum origine sermo fiat.

Nam cum morbus exstiterit nouus alto silentio à Græcis auctoribus præteritus, cum prius facere cœpit negotium, oportere hūc vel à mutatione victus, vel à contagio, vel ab aere principium habuisse suum: ipse putat, solum factas fuisse vitio cœli, & aeris, quod Arabes Medici, quorum tempestate hic morbus incepit, dixerūt variolas fieri in pestilenti aere, imo quidam pestem esse contendant. Atq; in hac re cum Fernelio illi fere conuenit.

Dissentit autem, quod velit hunc affectum propagari in filios ab ipsis parentibus: nā qui primi hunc susceperunt morbum, communicarunt ipsum mediante semine filijs suis, & isti alijs: atq; ita factum est, vt omnes semel in vita variolis prehendantur, quasi detenti hereditate quadam paterna.

Multa prętetea addit de morbis hęreditariis ex Hippocrate, & Plutarcho, de modo generationis variolarum, quæ hic prætermittenda sunt, tum quia parum huic tractationi conferunt, tum quia in superioribus diligenter fuerunt, explanata.

Iam vero Fernelij opinionem multa sunt quæ falsam esse ostendunt, atq; primum, quod ille opinetur omnes variolas ab aere venefico fieri, siquidem quod quibusdam in particulari conuenit, id sane non est tribuendum omnibus: communis est omniū Arabum sententia, variolas aliquando fieri ab aere coinquinato, & pestilenti: propterea Auicennas post tractationem pestilentialium febrium, statim egit de variolis: de qua re ita loquutus est statim *in principio capitis: Et corpori res extrinsecus aduenientes venefica, est in causa, vt fiat ebullitio corruptiua sanguinis.* Dixit causam extrinsecus aduenientem, quoniam de causa interna essentiali egit supra, cum dixit, esse ebullitionem sanguinis: additq; aliā internam, nempe infectionem à sanguine menstruo: Aer coinquinatus extrinsecus accedens facit ebullitionem in sanguine corruptiuā: quia ab aliis causis non fit corruptiua ebullitio, sed perfectiua vt dictum fuit. *Refutatio Fernelii.*

Hanc causam appellat veneficam, non quod proprie sit venenata, sed quod habeat similitudinem cum veneno corruptiuo. Igitur hęc particularis est causa, non communis omnium.

Præterea experientia ostendit falsitatem opinionis huius: etenim singulis annis pueri patiuntur variolas. Possum ego testari, in omni anno operā pręstitisse meā pueris variolas patientibus, neminemq; arbitror in artis operibus exercitatū, qui id nō cognoscat: at si variolę semper haberent suū principiū ex aere sic infecto, equidē sequeretur semper aerem putrefactū, & pestilentē esse, semperq; vagari pestem, omnesq; variolas esse pestiferas & malignas: q adeo falsa sunt, vt refellere superuacaneū, indignumq; videatur mihi.

Amplius veneficus & pestilens cœli status maximā habet agendi vim, cum totam substantiam alteret, & corrumpat nostri corporis, cur igitur cū tantæ actiuitatis existat, non ęque afficit iuuenes variolis, atq; pueros?

Respondet Fernelius id contigisse, quod puerorū corpora sint imbecilliora aer vero veneficus cum non habeat æqualem agendi potestatem, quam habet vere pestilens, pueros magis, quam senes afficit. Probabilis responsio licet videatur, tamē experientia redarguitur, quod senes ipsos rarissime pati variolas videamus quorum corpora sunt imbecilliora, quā puerorū: præterea pueri puellis minus forent obnoxij huic morbo: at docet experientia, vt supra dicebamus, pueros magis obnoxios esse variolis, quam puellas: harum tamen corpora imbecilliora esse constat. Rationibus autem illius ita respondeo. *Respons. ad rationes Fernel.*

Vario-

Variolę cœli statu contingentes pestifero, omni tempore generari possunt tam calido, quam frigido. Sed quæ aliis de causis fiunt, vt plurimum vere, autumno, æstate: hyeme autem rarissime fiunt: Siquidē licet frigidum sit anni tempus ebullitioni parum idoneum ab extrinseco, potest nihilominus corpus ab intrinseco ita præparatum esse, vt humores omnes ebulliant.

Ad secundum dico variolas aliquando vagari per plures ciuitates, & prouincias interdum integras: at vero interdum in vna domo accidunt, aut etiam pluribus ciuitatis vnius: vt illæ communem causam habent: ita istę particulari, ac propria de causa fiunt: Ergo variolæ sunt vulgares morbi, ac interdum sporadici.

Quod de carbunculo, & bubone dicit, omnino conuincit Fernelium: siquidem, vt quotidie videmus carbunculos citra pestilentiam contingere, atq; bubones ipsos: sic etiam variolę fient sine pestilenti aeris statu. Quamobrem non semper carbunculus, & bubo causam vniuersalem habent.

Quæ pro confirmatione de modo generationis variolarum habet, non persuadent fieri à cœlo magis, aereq; inquinato quam generatim ex efferuescentia & ebullitione sanguinis. Siquidem si posuerim ea symptomata nasci ab aere veneнato, vt ille putat, cum in pestilenti constitutione sit longe deterior, vt ipse etiam scribit, deberent necessario cōuenire eadem symptomata, imo vero longe deteriora: quod tamen repugnat experientię quotidianæ.

Quod vrinæ nullā putredinem ostendant duplici de causa fieri potest: vna quod putredo nō adsit aliqua cum eiusc emodi variolæ gignuntur, vt demonstratum mihi fuit supra: Alia vero quod licet corruptiua adsit putredo, eam tamen ipsam natura 3. aut 4. die incipiat expellere per cutaneos meatus, fiatque expulsio ex ipsis venis: ideo materia putredine affecta per vrinarios meatus non deducitur. Ob has causas ex vrina nullum sumitur indicium putredinis: nō autem, quod materia ipsa ebulliat solum vitio ambientis nos aeris. Hac ratione in multis morbis conspiciuntur vrinæ similes corporibus sanis: imo vero in pestilenti febre, vt Galenus *libro tertio de præsagione ex pulsibus commemorat*. Quod deniq; addit de summa turpitudine corporis, atq; deformitate cum priuentur oculis plerique, & horribiles aspectui appareant, nigri ceu ab igne exusti, id manifestas causas habens, non debet ad occultas reduci: quales vero sint hæ causæ explanabimus parum infra, cum de differentiis variolarum differemus, atq; signis. Hæc aduersus Ioannis Fernelij sententiam dicta mihi sufficiant.

Refutatio Mercurialis. Porro quod pertinet ad opinionem Hieronymi Mercurialis, multa etiam sunt quæ illam arguunt: quorum potissima sunt hæc.

Primum duo cum sint instrumenta, quibus recte inuentis fidem facimus, ratio, scil. & experientia, hæc opinio neq; rationem, neq; experientiam habet adminiculatricem: quod si auctoritate fuisset celebris confirmata Medici, fortassis foret ferenda; siquidem cum nequeāt illa præstare aliquid, nonnihil facit auctoritas: sed hac etiā ipsa caret opinio. Ecce nunc ostendo rem sic habere. Causa exponi debet, cur homines semel debeant necessitate quadam naturæ incurrere in variolas: hoc enim est, quod inquirebatur.

Ponamus hodie incepisse, quæ antea non fuerint, vitio aeris: Inquiro, an omnibus vtriusq; sexus, & cuiuscunq; ætatis molestæ fuerint, cum primū inuaserunt, an quibusdam.

Omnibus dici non potest quia actio non fit nisi in passum bene dispositum: impossibile autem censeri debent habuisse omnes eandem dispositionem, sic enim argumentabatur Hippocrates, vt ostenderet, omnes ex communi pestilentiæ causa non affici peste, neq; mori. Sic Galenus etiam *1. de feb. diff.* confirmat. Quidam igitur euaserunt immunes ab illius causæ impetu.

Atqui etiam ex suppositione affici deberent variolis: verum causam non habent: igitur non afficientur, quod quidem esse contra omnem experientiam constat.

Non

Non habere causam hinc collige, quod in istis hæreditarius esse non potest morbus.siquidē filij,qui generabuntur ab istis,ex patre sano nati sunt.

Amplius considero dispositionem passi, & quæro, quænam sit hæc dispositio,qua duce generantur variolæ statuto tempore in omnibus,aut hodie magis in Platone,quam in Socrate:hanc profecto noscere oportet:siquidem eius ipsius ablatio morbi præseruatio est,anteaquā incurrat, & curatio postquam inuasit.Non explicat ille, quę sit.

Ego autem sic inquam: Non est aliqua mala temperies corporis, quia similiter non inest in omnibus.

Non humorum excessus,quia non sunt omnes æqualiter in eisdem corporibus:quidam enim hoc,quidam illo abundant.

Non est aliquod in compositione vitium,siquidem variolæ gibbos inuadunt,& rectos,bene ac male conformatos, vt summatim dicam.

Denique dicendum non est abditam esse,& cœcam dispositionem. Etenim vbi manifestę haberi possunt causæ,non est ad occultas confugiendū.

Quoniam igitur communis effectus est,à communi causa proficiscens, aliam inuenire præparationem internam licebit, si commune omnium alimentum,quo in vtero fruuntur excipias.

Præterea agens causa non exiguas difficultates habet: hunc aerem esse dixit: sed qui vitium aeris dicit, & non exponit eius differentiam, ac speciem, nihil docet.

Quod igitur quæso fuit hoc vitium in aere,quod tam publicum gignere morbum potuit: ex manifestis alterationibus, quæ fiunt à qualitatibus primis nulla?

Fortasse dicet, alterationem totius substantiæ aeris effecisse rationi consonum id visum fuit Fernelio, sed huic viro doctissimo non videtur,neque arridet mihi. Siquidem aer totius substantiæ proprietate infensus nobis, vel à rebus inferioribus, vel à superioribus ducit originem: à quibus putrefit,&inquinatur,vt 1.*lib.tractationis huius* dictum mihi fuit:atqui hoc vitium pestilentiam infert,vide,quomodo nolēs incidat in opinionem Fernelij. Item omnis morbus hæreditarius fit à semine, à quo in singulis partibus, dispositiones quædam gignuntur, præparatoriæ ad illius ortum. atqui variolæ huiusmodi non sunt. Addo nullum morbum esse hereditarium, qui fit ab aere, quod ipsa experientia manifestum facit: alioquin omnes morbi vulgares, omnes vere pestilentes forent hæreditarij, quod adeo falsum est, quam quod falsissimum.

Deinde sic insto ex iis,quæ omnium iudicio verissima sunt.

Variolæ solent vt plurimum semel duntaxat inuadere, vt norunt omnes atque nos docuimus loco suo, cuius euentus alia profecto causa non est, nisi quod omnis fomes mali huius,omnis dispositio ad facile patiendum, & incurrendum in variolas,vacuatione illa sensibilis facta per omnem superficiē corporis, prorsus dissolutus est:vnde igitur pater, qui à pueritia expurgauit omne inquinamentum,contraxit vim inferendi consimilem dispositionem in filio?quæ reliquiæ in semine,& in sanguine contineri possunt procreatrices hæreditatis huiusce pessimæ?

Dicet. Vitio hoc tentatos fuisse parentes omnes.

Ego vero demonstraui omnes non fuisse tentatos, sed quosdam. Ideo addit paucis interpositis verbis,*vel fere omnes*. Ego non quidem fere omnes, sed eos duntaxat,qui dispositi erant ad huiusçemodi morbum:at esto [illegible] ati fuerint omnes:hinc sequitur,communicari à parentibus,vt ille puta[illegible] vt ego sentio,non sequitur. Quia postquam tentatus quispiam est va[illegible] semel,& perfecte expurgata sunt naturæ iudicio,ac artis ministerio [illegible] omnes,nihil superest ipso in corpore cōmunicandum fil[illegible]is med [illegible]

Neq; videtur mihi accommodata huic proposito macrocæ [illegible]

militudo: de qua ita scribit: *Id enim perinde accidit, vt id, quod scripsit Hippocrates in libro de aquis, aere & locis de macrocaphalis Indiæ populis, nam primum gens illa arte & studio cœpit infantibus capita oblonga facere, vnde cum parentes eiuscemodi capitibus prædití essent, factum est, vt filij ab ipsis similes sint geniti, adeo vt proprietate paterna tota illa gens facta sit macrocaphala. Sic propemodũ contingit in variolis & morbillis, hic morbus vitio cœli omnes tentauit, aut fere omnes, qui deinceps hanc proprietatem paternam in filiis inferentes non est mirũ, si longe, lateq; malum propagarint, & hæc proprietas facta sit non solum promiscue, sed etiam naturalis.* Hæc ille. Qui sane quod attinet ad macrocephalorum generationem, recte dicit. Id enim artificium, quod in omnibus recenter natis, adhibebant obstetrices, necessario mutatus fuit in naturam, vt ibidem docuit Hippocrates.

Causa vero necessitatis huius fuit, quod si semen ex omnibus partibus decidit, efformaturum hominem, decidet etiam ex singulis partibus capitis efformatis à primo ortu, anteaquam scilicet seminis generandi aliquam haberent potestatem.

Velim, vt hæc ipsa ad variolas applicarentur, siquidem nequeunt aliqua ex parte respondere istis.

Dispositio erat in ipso corpore in macrocæphalis, at in iis, qui variolas passi fuerunt, nulla prorsus in corpore dispositio huiusmodi relinquitur. In illis præcessit generatrix dispositio seminis partium scilicet constitutio. In istis nulla præcessit necessaria dispositio ad variolarum ortum.

Postremo libenter scirem, quid sit illa paterna proprietas, quæ postquam à variolis semel recte expurgatus est homo, relinquatur in corpore patris generatiua seminis producentis hunc morbum. Dicet (opinor) occultam esse, & cæcam, quandam vim vitio aeris ingenitam. Sed hoc fictitium esse, ac imaginarium, nemo nescit: Etenim ista non durat post expurgationem, vt concedam cum Fernelio generari à cœlo, dum fiunt variolæ.

Deinde si relinquitur hic fomes, nemo è variolis perfecte sanaretur.

Amplius idem homo non modo semel, sed bis, ter ac singulo quoq; anno inciderent necessario in hunc morbum, quod causam ipsius intus gestet.

At si voluerit manifestam esse huiusmodi proprietatem, explicare debet, quę sit, vt possit beneficio artis remoueri, sed vt prædiximus, aliquam docere non poterit, quę necessaria sit causa productionis huius. Sed de hoc argumento satis.

Cap. XIII.

Opinio authoris libri de Peste, qui sub nomine Rhasis circumfertur, atq; eius'd in opinionis reprobatio.

LIBER extat sub nomine Rhasis Græce editus Lutetię Parisiorũ, cuius titulus est περὶ λοιμοῦ, id est, de peste, quem primus omnium Latinitate donauit Georgius Valta, deinde Andernacus, postremo Nicolaus Machellus Mutinensis. Hic auctor potissimum agit eo in libro de variolis, ac morbillis: quos affectus præterquam quod communi voce, pestẽ appellat, particulariter tamen vocat incendium, seu inflammationem: quam sua lingua arabice vocat Thaspe, qui vero traduxit librum è syriaca lingua in Græcam, εὐφλυγίαν dixit, noua fortassis inter Græcos appellatione vsus. Incendium hoc complectitur variolas, & morbillos, dicitq; hos ipsos vnam speciem pestis constituere. Etenim duas ille facit differentias: quarum vnam esse hoc incendium: aliam vero, quæ ex aere putredinoso, & maligno procreatur: maxime vero proprie pestilentem morbum indicare videtur sub nomine incendij: quod statim ille in principio sui operis, ita scribat: *Ob has causas singuli fere homines à pestilenti morbo capiuntur.*

Est autem certissimum intelligi hæc non posse de pestilenti febre, aut morbis ab aere putrido, & maligno procreatis quia singuli fere homines variolis & morbillis afficiuntur, vt experientia docet, atq; nos docuimus supra, hicq; auctor luculenta demonstratione exponit.

Hic

Hic igitur Rhases variolarum,& morbillorum causas explanaturus exorditur ab eo principio, quod ex communi omniũ notione constat esse verissimum, singulos homines pestilenti hoc morbo semel necessario affici: ac huius euidentissimi effectus causas inuestigans, vniuersalissimam proponit, maximeq; necessariam: ea causa est mutatio ætatis à pueritia in senectutem, ab humiditate in siccitatem: quam mutationem, quia euitare nemo potest neminem etiam euitare posse variolas, & morbillos cõtendit. Siquidem sanguis infantium natura multo humidior est, quam iuuenum sanguis, adhuc vero quam senum humilior multo, imo etiam copiosam caliditatem est adeptus: id quod etiam Galenus dixit in expositionibus aphorismorum. *Caliditas* (inquit) *in pueris, quam in iuuenibus quantitate est maior, in iuuenibus autem vehementior est qualitate.* Opinatur sanguinem puerorum, ac infantium similem esse musto, quod nondum coqui cœperit, non quod coctionem habeat ad perfectionem accedentem, imo quod nondum coctionis principiũ habeat. Iuuenum autem similis est musto, q̃ iam ferbuerit, & flatus emiserit, quodq; à statu interiore sit immutatum, & iam admodum multum efflauerit excrementi vaparosi: quale nimirum est vinum concoctum, & mansuefactum: quodque iam statim absolutum occuparit. At senum sanguis similis est vino, quod vehementiam iam expirarit, abieceritque, quodq; eo peruenit, vt iam iam refrigeretur, & acescat. Tunc vero pestilens morbus constar, quando sane sanguis putrescit, & eo vsque feruescit, vt iam vaporosa & cœnosa expiret excrementa; imo cum sanguis ex infantili & musto simili ad iuuenum sanguinem immutetur, similem quidem vino iam concocto; & pestilens ipse morbus per se feruori & ebullitioni est similis, quæ nimirũ in mustis accidit feruoris tempore, & ob id omnes fere, à tali morbo capiuntur, & magis mares, quoniam sanguis ob necessitatem à priore statu ad secundum mutatur, sicut ob necessitatem musta ad statum, qui ebullitionem, & feruorem sequitur, immutantur. Vixq; inuenire possis temperamentum infantis, puerique, quod tempore, & paulatim, & ordine immutetur adeo, vt manifestentur in sanguine feruor, & immutatio in tempore, & paulatim.

Quamobrem eiuscemodi temperaturam, quæ consequitur ad eum modum, immutatam, frigidam, & siccam esse oportet.

Temperatura vero puerorum hisce contraria est calida & humida: propterea huic ebullitioni subitæ maxime accommodata est.

Verum mutatio in morbo fit quodammodo iuxta temperaturarũ differentias, & viuendi formas, & aerem ambientẽ, & habitũ corporis, & conditionẽ sanguinis, qui est in venis in qualitate, & quantitate, & ob id præoccupat in quibusdã, in quibusdam tardat, in quibusdã augetur, minuitur in quibusdã, & in quibusdam admodũ est qualitate malus, & mitior in quibusdam.

Verum iuuenes, quoniam ad secundum statũ, iam immutatus est ipsorum sanguis, & coctio ipsius iam complementum est adepta, & humiditatis huius status, cui putredo substat, perspirauit, raro in ipsos grassatur morbus. In eos igitur irruit, qui in venis vel superfluam humiditatem, vel qualitatem malignam, atq; perustam habent, vel in eos quidem, qui in puerili ætate leuiter à pestilenti morbo capti sanguinẽ non exacte ad integram absolutionem mutauere. Irruit vero & in eos, qui caliditatem hebetem, ac sedatam habẽt, sed iuuenes effecti ea viuendi forma vtuntur, quæ multam carnem accumulat, vel quæ implet, & sanguinem corrumpit. Senes vero nõ accidit hoc morbo capi, nisi in pestilentibus cõstitutionibus aeris & maligni, in quibus morbus eiuscemodi in populum admodum grassari consueuit. Hæc summatim ille de hac materia scripsit.

Hæc opinio non satisfacit mihi multis de causis. *Refutatio.*

Primum vero admittere non possum, quod causam quærens, ob quam singuli homines aliquando variolas patiantur, dicit aliam non esse, q̃ muta-

tionem ætatis, quod corpus à principio generationis ad extremam vsque senectã continuo exiccetur. Non satis bene percipio, quomodo id possit contingere. *Omnis mutatio, quæ fit per ætatum successionem, naturalis iucunda & sine sensu doloris est: Variolæ vero nunquam fiunt secundum naturam:*

Non igitur fieri possunt à mutatione ætatum. Siquidem quæ ex pestilenti cœli statu contingunt, omnino sunt præternaturã: quæ ex contagione inuadunt, de qua dicam infra, natutales dici non possunt: imo neq; ab aliis causis procreatę cuiusmodi merentur nomen, licet ex ipsis perficiatur aliquando sanguis puriorq; reddatur: quia omnes molestæ sunt iniucũdę, dolorificę, mortales quidẽ prorsus, quas inuexit pestilentia, aliæ vero neq; omnino salubres. Vrget præterea hanc opinionem. *Quod nulla mutatio successiua ætatis subito, ac violenter fit. At omnes variolæ, & morbilli subito ac violenter fiunt:* cum natura stimulata & à causis morbificis plurimum agitata crisin faciat, quæ proprie subita mutatio est ad salutem, aut mortem. *Nunquam igitur variolæ fiunt, necessario mutatione ætatis.* Præterea omnes variolæ pendent tanquam à causa essentiali à sanguinis ebullitione, & efferuescentia: atqui nulla mutatione ætatum fit efferuescentia ista sanguinis. Quod ex eo patet esse verissimum, quod ebullitio sanguinis necessario supponit affectũ præternaturam, affectum scilicet igneum calorem, qualis febrilis est, generantem; imo vero fit febris, vt supra diximus, magna, & calidissima, cuiusmodi est synochus.

Miror ego, quod ille auctor scripserit in hunc modum. Sanguinem ex necessitate mutari ad ebullitionem, vt mustum ipsum ex necessitate ebullit, vt perficiatur. Siquidem si per ebullitionẽ intelligat concoctionem, qua sanguis ex chylo fit in iecinore elaboratus, quæ actio naturæ ebullitioni cuiusdam per quã similis est rectissime id ab eo dictum fuit: quia in iecinore quotidie ebullit chylus, quotidie mutatio fit in sanguinẽ, & quotidie fit illius segregatio ab excrementitiis humoribus. At profecto hæc non est ebullitio, & feruor sanguinis, à quo fiunt variolę, sed quidpiam longe diuersum, quemadmodum cõstat. Quod ergo semel in musto fit, id quotidie fit in sanguine, non eadem vehemẽtia, sed eadẽ proportione, & causa. Consideremus modo ebullitionem, à qua fit primum synochus febris, mox erumpũt variolę, quis vnquam arbitrabitur, hanc ebullitionẽ fore necessariã: quis iudicabit hanc ebullitionem necessario mutare sanguinem ad alienum statum? Similitudo quidem eadem, quæ in musto, necessitas vero non eadem. In illo absoluta est. In hoc autem conditionalis. Efferuescit sanguis in singulis hominibus vt plurimum semel, quia causa adest præternaturam impellens naturam ad eiuscemodi ebullitionem faciendam: nempe sanguis conditionis malæ genitus à dispositione sanguinis menstrui in carnosis partibus genita.

Amplius non videtur ista doctrina conformis cum illa, q̃ tractat Rhases *in lib. 18 sui continentis c. 8* Ibi enim docet duas species existere horũ affectuum, quarum vnã variolas vocat: aliã vero blaccias sua voce: vtriusq; causas efferuescẽtiam sanguinis esse dicit, sed inuicem differre, quod variolę à sanguine frigidiori, & humidiori: blacciæ vero à flaua bile sanguine mixta fiant: at ille traductor, quisquis fuerit, duas istas species non exacte distinguit inter se, vocans vtramq; sub nomine incendii. Addo, quod ibi Rhasis nunquam dixit, fieri à mutatione facta per ætatum successionem. Deinde, quod in curatione nõnihil etiam differre videantur. Quamobrem factum fuit, vt ego aliquãdo putauerim, aut eundẽ fuisse auctorem continentis, ac libri de peste: quamuis vterq; eodem nomine fuerit appellatus: aut si vterq; liber eiusdem est auctoris, quod ille traductor græcus non scripserit omnia, quæ à Rhase in continente dicuntur de hoc morbo: sed summa quædam capita ac quædam ẽt ex ingenio addiderit, quæ nunquam somniauit Rhases: vtcunq; res habeat, volui meam hic afferre opinionem de auctore huius libri, vt aliis occasionem præberem iudicandi, quanti fieri debeat.

Blaccia.

CAR.

CAP. XIV.

De causis externis variolarum, & morbillorum.

PORRO fiunt variolę & morbilli ex concursu extrinsecarum causarum, quę ipso in sanguine efferuescentiam, putredinem, atque summam interdum corruptelam efficiunt.

Sunt autem eius genesis multæ, de quibus sigillatim & breuiter incipiamus ab aere, vt ab vniuersaliori causa facto principio.

Hic sane duplici nomine hasce infectiones creat, tum quidem quatenus à mala quapiam syderum constitutione labefactatus est, tum quatenus manifestis qualitatibus noxam infert. *Aer.*

Concedemus libentissime recentioribus & elegantissimis Medicis variolas prodire ab aere cœlitus coinquinato, quales potissimum existere dicebamus illas, quæ pestilentiam antecedunt, & consequuntur. At vero profiteri omnium solam hanc esse originem, est sane dictum contra omnem experientiam, cum neminem esse sciam, qui frequentissime citra malum hoc inquinamentum pueris variolas contigisse, non cognoscat.

Qualis sit mala hæc syderum constitutio petendum est à rerum cœlestium Professoribus, ita enim facilius paratis corporibus fieri poterit accommodata præseruatio, ante quam affectus sæuiat in omnes.

Qui vero hac prouidentia destituuntur, iis saltem vtile ac necessarium est procurare, quo minus sæuiat ea methodo, quam superioribus libris tradidimus.

Hoc tamen generatim statuendum, qualiscunque sit huiusmodi constitutio effectum conspicuum, in corporibus fieri conspicuum, nempe efferuescentiam & putredinem, licet id necessario non fiat in aere. *Cœli statu.*

Pręterea calidus & humidus cœli status, qualis potissimum contingere consueuit anno in totum à ventis silente, vel austris longo tempore perflantibus ad ebullitionem in sanguine faciendam non mediocriter conferre apud omnes constat, ideoque tunc præsertim plurimum vigere variolas obseruamus.

Cibi etiam, ac potus satis insigniter disponunt ad hanc rem. *Cibus & potus*

Si enim quispiam cibis vtatur putrescibilibus, quales sunt horarij, si lacte, si denique aromatibus vtatur simul, vinumque generosum biberit, omnes congeret & ebullitionis, & putredinis causas.

Alimenta siquidem materiam efficiunt putrescibilem, alia vero calorem præternaturam generant.

Sunt etiam maxime dispositi ad hanc rem, qui frequenter vtuntur balneis, & laconicis (aerem balniei vocant, seu hypocaustum, nos autem vulgo stuffam dicimus) meatus enim dilatando, & igneum venis calorem impertiendo, humores putredini faciunt dispositos. Hæc autem omnibus fere accidunt. *Balnea.*

Propriæ vero causæ sunt, particularis constitutio aeris, & fomes contagionis. *Causæ propriæ.*

Particularem appello constitutionem, quæ aduenit in ea domo, in qua ægrotus habitat, namque tum ex anhelitu ægroti, tum ex euaporatione ex cutaneis partibus affectis, quæ plerumque admodum fœtentem vaporem emittunt, aer, quantumuis bonus, & inculpatus, coinquinari ita solet, vt facile sufficiat alios eiusdem præsertim familiæ, vel qui analogam cum ægrotis naturam habent: Frequens hæc causa facit variolas serpere in omnes fere eiusdem familiæ pueros.

Neque raro etiam contingit ex contactu, & fomite coinquinationem, & contagium fieri.

Fomes quidem seminaria conseruat putredinis, quę calido postea a-

 gente

gente consimilem affectum generant in alio, quemadmodum docuimus in iis, quæ de contagione scripsimus.

Cæterum si anni tempora, quæ ab aere afficiuntur, consideremus, vere frequentius adueniunt, quam autumno. Siquidem ver calidum humidumq; statuitur ebullitioni idoneum, & fusioni ipsorum humorum ob hyemis frigus intus existentium: solentque tunc à principibus partibus ad cutaneas transmitti humores à valida natura. Autumno autem non ita frequentes fiunt, quod refrigerantur, adstringunturq; corpora longe magis, quam vere. Est igitur rationi consonum duo hæc tempora esse ad variolas accommodatissima: sic testatur experientia, authoresq; prestantissimi.

Dubium. Dubitabit autem non ab re hoc loco aliquis, cur magis autumno, quam æstate accidant variolæ, si magis æstate, quam autumno calor viget?

Responderem, quod quamuis æstiuo tempore calor magis vigeat, perflatio tamen humorum maior fit, tum quod meatus magis aperti sunt, tum quod virtus validior. Atq; hæc de causis externis volui dixisse.

Cap. XV.

De morbillorum natura.

Quomodo cum variolis conueniant. VIDEOR hactenus de variolarum natura, si non omnia, præcipua tamen rerum capita explicasse, ex quibus alia, quæ fortasse quispiam desideraret, facile elucescent. Nunc igitur de morbillis breuiter. Morbilli igitur in communi natura cum variolis conueniunt: siquidem pustulę sunt, ab humorũ calidorum efferuescentia, & putredine procreatæ à natura sanguinem expurgãte, quemadmodũ in principio diximus libri huius. At vero differunt inuicem in particulari natura.

Quomodo à variolis differant.

1. Primum forma, quod pustulæ sint longe minores morbilli variolis, nam milium repręsentant.

2. Secundo in specie humoris, quod variolas efficiat ebullitio humoris frigidioris, qualis pituitosus & temperatus sanguis est: morbillos calidioris acriorisq; vt biliosi.

3. Tertio non est idem efferuescentię gradus, longe enim minor apparet in variolis, in morbillis maior.

4. Deinde etiam distant in tempore, quoniam citius apparent morbilli, vt puta quorum materia magis naturam ad expulsionem stimulet. Hinc etiam recte sequitur acutiorem affectum, breuiorem, & periculosiorem esse.

5. Quinto in accidentibus differunt: etenim morbilli maxime pruriginosi sunt, minus variolæ: illi flauescentem colorem, ac simul rubicundum præ se ferunt: isti autem rubeum. Illi figuram magis habent acuminatam: isti autem planæ magis videntur. Erunt igitur morbilli pustulæ admodum paruæ efflorescentes in totum corpus, pruriginosæ à sanguinis biliosi & acerrimi efferuescentia procreatę.

Quæ cum ita sese habeant, palam hinc fit, eiuscemodi pustulas calidum & siccum affectum esse, tum propter humorem, tum propter efferuescentiæ gradum, quem igni per quam similem esse asseueramus: cum variolę magis inferant intemperiem calidam, & humidam. Consideremus, quid alij de hoc argumento scribant.

Scribit Fuchsius *lib. 3. suarum institutionum sect. 1. cap. 25.* Variolas à morbillis differre, quod illæ fiant ab humore tenuiore, & calidiore, quodque pruritum excitant, & in sublime attolluntur. Hi vero procreantur ab humore frigidiore & crassiore, non inferre pruritum, neque in altum attolli, sed in latum magis extendi.

Opinio Fuchsij reprobata. Displicet mihi maxime huius viri sententia: quia si vtendũ est nominibus ex communi consuetudine authorũ, non debebat ille nouã hanc harum vo-

cum

cum significationem afferret. Omnes enim contrario modo vtuntur illis, quemadmodum paulum supra diximus: quod si discedere à communi opinione voluit, debebat saltem id admonere, ac rationem aliquam reddere, cur id facere voluerit.

Alij vero arbitrantur sub genere morbillorum contineri illud etiam exanthematum, seu ecthymatum genus, quod à nonnullis morbus culicaris nominatur, in quo scilicet apparent maculæ in vniuerso corpore, per quam similes morsibus culicum. Patratque huius meminisse Hippocratem in historia Sileni, inquiens, quod octauo die frigidus toto corpore sudor, papulæque cum sudore rubentes, rotundæ, paruæ, varisque similes permanserint: *1. epidem. sect. 3.* ac rursus *2. epidem. sect. 3. in febrib. æstiuis* dicebat, *circa septimam, octauam & nonam, asperitates, in cute miliaceæ, culicum morsibus similitate, non valde pruriginosæ fuerunt factæ.* Eorundem affectuum meminit *in lib. 5. & 7. eiusdẽ argumenti libro.*

Ego vero neque hanc recipere opinionem possum: quandoquidẽ morbus ille culicaris nullam omnino similitudinem habet cum morbillis.

Primum, quia maculæ sunt, non tubercula, non pustulæ, quæ in morbo conspiciuntur culicari.

Secundo nullum pruritum edunt, maximum autem ac fere intolerabilem faciunt morbilli, ita vt ægroti nequeant abstinere, quin scalpant cutim, vniuersamque dilacerent.

Tertio, quia morbilli, vt plurimum in affectus quosdam exedentes valde malignos terminari solent; quod de illis maculis nemo vnquam obseruauit.

Quarto exanthemata hæc vlcera quædam sunt cutanea, vt maculæ sine vlcere consistunt.

Postremo neque fauent illis, quæ ex Hippocrate afferunt: illa enim satis euidenter significant nostras variolas, & morbillos, cum pruriginem, inæqualitatemve cutis efficiant, & sint tubercula similia varis, quorum nihil contingere posse maculis illis, adeo certum est, quam quod certissimum.

Porro multo magis probabilis videtur mihi opinio Ioannis Manardi, *libro septimo, epistola secunda*, in qua dicit, morbillos vocatos fuisse herpetem: pro cuius opinionis intelligentia sciendum est, herpetem duplicem esse; alium quidem miliarẽ dictum, quod pustulas quasdam excitet milio similes, aliũ herpetem exedentem, nõ modo subiectam cutem sed etiam carnem ipsam exulcerantem: imo vero vlcera facit mala, & admodum perniciosa. Opinio Manardi.

Morbilli sunt herpetes miliares: aliquando tamen degenerant in exedentes.

Secundo animaduertendum est herpetem miliarem adhuc esse duplicem, est enim vnus particularis, qui scilicet vnam particulam duntaxat inuadit, alius vero, qui aut omne corpus, aut plures eius partes occupat.

Morbilli sunt ex eorum numero, qui totum corpus, aut plures partes occupant.

Huius distinctionis author mihi videtur Galenus, qui dum explanat *in tertio de morbis vulgaribus, sect. tertia comment.* [illegible] hæc verba Hippocratis, *Papulæ item magnæ. Et serpentia vlcera multis magna*, ita ad verbum scribit: *Magna, aut quod multum occuparent loci, aut quod admodum malam exulcerationem haberent, appellauit; quorum vtrumque fit vitio humorum, quod diximus, vitio.* Morbilli sunt herpetes miliares corporis totius, non autem vnius, aut determinatæ particulæ.

Accidit autem non modo in pestilentibus constitutionibus, sed etiam sine pestilentia huiuscemodi casus, vt sæpe in artis operibus animaduerti, atque hoc potissimum tempore, dum hæc scribo. Franciscus enim Venetus Historia.
optimæ spei adolescens discipulus meus diligentissimus in febrem synochum incidebat, ac quarta die incipiebat, in manu dextra miliaris herpes [illegible]

erumpere, ac postea totum corpus ita occupabat, vt nulla omnino pars corporis potuisset inueniri immunis ab hisce miliaceis pustulis: quę tamen nullum in cute, atque in carne vlcus relinquebant, sola epidermide corrupta.

In Cingulanis montibus consimiles etiam affectus vidi anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, in quo publice ita grassabantur variolæ, vt etiam viris non modo consistenti ætate præditis, sed etiam septuagenariis senibus id vicium contigisse frequenter nouerim.

Argumentum morbillos nō esse herpetem.

Verum, quia hęc quibusdam præclaris Medicis ætatis nostræ non placent, expedit reconsere, quid illi dicant, atq; dubitationibus satisfacere.

1. Et primo: *Omnis herpes vlcus annexum habet: Nullum vlcus habent morbilli. Igitur morbilli appellari nequeunt herpetes.*

Maiorem probant ex eo, quod herpes exedens vlcerat cutem, & carnem: miliaris vero solam cutem.

2. Deinde inquiunt herpetem nō fieri ex ebullitione sanguinis, sed bilis.

3. Tertio affectum esse calidum & siccum, morbillos vero calidos & humidos.

4. Quarto omnes morbillos esse contagiosos asserunt: nullum vero herpetem contagiosum.

5. Amplius herpetem non inuadere totum corporis habitum, morbillos autem maxime.

6. Postremo puerorum proprium affectum nuncupari variolas & morbillos, at herpetes non adueniunt pueris, sed iuuenibus, non humidis corporibus, sed siccis, & calidissimis, atq; in consimili cœli statu, & regione, & ratione victus fieri, quæ omnia longissime distant à generatione ipsorum morbillorum. Hæc potissima contra hanc opinionem commendantur; quorum explicatio sumpto initio à prima dubitatione sic sese habet.

Respond. 1.

Omnis herpes exulcerationem annexam habet, vel exedentem & manifestam, vel superficialem, nec ita manifestam, nam vel cutis, & caro, vel sola epidermis, ac interdum cutis vlceratur, hoc postremum in miliari accidit. Quod dicunt in morbillis non adesse vlcus, admiratione dignum est, nam si omnis morbillus est pustula, qui fieri potest, non adesse solutionem continui? at non est exedens continuo, nec manifesta? in miliari, & in principio id contingere admittemus, at in progressu omnis morbillus vlcus habet.

Deinde si Galeno sunt exanthemata quædam vlcera, vt ait *libro quinto de methodo medendi, capite duodecimo:* Illi vero opinantur, variolas & morbillos ex illius authoris sententia dici exanthemata, cur non erit omnis morbillus vlcus?

Ad 2.

Aberrant, cum herpetem à sanguinis efferuescentia & ebullitione fieri non posse putant, si dixissent, omnem herpetem, haud necessario sequi ebullitionem sanguinis, rationi consona dixissent. Herpes autē pestilens est, aut non pestilens (idem de hoc affectu, quod superiore libro de bubone, & carbunculo aliisque consimilibus dicendum puto) pestilens sequitur ebullitionem, omnium succorum in venis, non pestilens interdum sequitur, interdum non sequitur.

Natura e generatione.

At quomodo inquies? efferuescit sanguis, & ebullit, vt expurgetur ab iis, quæ illius puritatem coinquinant, haud secus atque mustum in dolio, qua expurgantur excrementa biliosa, melancholica, & alia, quæ totius substantiæ proprietate noxam inferunt.

Id profecto euenit in constitutione pestilenti, & non pestilenti cum generantur variolæ & morbilli.

In hoc autem differunt inter se, quod miliaris herpetis alius generationis modus esse potest, quemadmodum etiam exedentis, nempe cum bilis flaua excrementitia à sanguine excreta alicubi contenta expellitur; tunc

enim

enim efferuescere,& ebullire sanguinem, non est necessarium. Ergo,vt verbo dicam,vniuersalis & pestilens herpes,quem morbillum appellamus,eundem habet cum variolis generandi modum.

Non potest de temperamento horum affectuum aliquid certo pronunciari:nã si calorem putredinosum, si febrem ex eo accensam spectes, igneam intemperiem adesse,non erit dubitandum:hæc autem in omnibus insunt. Si materiam,in variolis humidior & crassior,in morbillis siccior atque tenuior conspicitur coniungito simul hęc duo, facies morbillos duplici nomine calidam & siccam intemperiem obtinere. *Ad tertiũ.*

Quod nullus herpes sit contagiosus, repugnat experientiæ, & rationi. Si enim statuamus quosdam herpetes morbillos esse, etiam conficiemus, quoniam omnis morbillus contagiosus, quendam herpetem contagiosum. *Ad quartam.*

Addit si serpit herpes vt ex vi nominis constat, per contactum necesse est afficere partes proximas, alioquin ex vna parte ad aliam non transiret infectio.

Postremo si natura contagionis in sordida consistit putredine, ex qua seminaria mala contagij emanant,quid impedimento esse potest,herpetem non exedentem modo, de quo fortassis dubitari non potest, sed miliarem etiã seminaria contagionis interdum continere:propterea factum fuisse putauerim, vt Hippocrates inter morbos pestiferos *libro tertio epidemiorum* herpetes recensuerit.

Ad postremum dicimus, morbillos & variolas pueriles affectus esse: in hoc autem inuicem distare: quod variolæ humidioribus,morbilli siccioribus puerulis contingunt.Idcirco pueris grandioribus contingent morbilli,minoribus variolæ. Imo vero non erit inconueniens etiam iuuenibus, vt sæpe vidi, ac adolescentibus,vt sæpissime,morbillos contingere. Cur enim id aliquando non fiet? sexagenarios, & septuaginarios variolis occupatos, non ego solus, sed alii quam plures obseruarunt: cur quæso iuuenes eisdem tentari non poterunt? *Ad quintam.*

In summa cũ Manardo sic sentio.Quod si quispiã mordicus contendat ab Hippocrate, aliisve antiquis non fuisse id impositum nomen, non reclamabo, dum tamen is rem teneat, quia frustra de nominibus litigandum non est.

CAP. XVI.

De differentiis variolarum & morbillorum.

DE differentiis variolarum,& morbillorum acturus solum prosequar,quæ ad curationem vtilitatem afferunt.

Videntur autem mihi tria illarum capita.

Primum efferuescentia,& ebullitio.

Secundum humores qui ad superficiem corporis affluunt.

Tertium est natura expellens,& segregans. Sanguinis,& humorum ebullitio differentias habet in eo, quod magis ac minus admodum conspicuas:maior est biliosi sanguinis; minor temperati,& adhuc minor pituitosi, & melancholici.

Humores excrementitij sanguine misti ebullitionem adiuuant, bilis flauæ copia auget, multo magis vitellinæ, maxime omnium porraceæ, aut æruginosæ; aut atræ abundantiæ efficit efferuescentiam : minus pituita & melancholia.

Pro horum proportione se habent anni tempora,vt in superioribus dictum fuit.

Iam vero considerandi sunt humores, qui segregantur post ipsam ebullitionem, pro quorum varietate tum curatio, tum prognosticum non mediocriter variatur.

In primis

In primis illud statuendum censeo, nullas variolas, aut morbillos à sanguine fieri, quicquid alij dixerint in hanc vsq; diem. Excremētum esse, quod in cute deponitur, manifestum facit color. Etenim in variolis color albicat semper plus, aut minus: aut niger, aut viridis, aut cæruleus apparet cum perniciosam naturam adipiscuntur. vel vstione, vel putredinis excellentia.

[illegible] nullas variolas [illegible] ex sanguine.

Morbilli autem colorem præ se ferunt flauescentem, si non fuerint admodum perniciosi, aut malum, vt variolæ, adipiscuntur ex summa malitia efficientium causarum.

Nulla quidem de humorum natura notitia certior haberi potest, quam quæ ex colore sumitur, vt Galenus docet *primo de humoribus commentario in principio*, & *primo aphorismorū, comment. secundo*, nisi tamen humores altiores potant partes. Humores igitur excrementitij sunt, qui intus in ipsis continentur pustulis: quam rem videtur mihi Galenum significasse *libro quinto de methodo medendi, capite 12.* cum inquit: *Cæterum, qui ex pestilentia hoc vitio laborarunt, propterea mihi facile sanati videntur, quod præsiccatum iis, præpurgatumque totum corpus fuerit: quippe, qui, & vomuerant eorum nonnulli, & omnibus venter profluxerit. Atque cum iam ita vacuati essent, qui euasuri erant, iis pustulæ, quas exanthemata vocant, nigro toto corpore confestim multæ apparuerunt, vlcerosæ quidem plurimis, omnibus certe siccæ. Eratq; intuenti perspicuum, reliquias eas esse sanguinis, qui in febre putruerat, quas veluti cinerem quempiam natura ad cutim trudisset, sicuti alia ex superuacuis nonnulli trudit.* Hęc ille. Quæ de industria in hunc locum afferre volui multis de causis.

Primum, quia satis dilucide ostendit, materiam exanthematum esse excrementum quoddam ex putredine sanguinis resultans. At non resultat semper, quia leuis putredo eiuscemodi excrementum non facit, cum ad priorem bonitatem reuerti possit, vt Galenus dicebat *secundo aphorismor. comment. 17.* at cum magna mutatio facta est, & progressus in putredine ingens, vtique regressus non datur. Hanc insignem mutationem Galenus excellentem vocauit putredinem, & interdum corruptionem.

Prætetea consideranda sunt hæc verba, *Pustulæ nigræ*, ac ista, *toto corpore confestim multæ apparuerunt.* Nam in principio nunquam nigræ sese offerunt, neque confestim toto corpore apparent. Vtrumque autem intelligendum hoc modo Si ab humore atro & adusto, in cuius naturam sanguis putridus mutatus est, variolæ fiunt, in principio nonnihil habent nigredinis, quæ in progressu intenditur, ita vt postea nigriores videantur: Hoc autem potissimum in ea pestilentia contigisse commemorat, quæ illius tempestate viguit. Illud significat breuitatem temporis, non momentum, neq; instans. Quibusdam enim tarde erumpunt: quibusdam citissime, prout materia fuerit, aut frigidior, aut calidior: virtusque, aut validior, aut imbecillior.

Considera postremo, quod dicit: *Reliquias esse sanguinis, qui in febre computruerit.* Etenim in febre pestilenti necesse est variolas fieri ex putredine sanguinis, qui in melancholiam bilemque degenerat: at si variolæ fiant citra pestilentiam, id non est necessarium, cum sanguis non suscipiat huiusmodi mutationem, qua in excrementa conuertatur. Igitur materia variolarum, & morbillorum est omne genus bilis, serum, pituita, melancholia, hinc varij colores elucescunt, de quibus agemus parum postea.

Differentiæ ex loco.

Quod vero pertinet ad locum, suæ sumuntur etiam ex eo differentiæ: nam licet superficies corporis ea sit, in qua variolæ conspiciuntur, tamen cum ea sit duplex, vna externa, quæ semper sub visum cadit, & interna, quæ cum dissecantur corpora pariter conspicua est, in vtraque superficie apparent variolæ.

De omnibus extimis partibus nihil est, quod dicamus plura, quia sensus iudicio id ita sese habere constat.

Sed de internis duo sunt, quæ certissimam fecerunt fidem: primum fœtus

ctus ex vtero recens missus, quem matre existente variolosa, totum variolis refertum vidimus.

Aliud, quod ex læsione operationum partium internarum, cognoscimus fauces, pulmones, intestina, vesicam, aliasque partes affectas fuisse variolis, de qua re tractabimus, cum de prognostico loquemur.

CAP. XVII.

De signis prædicentibus variolarum euentum.

NVNC de signis agendum, ac primum iis, quæ morbum hunc futurum prænuntiant, mox autem de aliis signis, quæ nobis videbuntur opportuna tractabimus.

Primum omnium consideranda est constitutio temporis, an scilicet ea tempestate passim grassentur variolę & morbilli, quia si ita contingat, facilem habebimus, & fortassis certam coniecturam cum aliis, quæ postea dicemus, variolas erupturas.

Hoc etiam significandi genere Galenus vsus est *libro de ratione curandi ad Glauconem*.

Cui addendum etiam est aliud, nempe si in vna familia pueri sint plures, vni autem ex iis apparere incipiant variolæ, exspectare oportet consimilem in aliis affectum: sunt enim contagiosæ, tum ad distãs, tum per fomitem, tum per contactum, vbi adest analogia, at certè in eadem consanguinitate longe maior, quam in diuersis adest analogia.

Quibus tertio loco addenda febris est, quæ necessario antecedit variolas plus, aut minus euidenter, prout admodum benignæ, aut malignæ, aut paucæ aut multæ extiterint, quemadmodum supra docuimus (neq; enim arbitramur fieri omnino posse variolas, quin aliqua præcedat febris) dum de hac re disputaremus.

Aliud porro est febrem ipsam variolas præcedere, aliud vero ipsam febrem consequi, necesse est; Hoc autem contingens. Siquidem interdum accidit nouam quandam febrem generari ab ea longe diuersam, quæ præcessit, interdum autem nulla sequitur febris, quod vt eueniat, paulo plenius explanandum.

Sanguine effervescente, atque ebulliente in omnibus venis, opus est fieri febrem, quæ certe ex continentium est natura: dum ebullit sanguis interdum sane à putredine immunis redditur, haud secus, atque mustum, dum in dolio reconditum concoquitur, ac maturatur ebullitione, partes tenuiores, in spumam ac florem, crassiores, in fæcem vertendo, ac ita iis segregatis optimum euadit vinum: quod etiam in omnium succorum ebullitione contingit, qua depurantur.

In hunc modum natura ipsa, simul cum sanguine permixto existente humore malo, & pernicioso segregare illum conatur, quod facit vniendo calidum innatum, vt ad opus validius insurgat. Ista vnio caloris effervescentiam, & ebullitionem facit, ex qua sequitur postea segregatio mali humoris. Dubium etiam ipsum à caseo, & sero nequeat segregari nisi præcedat vehemens agitatio, quam in oblongo vase rustici diu multumque faciunt, cum baculis quibusdam, & accommodatis pistillis.

Hic igitur modus communis est generationis febris huius in omnibus variolis, cum febris præcedit.

Verum aliquando sanguinis huius effervescentia est sine putredine, aliquando comitem putredinem habet: ex illa fit synochus non putrida, ex hac autem putrida.

Varietatis huius causa consistit in qualitate potissimum excrementi, & in aere nos ambiente.

Sie-

Si enim non fuerit humor admodum malus, atq; aer nullam habuerit putredinem, aut malum inquinamentum cœlitus demissum, vtique necessarium non est, putrescere sanguinem. At si contrario modo res habeat, non est mirum, si putredo adueniat in sanguine, tuncq; duplex adest necessitas ipsum expurgandi. Vna est propter humorem excrementitium coinquinantem sanguinem; alia vero propter sanguinem ipsum, cuius portio putrefacta nequit coctione ad propriam bonitatem reuerti. Huiusmodi igitur est febris præcedens variolas.

Eiusdem naturæ non est, quę sequitur: siquidem cessante priori illa gignitur. cum enim variolæ apparere incipiunt, febris diminuitur synochus & quanto magis prodeunt, tanto magis illa delitescit. Quamobrem huius, de qua hic agimus, origo non est propter sanguinis efferuescentiam, sed solum propter excrementitij humoris putredinem, vel consimilem affectum patientis loci, nempe quod exulceretur, putrescat, aut inflammetur, quod semper malum, aut certe periculosum indicat exitum.

De istis febribus locutus est Auicennas, cum inquit: *Et vt sit febris, deinde variolæ saluius est, quam vt sint variolæ præcedentes, deinde consequatur eas, & accidat super eas febris:* quorum verborum sensus sic habet. Melius est, vt febres pręcedant variolas, postea vero soluatur febris illis apparentibus, neq; noua reuertatur febris. Quam si febris denuo reuertatur postquam semel fuit sanata, significat enim hoc fieri inflammationem, aut vlcera mala, aut summam putredinem, vt parum supra dixerat hisce verbis: *& fortasse permutantur variolæ ad phlegmonem, & essere, & adubellati, quæ aggregant saniem*, cum iis, quæ sequuntur. Hactenus de febre.

Pręterea considerari debet respiratio, dum enim proxime instant variolę, respirationis difficultas accidit, quoniam propter vsum adauctum in omnib. fit frequentior, quã pro naturali statu sit necessariũ: quia vero natura magnitudine supplere nõ potest, quod multitudo sanguinis efferuescentis in venis thoracis collecti virtutem reddit imbecillam, & instrumentum parum obediens, ob id frequentior euadit respiratio, quod sane licet omnibus variolis erupturis contingat, tamen non accidit solis, neq; in omni tempore. In pleuritide enim & pneumonia adest etiã huiusmodi respirationis difficultas; mox vero quando erumpunt libere ad exteriorem superficiem, certe diminuitur sensim frequentia, quia virtus expiata, & exonerata eo, quo veluti sarcina premebatur excremento, validior facta ad magnitudinem naturalem respirationis reuertitur. Omnibus autem accidit dolor dorsi, id est, circa lumbos, & renes: cuius rei potissima causa est, quod vena admodum magna inuenitur in ea regione, in qua sanguis efferuescit, ebullitq;: ex hac ebullitione distenditur, & proximæ partes etiam eiuscemodi tensionẽ patiuntur: à qua dolor tensiuus, & sensum grauitatis prębens gignitur, hoc signum commune multis. Est magis proprium, quod ęgrotantes sensum quendam percipient punctionis toto corpore: siquidem materia acris, quæ expelli debet à natura, acres & fuliginosæ euaporationes iam in via existentes exitumque properantes, sensum illum efficere necesse est.

Non fit à sanguine ebulliente hoc symptoma, quia sanguis ipse nõ euadit materia variolarum, vt prædiximus, sed efficiens causa censetur.

Non fit humorum acrium, vel per se talium, vel ex putredine simultanea quædam expulsio, violentaq; ita vt excrementum resistat, sed paulatim duorum dierum, aut trium spatio, & interdum etiam plurium, vt omnium obseruatione constat.

Addit Auicennas signum satis efficax, nempe, quod in aduentu variolarũ nasus, quo ad extremas eius partes pruritũ patiatur insignem: Cuius hãc potissimũ causam putauerim Ebulliente sanguine in omnibus venis oportet fieri euaporationẽ, qualẽ videmus continuo in rebus omnibus ebullientibus eua-

euaporatio superiores partes petens, tum internas, tum externas, in vtrisque suæ naturę relinquit vestigium. In facie potissimum elucescit, quę propterea tota rubet eo tempore & calet, oculiq; rubescunt, quod venæ delitescentes ibi apparere incipiant ob sanguinis influxum ab euaporatione exportatum. Hinc pruritus in naso potissimum gignitur: quod nares instrumenta sunt exspirationis, ex quibus magna copia educitur exhalationis illius tenuis, & acris à qua pruritus: hic non conspicitur in aliis partibus, quia in tanta copia non educuntur excrementa, vt ex naribus contingit: neque tanto impetu: Opus est autem tenuia hęc excrementa circa cuticulam inhærere, & firmari, nam si non firmarentur, exiguum facerent pruritum, aut fortassis, vt in aliis partibus accidit.

Ex illis sequitur, quod multis oculi lachrymas effundunt propter copiam tum sanguinis attracti quo cum serum adest, tum propter condensationem euaporationis in parte humida & frigida.

Quatenus vero ad interiores partes appellunt euaporationes, sua quidem apparent circa cor, & cerebrum symptomata.

Cor motum diastoles, atque systoles adeo celerem edit, vt fere tremorem pati videatur.

Cerebrum vero variis insomniis melancholicis perturbatur ex eisdem malis euaporationibus altiores partes inuadentibus: imo caput multis dolore afficitur pungitiuo, si morbilli debent erumpere; grauatiuo autem, si variolæ, quod membranæ cerebri alterantur violenter ac subito, ab euaporatione multa & acri.

Quidam benignis affecti variolis, ab omni dolore immunes euaserunt.

His quidem signis aut omnibus, aut pluribus facile cognoscere valebimus variolarum euentum: erisq; hac de re iam plane certior, quando transacta tertia die, aut quarta febrem cum virtute valida sensibiliter diminutam cognosces, respiciendoq; faciem, & totum corpus, ac tangendo percipies iam apparere maculas quasdam rubras cũ inæqualitate cutis, atq; si acus extremitates essent, nã si nulla inęqualitas apparet et potius dici deberet morbus culicaris, quem vulgo in multis Italię locis vocant petechie, quã variolæ.

Omnes quidem sese prodere incipiunt rubicundæ, quod licet materia excrementitia eius non sit caloris, tamen cum ad exitum festinat, illi parat viã sanguinis euaporatio, à qua tingitur cutis: postea vero incipiunt sui colores apparere, albi, flaui, nigri, virides liuidi, pro varietate excrementorum: quod plane confirmare mihi videtur Auicenna, dum inquit: *Et plurimum quidem cum apparent, habent colorem inflammationis.* Hic autem color rubicundus est. Dixerat autem parum supra. *Et quando apparent variolæ faciunt incurrere pruritum, deinde apparet res, sicut capita acuũ similia milio, deinde egrediuntur, & implentur sanie.* Pauca hæc de variolis & morbillis erumpentibus dixisse volui, quia res adeo per se videtur nota, vt nullam explanationem postulet. Lib. 4. fen. 1 tract. 4 cap. 6.

CAP. XVIII.

De variolarum, ac morbillorum temporibus.

ANTEAQVAM agam de signis prognosticis, de variolarum, & morbillorum temporibus; quod non ad hanc modo tractationem, sed ad curationem & vtilitatem magnum afferat transigendum duco.

Quatuor tempora habent variolæ salubres: lethales vero ad summum tria. Salubrium tempora sunt. Principium, Incrementum, Statum & Declinationem:

Est illarum principium totum id tempus, in quo febris incipit remitti, & variolæ incipiunt erumpere.

Hic ego febrem confidero tanquam partem variolarum, quia, vt supra demonstratum fuit, nisi febris adesset, variolæ non erumperent. Ex conatu enim naturæ expulsionem molientis eiusmodi fit febris. Ergo statim atq; illæ incipiunt, definit principium.

Cum eo principio apparitionis variolarum accessio febris præteriit, principium scilicet augmentum & status, statimque incipit declinatio febris. Cognosces variolas incipere ex iis, quæ proximo capite diximus, nempe maculis rubicundis inæqualitate cutis, & puncticulis quibusdam similibus puncturis culicum.

Principium. Tempus principij solet extendi, quod fere summum obseruatio cognouit, vsque ad quartam, quintamve diem. Accidit autem interdum tam benignas variolas esse, vt hoc ipso tempore tū febris, tum variolæ terminentur, quæ statim à primo die erumpant cum febre exigua, quam non sentit ægrotus, & Medicus contemnerit, erumpunt autem paucæ bene coloratæ, ac exsiccatę dissoluuntur in auram: tunc dixerim imperceptibilia esse variolarum tempora, cum diebus quatuor & febris, & variolæ cessent.

Augmentū. Augmentum est, quando per vniuersum corpus sensibiliter erumpunt, suamq; habē e circumscriptionē incipiunt, atq; deposita rubedine albescunt iam, ac in tumorem manifestum attolluntur, febre vt plurimum cessante, aut certe minimum negotium faciente. Augmentum extenditur, vsq; ad septimum, aut nonum, aut quod raro contingit vndecimum diem.

Vigor. Vigor autem, cum ad summā peruenerunt magnitudinem, prorsus albæ, & sero multo putrido turgentes apparent, quo tempore, aut non febricitant, aut febris exigua quæ in augmento erat, conseruatur.

Dubitatio. Dubitationem autem habet hoc loco, cur ipso in statu dictum sit, non adesse febrem, aut admodum exiguam: cum id videatur fieri non posse: Siquidem circa principia, & fines omnia imbecilliora sunt, cum vero cōsistunt ac vigent, vehementiora, vt ait Hippocrates *lib. 2. aphor.*

Deinde, si in fine augmenti, ac toto statu materia in variolis contenta tota quidem suppuratur, necessarium est tunc augeri febrem, cum hoc opus fieri non possit sine magno conatu naturæ, à quo, vt iam demonstratum fuit, non solum fiunt, sed sensibiliter augentur febres.

Responsio. Huic dubitationi occurrens dico, tunc cum morbus prope iudicium acutus reperitur, augetur maxime febris, cum vero iudicium adest, summe viget. Hoc accidit cum natura eulncente prorsus materiam variolæ sensibiliter apparent ad corporis superficiem expulsæ. Quamobrem non est idem vigor febris, & vigor variolarum.

Considerari enim variolæ possunt dupliciter: vno modo quatenus complectuntur febrem, vt eius principium, vt diximus, quod est humorum efferuescentia, & ebullitio: alio modo citra hanc ebullitionem & febrem. Si priori considerentur modo, febris ipsa vigorem prægressa est facto iudicio variolis apparentibus.

Secunda ratione tunc incipiunt esse actu variolæ, cum apparent, erant etiam prius in potentia proxima.

Sic sunt omnia deteriora & vehementiora in statu variolarum, quam cum apparere incipiunt. Quo tempore non est necessarium adesse febrem quæ cum illis coincidat.

Quod vero de suppuratione obiiciunt, non cogit: quia in cutaneis partibus fit, & extra cauitates nobilium partium, ac statim dissoluitur per insensibilem euaporationem, haud profecto secus, quam in malis erysipelatis contingebat, in quibus putrescebant carnes, ossaque ob malam putredinem, quę erat suppuratio quædam perniciosa, denudabantur sine febre, quemadmodum explanauimus, primo huius tractationis libro.

Decli-

Declinatio autem variolarum dicitur, cum dissoluitur tota illa materia insensibiliter, & superficies corporis exsiccatis illis pustulis fit arida, atque epidermis ipsa decidit, & aliquando in cute leuia quædam relinquuntur vlcera.

Non habent declinationem variolæ lethales: quia mori aliquem non contingit in ipsa declinatione. [illegible]

Porro lethales habebunt sua tempora.

Principium quidem cum febre existente magna, & conclusa nonnulla apparere incipiunt erumpentium variolarum vestigia. Et aliquando etiam ob resistentiam perniciosi choris: & virtutis imbecillitatem nullum fit natura iudicium per cutaneos meatus, & tunc accidit mori ægrotum in principio vniuersali suffocatum à multitudine excrementorum; ac simul dissolutis viribus à summa virulentia. *Principium.*

Augmentum est, cum efflorescunt in cute, sed vel cum difficultate, vel cum magno ægroti labore, vel impetu expellentis naturæ, ita, vt non æqualiter expellat, sed interdum videatur intermittere, quod incepit opus: cum etiam quantitate modum excedit, vt quod magnas efficiat variolas, & inuicem complicatas. *Augmentum.*

Præterea cum omittunt colorem, nam ex rubicundo non fit albus, sed viridis, liuidus, aut niger, color. Hæc augmentum malum indicant simul cum febre, quæ non diminuitur, vt in salubribus fit.

Status autem, cum omnia in deteriorem labuntur dispositionem: exulcerantur subditæ partes pus educitur maxime fœtidum, nigricans, viride, subiectum corpus plurimum contraxit nigredinis, ita vt totum videatur igne vstulatum, virtus imbecilla, febris interdum magna; atque tunc ægrotus moritur. *Status.*

Cap. XIX.

An febris variolarum sit symptomatica, an essentialis: atque an contingat ægrotum mori in declinatione variolarum.

DVo sunt hoc loco declaranda: vnum cuiusmodi sit febris, quæ variolas aut sequitur, aut præcedit.

Alterum an mori contingat ægrotum in declinatione vniuersali variolarum.

Primæ dubitationi occasionem dederunt recentiores, qui inter se non conueniunt, cum alij symptomaticam, alij essentialem vocant.

Alteri vero Auicennas, qui dicit, in declinatione variolarum mori ægrotos posse. De vtroque problemate dicam breuiter.

Synochus itaque necessario præcedens variolas semper est essentialis morbus, quod scilicet ad alterius morbi generationem, & augmentum, neque fiat, neque augeatur. Hoc autem, quoniam per se notum esse arbitror, illa non indiget probatione.

Sed quæ febris, postquam apparuerunt variolæ, delitescente priore, gignitur ex putredine variolarum, quæ partes interiores nobiles, aut magni vius exulcerant, dubio procul sunt omnes symptomaticæ: cuius rei hoc certissimum videtur mihi argumentum, quod generetur præcedente alio morbo, ad cuius incrementum augeatur.

Addo hanc febrem non esse eiusdem naturæ cum priori, siquidem illa plerumque euanescit aduenientibus variolis, & semper sanguinis efferuescentiam, aut cum efferuescentia simul etiam putredinem insequitur, hæc [illegible] ex malis succis, & virulentis ducit originem, qui licet maiori ex parte sint biliosi, sunt etiã melancholici, & interdũ pituitosi, plerumque mixti:

vti solet contingere in magna humorum corruptione potissimum si concurrat ambientis aeris inquinamentum.

Non solum autem hoc modo noua hæc fouetur febris, sed etiam ex corruptione solidarum partium, quæ ex vlceratis partibus nascitur. Etenim plerumque accidit exulcerari pulmones, aut asperam arteriam, aut fauces, aut intestina, aut omnia hæc simul in admodum prauis variolis, quæ in causa sunt, vt miseri ægroti tandem tabidi moriantur febre simul affecti putrida & hectica.

Non abs re additum illud in sermone fuit. *Quæ partes interiores nobiles, aut magni vsus exulcerant.* Quia externarum partium exulcerationes solæ non faciunt febrem, neque sunt lethales: Siquidem materia putrida ex vlceribus effluens, non petit cor, sed expurgata per cutem hominem reddit à mortis periculo immunem: quod scilicet viliores particulæ duntaxat lædantur.

Et certe non videtur mihi probabile, materiam in superficie cutis existentem, quæ citra impedimentum detergeri potest è cute aliquod minari posse periculum, aut futuræ febris, aut mortis, nisi tamen, intro recurrat malum.

An quis possit mori in morbi declinatione. Quod vero ad secundam dubitationem pertinet, non potest quispiam subire mortis periculum in ea morbi parte, quæ mitissima est omnium, qualis declinatio est. Quam enim mortis causam excogitabimus, vbi in statu, in quo omnia deteriora sunt, nullum adfuit mortis periculum? de qua re copiose disputauimus ea in parte, vbi de morborum temporibus egimus. Itaque solum est explananda Auicennæ sententia. Mori aliquem in declinatione vniuersali contingit tripliciter, vel ex errore, vel ex alio nouo morbo superueniente, vel quod declinatio sit falsa.

Ex errore frequenter accidit mors, quemadmodum quotidiana experientia constat.

Error autem committi potest ab ægroto, & à Medico illius curationi incumbente, vel ab assistentibus, ideoque oportet Medicum facere non solum, quæ ad suum officium pertinent, sed & ægrotum, & assidentes, & exteriora, legito de hoc mortis genere, quæ scribit Galenus *in tertio libro de crisibus, capite nono.* Et Auicennas *in fen secundo, libro quarto, tractatu primo, capite nonagesimo octauo.*

Secundo in variolarum declinatione moritur ægrotus superueniente alio morbo etiam si nullus adsit error, vt e.q. quod variolis omnibus extrinsecus apparentibus iam exsiccatis, & crusta apparente in epidermide, atque cuticula, serpentis modo, spolium faciente, intrinsecus tamen adsit in intestinis vlcus, aut in faucibus, aut in pulmonibus, ægrotus moritur horum occasione, non ob declinantes variolas.

Tertio in falsa declinatione id etiam interdum vsu venire non est dubium: de qua tamen non putauerim hic Auicennam locutum fuisse, sed de duabus primis causis, quamuis Nicolaus Florentinus hanc postremam admittat causam.

Cap. XX.

De signis prognosticis variolarum & morbillorum.

CÆTERVM de prognostico docebimus tria, primo quæ corpora, quæ partes, quæ ætates ad variolas suscipiendas magis accommodatæ sint: Secundo, quibus anni temporibus succedant: Postremo, quæ bona sint signa, sanitatem futuram indicantia, & quæ mala, vt tandem in nono huic libro finem imponamus. Ad primum itaque aggredior.

Corporibus calidis & humidis multo sanguine præditis habitu corporis rariori, & albo magis succedere variolæ consueuerunt, quam contrariis. Calida vero & sicca multo biliolo sanguine prædita variolis non ita sunt disposita, quantum morbillis: quemadmodum Rhases asseruit, quo cum sentit Auicennas, qui hoc modo scribit: *Et corpus quidem variolis præparatum est illud, quod est calidum & humidum, & conturbata humiditatis proprie, atq; addit & earum euentus in corporibus humidis est plus quam in corporibus siccis*, iis addito, quod in corporibus siccis, in quibus multus sanguis adest cum flauæ bilis copia, adueniunt morbilli, qui sunt longe sæuiores, atq; deteriores variolis. Frigidis corporibus, & siccis, & exsanguibus aut nunquam, aut per quam raro fiunt, nisi in constitutione pestilenti, in qua passim vagantur.

Porro inter corporis partes nulla est, quæ variolis obnoxia non sit, quia omnes internæ, ac externæ afficiuntur vno ac eodem tempore, sed nõ æqualiter, nec ita apparenter in singulis. Nam interdum accidunt in cutaneis partibus copiosissimæ, in internis paucæ, & è contra.

Quæ intus fiunt sensu visus non apparent, vt quæ extra adueniunt. Cognoscantur tamen ex propriis effectibus, nam quæ spirituales partes exercent, tussi deteguntur; Quæ in ventriculo vomitu; Quæ in intestinis alui deiectione.

In summa, quia materia variolarum mediante sanguinis ebullitione educitur è venis ad corporis superficiem tum internam, tum externam, recte dictum fuit, nullam esse corporis partem, quæ huic morbo subiecta non sit, vt Auicennas dicebat hisce verbis: *Et variolæ non accidunt in cute solum, & in eo, quod sequitur illud, quod apparet, imo accidunt in omnibus membris similium partium apparentibus & occultis, ita quod velaminibus & neruis.*

Etenim si solæ partes cutaneæ afficerentur, essent continuo huiusmodi morbi salubres.

Elucescunt autem potissimum in extremis manibus, ac pedibus, quod fortassis videbitur mirum. Siquidem quo fuerint corpora magis porosa, eo sunt magis parata ad huiusmodi affectum: densa quidem aut nunquam, aut raro. Volæ manus, ac pedum non solum raræ non sunt, sed etiam omnium densissimæ, & omnium fere siccissimæ. Dubium.

Dicendum id contingere, quod in iis partibus tanquam imbecillioribus natura solet copiosiora deponere excrementa: nam valida expultrix ad vicinas primum expellit: Hæc si valida extiterit, non retinet, sed pari efficacia expellit ad alias: & hæ denique ad alias, donec expellendo perueniat ad eam partem, quæ ob debilitatem non queat amplius ad alias propellere, huiusmodi autem sunt volæ manus, ac pedum.

Quibus addendam, quod natura multas venas, & arterias terminauit ad eas partes, ex quibus illæ fere continuo afficiuntur calore indicantes hepatis dispositionem. Argumento sic occurritur: plus potest robur virium in expellendo, quam patientis corporis dispositio in resistendo.

Ætas puerilis præsertim ortui proxima, omnium est maxime idonea, quæ variolis prehendatur. Imo vero videtur hic morbus ætatis huius proprius; non tamen ita, vt inseparabiliter illi soli contingat, nam aliqua constitutio est vulgaris, in qua nulla fere ætas euitare potest impetum, & excretionem hanc aeris morbidam, qualis fuit memoranda, cuius etiam in superioribus mentionem fecimus Anno Domini millesimo quingentisimo septuagesimo secundo in Piceno.

Etenim non infantibus modo, ac pueris, sed iuuenibus, ac senibus adueniebant, etiam septuagenariis, & quod mirum & insolens certe in aliis constitutionibus fuit, aliquando bis, & aliquando tertio eundem inuadebant hominem, ita vt vix quicquam eo infelici anno immunis ab hac euasisset labe.

Quantum pertinet ad anni tempora, vt plurimum variolæ solent erumpere in vere, & in autumno. Ver enim calidum, & humidum suapte natura efferuescentiæ, & ebullititioni humorum commodum est: quod si aut parum antea multæ successerint pluuiæ, aut australes venti, magis fiet idipsum aptum, quæ res non solum in vere, sed in vniuersum in omni anni tempore veritatem habet. Etenim austrina constitutio aeris putredinibus maxime obnoxia est. Quæ vere generantur, fere sunt salubriores, quam quæ autumno, in quo tempore sæuire maxime consueuit hic morbus, præsertim in eius fine.

Est tamen considerandum efferuescere interdum sanguinem, etiamsi nulla ipso in aere sit caliditas: cum scilicet ex mala cœli constitutione publice grassantur variolæ.

Huiuscemodi constitutionem vidi semel, atque admiratus fui, nimirũ hyeme rigidissima, & niuosa, qualis fuit fere in toto orbe anno millesimo, quingen. cimo, septuagesimo secundo mense Decembri, tanto impetu cœperunt variolæ omnem sexum, omnem ætatem inuadere in Cingulano populo, vt singulo quoque die supra trecentos ægrotarent, eratque eadem constitutio in vicinis ciuitatibus Tolentino, Septempede, Esij. itaq; sæuiebant, vt rari euaserint. Durauit toto mense Martio sæuissima, æstate mitior reddita, adhuc longe mitior autumno, deniq; noua adueniente hyeme motbus cessauit.

Porro salubres quædam iudicantur: quædam lethales.

Signa variolarum salubrium. Salubres quidem sunt, quæ cum exigua febre fere imperceptibili contingunt, exiguaq; & boni caloris erumpunt.

Quæ citius apparent, & citra laborem eæ quidem faciliores sunt, quod materiam ostendunt magis naturæ obedientem, ipsámque ad expellendum validam.

Si quo tempore efflorescere incipiunt in cute, febris diminuitur, aut omnino cessat, optimum censeri signum debet.

Si ægroti bene spirant, bene sese ad oblata habent, si nulla tussis fatigat ægrotum, aut admodum exigua, si fluor alui nullus adest, benignas variolas existere censendum est. Similiter si non sunt admodum magnæ, non inuicem continuatæ, sed singulæ circumscriptæ, boni coloris à principio rubeæ, postea vero albescentes, hæc quidem signa sunt salubrium variolarum.

Signa morbillorum salubrium. In hunc modum etiam morbilli si nimiam efferuescentiam non habent, si ægrotus non admodum acute febricitet, si boni sint coloris, cum signis, quæ supra recensuimus, bonum significabunt exitum.

Signa mala. E contra mala signa multa sunt. Inprimis valde malum est, si perseuerante febre, quæ apparere inceperunt variolæ, quarta, aut quinta die subito delitescant. Nam inualidam naturam indicant, non potentem expellere materiam virulentam ad exteriorem superficiem, simulq; multam esse materiam atq; expulsioni resistentem.

Secundo, febris post variolarum efflorescentiam adhuc permanens continua, & acuta malum signum est: nimirum significans materiam putridam adhuc contineri in venis ipsis, quæ foueat febrem, neque totam expelli extra.

Tertio, quæ cum difficultate exeunt variolæ, malis symptomatis coniunctæ, vt difficultati anhelitus, & tussi, etiamsi sint albæ, sed duriores, malæ sunt: & deleteriæ: Pendent enim à sanguine crasso, & melancholico, qui non potest totus foras prodire: ideoque materia intus continetur non sine vitæ periculo.

Quarto, si paucæ sint variolæ, aut morbilli, sed febris sit maligna, cum totius

totius corporis inquietudine animi exſolutióne, tuſſi, aliisq; prauis ſymptomatis, nihil boni ſperare licet.

Quinto, ſi fuerint variolæ virides, aut liuidæ, aut nigræ, maximumq́ue pruritum inferant, vix profecto ſanari poſſunt: nam aut magnam aduſtionem ſignificant, aut caloris natiui extinctionem, aut vtrumq; ſimul: eoq; deterius fuerit, ſi vna adfuerint petechiæ nigricantes vel ſupra variolas, vel in circuitu.

Sexto, malæ ſunt, quæ pulmones exulcerarunt: nam phthiſin ſignificant, neq; enim aliquis datur medicinæ locus.

Septimo, ſi aut fauces, aut ventriculus exulceretur, lethale.

Octauo, fluor alui æruginoſus, aut niger, aut dyſentericus omnino malus eſt.

Nonó, conuulſio, & delirium, & intolerabilis pruritus malum.

Decimo, ſi variolæ oculos inuadunt, inflammationem faciunt, vel ſuffuſionem, vel cæcitatem pro diuerſitate loci, ad quem appellit fluxio. Hæc igitur ſufficere mihi de prognoſticis videntur.

Atq; hic noni libri finis eſto.

Finis libri noni de febribus peſtilentibus.

HORATII AVGENII DE FEBRIBVS PESTILENTIBVS.

LIBER DECIMVS.

QVI EST

De curatione variolarum, & morbillorum.

CAP. I.

Num præseruatio ab ipsis variolis fieri possit vel tentari debeat?



[illegible]

ANTEQVAM variolarum & morbillorum curationem doceamus, explicare inprimis debemus, qua ratione præseruandi sint pueri, atque adultiores, ne in hunc affectum incidant, deinde propositis indicationibus omnibus curandi, ac inuentis omnibus remedijs, de materia medicinali tractabimus.

Illud autem inprimis in hac tractatione controuersum videtur, num quispiam præseruari possit, ne in variolas incidat, quod si præseruatio fieri valeat, an illam tentare sit tutum?

Dubitationis primæ causa est, quod si harum aduentus contingit, crisis cuiusdam modo, natura exonerante sese ab eo excremento, quod contraxit infans in vtero matris, dum ex sanguine cóciperetur, & nutriretur menstruo. Non quidem videbitur posse hoc impediri iudicium. Nam quod artis beneficio fieri fortasse quispiam dixerit, certe non sine maxima difficultate præstabitur, idq; ipsum longe tutius ac facilius à natura suo fiet tempore.

Dixi, cum difficultate fortassis id fieri ab arte, quia excrementum illud alte infixum in solidarum omnium partium substantia à principio natiuitatis, minime valebit expurgari totum, ita vt adhuc non adsint reliquiæ, & non reseruetur fomes in principibus partibus.

Quod [illegible] morbi [illegible] malis, & [illegible] à principio generationis [illegible] præseruationis via non potest, [illegible].

Quod autem nulla ratione fieri possit eiuscemodi præseruatio, potest facile persuaderi, potissimum hac ratione: nam pueri in morbos incidunt frequentissime, quorum meminit Hippocrates *libro tertio aphorismorum*, à quibus sanantur, vel naturę beneficio, vel artis adminiculo. Est autem certo certius, omnes ferè ab arte adeo diligenter fuisse vacuatos per inediam, per victum tenuem, scarificationes, & vt verbo dicam, per omnem fere viam. Atq; similiter etiam naturam sese ab excrementorum copia egregie exonerasse: tamen adueniente statuto naturæ tempore in variolas incidunt copiosissimas: quod non contingeret, si præseruatio fieri posset: Hoc modo est obseruatum, neminem immunem ab hoc affectu euasisse: quia variolæ si nó in infantia, pueritia, & adolescentia contingunt, euitare illarum generationem in ipsa senectute non possunt, in qua multos vidi variolis affectos.

Præterea non videbitur tutum, siquidem bonum impedire iudicium naturæ, cuiusmodi hoc esse, demonstratum fuit superiore libro, semper periculosum extitit.

Ego vero in hac controuersia ita sentiendum putauerim. A quibusdam variolis præseruationem fieri tuto posse, à quibusdam non tuto.

Nam variolæ quædam in pestilenti constitutione inuadentes, perniciosæ adeo sunt, vt quoscunq; inuaserint, occidant, & ob maxima incendia, ardentissimasq; febres, & quia exulcerant sæpenumero intestina, ventriculum, fauces, pulmonem, asperam arteriam, principesq; partes, mirandum in modum excruciant, omni opere, ac studio incumbere debemus, ne adueniant, hocq; fieri à nobis potest. Neq; profecto istæ naturæ bono iudicio fiűt, sed ex aere pestilenti: cuius summam impedire aliquando, & aliquando hebetare

hebetare possumus malitiam. At vero à benignis variolis præseruatio nequit fieri, nec si posset esset secura: quia intrinsecá illam à natiuitatis principio in solidis partibus à menstruo contractam labem nullum artificium emendabit vnquam, vt superior demonstrauit ratio: solum procurabimus quo mitius sæuiat.

Cæterum, si ex aere coinquinato proficiscatur malum, eius euitare impetum, impossibile non fuerit. Nam si pestilens constitutio, ac febris mutatione aeris emendari, corrigiq; potest, cur non poterunt variolæ, quæ ab aere ducunt originem?

Est autem eadem prorsus ratio præseruationis huius, quæ pestilentiæ, quam quoniam libris superioribus, quarto nimirum, & quinto docuimus, nihil est, vt hoc loco frustra repetamus. Hoc potissimum distans, quod aerem ipsum varie corrigere debemus pro varietate dispositionis huius, aliā enim postulat præparationem, cum primum adueniunt variolæ ac morbilli: aliam cum primum incipit febris, anteaquam appareant: de qua re postea sigillatim tractabimus.

At in pestilentibus citra variolas febribus vna duntaxat accommodata præparatio est, quam suo loco docuimus.

Deinde quod speciem victus eandē non postulant variolæ, anteaquam erumpant, & postquam efflorescere cœperunt, & cum declinant.

Quamobrem ipsos duntaxat scopos, curatiuos, ex ijs, quæ superiore libro docuimus, inueniamus, atque illis omnem medicam materiam accommodantes, finem huic de pestilentibus febribus tractationi imponamus.

CAP. II.

De remedijs morbillorum, & variolarum generatim propositis.

SCOPI quidem, quos habere ob oculos debent curantes Medici, admodum varij sunt. Horum enim quidam pertinent ad affectus præter naturam, quidam ad virtutem, deinde quidam corporis pulchritudinem respiciunt, de quibus agendum.

Primus omnium est vacuare plenitudinem, omnemq; malorum humorum copiam.

Secundus scopus est, sanguinis efferuescentiam, si oportuerit, tuto mitificare.

Ad hæc tertius omnia viscera naturalia corroborare, ac secura ab eo tam variolarum incursu reddere.

Quartus naturam segniter mouentem adiuuare.

Quintus effrenitatem compescere.

Sextus nimiam putredinem earundem corrigere.

Septimus subuenire incommodis, quæ fiunt ab hoc morbo in partibus, in quibus adhærent. Scopi curatiui.

Octauus vestigias variolarum delere.

Quibus omnibus tanquam antesignanum quendam addamus, vitalem scopum, nimirum, vt ita conseruemus vires, vt possint vsq; ad morbi perfectam sanationem consistere.

Vacuationem indicat humorum πλῆθος. Nempe sanguinis plenitudo, quæ semper in hoc affectu adest, aut quo ad vasa, aut quo ad vires: cuius rei signum est synochus febris, quæ licet videatur supponere plenitudinem tensiuam, tamen demonstrauimus in ijs, quæ scripsimus de febribus synochus, posse etiam concitari à plenitudine quo ad vires. Et certe in hoc affectu frequenter contingere, experientia nouimus.

Idem præterea ostendit remedium πλῆθος humorum, qui sua qualitate mala corpori faciunt negotium: cum sanguis ipse efferuescit, & ebullit, vt eos ipsos à sese disiungat, ac segreget.

Sangui-

Sanguinis efferuescentia non semper emendari debet: quia cum necessario contingat, vt fiat expulsio, & segregatio malorum humorum à sanguine, considerandum venit, an modum excedat, an contra sit temperata: nam quæ exigua est, nullam postulat Medici diligentiam, qualis fieri consueuit in variolis benignissimis, quas sæpenumero sanat ipsa natura sine Medici auxilio. At si modum excedit, conuenienti quodam modo est mitiganda: & nunquam ex toto remouenda. Præstat enim multo magis variolas erumpere, quam intus prohibita efferuescentia retinere. Qualis autem sit conueniens modus, declarabitur loco suo.

Maximi certe momenti tertius est scopus: quia si variolæ paucæ in visceribus continentur, maiore illarum parte extimam corporis occupante superficiem, res fere in tuto erit constituta. At contra moriuntur ex hoc morbo pro maiori parte, quibus non libere erumpunt extra. Ab hoc periculo certo subuenit robur addere partibus internis expellentibus.

Propterea cum non raro eiuscemodi accidat casus, operæpretium est, non solum robur addere visceribus, sed etiam adiuuare segnem eius modum, quemadmodum Galenus in aphorismis præcedit.

In hunc etiam modum si nimis effrenis reddatur motus, obtundere ipsum, & aliqua ex parte retardare vtilissimum fuerit.

Quia vero tam magna putredo accidit ex huiusmodi naturæ impetu, vt corruptio magna fiat non modo in cute, sed etiam in subiectis partibus, exsiccantibus vtendum, quæ summæ putredini aduersæ sint.

Fiunt vlcera maligna in faucibus, in aspera arteria, in oesophago, in intestinis sæpenumero, quæ hominem non multo negotio de medio tollunt. Si oculos occupauerint variolæ, interdū videndi vsum tollunt: hisce incommodis, quantum per artem licebit, subuenire oportebit.

Ac denique quod pertinere videtur ad corporis decorem, sunt vestigia variolarum corrigenda deturpantia faciem, & manus.

Postremo virtuti addendum robur, si fuerit imbecilla multum: si valida, conseruanda, ac si oportuerit, paulo reddenda est imbecillior, vt sæuitiam morbi superare possit, ac vsque ad finem resistere.

Quamobrem scopi hi sunt, & scoporum causæ, qui omnes virtute continentur in natura morbi huius superiore libro diligenter exposita. Nunc igitur materiam medicinalem exequamur.

CAP. III.

De vacuatione plenitudinis.

OMNES, qui de variolis scripserunt, vnanimi consensu, principium curationis illarū fieri debere à vacuatione sanguinis contendunt, ideoque venam incidendam esse, aut scarificationes administrandas, aut hirundinibus applicitis sanguinis vacuationem procurandam. Ego vero, vt cum illis sentio multitudinem oportere sanguinis vacuari, sic generoso validoque remedio in omnibus exequendū esse hunc scopum non facile admiserim: siquidem cum pueris ante annum decimum quartū sint naturalis fere morbus variolæ, & mitissime eos exerceat, nisi magna plenitudo adfuerit, ac nisi ex mala constitutione aeris putridi contingat salubrius duco à venæ sectione abstinentes solo victu tenui, ac interdum etiam inedia plenitudinem vacuare: quod optime successisse sæpenumero sum expertus. Nec profecto deest ratio: quia non debemus eiuscemodi motū impedire, aut aliqua ratione retardare, aut accelerare, naturā stimulando, sinere enim oportet ipsam bene operantem, vt antiquus præcipit magister.

Secus fieri debet in constitutione pestilenti, in qua humores corrupti ex aeris inquinamento fiunt, & raro salubriter, nisi diligentia, & accurata Medicamenti industria præsto sit, terminantur.

Secus

Secus etiam operandum, vbi magna plenitudo adsit quam suspicamur euinci non posse à natura.

Quamobrem supponentes necessariam esse vacuationem sanguinis cum generoso remedio, inprimis statuamus, si vires valent incidendam esse venam interiorem dextri cubiti, aut communem quanto citius fieri possit. Auicennas vult ante quartam diem fieri debere, quia vt plurimum incipiunt variolæ efflorescere ex cute quarta die, aut quinta, quo tempore non est vtilis venæ sectio, ne forte sanguinem ipsum malum, & corruptum, quem salubriter natura mouet ad superficiem introducamus. Posset etiam quarta die, aut quinta interdum mitti sanguis, si Medicus ea vocatus ad curationem die nouerit nondum apparuisse variolas. Aut etiam si apparere cœperint, aliquando præstat mittere sanguinem, si adeo magna plenitudo adsit, vt vereamur caloris natiui extinctionem: vt non infrequenter vidimus contigisse in constitutione illa pestilenti, anno 1572. in toto Piceno. De hac re sic Auicennas locutus est. *Et spatium illius est vsque ad quartum: sed quando procedunt variola, tunc non administretur phlebotomia, nisi inueniatur vehementia repletionis, & dominium materiei: tūc enim phlebotometur quantitate, qua exsiccet.* Et parum postea docens damnū, quod sequitur ex prætermissa venæ sectione, inquit: *Et quando q; necessaria est phlebotomia, et si non phlebotometur iterum perfecte (alter textus complete) tenetur super eum corruptio extremitatis.* Quibus verbis duo significat; vnū quod interdum adueniat gangræna in partibus extremis ob sanguinis copiam: alterum vero, quod necessaria interdum sit venæ sectionis repetitio, vt multitudinem tutius vacuemus. Hoc enim significat illud verbum *iterum complete:* sed de hac re parum postea loquendi habebimus occasionem.

Saluberrimum etiam esse prouocare sanguinem ex naribus docuit experientia: nam quibus sponte effluxit, variolæ pauciores, & salubriores euenerunt. Vidi hactenus pueros duos, qui ex fluore sanguinis è nare dextra tertia die immunes à febre euaserunt, & quarta die superuenerunt variolæ paucæ, & benignissimæ. Sed prius expedit venam incidere cubiti, mox autem aut setis porcinis, aut mille folio, aut equiseto cauitati narium impositis titillando, aut stimulando proximam carnem, prouocare sanguinem. Huius vacuationis maxima vtilitas est, si ex nare dextra fiat, quæ iecinori proportione respondet, potestque multitudine fontem exhaurire, ac præterea iuuat mirandum in modum faciei, & oculis, ne scilicet ad eas partes magno cum impetu deferatur sanguis ichorosus variolas facturus: sic præseruari solent facilius oculi.

De quantitate vacuandi sanguinis dicamus. Rhases *libro suo de peste capite sexto* mittendum esse sanguinē vult pro quantitate plenitudinis, si enim maxima fuerit, non veretur vacuare vsq; ad animi deliquium: si mediocris, mediocriter educit: si parua fuerit, paucum sanguinem educit: verba eius sic habent. *Tu venam incidito, & quam multū sanguinis effundito, scil. ad animi defectionem vsq.* Supra vero syndromen attulit maximæ plenitudinis, & paucis interpositis inquit. *Cum vero hac signa admodum euidentia non erunt; veruntamen vehementia quidem parum sanguinis fundito. Sin minima, minimum.* Hæc ille. Cuius opinionem omnino admittere non possum, quia in omni vacuatione animaduertere debemus an vires eam ferre possint, & considerare, quod Hippocrates in habitu summe bono, qui non potest amplius augeri, periculumque minitante summum, vult statim mittendum esse sanguinem, sed vitandas extremas compressiones tanquam periculosas, bis in aphorismis admonuit.

Quantitas vacuandi sanguinis. Opinio Rhasis refutatur.

Galenus etiam *undecimo de methodo medendi, capite decimoquarto* synochi putridæ curationem docens per sanguinis missionem (cui alioquin videtur suapte natura conuenire vacuatio vsque ad animi deliquium, vt præmonuit *libro eiusdem tractationis nono*) non præcipit vsq; ad leipothimiam vacuandum, sed aliquid sanguinis relinquendum, ne cogamur postea intempestiue

nutrire.

nutrire. Dictio ipsius afferenda est, quia non huic modo proposito vtilis, sed etiam in omnium putridarum curatione scitu necessaria. Etenim (ait) *si neq; obstructio subesset, nec putredo, sed sola humorum redundantia, protinus à missione sanguinis pro natura suo modo se haberet. Itaq; tantum succorum in omni tum corporis temperamento, tum regione, tum anni tempore, tum cæli statu detrahi par erat, quantum supra naturalem statum fuerat inauctum. Verum quoniam nec obstructio, nec putredo curari per sanguinis missionem potest, vt quæ alia remedia (vt prius est demonstratum) desiderent, reponi sanguinis aliquid ad totius curationis spatium debebit: quo minus intempestiue nutrire necessitate vlla cogamur.* Hæc ille.

Præterea multum vrget febris pestilentis conditio, in qua vires nunquam sunt perfecte validæ, imo vero statim à principio cadunt, vt Galenus dicebat *libro 3. de præsagione ex puls. cap. 3.* quarum causa coacti sumus nutrire longe secus, quam in alijs putridis, vt docui *libro sexto tractationis huius.*

Quamobrem etiam si morbus postulet, extremam hanc vacuationem, tamen propter vires longe fuerit vtilius sectionem repetere, ac duabus vicibus tantum sanguinis vacuare, quantum morbus postulat: sic tutissime plenitudinem vacuamus, atq; ipsas vires respicimus, de qua re Galenus *nono de methodo medendi cap. 4.* sic scribit: *quem vbi virtus valida subest, & ætas permittit vsque ad animi defectum mittere expedit: vbi horum alterum non satis respondet, tutius est, quantum satis visum fuerit, tantum principio detrahere, quod defuit, iteratione supplere.* Eodẽ igitur die bis vacuabimus hora matutina, ac vespertina, aut si placuerit (quod ego facere consueui, quoties à principio ad curationem sum vocatus) in crastinum differre, nihil ægrotum lædes.

Quod si forte videbitur tibi non tantum plane sufficienter vacuatum sanguinem esse, supplere poteris procurando ex nare dextra vacuationem.

Videtur autem mihi hoc potissimum extitisse consilium Auicennæ, qui venæ sectionem præponens, vult vacuandum tantum sanguinis, quantum sit satis ad exsiccandum.

Extitit etiam aliorum Arabum, vt ex ipsorum lucubrationibus nõ obseruare nemo potest.

Porro de repetenda venæ sectione, duo videntur facere quæstionem: vnum an consilium Auicennæ sit imitandum de sanguine mittendo etiamsi variolæ apparere iam incipiant.

Alterum, an ex eadem vena fieri debeat repetitio.

Videtur quidem periculi plenum natum iam iam exonerante sese per superficiem omnem corporis, impedire, ac perturbare. Nam vbi iudicium naturæ fieri incipit, nihil mouendum, sed omnino quiescendum fuerit: *quæ enim iudicantur, & iudicata sunt integre, neq; mouere, neque nouare, sed sinere oportet,* ait Hippocrates *primo aphor. 20.*

Natura in proposito casu iudicat morbum.

Temerarium igitur fuerit Medici iudicium, si illius actionem impedierit.

Præterea *inchoantibus morbis si quid videtur mouendum, moue, cum vero consistunt, melius est quietem habere.*

Consistit morbus, ac viget in statu, in quo fiunt coctiones, & natura validissime pugnat aduersus morbificam materiam, euincit illam, segregat, ac deniq; expellit.

Quod si absurdum fuerit, ac periculosum, dum concoquit moliri aliquid actionem retardans, aut impediens: quanto magis id fuerit periculosius ipsa natura actu expellente noxiam materiam per idoneos locos? Hæ igitur aduersus Auicennæ sententiam sunt dubitationes maximæ.

Responsiones ad dubitationes.

Pro quarum explicatione inprimis illud sciri volo in curandis morbis Medicum aliquando impediri, ne tutiorem curationẽ adhibeat ab eo, quod magis vrget. Regula enim est præsente eo, quod vrget, illi primam operam dandam esse, alijs tamen, quoad eius fieri potest, minime neglectis. Est quidem in proposito casu efficax ratio eius, quod vrget. Nam si extrema sit ple-

nitudo,

nitudo, à qua periculum immineat suffocationis, & extinctionis caloris naturalis: cuiusmodi enim affectum Auicennas supponit, cum ait: *Timetur super eum corruptio extremitatis.* Atque fuerit prætermissa venæ sectio anteaquam appareant, vel non sufficienter administrata: quis iudicabit naturam posse tantam humorum copiam regere, & gubernare, ne ex impetu ipsius calidum innatum illico suffocetur? Existimare profectò oportebit ægrotum breui moriturum, nisi natura largam sanguinis ex naribus effluxionem moliatur. Perinde habet atque in synocho putrida, in qua si vel propter ægroti inobedientiam, vel ignorantiam Medici sanguis missus non fuit, in maximum discrimen ægro vita constituta est, neque poterit liberari, nisi valida natura sit, aut fluxio contingat sanguinis, aut sudor copiosus, quemadmodum Galenus ait *nono de methodo medendi capite quarto.* Diximus enim superiore libro hanc febrem synochum esse.

Est autem quod hoc loco dubitet quispiam, quod apparentibus variolis etiamsi non sit missus sanguis, magnam spem concipere salutis debemus, quemadmodum in synocho sudore erumpente. *Dubium.*

Sed plurimum distant: quia sudor extra corpus educitur, at variolæ continentur in superficie corporis continuitate cutis circumdatæ: continentur etiam in partibus internis omnibus: ita vt periculum sit in istis longe certius, quam in sudore: qui præterea, quoniam ex tenuiore constat materia, facilius educitur: variolæ difficilius.

Porro considerandum, quod quemadmodum sudor ex toto corpore large profluens, virtute existente valida, sanare potest synochum: sic variolæ etiam si corpus multum abundet sanguine, possunt interdum à natura tam rectè expelli, & materia illa mala regulari, vt ægrotus imminens mortis cuitare possit periculum. Et quemadmodum sudore non bene erumpente ægrotus morietur: sic variolis non bene prodeuntibus ad perniciem deducetur: quod certe frequentissime contingere in artis operibus obseruatum est. Quamobrem indicatione sumpta ab eo, quod magis vrget, amplector Auicennæ consilium, remediumque huiusmodi faciendum consulo, periculosum illud quidem ex aliqua parte, sed eligendum, vt maius incommodum deuitemus.

Quo tutius euadat consulo, vt sanguis mittatur in exigua quantitate, ac repetatur eodem die bis.

Causa consilij est: quod si in magna educeremus quantitate, sanguis, qui ex venis omnibus ad superficiem appellit, retrouerteretur in ipsis venis, vt Galenus agens de curatione lassitudinis sensiuæ significauit: hoc autem foret magnum damnum in præsenti casu: at pauca quantitas id efficere non posset. *Vtilitates iterationis sunt missionis sanguinis.*

Secundo iteratio ipsa facit, quod vacuatio sensim procedat, & citra laborem virium exoneremus corpus à sarcina, qua premebatur, ita vt validior reddita expulsioni humorum noxiorũ incumbet longe validius: quod certe non fieret, si totam materiam semel vacuaremus. Ex quibus constat, vt sit primæ difficultati occurrendum.

Secundæ vero satisfacientes dicimus, quod in statu morbi salubris non conueniat, aut sanguinem mittere, aut purgare, si naturæ iudicium certum expectamus, cuius coniecturam habuimus ante ex signis iudicatorijs. At in morbis perniciosis, & malignis, in quibus certa spes non adest salutis ægroti, veremurque, ne ipsa natura in opere succumbat, apparentibus coniecturis euidentibus mali exitus, debet Medicus omni studio ac diligentia periculum anteuertere; sanguinem mittendo, & in quibusdam etiam morbis expurgando vniuersum corpus: in proposito casu vrgente plurimum magna corporis plenitudine statim debemus venæ sectione vtentes ab imminenti suffocationis, & extinctionis caloris periculo ægrotũ reddere immunem.

Si venæ sectionem repetimus eodem scopo vigente, ob quem prima vice missus fuit sanguis, necessarium est etiam, vt ex eadem vena vacuationem repetamus: quod si noui scopi sese offerunt, possumus eas ipsas incidere venas, quæ scopis respondent: ideoq; Auicennas vacuationem sanguinis è naribus laudauit, quia hæc vacuare solet insigniter caput, & faciem, licet etiam totum corpus, vt in febribus ardentibus apparet. Rhasis vero *libro de peste* mittit sanguinem ex inferioribus venis, quæ in ipso apparent poplite, vbi vena communis, seu media in cubito non apparuerit: tunc enim vult interiorem secari debere, quod si neq; hæc appareat, externam, quæ capitalis dicitur. At (inquit) detrahere præstiterit de vena poplitis interiore, media non inuenta, quoniam tales venę sanguinem de magnis alui visceribus magis quam capitalis trahunt.

Ego autem si febris admodum vrgeat, neque suppressæ sint vacuationes ex vtero, aut hæmorrhoides effluere assuetæ non restiterint, longe melius putauerim ex interiore dextri cubiti sanguinem mittere, quod proxime respiciat fontem plenitudinis, scil. iecur, vt Galenus ait *libro 13. de methodo medendi*, quam ex saphena, atq; multo satius iudicauerim ca phalicam incidere, quæ vnius & eiusdem trunci est ramus, quam ex inferioribus aliquam, præsertim si dolor capitis iungatur, aut parephrænitis, aut immoderatæ vigiliæ, quæ sæpius facere solent negotium.

An pueris conueniat secare venam.

Hic sese offert considerandum, an pueris conueniat venam incidere, si in hunc morbum inciderint illorum naturæ, & ætati familiarissimũ: verum quia de hac re magna est inter Medicos disputatio, & ego tum *libr. 1. meæ tractationis de missione sanguinis, cap. sexto*, tum *in libr. disputationum medicinalium quarto*, tum postremo *aduersus Alexandrum Massariam Tomo tertio epistolarum medicinalium* demonstraui apertissime secundum Galeni doctrinam sanguinem in ea mitti posse, supponens quæ ibi explicata sunt, breuiter hic recensebo, quid sentiam.

Pueris transacto septimo anno ex cubiti venis phlebotomiæ apertis iubeo vacuari sanguinem ad vncias quatuor, parum plus aut minus prout vires valuerint, morbusq; postulauerit.

Præterea in hoc opere efficiendo est etiam atque etiam animaduertendum, oportere chyrurgum maxime diligentem esse, ac in artis operibus exercitatum.

Pueris ab anno decimo vsq; ad 14. iubeo vt bis mittatur sanguis ex interiori dextra, singulis vicibus educendo vncias tres, aut quatuor, interposito intermedio die.

Quod si vrgere casus videatur, aut statim non fueris ad curationem accersitus, eodem die repete, vt hora vespertina. Galenum enim hanc repetitam in pueris venæ sectionem laudare, quæ *libro de ratione curandi per sanguinis missionem* scribit, manifestissimum faciunt.

Post annum decimum quartum semel Galenus vsque ad cotylam vacuat, sequenti die repetit dimidiam: mihi autem sufficere quidem videtur cotyla in duabus vicibus.

Ante septennium nunquam sum ausus pueris venam incidere scalpello: sed quidem & trimis, & quadrimis, ac deinceps vsq; ad septimum venis cubiti vnam aut duas, & aliquando tres hyrudines applicans, eam sanguinis quantitatem educo, quæ mihi expedire videatur.

Historia

Recordor, dũ Taurini Serenissimo Carolo inseruirẽ, ægrotante Victorio Principe eius filio secundogenito, Illustrissimum Iosephum de Accugna, nunc Mediolani Castellanũ admonuisse Medicos de consuetudine Hispanorũ in mittendo sanguine pueris ante septennium & mordicus cõtendisse, vt illi sanguinẽ mitteremus. At excellentissimis Medicis & mihi visũ nõ fuit obtemperare, q; serenissimus puer quidam habebat aluũ, quotidie vtiliter,

-quæ

quæ nisi fuisset nobis impedimento, certe sanguinem misissemus. Ergo pueris ante decimumquartum annum tuto venam alterutro modo secabis, statim in principio anteaquam apparere incipiant.

Scarificatio.

Quod si idipsum fieri non possit remedium, vel ob timiditatem ægroti, aut assistentium, vel ob resistentiam Medicorum, tunc certe optimum fuerit scarificationibus vti in vtroque crure, & sanguinem copiosiorem vacuare, qui modus inanuiendi corpora fuit antiquis vsitatus in pestilenti constitutione, vti docuimus *libro sexto & septimo tractationis huius*, ac etiam *in secundo tomo epistolarum medicinalium*. Longe vtiliorem duco hanc scarificationem, quam vel hyrudines venis hæmorrhoidalibus apponere, vel cucurbitulas humidas affigere natibus, & spatulis: quia longe potentius distrahunt scarificationes materiam à præstantissimis partibus, quam hyrudines, & cucurbitulæ.

Quid faciendum in pueris adhuc lactantibus.

Quæreret hoc loco aliquis, quid agendum in pueris quæ adhuc lactantur, nimirum à primo vsque ad tertium annum. Sunt, qui putarunt, posse illis duo cornua, seu cornettas, vt vocant, spatulis, aut natibus cũ scarificatione apponi: alij dicunt hyrudinem vnam applicandam venis hæmorrhoidalibus: quæ medendi ratio à Rhase, primum fuit proposita *libro de pestilentia, capite quarto*, in quo sic inquit. *At infantibus nuper natis, & qui lac sugunt, si quintum mensem excesserint, si bona carne prædíti sint, sintque albi rubeive, cucurbitulas apponito.*

Ego autem sic facere consueui. Inprimis lac nutricis soleo corrigere ijs ipsis, quæ sanguinem refrigerant, moderate incrassant, eiusque ebullitionem impediunt. Mox vero etiam lac ipsum purgatorium efficio dum purgans pharmacum nutrici exhibeo, nam ab illo alterutrũ lac fit eductorium, & purgans, vt constat ex Hippocrate *libro sexto de morb. vulgarib. sectione quinta, commentario trigesimo quarto*, cum inquit. *Mulier capra, elaterium, aut cucumerem syluestrem comedentes pueris purgatio.* In quibus verbis antiquus hic magister exemplo elaterij, & cucumeris agrestis intelligit omnem herbam habentem purgatoriam facultatem: nam idem continget, si capra tithymalum comedat si cyclaminum (panem vocant porcinum) si aliud quidpiam eiusdem generis: nam lac fiet purgatorium.

Neque putare oportet, voluisse Hippocratem mulieri pro puerorum purgatione, solum dari iussisse elaterium: quia hoc vel nunquam dandum, vel solum, cum infans hydrope tenetur (quo casu deplorata salus est) sed proposuit idipsum pro exemplo sua consuetudine, vt ex vno particulari vniuersale significaret.

Hæc autem tibi cautio est obseruãda, si opitulari volueris puero. Dum nutrix expurgatur, eo ipso tempore lac sugat puer. Nam purgabitur: quod si prorogaueris dare lac, non purgabitur: quia purgatoria virtus non amplius aderit.

An in morbillis vena secanda.

De morbillis eadem fere videtur vacuationis ratio: quia communem causam habent, in hoc solum mihi diuersa à variolis videtur: quod cum maiori præmeditatione conuenit sanguinem mittere, quia non adest tanta sanguinis copia, quanta in variolis: nec eiusdem conditionis, cum multa flauescente bile sit permixtus, & longe calidior, & magis feruidus. Interdum vero etiam neque huius ipsius sanguinis copia subest, sed vitiosissimi humores in venis permixti pauco sanguini efferuescentiam efficiunt, quo in casu consulerem, vt abstineretur à venæ sectione, siquidem maxima acrimonia vitiati succi damnum efficeret longe minus non misso sanguine, quam misso cum sanguis sit frenum bilis.

De vacuandi ratione in vtroque affectu per venæ sectionem, hæc sufficiant.

CAP. IV.

De ratione purgandi.

PROXIMVM est, vt de purgandi ratione, quæ cacochymiæ debetur, differamus.

Nonnulli opinati sunt nulla ratione in curatione horum affectuum purgationem fore exercendam, quod purgantia pharmaca calidissima quidem & acerrima non mediocriter ebullitionem ipsam augerent, adde quod pharmaca contrario quodam modo suo munere funguntur, atque in variolis faciat natura, nimirum expurgando ipsa excrementa per inferiorem aluum, natura vero sanguinem puriorem reddit educendo per superficiem corporis; quæ sane vacuatio omnino est laudanda, ac expetenda.

Præterea nihil æque periculosum est in eiuscemodi affectu, quam aluum habere fluidam: etenim ex fluore alui facile moriuntur ægroti, siue quod in intestinis plerunque vlcera fieri consueuerunt maligna & insanabilia, siue quod facultates ex nimia vacuatione ad extremam veniant imbecillitatem. Hinc quidem accidit, vt citius sanentur, quorum adstricta est aluus, quam quorum fluida, quemadmodum quotidiana experientia manifestum facit.

His rationibus persuasi abhorrent maxime genus omne purgationis, imo vero etiam clysteres ipsos, putantque omnes antiquos ex Arabum familia scriptores (nam hi potissimum de curatione horum affectuum diligentissime tractasse visi sunt) fuisse detestatos vsum purgationum.

Responsio. Ego vero licet maiori ex parte cum illis consentiam, nihilominus interdum necessariam esse purgationem censeo, quibusdam adhibitis distinctionibus, sine quibus vix quidem euitari posset error inemendabilis.

Quando purgandū. Inprimis itaque dico purgationis tempus, si quod inueniri potest, in hoc morbo accommodatum, esse principium, & declinationem vniuersalem.

Principium, quia inchoantibus morbis si quid videtur mouendum, antiquus magister monet esse mouendum, quo minori reddita materia, vt Galenus dicebat, natura fiat potentior supra residuum, concoquat humores citius, & concoctos iudicet.

In ipsa vero declinatione, quia licet ægrotus sanitati restitutus, conualescere tunc incipiat, tamen relinquuntur semper humores crassiores, & exusti in toto corpore, qui plane antea non potuerunt educi, qui nisi purgarentur, aliquem ex melancholicis affectibus generare possent; quamobrem, aut in vtroque, aut in alterutro tempore purgatio posset afferre vtilitatem. At certe damnum fieret summum, si quis cum efflorescere incipiunt, voluerit ad hoc auxilium accedere, atque longe magis detestandum, si postquam vniuersum corpus occupauerunt. Nam recte senex venerandus in aphorismis præcipit, *quæ iudicantur, & iudicata sunt integre, neque mouere, neque irritare oportere* scripsit. Ergo quia circa principia & fines omnia sunt imbecilliora, in his duobus temporibus accommodata sese offert agendi occasio.

Hanc licet raro exercendam suadeam, non tamen tutiorem esse arbitror in declinatione, quam in principio, propterea & in illa expurgare, atque in hoc ipso tuto consueui.

Considerandum inprimis sese offert, an ægrotus in hoc statu constitutus aluum habeat fluidam, vel adstrictam in priori casu omnino abstinendum, nã semper malum signũ est fluor alui, semperq; fuit periculosum ipsam sollicitare, imo vero omni opere, ac diligentia emplasticis vtendũ statim cly-

sterijs

sterijs ex lacte cocto, & amylo, ac eiusdem generis alijs, quo euitare valeamus labem imminentem ægroto, vt loco suo explanabimus.

Si autem fuerit adstricta aluus, est etiam amplius videndum, an multa inprimis vijs, id est, in ventriculo, mesenterio, ac intestinis, circa iecur, & lienem adsit malorum humorum copia; an ventriculi cruditatibus ex cibis pridie ingestis abundet: an contra sese habeat.

Si enim mali adsint humores, purgandum: si desint, non purgandum.

Instituenda autem purgatio est, qua solum viæ illæ communes detergantur, non qua humores existentes in venis, aut in toto corpore. Suntque in hunc vsum eligenda mitissima; & quæ indicationibus propositis respondeant: materiam hanc infrà docebimus.

Salubertimum etiam interdum fuerit, recentes cruditates vomitu educere, si facilem habuerint ægroti: quod videtur Galeni fuisse præceptum *libro quinto de methodo medendi capite duodecimo*, cum inquit: *Cæterum qui ex pestilentia hoc vitio laborarunt, propterea mihi facile sanati videntur, quod præsiccatum ijs, præpurgatumque totum corpus fuerit, quippe cum & vomuerint ex ijs nonnulli; & omnibus venter profluxerit.* Hæc Galenus.

Ex quibus illud etiam colligere possumus, quod purgatio secundum Galeni doctrinam cõueniat antequam morbus adueniat. Omnibus.n. vt inquit Galenus, venter profluxit. Quod quidem licet facere debeent Medici pro præseruatione simpliciter dicta, tamen etiam facere licebit, in præseruatione cum ipsa curatione coniuncta, modo tamen id fiat cum ea præmeditatione, quam diximus.

Quod autem hæc medendi ratio non sit aliena ab instituto Auicennæ, qui omnium diligentissime de hac tractauit materia, facile constare potest ex eius verbis, quæ sic habent *in prima quarti tractatu quarto, capite septimo. Et lenificatio vehemens, & oportet, vt sint cum istis Tamarindi, & quæ conueniunt eis.* Et paucis interpositis addebat: *Et sit intentio in eis quibus lenitur, sicut tamarindi. Et si non obedit cum eis addatur super eos siracost cum facilitate, & cautela, & terentabim, aut infusio prunorum.*

At dicet fortasse aliquis contrarium sentire, inprimis Rhasen, qui sic ait *libro de pestilentia, capite decimoquarto. Sæpissime accidit in hoc morbo, vt profluat per inclinationem venter, magisque in incendio. Hæc igitur quæ subducunt post inclinationem morbi cauere oportet, tametsi venter quam maxime siccus sit.* Ego autem inprimis neque de ipso Rhase ita sentio, nec arbitror opinionem Auicennæ rationibus esse destitutam. Etenim Rhases in ipso incendio (sic vocat morbillos) interdum salubriter purgari posse corpus *eodem capite* scribit; cuius verba sic habent. *Sicuti vero in ijs conuenit secare venam, quando nulla spes est aliter sedari posse, partim quidem, vt natura à plenitudine subleuetur, & vt suspicionem suffocationis languentis deuitemus: partim vero, vt plenitudo, & venarum, & arteriarum tensio, quæ necessario cum multis symptomatis fit, auferantur. Ita etiam* (subdit) *decorum est, in incendij initio excernere biliosum succum quendam, qui admodum superabundat, deinde ad hunc modum decenter porrigere, quæ extinguunt.* Hæc Rhases: quæ adeo præclare videntur hanc rem explicare, vt nullum superesse putem amplius dubitandi locum.

Verba in principio capitis posita, quæ detestari videntur purgationem, intelligenda sunt de variolis post illarum perfectum exitum morbo prorsus indicato, admonens, quod etiamsi venter siccus existat, cum præmeditatione & cautela exhibenda fore medicamenta purgantia, quod neque etiam nos detestamur. Doceamus itaque iam, quo tempore purgatio conueniat, quibuscum fieri debeat.

Diximus itaque in principio, & in declinatione conuenire interdum: tunc scilicet cum magna cacochymia adest, principium vero hic intelligo antequam apparere foras ex ipsa incipiant cute, in variolis raro, quod ma-

iori ex parte cum hoc affectu magis plenitudo ipsa, quam mali succi vicium coniungatur, in morbillis frequentius, quod contrario modo affecti sunt.

Quoniam vero quarta die efflorescere incipiunt in cute, quæritur qua die pharmacum exhiberi conueniat?

An venæ sectio purgationi an hæc illi præponenda.

Causa quæstionis est, quia venæ sectionem administrare oportet, atque eam repetitam: num scilicet hæc ipsa purgationi, an contra purgatio illi sit præponenda.

Quidam censent post venæ sectionem tutius exhiberi pharmacum. Ego autem nolo in vniuersali disserere de hac re, quia *libro octauo de ratione curandi per sanguinis missionem*, hanc videor exacte diremisse controuersiam.

Quod autem pertinet ad hosce affectus, dico salubrius esse, si non erit purgãdum statim prima die id præstare benignissimo pharmaco, quam prorogare post venæ sectionem: quia cum die altero sit repetenda, vix quidem occasio dabitur postea expurgandi, cum soleat natura eo, quo premebatur, vacuato, statim incipere variolarum exitum.

Adde quod expurgatis vitiosi succi humoribus qui circa primam regionem continentur, videmur tutissimi, ne ex venæ sectione rapiantur in venis, quod si forte contingeret, magnum inde subsequeretur incommodum.

Quod autem merito eiuscemodi periculum vereri debeamus, non est dubium ijs, qui sunt in artis operibus exercitati, & qui Galeni doctrinam sequuntur: nam *libro quarto de sanitate tuenda* veretur quidem mittere sanguinem, cum adsint in ventriculo humores crudi, timens, ne vacui successione ingrediantur venas.

Quid igitur putabis contingere, si humores quidem non crudi, non viscidi, non frigidi existerent, sed tenuissimi, & calidissimi? Non enim tam facilis est illorum, quam horum in venis attractio.

Cæterum in ipsa declinatione frequentius abstinemus, quod raro videantur adhuc permanere ipso in corpore mali succi excrementa: quod si contingat, vbi plane conualuerunt pueri, ac validæ sunt vires, purgari tuto poterunt.

CAP. V.

De materia pro purgatione accommodata.



DE materia medica nunc agamus.

Qua ratione pueri lactantes debeant expurgari, declaratum supra fuit: quæ vero conueniant medicamenta natu maioribus, hoc loco expendamus.

Cassia.

Cassia, & Tamarindi in primis conueniunt.

Cassia quidem refrigerat, & humectat, humorumque acrimoniam obtundens, ebullitionem illam, atque summam sanguinis agitationem facile corrigit: habere incommodi videtur, quod putredinem ipsam, qua humida est, emendare nequit, neq; robur addit visceribus, quod semper postulant; ne in illis variolarum nascatur copia, atque suo robore destituta in transmittendo illas extra corpus segnia sint. Duo hæc incommoda præclare arcet Tamarindorum permistio, qui frigidi, & sicci existentes aduersantur putredini, vt vero habent adstringentem facultatem roborant naturalia viscera.

Correctio incommodorum cassiæ.

Tamarindi.

Antiquiores solis etiam tamarindis vsi sunt, nec immerito, quia flauam bilem mitissime expurgant, feruescentem illam, & sanguinem ebullientem reprimunt, atque in summa, vt dicebat Mesues, verum est medicamentum febrium acutarum ventris lenitionem postulantium.

Manna.

Mannam Auicennas laudat, quod satis efficacem habeat leniendi vim, hanc ego solam non exhiberem: quia quæ duntaxat leniunt, aluũ lubricam

diú con-

diu conseruare solent, nec aliquid particulis addunt roboris, ideoq; vel abstineo, vel permisceo cum tamarindis, vel reubarbaro, vel decoctione aliqua corroborante potissimum, in qua myrobalani decocti sint, vel oxalydis, plantaginis, & rosarum folia simul cum floribus fructibusque cardiacis.

Aliud etiam in manna inuenio incommodi, quod mercatores quidam apuli adulterare soleant ex succo ficuum, & tithymali, ita vt plerunque obseruauerim superpurgasse: quod si forte fortuna in variolis contingeret, summum profecto esset malum.

Reubarbarum & agaricum longe præstantiora sunt, sed illud præstantissimum, vt puta, quod omnibus visceribus naturalibus faueat mirifice roborando, atque purgando semper cum summa securitate. Dari debet in substantia, vt magis roboret tam pueris, quam adultis senibus, ac etiam vtero gerentibus. *Reubarb.*

Non ita sentio de vsu agarici: nam quamuis roboret, nonnihil tamen ingratum stomacho existens, vomitum prouocat, qui in pueris non bene interdum cedit, grandioribus bene. Inter composita medicamenta præ cæteris videntur mihi maxime accommodata. *Agaricus.*

Diacatholicon, quatenus omnia expurgat leuiter excrementa, & ob substantiam reubarbari roborat; cui accedit michleta Nicolai, & triphera persica, ambo quidem pharmaca in ardentium curatione tutissima. *Diacathol.*

Ex iis igitur, quę dixi, iuxta ætatem ægroti, poterit vnus quisque accommodatum pro purgatione constituere pharmacum. Atque ne in hac re meum desiderare videantur studium recentiores, hic aliquot exempla purgationum describam.

Pueris igitur ante quintum annum, aut parum supra accommodata erit purgatio facta ex duobus scrupulis ad summum, vel ex vno, quod minimum reubarbari dissoluti ex sero lactis caprini.

Quo etiam tempore ex eodem sero elysteres fieri possunt etiam eo ipso die, quo sumitur pharmacum: nam detergendo, & abluendo intestina, ac moderate refrigerando iuuabit, ne superpurgatio accedat, aut vero præparabit, vt purgatio recte succedat.

Ante hanc ætatem raro medicamentum exhibui, solum contentus elysteriis frequentius repetitis antequam è cute prorumpere videantur.

℞: Pulpæ tamarindorum ℥ iij. dissoluito ex decoctione communi florum, ac fructuum & puerulis exhibeto. *Potio.*

A quinto vsq; ad decimum.

℞. Tamarindorum acidorum ℥ v. aut vj.
Diacatholici ℥ ij. ex iure pullæ, in quo decocta sint cardiaca, præsertim radix angelicæ, aut mirrhidis ℥ ij. fiat potio. *Alia.*

Vel ℞ *Rheubarbari electi ℈ iiij.*
Michleta Nicolai ℥ iij.
Syrup. rosati solut. ℥ ß. misce.

Vel ℞. *Floris cas. rec. extracta ℥ vj.*
Pulpæ tamarindorum ℥ ij. ß. fiant boli ex zacch. vel dissoluito ex idoneo apozemate. Pueri enim plerumq; nesciunt deglutire bolos.

Aut hoc exhibeatur ex manna.

℞. Mannæ electæ ℥ vij.
Pulpæ tamarindorum ℥ ij. Ex decoctione hordei.

Grandioribus natu in hunc fere modum pręscribere licebit pharmaca.

℞. Floris cas. rec. extract. ℥ j.
Pulpæ tamarindorum ℥ v. aut vj.
Decoctionis prunorum dulcium facta in hordeacea, quantum sufficit, vel ex sac. fiat bolus.

Aut: ℞. *Prunorum damascenorum, aut saltem dulcium demptis ossibus* ℥ j. *decoque in aqua lactis ad tertias.* Tum vero: ℞. *huius decoctionis* ℥ iiij. *in qua dissolue, pulpæ tamarindorum* ℥ iij.
Diacatholici ℥ vj. misce.

Hæc exempla non sunt ideo à me proposita, vt ad vnguem ab aliis debeant vsurpari, quia nihil æque artem medicam coniecturalem facit, quam vniuscuiusq; remedij quantitas, vt alicubi dicebat Galenus, & quidem hæc ipsa neq; scribi, neq; doceri exacte potest. Sed solum, vt quæ longo artis vsu in rem præsentem vtilissima obseruaui, enarrarem, aliis vtantur alij, modo seruent methodum.

Sed prætermittere hic neq; possum, neq; debeo, ad euitandum superpurgationis periculum in omnium morborum curatione, modum exhibendi pharmaca simul cum sorbitionibus nutritorijs ab Hippocrate primum traditum, à Galeno confirmatum in curatione inflammati iecinoris, ab Auicenna vero in curatione præsentis affectus expositum, nunquam esse memoria obliterandum. Nam præter quam quod à manifesto præseruat periculo (quod semper optandum, sed maxime omnium in hoc affectu) iucunda fit purgatio, quo sane modo pueros non raro vtiliter me decepisse, sciunt qui artis opera exercentem aliquando viderunt.

Soleo igitur cum ptisana hordeacea, aut pane contrito ex iure pullæ alterato cum oxalyde: lactuca, plantagine, dissoluere interdum mannam, interdum tamarindos (neutrum autem saporem sorbitionis mutat, ita vt iucundus ægroto non sit) vel etiam iis, qui grandiores natu sumere bolos, aut pilulas didicerunt statim ante prandium aut cœnam, bolum cassiæ cum tamarindis, aut pilulas ex solo reubarbaro feliciter exhibeo.

Cap. VI.

Quibus alterantibus vtendum, antequam variolæ appareant.

TVNC vtilissimum est vti alterantibus, cum corpus vniuersum, & à plenitudine, & à cacochymia liberatum fuerit: venæ sectione ac etiam, si oportuerit, purgatione.

Fit autem eiuscemodi alteratio tum victus ratione, quam medicamentis, de victus ratione dicemus in vltima parte libri huius: Hic de medicamentis.

Quoniam vero alia conuenit alteratio antequam appareant, alia postquam apparuerint, prius de priore mox de alterationis alia ratione diligenter tractabimus.

Rhases *libro de peste cap. 6.* inter alia remedia, quæ refrigerare possunt sanguinem, & illius ebullitionem impedire, post venæ sectionem statim exhibendam vult frigidam niue alteratam, consulitque non semel exhibendam, sed secundo, ac tertio, atque aliis diebus, donec vniuersum corpus penetrasse aquam viderimus, & vrinam prouocare; præstat in iuniorum gratiam recensere totam eius dictionem, quæ sic habet:

Et in hunc modum ipsi, quæ febrem exstinguunt, porrigito, nimirum frigida, cuiusmodi est aqua in niue, quam frenominerit, rursus propinato. Cumq; videris, quod ab exstinguentibus sedatur febris, quodq; corporis tactus ad naturalem affectum redit, talem ne deseras curationem. Repones igitur interea perturbationem omnem, & exacerbationem morbi pestilentis: est vero aqua, quæ in niue est perfrigerata ex his, quæ egregie exstinguunt frigefaciuntque, affatim, & abunde propinata: scilicet quo ad perfrigeratio in ventre sensu sit percepta.

Quod si præterea accedat febris, calorq; reuertatur, porrigito secundo quantitatem li rerum trium ampliusue, idq; in horæ dimidio.

Verum si redibit calor, siq; venter aqua expletus priorē euomito, rursumq; propinato.

Sin

Sin videris aquam penetrasse, & patientem languentem sudore, & vrinam promoueri, id tibi signum euidens esto proximam esse sanitatem.

Verum si aqua non permeauit, rursumque calor quasi pacatus & mitigatus, & reuertitur, qualis erat, amplius ne tum frigidam aquam emitte, & ad medicamenta extinguentia, ac sedantia quæ iam ante ostendimus, declinato. Hæc Rhases.

Hanc medendi rationem non esse admittendam, vtpute quæ sit plena periculi, censeo. Nam in primis illud certe manifestam facit fidem huiusce rei, quod pueri, quorum peculiaris morbus est, nunquam hac ratione sanari poterunt. Frigidæ enim potus vsque ad satietatem non debet in hac tenella ætate administrari propter imbecillitatem virium, ne calor naturalis extinguatur: periculosum enim hoc remedium si quod aliud, certe vires postulat validas non solum pro statu præsenti, sed etiam futuro. Nunquam enim obseruatum fuit, in pueris ante annum decimumquartum, multo minus in infantibus, potum frigidæ salubrem extitisse. *Frigida potum non esse [illegible]*

Secundo, non est potus frigidæ repetendus secundo, tertio, & quarto, sed semel duntaxat in curatione febrium ardentium, & synochorum administrandus, vt ex Galeno docui *in tractatione de potu frigidæ.*

Tertio, non conuenit frigida in synocho, qualem esse febrem variolarum supra demonstratum fuit, nisi cum forte fuerit prætermissa venæ sectio, quemadmodum Galenus testatur *libro nono de methodo medendi, capite quarto.* Rhasis vero prius mittit sanguinem, postea vero ter, vel quater dat frigidam cum niue alteratam.

Præterea si variolæ benigniores extiterint, quæ solum fiunt naturaliter pro sanguine à sordibus expurgando in principio generationis contractis ex menstruo sanguine hanc insignem refrigerationem non postulant, qua prohibetur illarum exitus, causa interim delitescente intus. Solum hoc insequi videtur commodi, quod ebullitio tollitur, & efferuescentia sanguinis, sed non eius causa. Dicet fortasse Rhases, causam etiam remoueri, quia post potum frigidæ sudor accedit, atque vrinæ profluuium. Respondeo, id non succedere necessario, nisi in robustissimis corporibus, cuiusmodi ob ætatem pueri non sunt: cuius rei eius verba fidem faciunt, ostendentia, aquam frigidissimam non penetrare totum corpus interdum prima vice, nec secunda, nec tertia: quod si accidit, iubet abstinendũ à frigida, ac alijs vtendum pharmacis extinguentibus feruorem sanguinis.

Debemus perpetuo ea potissimum exercere auxilia, quorum exploratus, ac certus sit euentus prætermissis dubijs, atq; incertis.

Amplius in variolis malignis, quarum vel duplex causa est, naturalis vna, alia vero præternaturalis, ab aere putrido, aut coinquinato cõtracta: vel vnica, externi scil. aeris affectus; neq; conuenit frigida ad satietatem potata. Quandoquidem vires validæ non consistunt in humorũ corruptela, vt possint ferre extrema remedia, cuiusmodi est venę sectio vsq; ad animi deliquiũ, ac potus frigidæ, vt alibi demonstrauimus. Ac etiam si ferrent, nunquam in hac ipsa curatione vsurpare debemus remedia, quæ non addunt robur ipsis visceribus, at aqua niue refrigerata non solum non addit robur, verum etiam maxime diminuit præterquam q; periculum suffocationis infert non raro.

Crediderim in Aphrica, ac in regionibus calidissimis maxime sæuire hoc morbi genus, ac in ijs fortassis tutius dari posse frigidam, præsertim quod Mahumetanis prohibitum sit vinum bibere: assuetis enim potu aquæ, longe securius est remedium. At in Europa longe dispar est ratio, in qua bibitur vinum, & calor non multum facit negotij.

Dixi de hoc remedio, quid sentirem, eo libentius, quod nostra ætate quidam Capelletus Arimini medicinam faciens temere admodum ausus fuit id experiri in Cingulanis montibus maximo ægrotorum damno. De reliquis igitur in hoc genere tutissimis agendum.

Arabes,

Arabes inter quos est Auicenna, & Rhases, diligentes admodum videntur exstitisse in medicamentis alterantibus describendis, ita vt mirabiles quasdam referant compositiones. Verum quia horum quædam nequeunt hodie administrari, siue quod ingredientia quæ sint, ignorentur, siue quod constant ex simplicibus quibusdam, quæ apud nos neq; reperiuntur, neq; facile aduehi possunt, prætermittentes illa solum recensebimus vsitatissima apud omnes, & quæ facile parabilia sunt.

Sit autem in primis hæc regula in eorum electione semper ob oculos. Nempe vt prima die, vsq; ad quartæ initium, aut parum postea vel ante, dum scilicet in occulto sunt variolæ, istis vtantur, quæ refrigerant, quæ sanguinem moderate incrassant, quæ ebullientem ipsum retardent ab excessu nimio, quæ astringendo suauiter, roborent, & leniendi vim quandam habeant.

Omnes itaq; syrupi acidi sunt vtilissimi, cuiusmodi est syrupus de agresta, de ribes, de berberis, de acredine citri, ac limonum, ac arantiorum, de succo malorum punicorum acidorum, Syrupus de acidis cerasis, & de succo malorum acidulorum eorum præsertim, quæ in regno Neapolitano vocantur azaruolæ. Hæc & alia huiusmodi, quę iuxta methodum supra dictam ex tempore a iudicioso Medico preparari possunt, in re pręsenti, tuto vsurpari debent, si quidpiam addiderimus, quod lenientem facultatem habeat, quale cum primis est decoctum prunorum, aut tamarindorum, aut pt[illegible] sanæ permistio, aut ex hordeo decoctum, aut serum lactis, maxime si fuerit acetosum.

Mihi vero familiaria sunt tria. Primum est syrupus, qui sic paratur.

Syrupus. *℞. Succi malorum punicorum acidorum,*
Succi omphacij, an. ℥ viij.
Succi pomorum acidulorum ℔. ß.
Seri lactis vaccini acetosi ℔ j. ß. coquantur simul ad consumationem seri lento igne, & in vase duplici, mox cum zacchero facta prius colatura, in formam iulebi redigantur. De quo sumat quater singulo quoque die ℥ iij. cum vncia semis decoctionis hordei plane cocti. Pharmacum est omnibus gratum, præsertim pueris.

Alterum est eiusmodi mixtura

Pult. *℞. Seri lactis acidi ℔. j. in cacabum ponatur ad ebulliendum, atque cum incipit ebullire adde, carnis iniubarum maturarum contusarum ℥ ß.*
Pulpæ tamarindorum ℥ j.
Farinæ hordei cocta & cribellata ℥ j. & ß.
Iniubas primo contusas, & tamarindos misceto cum sero, & bene agitato cum baculo expressus. postea vero paulatim addito farinam, vt totum euadat in formam pultis: quæ calida sumitur vtiliter ex cochleari ad ℥ iij. pro vice. Hoc medicamentum est alimentosum.

Enema ex lacte. Tertium remedium est clysteris vsus ex lacte. Nam singulo quoquo die iubeo imponi vnum horis duabus ante cibum ante variolarum exitum. Iubeo fieri interdum ex lacte cocto si aluus per se sit mollis, vt pueris plerisque contingere consueuit: Interdum ex crudo duntaxat iis, qui adstrictam aluum habent.

Ratio huius consilij est, quia aluo existente humidiore, propositum est præcauere, ne aduenientibus variolis exulcerentur intestina: optime autem adeo præseruantur ex lacte, vt nihil melius in re præsenti possit contingere: propterea lac ouinum, aut vaccinum inijcio, quę sunt ob copiam caseosæ substantiæ crassiora, concoctum inijcio, quia desidero euanescere serũ, quod aluum soluit. Non excedo libram, quia volo ipsum retineri diu multumque, non cito expelli. Non coctum autem tunc imponendum censeo, cum aluo adstricta existente procurare volo vacuationem fæcum, & simul præcauere à periculo vlceris.

Scio

Scio mulieres aſſiſtentes & ignaros quoſdam Medicos clyſteres magna ex parte deteſtari, quorum Medicorum officium eſt magis obtemperari fœmellis, quam recte mederi: verum ego, quia ſemper iudicium vulgi contemnere didici, nihil prorſus illarum dicacitatem curaui, ſed inuitis illis ſemper cum magna ſecuritate, & ęgrotorum vtilitate ſumma illis ſum vſus. Imo vero etiam variolis exiſtentibus in vigore aluo exiſtente fluida remedium adhibui feliciter: quam ob rem nulla ratione genus hoc præſidij tutiſſimum prætermitti debet.

Docui hactenus, quibus vtendum antequam exeant, nunc videamus, quod fieri expediat, cum exeunt.

Cap. VII.

Quæ remedia conueniant variolis exeuntibus.

XEVNTIBVS variolis mutanda medicamenta ſunt. Mutatio autem fieri debet duplex.

Vna quod haud amplius ita frigidis vtendum, incraſſantibus nunquam parum aſtringentibus perpetuo.

Alia eſt, quod localibus quibuſdam vti cogimur ad pręſeruationem partium, quæ à variolis affectæ, aut viſionem tollunt, aut tam inſignem contrahunt morbum, vt ægrotum ad rabem deducant: vtrumq; genus remedij eodem tempore exercendum. Doceo in primis rationem præſeruationis.

Cap. VIII.

De remediis ad præſeruationem partium vtiliſſimis.

RÆSERVANDI ſunt oculi, quia ſi in cornea accidunt variolæ, fit eius ruptura, & vlcus ſanatu difficile, ſi ante pupillam veniant, gignitur ex cicatrice neceſſario cæcitas.

Præſeruandæ nares, quia exulcerantur ita, vt nouerim quoſdam contractis primum malis ozænis tandem in polypum incidiſſe.

Præſeruandæ fauces, guttur, & pulmones, vt ab imminenti periculo reddantur immunes futuræ phthiſis, exulcerationis, ac tabes ex defectu alimenti: Denique pręſeruandi ſunt renes & inteſtina: illi quidem ne in fluxum ſanguinis veniant, qui ſæpe numero facere ſolet negotium: hæc vero, ne exulceratis illis miſere ægroti ſuprauenіente dyſenteria moriantur.

Communem habent hæ partes præſeruandi rationem, qualem docuimus, ac etiam docebimus poſtea ex curatione morbi huius, ſed particularem poſtulant ſingulæ partes ob imminens, quod diximus, periculum, de quibus dicam ſigillatim.

Oculis antequam in illis appareant, refrigerantia, & repellentia præſidia adminiſtranda ſunt, quæ nunquam externis in partibus concedenda, debentq; actu frigida, etiamſi fuerit hyems, adminiſtrari, ſolum minus frigidis hyeme, quam ęſtate vtendum. *Præſeruatio oculorum.*

Adſtringentia autem non debent eſſe admodum valida. Sunt imponenda ſupra totum oculum, comprehendendo ſupercilia, & totam orbitam oculi mollibus linteaminibus madefactis in medicamento, quæ non ſunt permittenda, vt exiccentur ſupra locum, quia poſtea in remotione illorum dolor fieret, quam ob rem ſemper debent actu humida ſupra locum ipſum conſeruari.

In rem igitur præſentem tutiſſime adhibetur oui candidum multum agitatum, & in aqueum humorem diſſolutum, cui addunt alii aquam plantaginis, aut roſarum. In oculos autem alij aliud inſtillant. Ego extra oculum ſic præcipio illinitionem fieri.

℞. Succi plantaginis.
Succi polygoni depuratorum, an. ℥ j.
Aqua rosata ʒ vj.
Albuminis oui recentis, diu agitati, num. j.
Croci gran. v. vtitor vsq; ad quartam.

Intus vero præseruatiuum efficax hoc modo parabitur.

Collyrium.

℞. Collyrij albi simplici (sic appello in quod non ingreditur opium ʒ j. & ß.
Aqua rosarum, aut plantaginis, in qua aurum ignitum decies extinctum fuerit ℥ ij.
Camphora ℈ ß. *misceantur pro collyrio.* De quo singulo quoque die quinque aut sex vicibus imponantur guttulæ tres, aut quatuor maiori angulo.

Transacta secunda die addito huic collyrio croci subtilissime puluerisati grana tria.

Tota quarta & quinta, si videris variolas circa totum corpus optime procedere, in oculo vero adhuc non apparere, aut exiguas, & non in cornea, sed in sola duntaxat coniunctiua, insequaris idem medicamentum per totam quintam, vt certior fias de bono variolarum euentu.

Quod si iam conspicuæ videntur circa tunicula̅ corneam, vtilissimum est, huic addere collyrio pulueris stibij tenuissimi grana iij. ac bene permista rosacea cum collyrio albo, instillare in oculum, vix dici potest, quam egregium sit medicamentum, & ego sane possum testari, me nunquam frustratum fuisse fine. Nec oportet amplius illud insequi post quintam, quia scio adeo fuisse particulam ex hoc pharmaco confirmatam, ac roboratam, vt de cætero variolas nō admitteret: nec quę cœperunt apparere in coiunctiua, aut cornea, suppurantur, sed exsiccantur ac dissoluuntur.

Quod si forte contingat exulcerari, & rumpi corneam (id enim omnibus etiam rite peractis, bis, aut ter obseruaui) eam adhibeo curationem quam docuimus in nostra medendi methodo, *& in secundo tomo epistolarum medicinalium.*

Cæterum circa vsum oculariorum præsidiorum duo consideranda sunt. nempe ne aliquando vtaris stuporem inducentibus pharmacis: nam licet statim videantur opem ferre, vt valide repellendo, atq; dolorem sedando, tamen tuto non administrantur: quia membranas ita condensant, vt perpetuo imbecillam visionem reddant, ideo supra notauimus, administrandum esse sief album sine opio: sed non propterea negauerim vsum alterius fore etiā salutarem, si quis id commode adhibeat, regulis scilicet obseruatis, quas explicauimus *libro de stupefacientium administratione.*

Alterum est, quod semper caueas, in hoc morbo, ne curando dolorem inferas: quædam enim exsiccantia & adstringentia collyria ab Auicenna recensentur, in quę ingrediuntur aqua salita ac eius generis plura, quę quidem licet conferant, quia tamē dolorosa, prætermittenda puto: præsertim in pueris & mulieribus.

Praeseruatio narium.

Naribus autem succurres hoc modo. Odorare conuenit acetum rosaceum simplex: præstat etiam oderamentum, quod sequitur.

Odoramentum.

℞. Aqua plantaginis chalybeata ℥ vj.
Aceti rosati ℥ j. ß.
Camphora ʒ ß.
Sandalorum rubrorum ʒ j. misceantur in phiala, atque agitata materia odorentur.

In hac etiam intincto bombice intus nares ambas oblinito.

Vtile quin etiam est, quod sequitur.

℞. Succi chelidonia, quem fortassis memita vocarunt Arabes ℥ ß.

Syrupi

Syrupi de agresta ℥ j. *Aliud.*
Sandalorum citrinorum ʒ j.
Aceti ℥ j. *Misceantur pro odoramento, & pro linimento interiorum partium.*

Si hæc diligentia forte non conducit, sed ex morbillis vlcera nascantur statim vtitor intra nares hoc vnguento.

℞. *Olei rosati omphacini in mortario plumbeo diu cum plumbeo pistello agitati.* ℥ j. ß. *Vnguentū.*
Muccilaginis tragaganthi, & seminum citoniorum ex aqua rosacea chalybeata. ʒ vj.
Ceræ. q. s. pro linimento, quo quater singulo quoque die oblinantur nares.

Magna sollicitudine istis incumbendum est partibus quia si hoc afficiantur morbo, nulla salutis spes erit, cum statim suffocētur. Ergo statim accedente febre vtitor hoc gargarismate. *Præseruatio faucium & gutturis. Gargarismate.*

℞. *Aquarum rosarum* ℔. ß.
Plantaginis. ℔. j.
In quibus Sumach tenuissime puluerisatum incoque, postea colentur.
Addito colaturæ, Diamoronis ℥ v.
Succi granatorum. ℥ iiij.
Misceto pro gargarismate actu frigido.

Aliud ad idem valens.

℞. *Sumach.* ℥ j. *Aliud.*
Mirtillorum.
Rosarum rubrarum.
Foliorum consolidæ minoris, aut polygoni. an. manip. vnum.
Pomi granati acidi in quatuor partes diuisi. num. j.
Aquæ plantaginis chalybeatæ. ℔ ij. ß.
Coquantur ad consumationem quartæ partis, & facta colatura adde, Diamoronis.
Diacarion (ros nucum appellant) *an.* ℥. iix.
Aceti rosati ℥ ij.
Vini nigri austeri ℥ iij. *misce pro gargarismate.*

Sæpenumero accidit pueros affici, qui gargarismis vti nondum didicerunt, iis igitur sic opitulabimur.

℞. *Ros nucum.*
Diamoronis. an. ℥ iij.

Sumat ex cochleari lambendo: delicatum enim est pharmacum, puerulisq; gratissimum. *Lambitiuum.*

Quod si neq; istud degustare velint morosi pueri, detur illis frequenter vinum granatorum medii saporis aut acidi.

Si hoc etiam respuant, in istis succis bombicem, aut pannum lineum humectato in baculi cuspide posito: atq; tangito fauces affectas haud raro.

Sum præterea expertus sauoneam hanc sumere libenter pueros: qua ipsa ex Rhase vtebatur fœlicis recordationis pater meus. *Sauonea.*

℞. *Mucillaginis psyllii.*
Olei amig. dulc. recentis. an. ℥ j. ß.
Pulueris sacchari fini ℥ ij.
Misce fiat Sauonea, quam lambendo sæpe sumant.

Arabes propemodum omnes eclegma de lentibus ad pulmonem præseruandum ponunt. Quod Iacobus de Partibus hoc modo præparat. *Præseruatio pulmonū. Eclegma de lentibus.*

℞. *Lentium. man.* ij.
Vuarum passularum mundatarum. man. j.
Seminis papaueris. ʒ ij.

Rosarum. ℥ j. ß. *Fiat decoctio ad pondus libræ vnius in qua dissolue. Saccharicandi.* ℔ ß.
Diadragaganthi. ℥ ij. *teneantur supra lente igne, donec perueniunt ad formam loboch.*

Aliter describit huiusmodi elegma Guainerius Papiensis hisce verbis.

Aliud. ℞. *Lentium excorticatarum, & subtiliter tritarum.* ℥ iij.
Semin. papaueris albi. ℥ j.
Conseruæ rosarum.
Iulebi rosati an. q. s. Misce fiat loboch.

Differunt inuicem hi duo authores. Quod Iacobus ex decoctione lentium facit eclegma: hic vero ex ingredientium substantia, Iacobus simplices habet lentes. Guainerius excorticatas & tritas, Iacob. ex Saccharo, & diadragagantho cum decoctione facit eclegma: At Guainerius ex Saccharo rosaceo, & iulebo rosaceo. Iacobus addit rosas. Guainerius minime.

Ioannes Arculanus sic interpretatur hæc Auicennæ verba. *In conseruatione vero pulmonis non est, quod sit. sicut loboch de lentibus lene cum semine papaueris.* In conseruatione autem pulmonis non est aliquid ita conueniens sicut succus lentium scilicet coctarum cum semine papaueris, qui potest lambendo sumi.

Ego vero semper Iacobi descriptionem sum insequutus cum nouerim in artis operibus esse efficacissimam.

Lentes porro ipsas sumo integras, sed contusas leuiter, vt decoctioni suas vires facilius communicent Decoctionem facio in aqua farfare destillata, vt facilius ad pulmones virtus deuehatur: Dosis aquæ sint libræ duæ. In libra decoctionis colatæ, admisceo secundum artem Sacchari fini vnci. 5 & diadragaganthi recentis vnc. iij. est pharmacum iucundum.

Ludouicus, pater hoc habebat familiare medicamentum.

Eclegma. ℞. *Papaueris albi.* ʒ x.
Amygdalarum dulcium excorticatarum.
Dragaganthi.
Gummi arabici. an. ʒ ij.
Farinæ lentium excorticatarum. ℥ j. ß. *Cum syrupo iniubine, & penidiis. q. s. fiat eclegma.*

Profluuio intestinorum. Circa fluorem alui in variolis duæ opiniones sunt: quarum vna est Auicennæ, qui statim vult intestina conseruari debere cum adstringentibus, cum vero postea fluor alui aduenit in fine ægritudinis curandos cum Trociscis de spodio & ribes & Trociscis de sthine acetosæ. Cuius viri sententiam ad vnguem censeo imitandam, vt puta qui sciam fluorem alui in quocunque tempore contigerit, signum esse in hoc morbo malum: & si aduenerit ipsis efflorescentibus, ac vigentibus magis malum: Si declinantibus pessimum.

Nam ægrotum semper ad tabem deducit.

Alii vero distinguendum esse suadent hoc modo. Auicennæ opinionem non esse semper veritati consonam: quia si fluxus fuerit tantum ratione variolarum occupantium intestina (quod cognoscitur quia in egerendis excrementis ægroti in imo ventre dolent, & sanguine viuidiore conspersa cernuntur excrementa) verissimum esse Auicennæ præceptum.

Signa fluxus ratione variolarũ.

At vero, si fluxus superuenerit ob materiam derelictam à natura, quam per cutim non excretam, per aluum tentat extra mittere, adstringentibus haud esse cohibendum: quinimo si prudenti Medico oportunum videbitur, iuuandus medicamentis benedictis: qualia sunt Reubarbarum, myrabolani, Tamarindi, ac huius generis alia: quæ præterquam

quod catoclyimani [illegible] d [illegible] etiam adstringunt, quę [illegible] potissimum in curatio [illegible] solent [illegible].

Hæc recentiores Mou [illegible]. Quo [illegible] patio nunquam potuit [illegible] In primis [illegible] huiusmodi [illegible] iudicio ter minari, hæc fidem faciet, fluore in declinatione adueniente, [illegible] exulceratiuus, maior [illegible].

Sed nulla experientiæ habeatur fides, rationi [illegible] vtgeamu [illegible] Primo locò interrogo istos. An hic fluxus adueniat eo tempore [illegible] symptomatis.

Si criticum esse dixerit, vt dicere illos, & omnino statuere necessarium videtur [illegible] materiam [illegible] natura purgarum per cutem, sed [illegible] portionem, quam per aluum expurgat, tunc dico [illegible] posse [illegible] ratione, [illegible] iudicata sunt [illegible] neq; no [illegible] sed tenere [illegible] *primo libro aphorismorum* [illegible] Hippocrates.

[illegible] esse perfectam, sed dimidiatam, cum per duos locos fiat [illegible] per cutem & per aluum.

Contra responsionem [illegible] instabo [illegible] ac primo confiderum do [illegible] Nam si vna pars per corpus [illegible] à valida natura [illegible] cur [illegible] eandem non [illegible] ante perfecte [illegible].

[illegible] re alui cum febre [illegible] ratione, vacuare [illegible] admonuit *primo ad Glauconem cap. decimoquarto*. Nam si exhibito pharmaco [illegible] remedii loco [illegible] o autho [illegible] q [illegible] de ratione [illegible] morbis acutis.

[illegible] aro, [illegible] cognoscitur [illegible] esse dimidiatam. Non [illegible] ex materia, quę per duos locos diuersos, & diuersis temporibus educitur, vt illi dicunt, salubriter. Neque enim modò [illegible] morbi cui non est lon [illegible].

Tertio neq; [illegible] accommodata ad euacuationem humorum, si quæ aliæ [illegible] Galeni testimonio *commentario 21. primi aphorismorum*.

Quarto neque ob qualitatem humoris. Quia humor est [illegible] crassus, feculentus [illegible] certe, qui expurgetur per cutem, [illegible] Aptissimus [illegible].

[illegible] motus [illegible] tantum esse, [illegible] perfectu [illegible].

[illegible]

Quod [illegible] in declinatione omnis [illegible] signum si aluus [illegible] decimant [illegible] variolæ [illegible] Arabum Schola pro [illegible].

Quod si in aliis temporibus adueniat, [illegible] esse signum [illegible].

N n 2 certe.

Ego autem dico ob hanc causam vtroque modo illorum accommodatissimum esse vsum: nam si solum voluisset intelligere adstringentia per sedem fore imponenda, generatim non fuisse locutum: Quamobrem tutissime horum trociscorum drachmam vnam in sorbitione ptisanæ factæ ex hordeo torrefacto, & in aqua chalybeata cocto, dissolutam ante cibum horis quinque, dabis, & prout prudens Medicus necessarium iudicauerit, repetet.

Ego vtor trociscis ex terra lemnia non minori vtilitate, quam ab Auicenna descriptis.

Vtiliter etiam soleo præcipere, pultem ex farina hordeacea coctam in clybano, factam cum chalybeata in qua cocta sint Sumach, & fructus ribes.

Reliqua ad hanc intentionem pertinentia petant studiosi in curatione dysenteriæ: & nunquam non meminerint, hunc de astringendo scopum pertinere ad vitam, ac idcirco nunquam in artis operibus prætermittendum.

Pro auribus præseruandis multa possent administrari. Sed duo, quæ sequuntur, præcipua sunt à Rhase commendata. *Præseruatio aurium.*

Vnum. ℞. *succi glaucii, id est chelidoniæ, recentis, si haberi posset, sin minus condensati: postea in lapide marmoreo leuigati:* ℥ ß.
Aceti rosati ℥ j ß. *mistis vtitor.*

Alterum est, quod habet. *Marmoris leuigati.* ℥ ß.
Croci ℈ ß.
Glaucii ℥ j.
Aceti rosati. ℥ ij.
Guttæ ponuntur quatuor in singulis auribus singulo quoque die bis.

Raro contingit præseruari debere ipsos renes: quia experientia ostendit, sæpenumero liberari à variolis ægrotos sine aliquo rerum affectu. Bis vidi hactenus eos incidisse in sanguinis mixtionem ex renibus. Eadem medendi ratio conuenit, quo ad scopum pertinet. Nimirum roborare, etsi inuaderet sanguinis mictus, impedire ipsum & solutos renes vnire. Carabes, succinum vocant, vsus, vtrumque insigniter præstat. *Præseruatio renum.*

Sunt, qui vtantur simplici, solum miscendo, quæ vim habent deducendi pharmacum ad renes, qua vi destituti sunt: atque sic medicamentum parant.

℞. *pulueris carabes subtilissimi.* ℈ ij.
Seminum anisorum. ℈ j.
Terebinthinæ Larycea. ℥ j.
Fiant pilulæ numero decem. è quibus dentur quinque hora matutina quinta ante prandium, ac immediate bibat iuris decoctionis cicerum rubeorum, & radicum altheæ ℥ vj. Et die sequenti sumat alias.

Ego sum vsus Trociscis de carabe ad ℥ ß. cum Trociscis de halicacabi, ℈ ij. dissolutis in iure decoctionis capill. veneris, politritidi, & Florum alteæ.

Hic vero sciendum est pharmaca huiusmodi nunquam exhibenda, nisi euidens appareat signũ affectus inuadentis renes: alioquin periculosum est variolis apparentibus statim administrare, quod in aliis affectibus, de quibus hactenus egimus, aliter contingere fuit demonstratum.

Animaduertimus perniciosam hanc pestem, vt Rhasis nomine vtar, in ipsis articulis adeo sæuire, vt ossa etiam subdita detegat, atq; corrumpat, tendinesq; & vincula rumpens, mutilet membra. *Præseruatio articulorũ.*

Ne hoc malum accidat, antiquorum præcepto opitulari hoc modo expedit.

Articulos quanto citius fieri potest oblinito sequenti medicamento.

℞. *Aquæ rosaceæ.* ℥ iiij.
Aceti rosati. ℥ j. ß.

Boli armeni, aut terræ lemniæ. ℥ j. & ß.
Pulueris rosarum rubrarum. ℥ ß.
Glaucij.
Sandalorum citrinorum puluerisatorum. an. ℈ j. *misceantur omnia.*

Atq; pannis linteis in hac materia madefactis oblinito articulum, qui male habere videbitur: & cum pannus exiccabitur, denuo oblinito quater id matutinis, & quater vespertinis horis facito, & si oportere noueris, diebus duobus continuato. Est autem in horum præseruatione seruanda regula Rhasis, quæ sic habet. *Eas vero, quæ ab his distant particulas, ne abunde illinito.* Qua ille admonet, ne particulas ab articulis distantes abunde oblinamus. Non vult admittere omnes particulas distantes ab articulis oblinẽdas: esse enim periculosum valde. Sed loquitur de particulis proximis, quas dum oblinimus articulos, fieri non potest, quin tangendo linimento afficiamus. Sensus igitur est, cauendum, ne viciniores particulæ abunde oblinamus: ne scilicet materiam ipsam ad superficiem corporis tendentem ingredientes intro violenter ad viscera retrahamus.

Videor hactenus omnia explicasse, quæ ad præseruationem membrorum pertinebant, nunc de reliquis tractandum.

Cap. IX.

In variolarum eruptione quando naturam adiuuare conueniat, & quibus medicamentis id fieri debeat?

LOCALIVM, quæ diximus medicamentorum, quædam statim fieri debent antequam variolæ erumpant: quædam postquam apparere incipiant. Quæ autem posthac explicabuntur diuersi cuiusdam ordinis videntur. Quædam enim paulo post principium apparitionis, quędam in longiori progressu, quædam denique iis declinantibus, ac postremo quædam vbi prorsus euanuerunt, debent administrari: In iis quidem, quod attinet ad ipsa medicamenta perficitur tota de variolarum curatione doctrina. De quibus agendum iam sigillatim.

Cum apparent variolæ, summa sanguinis in omnibus venis efferuescentia fere euanuit quam obrem non indigemus amplius iis, quæ solam respiciant efferuescentiam: sed quæ moderatius refrigerant roborantq; administrentur, si natura in expellendo suo munere fungatur:

Cognoscemus hoc ipsum, si febris, & omnia symptomata incipiant sensim diminui illius efflorescere incipientibus, & si quanto magis efflorescunt, tanto magis diminuuntur.

Adde quod variolæ, dum exeunt, & augentur, nullum corpori effatu dignum solent afferre damnum.

Quibus ita sese habentibus saluberrimum est vti sola hordeacea ptisana, aut etiam decoctione hordei cum lentibus excorticatis. Solum enim hoc indicatio vrget: quia quæ iudicantur, & iudicata sunt integre, neq; mutare, neque innouare oportet, sed sinere. Spatio duorum dierum, quod summum est, aut vnius diei debemus hoc ferre iudicium: abstinentes à validioribus pharmacis ac duntaxat vtentes mitioribus proxime diætis.

At si videris naturam non bene aut segniter operantem febremq; & accidentia subsequi, aut eadem, aut certe parum diuersa, variolasque ipsas non recte foras erumpere, vel quod admodum paucæ effluant, vel quod nimis subito, copiosissimæ educantur cum magno incendio, totiusque corporis inquietudine, & iactatione, tunc adiuuanda tibi est natura totis viribus eam adhibens in vtroque casu moderationem, quam recta postulat medendi ratio. exordiamur ab operatione naturæ segni, ac tarda, quam omni opere, ac diligentia adiuuare oportet.

Sed

Sed in primis circa tempus horum medicamentorum contradictio quædam apparens in dictis Auicennę tollenda est Nam inquit dandum esse in potu in principio apparitionis vestigiorum variolarum pondus drachmarum trium de rob dactylorum syluestrium cum vno de Trociscis, camphoratis. Et syrupum de Dactylis immaturis esse vehementis iuuamenti in illà hora. Hæc autem medicamenta insignem vim habent prohibendi ebullitionem sanguinis: at postea statim subiungit. *Cum ergo pertrãsierit ægritudo diem secundũ, & incipiunt variolæ apparere, tunc fortasse erit infrigidatio causa erroris magni ex eo, quod retinet superfluitatem interius, & delationem ipsius super membra principalis. Et fortasse non sit eis possibile procedere, & apparere & accedit inquietudo, & angustia, & fortasse accidit nausea.* hæc ille. Qui in principio apparitionis variolarum refrigerantia concedit ac simul negat.

Ego hunc locum sic interpretarī debere censeo. Aliud significare Auicennam cum dicit. *In principio apparitionis vestigiorum variolarum:* Et aliud cum ait. *Cum transierit ægritudo diem secundum, & incipiunt variolæ apparere.* Nam per principium apparitionis vestigiorum intelligit primum tempus variolarum Spatium scilicet dierum trium secundum antiquam appellationem principii, vt docuimus *in libris superioribus in tractatione de temporibus febrium, & in commentariis in primum Aphorismorum.* Vocat hic Auicenna spacium trium dierum, vestigiorum, id est signorum apparitionis proxime futuræ variolarum. Quod res ita habeat declarant apertissime subsequentia verba. *Cum pertransierit ægritudo diem secundum.* Solent enim tertio apparere, & ex cute sensibiliter erumpere. Ergo dicendo, *& incipiunt variolæ apparere post secundum diem*, intelligit apparitionem actualem ipsarum transacto primo tempore.

Materiam medicam nemo Auicenna ipso scripsit diligentius, qui duo medicamentorum proponit genera, vtrumque nostra hæc ætate visitatissimum: primum, cum ait. *De illis, quæ conferunt valde in hac hora, est, vt sumat, lacca ablutæ drachm. quinque, lentium excorticatarum drachm. septem. Dragaganthi drach. tres. Deinde decoquantur cum dimidia libra aquæ, vsque quo remaneat quarta libræ vnius & detur in potu.*

Aliud eiusdem facultatis, sed paulo imbecillius describitur hisce verbis. *Et de illis, quæ sunt vehementis iuuamenti ad faciendum apparere variolas, est vt sumantur, ficuum citrinarum, drachm. septem. Lentium excorticatarum, drachm. tres Dragag. seminum fœniculi an: drachm. duæ. Decoquantur cum libra vna & semis aquæ donec remaneat de ea fere tertia pars, coletur & detur in potu de ea. Expellit enim caliditatem ex partibus cordis, & prohibet pulsum.* hæc ille.

Mea nunc interest examinare compositiones istas, ac docere quanti momenti sint.

Primæ basis continetur, in lacca, in lentibus, in dragagantho.

Secundæ in lentibus, ficubus, dragagantho seminibus fœniculi.

Lacca est species quædam gummi, quæ defertur ex Arabia, quemadmodum restatur Serapio diligentissimus simplicium indagator, calida, & sicca ordine tertio, valide extenuans, obstructiones, iecinoris, & ventriculi deobstruit, corroborat omnia naturalia viscera, ictericiæ confert ac incipiente hydrope. *Lacca quid.*

Quæ si vera sunt, duplici nomine hanc ingreditur compositionem; primum communi ratione, quatenus roborat viscera, qui scopus à principio vsque ad finem executioni demandari debet.

Deinde, quia aperiendo & detergendo materias ducit ad extimam cutim validissime.

Dubitatur à recentioribus Medicis, an debeamus vti hac lacca, quæ in Italiam apportatur ex Arabia, quia putant ipsam non esse veram laccam, idcirco illius loco substituunt styracem. *Dubium.*

Responsio. Ego multipliciter ab istis dissentio. Ac primo, quia apud probatos authores constat, Laccam illam tinctoriam, quæ in officinis Venetorum ad vsum tinctorum publice venditur, omnibus notis respondere illi Laccæ, quã Serapio describit. Secundo artis opera idem nobis ostendunt: nam quæ componuntur ex hac vulgari Lacca medicamenta, eosdem re vera effectus produnt, quos titulo promittunt.

Prætereà huius opinionis est etiam Petrus Andreas Matthiolus in explanatione cancami Dioscoridis, qui non solum ait, laccam nostram veram esse laccam Arabum, præsertim descriptam ab ipso Serapione, sed etiam multis probat rationibus non differre à cancamo Dioscoridis.

Styrax à Lacca quomodo differat. Amplius styrax licet conuenire in facultatibus videatur cum lacca, in eo tamen manifeste distat, quod nõ corroborat viscera ipsa, sed contra mollia reddit insigniter: quæ res à virtute roborandi maxime distat, quæ in terrea, & adstringenti facultate continetur. Ob hasce causas vt ab eius vsu nunquam destiti. Sic etiam nunquam me vsum fuisse pœnituit.

Lentes cur in hoc morbo vsurpentur. Lentes vulgatissimę sunt, ac in rem præsentem multi vsus: & nemo est, qui non vtatur, ad prouocandas variolas: quoniam vero eius cortex valide adstringit, & succos gignit vitiosos, excorticatas Auicenna, sumit lẽtes: quarum interior substantia vt non ita malum facit succum, & facile penetrat, licet Symetro frigida sit: ideoq; multis satisfacere indicationibus potest: primum adiuuando simul cum lacca expulsionem; deinde robotando viscera, vt modicã adstrictionem habens: tertio corrigendo calorem laccæ; & calorem febrilem extinguendo. Ponitur in maiori dosi, nimirum ad drachmas septem quia basis medicamenti huius est simul cum Lacca: ac deinde correctorium Polychrestum Laccæ sunt excorticatæ lentes.

Adde istis, quod à Galeno scriptum fuit *libro de alimentorum facultatibus:* Lentis succum facultatem habere subducendi aluum, sed moderate admodum, quæ res non mediocrem affert in tota curatione vtilitatem: cum hoc ipso tempore soleat aluus esse admodum astricta, putridosq; ex retentis fœcibus vapores communicare, & cerebro, & cordi.

Postremo illud ego de Lentibus statuendum censeo, quod medicamentum sit totius substantiæ proprietate accommodatissimum ad prouocandas ad extremam superficiem ipsas variolas: cuius rei signum videtur mihi satis euidens, quod nemo fuit, qui non salutarem eius vsum aliquando fuerit expertus. Volui hæc de lentium administratione fortassis vberius, quam quod videretur locus hic postulare, in præsentia prosequi, quoniam audiui sæpenumero viros celebres doctrina, & fama pręclaros, illarum vsum fuisse palam detestatos: qui certe, vt sentio, in artis operibus non fuerunt exercitati: alioquin minime in eam opinionem venissent.

Cur addatur tragaganthum. Cur autem in eiusmodi decocto tragagãthum gummi admistum sit, videtur non exiguam habere difficultatem: nam si propositum est pharmacis materiam hanc virulentam vel cutem trahere, id verò potissimum pharmaca tenuis substantiæ postulat, dragaganthum nulla ratione conuenire posse pro hocscopo absoluendo videtur. Tamen, vt in aliis fieri plerunq; solet in polychrestis medicamentis, quod contrariarum facultatum pharmaca inuicem permista, mire sese adiuuant ad id præstandum, quod quæritur: sic res profecto habet in hoc ipso medicamento, in quo ʒ iij. tragag. miscetur ad naturam iuuandam, ne in opere expulsionis nimis effrenitet. Sunt enim duo vitia naturæ in hoc opere: vnum quidem, cum segniter mouet ad cutim: aut cum nimis mouet, quam par sit. Vtrumque postulat diligentiam Medici.

Corrigit primum vitium lacca, corrigunt lentes, sed non tantum.

Corrigit secundum dragacanthum, incrassando, & inspissando humores nimis tenues, acresque & calidissimos: propteteaque ponitur in exigua quantita-

[illegible] quantitate, solum ad dulcedines: quæ solum possunt [illegible], sed certe non possunt rectum illius cursum impedire.

Secundum remedium loco laccæ substituit caricas, atque addit [illegible] [illegible]: alia vero, licet dosi diuersa, conueniunt cum alio medicamento. Lacca longe potentius altiores partes penetrat, quod temperamentum calidius & siccius, substantiamque tenuiorem habeant caricis quæ humiditatem quandam habent calori coniunctam, & dulcedinem ob quam putarunt celebres quidam nostræ ætatis M[illegible], non a[illegible]modum tutum esse exhibere illas pueris, qui vermibus obnoxii sunt, quibus omnia dul[illegible]ia videntur aduersari. Qu[illegible]bus magna ex parte consentio, quia excipio quædam dulcia, quæ lenientem, & [illegible]cidam habent [illegible]stantiam, c[illegible]us opera vermes irretiri ad eam es[illegible], & deteri c[illegible] ea [illegible] postea p[illegible]res sedes educuntur. In quo genere primum locum tenent, sebesten, q[illegible]orum [illegible]m vidi in vermibus operam.

De Ficuum autem facultate ambigo. Sed horum ex[illegible]o non est huius loci. Illud autem, quod attinet ad ficus, certo dicere possumus, habere facultatem insignem prouocandi hum[illegible]res, extra cutem, qua facultate in medicamentis indigemus, vt variolas tarde erumpentes adiuuemus.

Dicunt nonnulli, ficus esse mali succi, quod qui frequenter illis vtuntur, pediculos, ac tendines multos generent, vt scribit Auicenna *libro 4. fen. 1. tract. 3. capite* [illegible], & Galenus *libro 2. de alimentorum facultatibus & de cibis boni, ac mali succi.*

Ego vero non crediderim, efficere ficus ipsas pediculos, quia [illegible], hunc admodum male generare succum, & a Galeno scriptum etiam fuit, sed substantiæ cuiusdam proprietate insigni humores, & omnia excrementa prouocando, pediculos, & tendines in habitu corporis genitos in corporibus scabiosis, longo pruritu affectis, extra cutem ad ipsam superficiem pellere opinor.

Asserat [illegible] à [illegible] ped[illegible], vt Galenus credere videtur, & [illegible]ditiana con[illegible]rit [illegible] [illegible]r geniti, & latitantes [illegible]b cute, ad nostrum in[illegible] tutum d[illegible]en[illegible]us expendere non pertinet [illegible] certissimum est i[illegible] cast[illegible] c[illegible] aqua, at al[illegible]is rebus pe[illegible]istos non habere facultatem g[illegible]a[illegible] pediculos [illegible]m hab[illegible] a[illegible] Galenus cum [illegible] quis cibi loco ficubus [illegible]. At nos illis raro, & pro solo medicamento vtimur.

Semi[illegible] fœ[illegible]li licet [illegible] desint, [illegible]ant hoc opus penetrando, & per cutem expell[illegible]ndo [illegible], non [illegible] po[illegible]unt, quæ sunt admodum cocta pe[illegible] in qua coctio fit[illegible].

Deco[illegible]ones istæ tu[illegible], cum fiet, administrandæ sunt in cibis loco potus [illegible]i, & extra [illegible].

[illegible]dem hic pu[illegible]ris propinari semper poterit, quoties sitiunt, a[illegible] [illegible] tamen detur, vt variolæ non retineantur intus.

[illegible] non potest, quia pro varietate ætatis augeri potestant diminui.

Quod si [illegible] oluerimus, fuerit admodum [illegible] decoctionem harum re[illegible] miscere ex hordeaceo decocto, quod p[illegible] sudorificum est.

Sed antequam finiam, duo dicenda restant ad hanc intentionem pertinen[illegible].

V[illegible] ho[illegible], [illegible] [illegible], longe melius fore, vti antiquitus approbatis pharmacis, & [illegible] e[illegible] no[illegible]a ætate vsus perseuerat sine damno, quam noua c[illegible] a[illegible]. Siquidem, vt omnia recte [illegible] sit profecto istud [illegible] [illegible].

experi-

experimentum esse falsa. Quod [illegible] Hoc dico propter illos, qui nescio quo ducti spiritu, Auicennam, & omnes [illegible] quos odio habentes, nullum admittere volunt medicamentum ex illorum prodiens doctrina: sed noua excogitantes ad variolas promouendas [illegible] publice profiteri, salsæ parillæ decoctum in aqua hordeacea saluberrimum existere. Alii vero excogitarunt sales nescio quos, & extracta quædam, ac huius generis alia chymica.

Ego vero pro hoc [illegible] perficiendo annorum 46. spacio quibus in artis operibus sum versatus, nunquam vti vol[illegible] nisi prædictis pharmacis longissima experientia comprobatis, atque ita me Deus adiuuet, testor me semper vtiliter admini[illegible] asse.

Dulcia [illegible] [illegible] Altera [illegible] vero est vt [illegible] ibus abstin[illegible] amus qu[illegible] & Saccharum, [illegible] oniam in bilem fa[illegible] conuertuntur, ebullitionemque ip[illegible] sanguinis reddere solent effrenem. Idcirco syrupis non est opus, sed solis decoctis quibus pot[illegible] addenda [illegible] acida, & putredini resistentia, [illegible] tri, au[illegible] onum, vel, quod mag[illegible] placet, mal[illegible] um [illegible], si fieri potuerit inhibere summum feruorem humoris, ebulliti[illegible] nemque [illegible] Rhasis historiam de abusu dulcium in curandis [illegible] relatam [illegible] *de pestilentia*: hanc enim breuitatis gratia prætermittendam duco.

CAP. X.

An balneo aqua dulci [illegible], vt variolæ facilius exeant?

PVTARVNT nonnulli, aqua dulci balneum [illegible] administrari, cum variolæ [illegible], atque [illegible] hoc potissimum argumento per[illegible] quod [illegible] mei, quod ad cutem [illegible] attrahantur humores [illegible] sistentes.

Ego autem aliter sentio, cum ita distinguen[illegible] m putem.

Balneum, [illegible] corpo[illegible] particula determinata.

Totius corporis balneum administ[illegible] non potest [illegible] omne tutum esse debet, nisi quidpiam vehementer cogat, in[illegible] periculosum adhibere præsidium. Quod [illegible] proposito [illegible] locum non ha[illegible]

Periculosum esse balneum, potiss[illegible] colligere p[illegible] us, quod indigeamus in omni variolarum tempore iis, quæ virtutem conseruent, & confirment, ita vt possit vsque ad finem ferre morbum, at ex balneo certe non [illegible] non vnum inferri peri[illegible] um, ac [illegible] um, quia [illegible] tutem reddit imbeci[illegible] Galenus c[illegible] Hippocrate [illegible] *libro tertio de* [illegible] *in morbis acutis* [illegible] in quo dicit. *Qui in morbis aluum iusto humidio[illegible] sunt lauandi. Neque ij, quibus magis, quam decet, [illegible], & soluta [illegible]. Neque quibus vires languent, nec cibum fastidientes, & [illegible] bundi,* [illegible] untur.

Est [illegible] certissimum in [illegible] c[illegible] a[illegible] ictam, quoniam [illegible] à centro ad [illegible] crementa [illegible] non mediocre afferre posse damnum, corruptos vapores ex fecibus deducendo ad cutem.

Deinde etiam omnes f[illegible] & [illegible] b[illegible] opiam [illegible] ntes, [illegible] em, inflam[illegible] tor [illegible] guere [illegible] ctum.

T[illegible] bene erumpunt, alia de causa [illegible] contingere non est putandum, quam quod virtus imbecilla sit, quoniam [illegible] valida, atque va[illegible] porando, ac dissol[illegible] nd[illegible]

Præterea quanti [illegible] era[illegible] d[illegible] morbis consuetudo, n[illegible] o est, qui nesci[illegible] apud antiquos admodum frequens erat balnearum [illegible] hoc

autem

verum tempore prorsus euanuit. Ideoq; parum tutũ censerem illo vti etiam si vires essent validæ.

Sed non est eadem ratio in particulari balneo, cum scilicet partes aliquaspiam extremas lauacro calido fouemus vt ex illis duntaxar citius & facilius variolæ exeant, doloremque mitigemus, vt plurimum, satis insignem: hoc quidem prætermitti non debet. Nam plerunque accidit, vt ex volis manuum, & plantis pedum variolæ non erumpant, nisi cum maxima difficultate, & dolore: propterea expedit fouere eas partes aqua calida aliquando simplici, & aliquando simul decoquẽdo flores Chamomillæ, aut altheæ, aut violarũ, vel aliud eiusdem generis, quod fuerit ad manus. Hæcq; antiqua extitit ipsorũ Arabum consuetudo, nã Rhasesita scriptum reliquit *lib. de pestilentia c. 4. Quod si in volis manuũ expullulet, tu hæc ex oleo tepenti, quo gossypia sint imbuta, multũ refricato, & in calida aqua fouito. Verum si dolor non sedetur, nec pestis facile expellatur, tu Sesamum præpurgatum vbi contuderis, & in lacte maceraueris, illico illinito; & in linteo per totam noctem adligato. De hinc vbi amoueris, & calenti aqua foueris, rursus illinito. Verum si velis palmulas vbi contuseris, & in butyro maceraueris, vel in Sesamis facito illinitos, siquidem hæc & consimilia cutem remolliunt, faciuntq;, vt pestis facile excernatur, & dolores sedent hæc Rhases.* Quæ omnia iudicantur mihi saluberrima in præsenti casu, nisi quod abstinerem ab oleo, quia facit vlcus ipsum sordidissimum, ac sanatu difficile. Ego autem nullum inueni præstantius remedium, quam fouere partes extremas manuum & pedũ aqua tepida: vel decoctione florum Chamomillæ, & altheę. Quod si emollire adhuc magis voluerimus decoquo simul semina fœnugræci.

Hactenus docui, quibus medicamentis debeamus fouere, & adiuuare naturam segniter operantem, nunc de reliquis.

CAP. XI.

Quibus remediis vtendum, si effrenis in expellendo videatur natura?

SI in ipso variolarum progressu febris non modo non imminuatur, sed neq; crescat summopere, si ægrotus angatur, totoq; corpore inquietus loco fere stare non possit, sit nauseabundus, si animo interdum delinquat, sitiat multum, variolarumq; in vniuerso conspiciatur corpore, & morbillorum copia si plures & duplicatæ, & late patentes, si rubeæ sint, & tota circumposita cutis affecta eodem colore appareat, tunc atq; alia eius generis signa inflammationem iunctam putredini ostendentia, adfuerint, scito aliam tibi medendi rationem ineundam esse: hæc enim tibi certo significãt summum inesse in omnibus intimis extimisq; partibus ardorem, ægrotumq; in magno periculo cõstitutum, cui nisi statim oportunis remediis subuenias, breui actum erit de illo.

In primis autẽ admoneo, ne citra prædictionem aliquid in eiuscemodi ægroto moliaris, ne forte fortuna malus euentus sępenumero cõtingens, tuo adscribatur errori.

Scopus autem erit alterantibus vti, quæ summũ feruorem, quo ad eius fieri potest, cohibeant, & quæ summam putredinem emendent.

Quam ob rem prætermissis aperientibus calefaciendi potestatem habentibus solum refrigerantibus medebimur, vt decoctum est hordei, & radicum plantaginis, & graminis, & cichoraceorũ omne genus, cui admiscere consueuimus iuiubas, aut sebesten numero decẽ. In vnciis quatuor huius decocti plus aut minus pro conditione ętatis, fœlici successu soleo dissoluere drachmam vnam, aut semis Trociscorum de camphora, nisi aliquid sit, quod prohibeat, ex eorum numero quibus non confert camphora, vt alio loco explicui.

Pro

Pro putredine, & ardore simul mitigando interdum flore cassiæ sum vsus, si alui fluor non faciat negotium, vt exhibendo drach. quatuor, cũ drach. vna, aut duabus Tamarindorum statim ante cibum, aut matutinum, aut vespertinum. Non oportet abhorrere ab hoc pharmaco, quia leniendo refrigerando, putredinem impediendo, & alui fœces omnes detergendo omni tempore iuuare potest: est autem etiam repetenda aut alternis diebus, aut in magna alui adstrictione singulo quoquo die vsq; ad tres aut quatuor dies, vt prudenti Medico videbitur oportunum.

Sunt, qui etiam solis Tamarindis acidis vtuntur ad scopos eosdem perficiendos, quorum iudicium non reprobo.

Nec certe putare oportet, eiuscemodi lenitionem alui impedire, quo minus exeant variolæ: primum quia contingere hoc impedimentum nequit, cum nulla vis adsit in pharmaco attrahendi à superficie ad centrum. Deinde vero esto, id ita habeat, multo minus commodum est in refrigerando, in putredine inhibenda, ac in aliis efficiendis, quam damnum in prohibendo aliqua ex parte effreni ipsius naturæ motu. Siquidem casus iste complicatus est, nouo adueniente morbi genere à variolis; & morbillis non mediocriter diuerso. Est autem febris putrida, maligna admodum pestilens genita ex summa corruptione humorum: tunc potissimum incipiés, cum in simplicibus variolis febris ex ebullitione genita diminui; & cessare debet: ex qua re tibi manifestum fit maxime, perniciosum affectum esse hoc ipso tempore supraueniententem.

Postremo vtaris omnibus antidotis, quæ putredinem, & corruptionem humorum totis temperamentis oppugnare possunt, eligendo semper ea, quæ frigidiora sunt, aut si ad manus non sint, alteratione frigidorum correcta, quorum exempla multa scripsimus *libro septimo huiusce Methodi*.

Ad hunc scopum etiam pertinent, quæ extrinsecus occurrunt, vt ambiens aer, quem aut temperatum eligemus in puerorum & mulierum morbo: aut refrigerantem in aliis ætatibus; periculoso existente aere calido in tanto incendio præcordia adurente.

Consimilem rationem victus adhibeto, qualem docebimus conuenire variolis incipientibus, aut etiam in primo tempore antequam appareant.

CAP. XII.

An variolæ maturandæ sint ab arte?

NVM variolæ & morbilli maturationem postulent, dubitationem habet.

Primum quia malignę & lethales, de quibus proximo egimus capite, nulla ratione indigent extrinsecus maturantibus, à quibus longe maior in affectis locis gigneretur corruptio.

Secundo quia si benignæ extiterint, atque omnino salubres, nihil agẽdum videtur, sed totum opus valide committendum naturæ, quia, quæ iudicantur, & iudicata sunt integre, neque nouare, neque mouere, neque aliter oportet irritare, vt admonuit Hippocrates.

Præterea idem videtur fuisse Auicennę consilium, qui cum exactissime scripserit de hoc argumento de maturantibus pharmacis non meminit.

Postremo experientia testatur non indigere hunc morbum huius remedij: quandoquidem videmus quotidie in pueris exsiccari variolas nulla præcedente artificiali maturatione, imo vero sponte sanescere.

Ex altera parte Rhases *libro suo de pestilentia capite nono* docet non solum esse concoquendum sed etiam cum quibus id fieri debeat, eius verba sic habent.

habent. *Ea igitur, quæ pestem concoquant cito, explicemus. Vbi igitur post pestis expullulationem videris, quod coctio protelatur, & languentis affectus bene habet, & inspiratio, & pulsus modum seruant, neq; grauiter fert morbum languens, tunc concoctionis celeritati opitulandum. Quod si pustulas duras, non secus atque verucas esse intuearis, & languentis affectus haud bene habet, & malum ad incrementū tendit, ne tentaueris coctioni opitulari: quoniam id fieri nequit, cum pustulæ sint lethales. Sin mitis sit affectus, foueto cum calenti aqua, in qua chamomelū, melilotum, althea, viola, & furfur triticeum sint cocta, & in olla, vt antea dictum est admoneto.* hæc Rhases.

Sunt, qui opinantur, variolas habere tres gradus: in quorū primo variolas constituunt, mites, & omnino salubres. In secundo malignas, & omnino lethales. In tertio autem, quæ mediocri modo sese habent. In prioribus non censent vtendum pharmacis concoquentibus: quia, vt dicebat Rhases, lethales non possunt maturari aliquo pacto: etenim maturatio, vt dicebat Hippocrates, indicat semper salubritatem iudicii, & breuem sanationem. Mites vero ac salubres sanescunt sine Medici auxilio mediocres vero concoquendæ ac maturandæ, cum speramus ægrotum conualiturum. Hanc fuisse arbitrantur mentem Rhasis, qui mediocrem pestem vocauit affectum mitem: in relatione ad lethalem pestem. Vel etiam mitem vocasse, quod in eo genere magis sit de ægroti salute, sperandum, quam timendum de morte, hæc quidem alii.

Ego vero à concoquentibus remediis administratis in toto corpore abstinendum censeo: tum ob rationes, quas in principio retulimus capitis huius, tum vero maxime, quod illorum administratio mihi tuta non videatur. Nam & fotibus calefacientibus, atq; humectantibus in corporibus abundantibus vitioso succo, ad cutem attracto, periculum fere certum videtur ne summa fiat in partibus extremis corruptio.

Adde quod sit affectus hic magnus, & interdum licet à principio videatur mitior, equidem sæpenumero fieri statim magnum & lethalem videmus, vt prætermittam non exiguum compari Medicis dedecus, si repente quispiam moriatur, quem sanaturum fuerant polliciti. Haud ab re dixi in toto corpore periculose administrari, quia in aliqua parte adiuuari debere illarum exitum, ac cito ad maturationem perducere conuenit: vt si in vola manus & pedis appareant, atq; ob duritiem, & densitatem cutis erumpere non valeant, tunc saluberrimum esse demonstratum supra fuit, balneū administrare aquæ dulcis, ac in vniuersum anodyna.

CAP. XIII.

De Apertione variolarum, exiccatione & insalatione earundem.



VARIOLÆ paruæ, paucæ, salubres iam maturatæ sponte digeruntur, & exiccantur, in quibus nulla prorsus arte indigemus. In aliis vero apertione salubriter vtimur. neq; enim opinari oportet, purulentam, & acrem materiam, ac multam sponte, ac breui tempore posse insensibiliter vacuari ex cute. Et certe non videtur tutum expectare. quia in mota vlcera contingunt sordida non in cute modo, sed etiam in subiecta carne, quæ ægrotorum faciem deturpant. Eoque magis eiuscemodi accidit casus; quod vbi maturatæ sunt, pruritum adeo magnum inferunt, vt necesse sit infantibus, & pueris interdum manus ligare, ne scalpant faciem; etenim sic fiunt foueæ in facie turpes: at si non scalpant pueri vtrique redduntur immunes ab hoc malo, si maturatæ statim aperiantur. Iubet Auicenna aperiri acu aureo; mulieres nostri temporis volunt magis aperire illas forcipibus: ego vt veterum laudo institutum, sic approbare nouum à mulieribus institutum nequeo, quia forcipe pars aliqua sub-

iectæ cuticulæ tollitur, qua deficiente, sanato iam & exiccato vlcere apparet cicatrix longe euidentior, quam si acu puncta cuticula foras educeretur purulentus ichor.

Præterea amputata pelle superiore, penetrat aer ipsum vlcus, ac alterat ita, vt intemperatum reddatur magis cauum. Quod etiam obseruarunt Auicennæ explanatores præsertim Iacobus de Partibus.

Obseruaui sæpenumero apertis cum acu variolis, ægroto, qui non scalpserint sibi faciem, sine aliquo fouearum vestigio fuisse sanitati restitutos: & è contra, quicquid dicant mulierculæ, incisas forpice variolas, turpes foueas semper in facie reliquisse. Idem etiam contingit, si quispiam non aperiat: quia corrasio fit, vt prædiximus, subiectarum partium. Vt igitur non solum pulchritudinem conseruemus, sed vt citius à molestia ægrotos liberemus, apertionem ex acu iudicamus vtilissimam. Cur autem Auicenna eligat acum ex auro, alia reddi nequit ratio, quam quod experientia sit cognitum, magis conferre ex quadam insita proprietate cum humana carne. Sed si acus aurea deficiat, potest substitui argentea, vel ex chalyba. Apertam variolam statim videmus emittere liquorem album putridum, & fœtidū: qui statim excipiendus est tenui bombice, cauendo, ne contingat vicinas partes saniores: bombacemque ipsam illico comburere oportet: contagiosam enim esse obseruatum à multis fuit. Neque necessum est aperiendo nimis, quam oporteat dilatare emissarium, ne dilaceretur subdita cutis turpem effectura cicatricem: sed sufficiat perforasse ac mediocriter compressisse vomicam, neq; ipsa perforatio debet denuo fieri, cum satis sit in omnibus semel perforasse tunc enim optime exiccantur statim, neque vllam foueam relinquunt.

Exiccabuntur hoc modo quædam spōte, quæ malignitatem atque putredinem non habuerint multam: quædam vero etiam validius postulant auxiliū: quale insalitio fuit apud antiquos ac nostro tempore, quod illi proportione respondet. Insalitionis modum, atq; in hoc opere obseruandas regulas ex Auicenna hic declarabo.

In primis non oportet statim vti insalitione, neque in omnibus, sed in magnis duntaxat, quæ quoniam inferre solent dolorem, postquam perforatæ fuerint, tardare insalitionis opus conuenit horis quatuor, aut sex, donec scilicet plane mitigatum dolorem nouerimus, sic quidem salis acrimoniam facilius ægroti ferent: nam quoniam indigemus exiccantibus & detergentibus nulla magis accommodata sale inueniri potest materia. Sed quia mordicat, vt dixi, opus est miscere, quæ dolorem mitigent, eiusque acrimoniam obtundant, euiusmodi est aqua, in qua fit decoctio: vt vere penetret, ac robur conseruet, atque addat affectis partibus, crocum simul coquere oportet. Poterit autem decoctio in hunc modum præparari. *Decoctio pro insalitione.*

℞. Aqua cisternina, aut pluuiatilis, aut chalybeata. ℔.j.ß.
Salis communis. ℥j.
Croci. ʒj.
Alii aqua. ℔.j.
Alii aqua ℔. iiij.

Sed illi quidem aquam nimis reddunt salitam. Isti vero minus validam salis virtute in tanta aqua euanescente. Fit decoctio ad tertias. Qua cum calida, ipsæ tanguntur variolæ perforatæ, cum coto carminato, aut molli spongia imbuta, & expressa supra foramen ab acu factum: fit autem quater hoc remedium spatio horarum 24. vt semel singulis horis sex. Duorum dierum spatio sufficit hanc insalitionem administrasse.

Alia decoctio. Altera decoctio vsitatissima sic fit.

℞. Aqua rosacea, in qua extinctum sit aurum ignitum. ℔.j.ß.

Salis. ℥ j.
Croci. ℈ j.
Rosarum rubrarum.
Foliorum plantaginis, an. man. j.
Trociscorum de camphora. ℥ ij.
Sandalorum citrinorum subtiliter puluerisatorum. ℥ j.
Coquantur simul ad consumptionem tertia partis, & facta colatura vsui reseruetur.

Alia ex Auicennæ verbis, qua vtor ipse.

℞. *Corticum Tamarisci contusorum.* ℥ x. Alia.
Lentium non excorticatarum contusarum. man. ij.
Rosarum rubrarum siccarum. man. j.
Decoquito in octo libris aqua plantaginis ad consumptionem medietatis. & in fine decoctionis adde, salis optime contriti. ℥ j. & ß. *Deinde post leuem ebullitionem colato, & in hac colatura addito. Pulueris Sandalorum citrinorum.* ℥ ij.
Trociscorum de camphora pulueratorum. ℥ j. ß. reseruetur in vase vitreo pro salitione.

Hæc ex antiquis, quæ profecto semper optime successisse, ego sum testis oculatus.

Quod vero attinet ad recentiorum inuenta, non sunt prætermittendi modi exiccationis, quibus illi vtuntur.

Pulueris Cyrochi, & Vittelefchi.

Fulginates, Medici post puncturam curabant aspergi facta prius, vt docuimus, expressione, puluerem, qui habet.

Antimonii mineralis subtilissime puluerisati ℥ j.
Trociscorum de camphora pulueratorum. ℥ ij.
Sandalorum citrinorum. ℥ j. ß.

Aspergito permistos pulueres supra variolam ter singulo quoque die.

Alius puluis Ludouici patris.

Ludouicus pater, qui sua tempestate in artis operibus Medicus fuit preclarissimus, hisce farinis, & in hunc modum vtebatur.

In primis iubebat aperiri acu variolas, quæ magis videbātur ea indigere opera Mox transacta hora iubebat ægrotum recumbare in lectulo suo supra hasce farinas, & volui postea in aliam partem, donec totum corpus farinis aspersum appareret Fiebant autem sic:

℞. *Farinarum Oryzæ.* ℔ iiij.
Milii. ℔ ij.
Fabarum, & hordei. sin. ℔ j. *Omnes farinæ per se cribellentur. postea inuicem permistæ supra linteamina, in quibus debet ægrotus accumbere, spargantur grosso modo.* Ac super eas per quintam partem horulæ iaceat: postea in alterum reuoluatur latus. Huiusmodi farinarum administratio nihil omnino offendit, neq; dolorem facit, vt mihi non semel obseruare licuit.

Antonii Porti.

℞. *Thuris, myrrhæ, aloes terra, lemnia an.* ℥. j. *fiat omnium puluis subtilissimus, supra* variolas apertas aspergendus.
℞. *Mirrhæ.*
Aloes Ireos.
Sanguinis draconis. an. ℥ j. *pulueriʒatur, ac vsui reseruatur vt supra diximus.*

Placet aliis implere culcitram hisce farinis, supra qua dormire ægrotus debet. sed certe remedium est insufficiens, ac adeo imbecillum, vt longum postulet tempus.

Melius ægrotis consulunt, qui suffumigiis ex rebus exiccantib vtuntur, Verũ hoc remedii genus parum commodum ęgrotis est, vt omnibus constar-

Oo 2 Sed

Sed antequam finiam hanc tractationem, hoc vnum addam, quod aperire eiuscemodi pustulas acu non sit Arabum institurum. Sed Galeni, qui *libro de fracturis sectione tertia comm. 43.* Id explicuit apertissime. Placet referre eius verba, quæ sic habent.

Huic autem non dissimile est id, quod in pustulis facere consueui: quæ ex variis occasionibus ortum habent ac in tumorem attolluntur, interdumque insignem dolorem inurant. Nostis enim eas me in hunc modum curare consueuisse. Primum acuta acu illas aperio, vt humor exitum habeat: quem etiam leniter exprimo, ac cutim inhærentem relinquo. Quod si eueniat, vt concluso foramine rursus eodem repleatur, iterum pustula plena eodem modo aperitur, expressoque humore cutis reducitur, & seruatur, quo ad supposita illi caro exulcerata ad cicatricem deducatur. hæc Galenus.

Quæ à nobis relata sunt multis nominibus.

Primum vt euidentia sint argumenta indicantia expedire omne vlcus cognata cute tegatur: propterea[que] merito supta redarguimus ipsas mulieres, quæ forpice incidunt variolas.

Deinde vt doceremus antiquam fuisse consuetudinem aperiendi, acuta acu pustulas à Galeno[que] deriuatam.

Postremo quod in hoc differt modus aperiendi variolas à modo aperiendi pustulas à Galeno relato, quod nos semel duntaxat aperiri illas volumus, quia post apertionem exiccantibus remediis vtimur, quę prohibet amplius recolligi serosam in pustula materiam: de qua re Galenus ibi non meminit.

Cap. XIV.

De iis, quæ crustulas, & squamas tollunt.



CRVSTVLÆ, & squamulæ, quæ restant in superficie corporis, remouendæ sunt, & si ad hoc intus latitantia viderimus vlcera, quod sæpenumero solet contingere, sananda sunt: ac postremo delendæ cicatrices, quæ fœciem deturpant.

Oleum, & vnctuosa caraphlasmata, & vnguenta nunquam sunt in ipsarum variolarum curatione administranda, antequam siccatę sunt (illas enim malignas, atque sordidissimas reddunt) sed postquam fuerint exiccatæ, fecerint[que] crustas, vtiliter adhibentur, in quorum numero primas partes tenēt vnguentum rosaceum, cui addere soleo quandam partem vnguenti albi cum camphora.

Commodum etiam est oleum rosaceum omphacinum lotum frequenter cum aqua rosacea, aut cisternina.

Veteres vtebantur linimento ex vnguento in hunc modum præparato.

Linimentum.

℞. *Lythargyrii contriti & cribellati heminam vnam:*
Olei communis ℔.ij.
Aceti ℔.x. *concutiantur donec coaguletur, & ponatur super ipsum postquam coagulatur,* ℔ j. *de venis tinctorum.*

Vena tinctorum.

Per venas tinctorum intelligit hic author, Aquam illam rubeam, qua vtuntur tinctores ad tingendos pannos rubeo colore infectos, hoc igitur illi vtebantur. Cuius loco substitui potest vnguentum de lythargyrio, cum vnguento rosaceo camphorato.

Remotis crustis vlcera sanabis cum vnguentis exiccantibus, & moderate detergentibus: qualia sunt. Vnguentum album camphoratum, vnguentum de lythargyrio simplex, vnguentum rosatum, cum vnguento de plumbo simul permisto: quibus addiderunt antiquiores radicum cannarum rasuram, aut arboris salicis, aut pyri.

Ego sic parare soleo.

℞. Vn-

℞. *Vnguenti albi cum camphora.* ℥ j. ß.
Rasuræ cannarum radicum exsiccatarum, ac in tenuissimum puluerem redactarum ʒ j ß. *misceantur in mortario plumbeo cum* ℥ ß. *olei rosati omphacini.*

Cap. XV.

Quomodo sint delendæ cicatrices ex oculis, & facie.

PRo delendis oculorum maculis, medicamenta duobus scopis debent satisfacere, quorum primus est cicatricem emollire, alter vero detergere, attenuare, erodere.

Fit autem emollitio fouendo oculum decoctione florum violarum, maluarum, altheæ, chamomillæ seminum fœnugræci.

Est longe melius pro explendo eiuscemodi scopo, in apertos oculos suscipere vaporem decoctionis huius singulo quoque die quater, sufficietq; pro singulis vicibus quinta pars horæ vnius. Emollitam cicatricem detergemus, & attenuabimus accommodatis pharmacis, à leuioribus, mitioribusq; facto principio. Comendatur puluis Sacchari candi: aqua stillatitia mellis; puluis ossis sepiæ, vrina pueri. Prodest mirandum in modum succus centaureæ minoris depuratus, cum succo rubei, papaueris, & aqua mellis hoc modo.

℞. *Succi consolidæ minoris depurati* ℥ j.
Succi papaueris rubei. ℥ j.
Aquæ mellis stillatitia. ʒ vj.
Misc. & reponantur in vase vitreo.

Hoc, quod sequitur saluberrimum esse profiteor.

Sumito florum rorismarini phialam vitreatam dimidiam.
Florum anagallidis cæruleæ tantundem. Obturato phialæ orificium luto, ne transpiret. Sepeliatur sub fimo diebus quadraginta, quo tempore magni calores vigent. Postea extrahito phialam ex fimo: & aquam in ea phiala contentam, quæ ex se destillauit ex floribus, colligito & colato diligenter. Hanc ipsam administrabis in oculo; & admiraberis.

Duo hic obiter notanda sunt. Vnum est, vt etiam, atq; etiam caueamus, Notanda.
ne valide erodentibus vtamur: quia hoc nihil aliud prorsus esset, quam no- I.
uum vlcus gignere in oculo, vel illud idem, cuius iam facta fuit cicatrix, renouare. Multi etiam in inflammationes incidunt; & ex humorũ acrium fluxione in corneæ rupturam: quod vbi contigerit, statim abstineto ab huiusmodi pharmacis, & mitigatoriis vtitor, quorum alibi meminimus.

Alterum, quod volo hic notari, est, oporterc ipsum medicamentum, II.
quod imponitur, contangere diu affectam particulam, vt suo munere perfungi valeat: Soleo ego iubere ægrotum, vt per quintam, aut sextam partem horæ vnius in oculo aperto remedium teneat. Quoniam vero hoc videtur satis difficile fieri posse ob motum oculi, quo motu statim foras medicamentum eiicitur. Quapropter modum inuenire oportet, vt conuenienter affecta pars à medicamento contingatur.

Est autem duplex hic modus.

Vnus, vt instilletur sensim in oculi domesticum angulum, iubeamusq; ægrotum mouere alterum oculum, tunc enim mouetur etiam oculus affectus, et paulatim ingreditur intus medicamentum sine aliquo sensu doloris: & cicatricem contangens facile detergit, abraditq;: debet autem fieri bis ac ter spatio quintæ aut sextæ partis horæ.

Alter modus est, vt cucurbitulam impleamus collyrio, cuius orificium proportione respondeat orbitæ oculi, neq; sit latius: postea vero imponitur oculo aperto, ac tamdiu detinetur, quandiu volumus: vtilis ad-

ministratio, sed ægroto non admodum facilis: hæc alibi copiosius explicantur.

Porro pro delendis maculis faciei Auicennas multiplicem scribit materiam: ego vero in delicatis mulieribus aliquando sum expertus felicem successum ex sequentis linimenti vsu.

Linimentum.

℞. Olei de Tartaro ℥. ß.
De Camphora & de myrrha an. ʒ. vj.
Misce, & vtitor.

Aliud.

℞. Olei de vitellis ouorum. ℥ j.
Olei de frumento. ℥ ß.
Pulueris Saccharicandi. an. ʒ ß. Misce ac vtitor. Lege Auicennam *in prima quarti canonis tractatu 4. cap. 9.* Si de hoc argumento plura desideras.

CAP. XVI.

De Ratione victus, & primum, de Aere.

QVia morbi huius varia constitutio est, vt varia remedia adhibentur; sic victus rationem instituere variam oportet, quam docere in postrema parte huius tractationis nunc, ab ipso aere exorsus, aggredior.

Indigent igitur aere, qui variolas patiuntur, nunc frigido, nunc calido, & interdum temperato.

Frigido quidem, quo tempore ebullitio summa est, præsertim cum nondum apparere incipiunt variolæ.

Calido autem cum foras erumpere incipiunt, cumque adiuuanda natura est segniter interdum operans.

Temperato vtendum, vel cum adhuc illis apparentibus ebullitio & feruor sanguinis perseuerat, ac interdum in expellendo estrenis natura conspicitur.

Terminus vtendi aere frigido est vsque ad quartam diem, qui longissimus est: siquidem variolæ solent erumpere in fine tertii, aut in fine quarti, & in temporibus æstiuis in principio tertii signum apparitionis adest. Quãobrem Medicum iudiciosum esse oportet, & in morbis cognoscendis exercitatum.

Æstiuis temporibus refrigerabimus ea ratione, quam docui in tractatione putridarum febrium: aliis vero temporibus, hyeme quidem nullius, autumno, & vere indigebit aer exigua refrigeratione, quod ex ipso tempore nobis vltro suppeditatur, quod quærimus.

Quia vero summa esse solet ebullitio hoc tempore, factum est, vt hoc duntaxat aerem frigidum vtilitatem afferre scripserint plerique quod sano regimini esse ostendunt variolæ salubres. At in iis, quæ mali sunt moris, regula interdum fallit. Cum scilicet illis apparentibus & copiosis & magnis neque febris neque alia symptomata cessant, imo in multis deteriora euadunt. Tunc enim subsequente ardore, ac incendio non esset ab re aere vti temperato, nec scilicet admodum calido, nec admodum frigido: qui a licet variolarum exitui nullam afferre videatur vtilitatem, tamen si frigidiore vteremur aere, non mediocre periculum imminneret, ne retrocederent, atque sic inferrent in præcordiis incendium longe maius. In benignioribus igitur manifesto primo principio, vt rectius variolæ emineant extra, calidiori aere occupabimur: arte calefaciendo cameram, cum igne accenso ex sarmentis vitium cæterisque domesticis, at etiam ex lignis quercus aut nucis. Cauere oportet, ne subito ex carbonibus, quorum vapor admodum perniciosus est, ac solet suffocare, si non libere expiret.

Corpo-

Cooperiri ægrotus debet conuenienter pannis potissimum rubeis, ac iubendum, ne nudet membra, frigefaciatq;.

Diximus conuenienter operiendum, quia solet nõ infrequenter contingere iis, qui plurimum cooperti sunt, incendiũ ex oppressione summum, & animi deliquium, ac syncope; quo casu ad frigidum aerem denuo regressus fieri debet.

Sed vt præcipimus totum corpus cooperiri, sic volumus nũquam cooperiri caput, periculum enim foret suffocationis.

Quæ loco docuimus de aere, in vniuersum etiam intelligenda sunt de omnium refrigerantium præsidiorum administratione, de qua re sic præclare Auicennas loquitur. *Cum ergo pertransierit ægritudo diem secundum, & incipiunt variolæ apparere, tunc fortasse erit infrigidatio causa erroris magni ex eo, quod retinet superfluitatem interius, & delationem ipsius super membra principalia & fortasse non sit eis possibile procedere & apparere: & accidit inquietudo, & angustia & fortasse accidit nausea.* hæc ille. Quibus terminum significat, in quo apparere incipiunt in maiori ex parte, nempe in principio tertiæ diei. Dixit autem fortasse causam esse magni erroris: quia non semper inchoante tertia incipiunt efflorescere, sed aliquando quarta, & quinta hyeme.

Nocumenta ex frigido aere contracta recenset tria.

Primum, quod intus retinentur superfluitates, quas ad cutim transmitti expediebat.

Secundum, quod mala illa materia retinetur in membris principalibus, quod malum esse maximum constat.

Tertium, quod etiam si de cetero incumbas expulsioni, non cedunt remediis, sed intus contentæ syncopen aliquando, inquietudinem, angustiam anhelitus faciunt, atq; nauseam.

Præterea quod calefacientibus non sit semper vtendum, cum variolæ effluunt ad cutem, idem author decclarauit hisce verbis. *Et quando incipiunt exire, & non inuenitur cum exitu earum alleuiatio, imo inuenitur caliditas inflammata, & lingua ad nigredinem decliuis. Tunc caue ne calefacias.*

Postremo quod ex coopertura, & calefactione accidunt quandoq; ægrotis damna multa, quorum causa ab aere ex calefaciente abstinere oportet consimiliter idem declarauit inquiens. *Et quando accidit ex coopertura, & calefactione, quasi syncope, aut accidit syncope, tunc necessarium est regimen aeris, qui attrahitur, & conuerti ad odores camphoræ, & santali.* Rursus quomodo ad frigidum fieri mutatio debeat, explanat, cum ait. *Et si non fuerit excusatio quin detegatur corpus demum acuto vel aeri frigido, paulatim fiat.* Sed de aere hæc satis.

CAP. XVII.

De Cibo, & potu. 11

QVIA morbi huius constitutio est, vt statim efflorescat, & vigeat extremosq; labores habeat, mox vero circa cõcoctionem, & iudicium hebetescat, propterea statim tenuissimo vtendum est victu; atq; si nihil impediat eorum, quæ in vniuersali docuimus methodo, vsq; ad tertiam, aut quartam diem inediam præcipiemus, vt postea apparentibus variolis, & mitificata febre, symptomatisq; diminutis paulo pleniore vtantur victu, & quanto morbus magis concoquitur, rectiusq; variolæ, & morbilli procedunt tanto vberiorem dabimus cibum.

In benigno affectu nullo tempore non est exequenda hæc regula. At in pestilenti morbi si tum alia conuenit deliberatio, in quo tum morbus, tum vires detestantur à morbi principio inediam.

Morbus, quia non statim consistit, ac viget, sed longius progreditur.

Vires autẽ non admittunt, quia imbecillæ fient ex tali victu, corruptiua

putredine magnum negotium faciente: idcirco ab initio pro more acutorum morborum tenuem adhibebimus victum, ac morbo progrediente tenuiorem, donec maturentur omnino: atq; ſiceſcant.

Hic ætatis non exigua conſideratio habenda, nam plerumq; puerorum morbus eſt, qui quoniam creſcunt, habent plurimum calidi innati, & diſſolutionem humidi ſubſtantifici copioſam, plurimo indigent alimento. Quãobrẽ iis ipſis vt non conuenit inedia, ſic neq; plenus conuenit victus ob acutiem morbi: ſed tenuem inſtituemus, non exquiſitum, qui in reſpectu ad ætatem plenior appellari poteſt. Satisfaciemus hoc pacto virtuti, & indicationi, quam ætas ſuggerit, & ſimul morbo.

Idem etiam ſentiendum de ſenibus, ſi in hunc affectum aliquando incidant: (aliquando autem incidiſſe ſexagenarios, & ſeptuagenarios in Cingulanis montibus in peſtifera variolarũ conſtitutione vidimus An. Domini 1572.) in iis enim ob virium imbecillitatem nec inedia, nec victus tenuis, & exquiſitus adminiſtrari debet: ſed vt vires ferre poſſint, paulo plenior. His itaq; in vniuerſum explicatis ad particularia transferre ſtylum oportet.

Eam in cibis, qualitatem eligemus, quæ refrigeret, moderate adſtringat, ſanguinemq; tenuiſſimum ebullientẽ incraſſet, ac ſimul aluum humectã quodammodo efficiat. Eiuſmodi qualitas deſideratur ad multos vſus accõmodata, quia ob acutum, continentemq; febrem, refrigerandum. Ob robur in partibus præcipuis, internisq; omnibus conſeruandũ, vt expellere valeant ad externas partes validiſſime virulẽtam materiam à ſe ipſis, parum adſtringens alimentum dabitur. Tenuiſſimus ſanguis ebulliens incraſſandus ne effrenis fiat, neve ſummã acquirens acrimoniam totum corpus malis vlcerib. impleat. Deſideratur poſtremo vt alimenta leuem habeant vim ſubducendi aluum primis potiſſimum diebus, vt bilis vacuetur, à qua non mediocriter ſolet augeri ebullitio.

Idcirco, vt ſupra docuimus, ſimul cum cibis admiſcere conſueuit Auicennas Tamarindos, & dactylos non maturos, ac propterea rectiſſime conſuluit, oportere cibationem fieri in primis cum eis, in cõfortatio cum repercuſſione, & extinctione.

Parari debet ptiſana ex hordeo, ex auena, & ex Zea. Hordeacea colata, & non colata aluum nimis lubricam faciet, niſi adſtringentium, & acidorum permiſtione emendetur. Ob hanc cauſam ſuccus granatorum, aut berberis, aut omphaciũ, aut ſuccus limonis, vel aurantii acidi tuto admiſcetur. Quod ſi quiſpiã ex hordei farina cocta hordeacea, vt ſupra explicuimus, pultem parauerit, erit cibus nõ ingratus, ex Zea magis nutriet. ex Auena paulo minus.

Mica panis lota cum aqua roſacea, aut plantaginis, cum emulſione amygdalarum dulcium, & ſeminibus frigidis, præſertim melonum & cucurbitæ cum modico ſucco granatorum, vel alio eiuſdem generis, ſolet pueris gratus cibus eſſe.

Acida nunquam fere prætermittenda in hac cenſemus curatione.

Inter olera primas partes habet oxalydis omne genus, præſertim acutum, mox lactuca, cichoracea atriplex, cucurbita, borago, atq; eius generis alia: quibus coctis interdum veſci ægrotos, permittendum.

Antiquis omnibus maxime laudantur lentes. De quibus recentiores Medici non parum dubitant. Sed certe, vt ſentio, extra rem. Quia ſemper ſalubriter adminiſtrantur, ſi quiſpiam in illarum præparatione non aberrauerit. Sciendum eſt igitur lentes vim habere adſtringentem, & incraſſantem, motumq; ſanguinis impedientem propter corticem, non propter eius ſubſtantiam, quæ relatione ad corticem facultatem habent aperientem, non tamen eſſicacem dignam: legenda ſunt quæ ſcribit Galenus *lib. 3. de ſimplic. medic. facult. c.* Et author *libri quarti acutor. tex. 94.* denique Auicenna *libro ſecundo tract. ii. c. de lentibus.*

Praeterea adnotandum lentes praeberi in hoc affectu concoctas in aqua, hancque coctionem dupliciter fieri posse, vel in vna aqua, vel proiecta prima in altera. Sicq; sumitur aut prima, aut secunda eius decoctio, pro varia intentione Medici.

Postremo sciendum praeparari posse lentes duobus modis, vno quidem cum suo cortice alio autem sine cortice. Nunc vero omnis è medio difficultas tollenda est. *Preparatio lentium duplex.*

Si scopus fuerit sanguinem ebullientem emendare, ac prohibere, ne ad intestina, ad iecur, ad renes aliasq; partes internas vehementi motu appellens, illas vel vlceret, vel variolis, & morbillis plenas reddat, saluberrimũ est exhibere lentes cum suo cortice bis coctas, priore scilicet aqua abiecta: quae res fieri semper debet à Medico in primo principio variolarum, donec scilicet apparere incipiant.

At vero si indicatio sit moderate prouocare illas roborareque interna viscera, (quod nunquam fieri non debere affirmo) id, quod potissimum fit postquam foras erumpere coeperunt, atq; in toto progressu, opus est tunc illas praebere sine cortice bis coctas, vt supra admonuimus. Siquidem etiam sine cortice semper lentes roborant.

Sunt, qui volunt solum ius exhibere. Sed ego substãtiam exhibeo cum suo iure, non primo, sed secundo. Quia cortex magnam adstringendi, & ingrassandi vim demittit in priorem aquam ita vt secunda vtrunq; contineat admodum temperate: redditurq; cibus aegrotis non insuauis, si contundantur, ac permistae cum iure secundo & succo aliquopiam acidulo exhibeantur, vt solet ptisana parari. Volumus autẽ totas lentes hoc modo coctas cum suo cortice pinsi, & colo transfundi.

At si alterum exequi scopum voluerimus, pinsi prius debent lentes, quàm concoquantur, & à cortice expurgari pannoq; aspero, vt de hordeo fit pro conficienda ptisana, violenter fricari, quo priuatas cortice incoquamus. Haecq; salubris est praeparatio.

Porro non solum haec salubriter administrantur alimenta, sed etiam alia quam plura: nam in curatione morbi huius oportet copiam alimentorũ habere, vt pueris ipsis morem geramus: cum semper aliquid condonandum sit aetati, & consuetudini. Quamobrem ego soleo exhibere illis à principio vsq; ad quintum, aut septimum interdum diem, lactucas coctas in aqua aceto solo conditas & modico omphacio.

Praeterea cucurbitam valde coctam cum vuae acerbae, aut oxyacanteae acinis pluribus, vt acescat, cui aliquando admisceo acetosam, vel trifolium etiam acidum.

Adde his iuscula paruae pullae in aqua chalybeata simul cum oxalyde, omphacio, portulaca, & iuiubis. Panem in hoc iure contritum cum, acido succo: cui interdum vitellum vnum oui addo.

Porcellorum etiam pedes, testes gallorum altri lacte cerebella, ac alia huius generis, non nisi acidis conuenienter apparatis, modiceq; roborantibus. Imo vero nauseabundis pueris interdum adstringentia quędam pyra, & poma cocta cõcedere consueui, recordorq; puerum, qui animo sępenumero linquebat, nauseabundum me recreasse cum azarolis illis pomis, quae cruda cõcedere fui coactus, ita vt breui recreatis viribus, qui credebatur mortuus, praeter omnium spem conualuerit.

Huiusmodi etiam sunt ordinis mala quaedam syluestria acidula.

Isti sunt in vniuersum cibi huic morbo salutares.

Cogimur etiam malos dare cibos pueris, cum bonos nolunt in qua re illud comici succedit, cum facere non possis, quod velis: id velis, quod possis.

De cibo satis.

Quod

Potus.

Quod attinet ad potum, opus est abstinere ab omnibus dulcibus, qualia sunt syrupi, & Iulebi, ac vt vno verbo dicam, quæcumque fiunt ex melle, & Zaccharo. Etenim hæc bilescunt, efferuescentiamq; & ebullitionem sanguinis plurimum adaugent.

Conuenit potus acidus, vt aqua fontana optima, cui permistum sit acetum ea portione vt commode bibi possit: vel si acetum abhorreat ægrotus, succus aliquispiam acidus poterit in eius locum substitui: quod ex malis punicis acidis paratur vinum, gustui iucundum, puerisq; facile decipi poterunt: quemadmodum ex succo cerasorum, acidorum, cuius memini libro quarto tractationis huius, & quinto.

Decoctio.

Decoctionibus alii in eundem vsum opitulantur, cuiusmodi est.

℞. *Acetosæ.*
Portulacæ.
Plantaginis.
Lactucæ, an. m. j.
Seminum citri. ʒ ij.
Semin. acetosæ. ʒ iij.
Coquantur ad tertias, & ius colatum ægroti bibant cum succo granatorum vel cerasorum, vel limonum.

Ego pro magnatibus, nobilibusque soleo decoctiones facere in aqua fontana, aut cisternina, in qua frequenter purissimi auri laminæ sint extinctæ.

An decoctum hordei conueniat decoctum hordei.

Num autem hordei decoctum sit propinandum nonnulli in controuersiam ducunt: quod ob humiditatem nimiam videatur efferuescentiam potius, putredinemque humoris augere, quam obtundere. Quam rem olim in sugesto disputans hac distinctione dilucidandam censui. Aqua hordei aut datur in primo tempore huius morbi: aut in aliis subsequentibus, à principio apparitionis ipsarum vsque ad finem. Rursus, aut datur sola, aut acido succo permixta.

In primo tempore solam non darem: In aliis temporibus dari interdum potest: in benignis semper, in malignis vero miscendum, quod obtundat acrimoniam, & ebullitionem.

Vinum an conueniat.

De vino dubitatur etiam, an conueniat. Respondeo in ebullitione, qua sanguis purior redditur qualis accidit in benignis variolis, post ipsarum apparitionem, diminuta iam febre tuto dari potest olygophorum, aut quod ex multa aqua paratur in Patauinis regionibus: in quibus tum vuæ plerunque non sunt admodum generosæ, tum vinum, quod ex illis paratur, acquosam est ac debile.

In priori tempore abstinerem à vino.

Deinde vero in malis variolis, nisi summa cogat necessitas, nunquam vterer vino. Expedit enim declinationem, ipsarumque exiccationem expectare.

Cura variolarum lactantis.

Circa lactantes pueros opus est te nutrici prouidere vt lac ipsum corrigatur ita, vt refrigerandi potentiam habeat: quod fit optimam instituendo rationem victus variolis contrariam.

CAP. XVIII.

De aliis ad victus rationem pertinentibus.

Somnus.



SOMNVS præsertim pueris potest concedi aliqua ex parte copiosior antequam adueniant variolæ, quia assuetus est huic ætati, nec est etiam morbo contrarius. Nam licet omnes vacuationes retineat excepto sudore, tamen vacuatio ista critica per cutem facta non videtur admodum dissimilis sudori: cum vero erumpere

pere incipiunt, magis vigilandum, quam dormiendum: ac tanto magis, quãto magis libere foras prodeunt.

Quiescendum illis ab motu. Solum in priori tempore conueniunt frictiones molles, quibus meatus dilatentur cutanei pro illarum faciliori exitu: à quibus protinus abstinendum cum indicia sese offerunt apparitionis earum.

Euacuationes naturales procurandæ, si forte intermittantur: ideoque supra clysteres laudauimus ex iure carnis, & ex sero, & ex lacte: cauere autem semper oportet ab oleo, & sale. Nam oleum inflammat, ac si forte incipiunt intus variolæ exulcerare possent intestina vlcere maligno. Sal vero dolorem facit, infertq; calorem. Displicent multis clysteres, quod putant impediri exitum, aut retardari. Ego autem neutrum ex eiuscemodi clystere posse contingere plane sum certissimus.

In glandibus illud monendum censeo, acutas, in quibus species hieræ picræ, aut diagridium, aut aliud eiusdem generis acre ingreditur, nunquam esse imponendas.

Affectus animi remouendi sunt fere, omnes, præcipue vero mœstitia, curæ, & iræ, nam calor innatus in viscerib. & præcordia refugit ac ex vnione inflammatur: Timor vero intus retinet violenter, & longo tẽpore calorem, quem expediret petere exteriores partes. Gaudium tanquam amicum humanæ naturæ commendatur. Hæc de febrium pestilentium natura, causis, differentiis, cognitione, prognosi, atq; de pestilentibus affectibus præcipuis dixisse in præsentia sufficiant.

FINIS LIBRORVM DE FEBRIBVS.

INDEX





INDEX RERVM ET VERBORVM IN TRACTATV HOC DE FEBRIBVS MEMORABILIVM.

A.



Abscessvs in qua parte sit futurus. 306
Abscessus in superioribus futuri signa. ibi.
In inferioribus. ibi.
Abscessus pestilentis apertio qua requirat obseruanda. 320
Abscessus pestilens quomodo aperiendus. ibid.
Actionum subiectum. 49
Actionem læsionum conuenire ei, quod est præter naturam. 14
Actiones permixtas esse à causis permixtis. ibid.
Acutum quid. 96
Acutiem morborum consistere in ipsius motus velocitate. 199
Aeris conditionem esse illud, quod ab Hippocrate diuinum dicitur. 259
Aerem mortalibus esse autorem vitæ. 226
Aeris inspirati duplex necessitas. 241
Aerem dupliciter modo affici. ibid.
Aer saluberrimus qui. 226. Qui insalubris. ibid.
Aer quomodo & quando in primis qualitatibus alteretur. 227
Aerem merito suæ propriæ naturæ semper manere imputrescibilem. 264
Aerem in propria substantia permutari quid sit. 237
Aeris putrefactio quid. 246
Aer is putridi signa. 265
Aeris portio quanam putrescat. 238
Aer propter quas causas putrescat. 239
Æstatis temperamentum. 230
Æstatis tempore cur caliditas & siccitas intendatur, cum tamen sol longissime à nobis recedat. ibid.
Affectionem ab affectu esse sumendam. 38. Ex affectione nullum affectum emergere. ibid.
Affectum nullum emergere ex affectione. ibi.
Agaricus. 414
Alui profluuium in febribus vnde fiat. 289
Anima instrumentum. 21
Anni tempus. 303
Anni tempora quot. 229
Anthera. 337
Aqua putrefactæ signa. 267
Arcturi Ortus. 229
Ariditatis linguæ causæ. 284. causarum signa. ibid.
Arnoglossa. 333
Artes omnes ex notione finis quomodo. 9
Artis vnius cuius esse res à notione finis docere. 10
Articulorum præseruatio in variolis. 425
Astra carere pernicie. 255
Augmenti signa. 84
Aurium præseruatio in variolis. 425
Autor cur de febribus scripserit. 5
Autoris vxor qua morte interierit. 291
Autumni temperamentum. 231

B.

Balneum an in febre colliquatiua conueniat. 350
Bilis cur moueatur tertio quoque die. 187
Bilem atram in corpore omnium humorum esse perniciosissimum. 212
Bilem atram non generare febrem quartanam 212. nisi ipsa putrida cum alio humore fuerit permixta. ibid.
Bilis atra putrida quam faciat febrem. ibid.
Bilem atram sinceram nunquam venire ad putrefactionem. 213
Bilem flauam sinceram in venis dupliciter posse putrescere. 196
Blaccia. 3. 8
Breue quid. 97
Bruta cur non etiam incidant in variolas. 381
Bubo pestilens quomodo à simplici in Ephemeris contingente differat & cum gallico conueniat. 312. vnde habeat originem. ibi. num in omni bubone pestilente necessarium sit cor esse læsum. 315. huius signa demonstratiua. ibid. prognostica. 316

Bubonum pestilentium salutarium signa. 316.
In bubonibus pestilentibus nihil esse fidum nihilq; certum. 317
Bubonibus pestilentibus cur, quomodo & quãdo sit imponenda gallina viua. 322

C.

CAliditas, quam Medici febrem vocauerint, quæ. 48
Calidũ duplex in corpore humano inueniri. 28
Calidum innatum quodnam sit instrumentum. 25
Calidum innatum & acquisititium quomodo differat ab operationibus. 30
Calidum innatum esse vehiculum febris. 54
Calidum innatum esse naturam & temperamentum corporis animati. 24
Calidum innatum cur dicatur temperies. 25
Calidum innatum cur in rigore retrahatur ad suum principium. 183
Calidum acquisititium quid. 30
Calidum acquisititium secundum naturam. 31
præter naturam. 33
Calidum præter naturam. 29
Calor duplex. 19. Quid per calorẽ intelligamus 20. non est idem calor & calidum. ibi. quod calores illi duo sint differentes. 21
Calorem naturalem esse qualitatem temperatam. 22. quomodo à præternaturali differat. ibid.
Calorem naturalem & extraneum esse contrarios. 22
Calorem innatum & spiritum nunquam à se inuicem disiungi. 26
Caloris innati cum igni similitudo. 27
Calor naturalis acquisititius quibus ex causis. 32
Calor præternaturam quomodo à naturali differat. 28
Caloris præternaturam differentia. 29
Calorem præternaturam non esse morbum nec febrem formaliter. 36
Calorem febrilem non semper transmitti per totum corpus. 15
Caloris pestilentialis subiectum. 241
Capitis dolor in febribus vnde fiat. 292. vnde cognoscẽdum quod sit symptoma febris. 293
Carbunculum omnem esse malignum non tamen pestilentem. 323
Carbunculi pestilẽtis exortus duplex. 323. quæ eius descriptio. ibi. quæ materia. ibi. species & differentia. 324. externa causa. ib. signa ibi. prognostica. 325
Carica. 429
Cassia. 414. correctio incommodorũ cassiæ. ibi.
Cataplasma ex lente. 332
Cataplasmata ad bubones pestilentes. 318. 320
Causarum duplex ordo. 189
Causarum subiectum. 49
Causarum permixtarũ actiones esse permixtas. 14
Causa contentiua febris quæ. 20
Causam veram pestilentiæ esse aeris ambientis putredinem. 262
Causa qua corpora hoc vel illo modo sint præparata. 246
Causonidem esse morbum acutum. 199
Causi nomen æquiuocum. 149
Causus verus secundus. 149
Primus duplex. ibi.
Causi nota & symptomata. 168
Causi prognostica. 307. 308
Caustica. 335
Caustica, escharotica & vesicantia quomodo conueniant & differant. 335
Causticorum materia. ibid.
Cauteria actualia in carbunculo pestilentiali quomodo sint administranda. 329. & quãdo. ib. num conueniant & quomodo. 328
Cholera quid. 297. quæ eius causa. ibid.
Cibi praui qui. 223
Circuitus quid. 158. de circuituum causa disputatio. ibi.
Circuitus febrium per quintum, septimum & nonum diem non inueniri. 193
Clysteres an in variolis conueniant. 443
Cœli status quid significet. 227. 228
Cœli status particularis quid. 228
Cœlum non posse efficere contagio. 257
Cognitionem principiorum & terminorum nõ indigere methodo. 4
Colliquationis solidarum partium causa. 344. signa. 345
Colliquatiuæ febres quid. 338. quæ eius differentia. 339. 340 341. quomodo ab ardentib. differant. ibid.
Collyrium pro variolis. 420
Compositionem non esse methodum. 9
Et propter quid non sit methodus. ibid.
Conceptionis triplex tempus. 373
Conditiones necessarias præconstituendo subiecta alicuius morbi esse duas. 50
Conditiones duæ necessariæ ad constitutionem morbi acuti. 98
Conditum. 356
Constitutio pestilentialis quæ. 236
Contagium quid sit. 272. quid significat. ibid. quæ eius differentia 273. 274. 275. 276 cõtagij vniuscuiusq; causa. 273. 274. 275. 276

Con-

Contagium vnumquodq; consistere in putredine. 276
Contagionem non vnius saltem, sed duorum esse effectum. 257
Contagionis naturam in sordida consistere putredine. 399
Contraria. 21
Contrariorum duplex doctrina. 22
Cor quomodo sit subiectum febris. 46
Corpus totum non posse calefieri non affecto corde. 46
Crisis quid & quotuplex. 303.305
Cruditas duplex. 80
Crurum dolor in febribus vnde fiat. 300
Crustam inducentia in carbunculo pestilenti. 335
Cucurbitulæ in carbunculo vbi & quando sint administranda. 327
Cura lactantium laborantium variolis. 442

D.

DÆmoniacum quid apud veteres significat 260.
Declinatio quid. 72. an mori contingat in declinatione. ibid.
Declinatio vera quæ. 72. non vera quæ. ibid. In quibus casibus moriantur ægri in declinatione. ibi.
Declinationis signa. 84
Decoctio pro insalatione. 434
Decoctio pro variolis. 442
Decoctum hordei an in variolis conueniat. ibi.
Definitionum natura duplex. 12
Definitionum vitia quæ. 9.222
Definitio febris ex quo principio sit deducenda. 18
Definitio magni morbi. 95
Deglutiendi difficultatis causa. 285
Delirium in febrib. quomodo à phrenitide differt. 294. quæ eius futura signa. ib. quæ causa. ib.
Demonstratio Platonis de anima immortalitate. 8
Diacatholicon. 414
Diathesis quid. 38
Differentia inter rigorem & tremorem. 182
Differentia febrium tres. 91
Differentiæ inter synochum biliosam & sanguineam. 110
Difficultatis deglutiendi causa. 285
Difficultates circa febrium naturas fol. 1. circa febrium curationem. ibi. circa autores. 2
Diuersum ac idem tripliciter sumi. 21
Diuini nomine quid veteres significauerint. 259
Diuinũ omne esse antiquum & ordinariũ. 256
Diuisionis præstantia in artiũ constitutione. 11
Diuisio totius operis. 3
Doctrina modum esse aliud, aliud ordinem. 8
Doctrinas multas esse rationales quæ non sunt methodicæ. 5
Dolor quid. ibid.
Dolor sentiendi facultatem exigit. 279
Dolor capitis in febrib. vnde fiat. 292. signum quod sit symptoma febris. 293
Dolor crurum in febribus vnde fiat. 300
Doloris lumborum in febribus causa. 202
Dolor stomachi & ventris in febribus vnde fiat. 299
Dulcia in variolis non esse admittenda. 430

E.

ECleguna de lentibus. 421
Eclegma in variolis. 422
Effectum præter naturam esse à causa præter naturam. 14
Effectus febrium intermittentium. 170
Elementa omnia, excepto igne posse putrefieri. 238. Ephemera pestilentialis signa. 269
Epilepsiam nihil in se habere diuinitatis. 258
Emplastra ad bubones pestilentes. 318
Enema adstringens pro variolis. 424
Energia quid. 38
Epidemius morbus quid. 222
Eschárotica; vesicantia & caustica quomodo differant 335. quomodo conueniant. ibid.
Essentiam & generationis modum plurimum differre. 16
Essentia febris quæ. 87

F.

FAmes quid. 286. quotuplex. ibid. motus ad concitandam famem necessarij. ibid.
Fastidium cibi quid. 287. quæ eius causa. ibid. quæ causarum signa. ibid.
Faucium præseruatio in variolis. 421
Febris vnde dicta. 18
Febris definitio prima quæ. 19
Febris definitio ex quo principio sit deducenda 18.
Febris essentia quæ. 87
Febris cur per calorem definiatur. 37
Febris quidditas & causa consentiua quæ. 26
Febris cur dicatur accidens. 94
Febrem omnem esse principaliter affectionem cordis. 278
Febrem nullam fieri posse non affecto corde. 19
Febrem esse affectionem veneni generis. 169
Febris an sit intemperies humida, an sicca. 39 an intemperies æqualis vel inæqualis. 43
Febrium genera & quot. 221
Febrium omnium genus commune esse passibilem qualitatem. 39

Febris sub qua specie qualitatis sit. ibid.
Febrem omnē esse putridā, excepta diaria. 271
Febrem in habitu raro esse sine putridine. 217
Febrium differentiæ tres. ibi.
Febrem nullam esse frigidam. 12
Febrium materialium principium quid. 70
Febres dulcibus qualitatibus reponi. 38
Febris sub paßibili qualitate. ibi.
Febrilem calorem non semper transmitti per totum corpus. 25. in quibus febribus transmittatur per totum corpus. ibi.
Febris subiectum esse totum corpus & quomodo. 26
Febris symptomatica quid. 162. quot eius genera. ibi. causa. ibi. signa. 163
Febrilis principij significationes. 69
Febrium circuitus per quintum, septimum & nonum diem non inueniri, sed esse potius imaginarios. 193
Febres, quæ fiant ex externis inflammatio. 151 quæ ex internis. ibi.
Febricitantes cur semper fastidiant cibos. 286 quæ causarum signa. 287
Febris omnis acuta est, quando humores intra vasa maxima continentur. 302
Febris ardentis prognostica. 307. 308 ardentis febris prognostica. ibi.
Febres apud Medicos duobus modis dici compositas. 216
Febres colliquatiua quid 338. quæ eius differentia. 339. 340. 341. quomodo ab ardentibus differant. 341
Febres confusæ. 216
Febrium continuarum definitio communis. 135. alia. ibi.
Febres continua cur ad febricitationem non veniant. 156
Febres continuæ cur interdum habeant rigores. 293
Febres continuas esse inseparabiles à morbis acutis. 301
Febriū continentia 49. contenta. ibi. impetum facientia. ibi.
Febris continua quartana quid. 162. quæ eius signa. ibi.
Febris cōtinua quotidiana quid. 162. signa. ibi.
Febris continua tertiana quid. 160. causa. 161. signa. ibi.
Febris ephemera pestilentialis signa. 269
Febris epiala quæ. 209
Febres epialas habere etiam rigorem. 209
Febres omnes in quibus apparet sensibilis colliquatio, esse hecticas. 342
Febris hectica quid. 311
Febris hemitritæus. 219. quæ eius natura. ibid.
Febres implicitæ. 217
Febris intermittens quid. 168
Febrium intermittentium effectus. 170
Febrem intermittentem nullam fieri à sanguine. 194
Febrem intermittentem non dierum, sed circuituum numero indicari. 200
Febris leipyria. 161 causa. ib.
Febris pestilens qualis sit morbus. 240
Febris pestilens quid secundum quosdam recentiores. 221. 222. quid secūdum autorem ipsum. 223. omnem pestilentem febrem esse morbum communem non contra. 222
Febres pestilentes duarum esse generum. 341
Febris pestilens quomodo ab alijs omnib. contagiosis morbis differat. 277
Febris pestilēs quomodo à diaria differat 242. quomodo ab ambiente aere fiat.
Febrem pestilentem omnem fieri ex putredine 250
Febris putrida pestilens. 151
Febris simpliciter putrida. 131
Febrem putridam non omnem ex humorum putredine fieri. 250
Febrium putridarum cum putridis implicatio quttuplex. 217
Febrium quartanarum natura in quo consistat 211. ex quib. humorib. melancholicis fiant 212. quæ eius differentia. 213. signa. 214. vrina. ibid. pulsus 215. omnes quartanas habere à paruo frigore. ibi. rigor huius quomodo à rigore tertianæ differat. ibid. cur in omni quartana videantur esse ossa frangi. ibi. eius calor. ibi.
Febrem quartanā duplicem esse frequentiorem duplici quotidiana. 218
Febres quartanas non semper esse longas, sed quasdam breuißimas. 209
Febrium quartanarum prognostica. 310
Febrem quotidianā duplicem rarò conspici. 218
Febris quotidiana causa. 203 symptomata. ibi. qui huic maxime sint obnoxij. ibi. an habeat etiā rigorem. 209. quæ eius vrina. 210. vomitus. ibid. calor. 22 [illegible] pulsus. ib. à qua specie pituitæ hæc febris fiat. ibi. quæ signa distinctionis. ibid.
Febrium quotidianarum prognostica. 311
Febris sanguinea cur sit simplicior. 158
Febris sanguinea cur dicatur Galeno biliosa. ib.
Febrem tertianam non esse cum periculo nec morbum acutum. 198
Febres tertianas duas nunquam aut certe raro hominem à principio inuadere. 218
Febrem tertianam non esse [illegible]. 203.

Febrium tertianarum intermittentium prognostica. 310

Febris tertiana notha quæ 204. qui sint huic febri obnoxij ib. & 205. huius febris latitudo ibi. vrina. 206 pulsus ibi. causa ibi.

Febris tertiana exquisita quid. 195. quæ eius proxima causa ibi. 196. signa ibi. calor ibid. pulsus ibid. vrina. 197

Febrem tertianam exquisitam & notham non esse vere contrarias. 207

Febris variolas antecedens quæ sit. 362

Ficus. 429

Finem methodi esse artium & scientiarum constitutionem. 5

Fluor sanguinis narium in febribus vnde fiat. 296.

Fluxus ventris futuri signa. 305

Fluxus hepaticus in febrib. quid & vnde fiat. 297. signum. 298

Fluoris sanguinis narium futuri signa. 304

Fœniculi semen. 429

Fœtor oris in febribus vnde fiat. 299

Fomes pestis. 275

Formam omnem habere originem à cœlo. 260

G.

Galenum non in vno volumine de febrib. egisse. 2. quadam omisisse. ib. obscurum aliquando esse. ibi.

Gargarisma pro variolis. 421

Generationis modum & essentiam plurimum differre. 16

Generationem morborum duo requirere. 245

Genus commune omnium febrium esse passibilem qualitatem. 39

Genus proximum febris. 18

Gustus deprauatus in febribus vnde fiat. 285

Gustu deprauato cur interdum maneat optima appetentia. 285

Gutturis tumorum causa. 228

Gutturis præseruatio in variolis. 421

H.

Habitus quomodo possit comprehendi sub scientia. 5

Hectica febris incipientis signa 117. subsequentis ab aliis morbis signa. 118. hecticæ tertii gradus signa. ibid.

Hecticæ secundi gradus signa. ibid.

Hecticarum pestilentium signa. 271

Hectica febris quid. 111

Hectici cur assumpto cibo fiant calidiores. 115

Hepaticus fluxus in febribus quid sit & vnde fiat. 297. signum. 298

Herpetes quosdam esse morbillos & contagiosos 393.

Hominem & solem generare hominem. 260

Horæ mortis signa. 302

Horror quid. 135. 204. quæ eius causæ. Et quomodo à rigore & refrigeratione differat. ib.

Humorem omnem, qui acerbam & atræ qualitatem adipiscitur, atram bile nuncupari. 213.

Humorum dispositiones esse variabiles. 189

Humores febrium intermittentium maiori ex parte agitari in primis viis. 171

Humoris putrefacti substantiam in intermittentibus febribus non deferri actu ad superficiem corporis. 173

Humores à quibus partibus in intermittentibus febribus transmittatur ad partes sensitiuas. ibi.

Humores à quibus rigores in febribus fiunt, esse putridos. 184

Humor quomodo intermittentibus febribus omnes sensibiles partes inuadat. 173

Hyemis temperamentum. 231

I.

Iactatio corporis in febribus vnde fiat. 298

Idem ac diuersum tripliciter sumi. 21

Ignis substantia. 27

Ignis cur indigeat alimento. ibi.

Ignis alimentum familiare. ibi.

Inæqualitatem temporum aliud non esse certum signum futuræ pestis. 265

Indicatio morborum autorum. 309

Indicia humoris per sudorem emanantis. [illegible]

Inquietudo in febribus vnde fiat. 292

Instrumentum animæ. [illegible]

Intemperies æqualis quæ. 53

Intemperies omnis æqualis habet aliquam partem factam. ibi.

Intemperies æqualis æqualiter vel inæqualiter facta. [illegible]

Intemperies inæqualis quæ. 58

Intereundi modus primus. 322

Interitum dupliciter dici. 320

Intestinorum præseruatio in variolis. 422

L.

Lacca quid. 427. quomodo à styrace differat. 428

Læsionem actionum conuenire ei, quod est præter naturam. 14

Lambitiuum pro variolis. 421
Leipyria febris quid. 161. causa. ibid.
Leipyriae febres malignae. 20
Lens. 333
Lentium praeparatio duplex. 441
Lentes cur in variolis usurpentur. 428
Lepra & variolae quomodo differant. 375
qua lepra causa. 374
Linguae ariditatis & scabritiei causae. 284
causarum signa. ibid.
cur interdum fiat nigra. ibid.
Linimentum pro carbunculo pestilente. 337
Linimentum delens cicatrices variolarum in facie & oculis. 438
Linimentum crustulas & squamas variolarum tollens. 438
Longum quid. 97
Lumborum dolor in febribus unde fiat. 292

M.

Magnes cur attrahat ferrum. 189
Magnitudo morbi. 303
Manna. 414
Marasmus quid. 120
Media contraria esse extremis. 22
Medicamentorum pro carbunculo pestilenti usualium differentia. 331
Melancholiae differentia. 218
Melancholia num etiam fiat ex pituita. ibi.
Melancholia putrefacta cur moueatur quarta quoque die. 187
Membrorum dispositiones esse variabiles. 189
Methodi definitio ex propria intentione. 4
Methodus quid secundum diversos autores. ibi.
Methodum quomodo sit ratio & ratione limitatur. 6
Methodos omnes esse quatuor. 8. Ex illis quatuor quanam sit principalior. ibid.
divisiuae methodi munus. ibid.
definitiuae methodi munus. ibi.
demonstratiuae munus. ibid.
Resolutiuae finis. ibi.
definitiuam & resolutiuam definitiua instruire. ibi.
definitiuam per se esse perfectiorem. 9.
definitiuam demonstratiuae proponi. ibi.
Methodorum sufficientia. ibi. quomodo procedamus per resolutiuam methodum. 10
Mica panis. 333
Modum generationis & essentiam plurimum differre. 16
Modi morientium citra iudicium. 301
Morbilli quid. 257. 258
Materia. 319
Differentia. ibi.
Finis. ibi.
An necessario habeant coniunctam febrem. 360. quam diu febris antecedat & quando sequatur. 382. quae eorum natura. 390. quomodo cum variolis conueniant & quomodo differant. ibid.
Morbillos non esse herpetem. 392
Morbilli quid. 279. quomodo a variolis differant. ibid. quomodo conueniant. ibid. quae eorundem causa. ibid. 280
Morbillorum differentia 393. 394. nullos morbillos fieri ex sanguine. 394. an pueris morbillis laborantibus liceat secare venam. 410
Morbillos non esse necessaria signa futurae pestis 207. Et quando fiant. ibid.
Morbillorum salubrium & malorum signa. 402
an in morbillis vena sit secanda. 418
quid faciendum in pueris adhuc lactantibus. ibid.
Quando purgandum. 412. an vena sectio purgationi, an haec illi sit praeponenda. 414
omnes morbillos esse contagiosos. 399
qui pueri morbillis sint obnoxij. ibi.
Morbus quid. 36. 50
Morborum generationem duo requirere. 248
Morbi magnitudo. 303
Morbi motus. ibid.
Morbi species. ibid.
Morborum speciei signa. 301
Morbi subiectum. 49
Morbi tempus quid. 67
cur dicatur aetas. ibid.
Morbum in temperamento esse diversum a morbo in substantia. 240
Morbum salubrem esse molestum in statu quam in principio. 77
Morbum cito terminari dupliciter contingit. 203
Morbos ex mala victus ratione genitos non esse febres pestilentes. 347
Morborum acutorum indicatio. 303
Morborum acutiem consistere in ipsius motus velocitate. 299
Morbum omnem acutum esse cum periculo. 198. 199.
Morbos non omnes esse acutos, qui fiunt ab acribus, calidis & biliosis humoribus. 303
Morbos acutos non semper occidere. [illegible]
Morborum acutorum non omnino certas esse significationes salutis & mortis. ibid.
Morbum omnem acutum habere febrem continuam. 242

Morbi

Morbis omnibus acutis extreme tenuem victũ competere. ibid.

Morbum omnem acutum cum febre necessarium est habere febrem continuam. 200

Morbi dissimiles. 232

Morbum comitialem nihil in se habere diuinitatis. 258

Morbus communis quid. 223. quomodo ab vniuersali differat. ibi.

Morbum eundem dici posse communem & sporadicum diuersa tamen ratione. 232

Morborum communium causa. 224

Morbus Epidemius quid. 222

Morbi magni definitio. 95

Morbos pestilentes esse etiam vulgares. 231. ex quibus anni tempestatibus pestilentes vulgares fiant. 234

Morbi pestilentes & vulgares quomodo differant. 235

Morbum popularem non omnem esse pestem. 222.

Morbo regionales non esse contagiosos. 229
Nec ex vna ciuitate in alteram commigrare. ibid.

Morbi sporadici. 230

Morbus vniuersalis quid. 223

Morbus vniuersalis & communis quomodo differat. ibid.

Morbi vulgares. ibid.
quomodo à pestilentibus differant. 235

Morientium quos possit in morbi declinatione 400.

Morientium citra iudicium modi. 301

Mortis hora signa. 302

Motus vnusquisq; quae requirat. 171

Motus morbi. 303

Mutatam velocem non solum fieri cum morbis acutis, sed etiam cum breuibus quibusdam. 203

Mulieres variolis laborantes cur raro euadant. 378

Mutatio duplex. 124

N.

Narium fluoris sanguinis futuri signa. 304
Narium sanguinis fluor in febribus vnde fiat. 290

Narium praeseruatio in variolis. 420

Natura status. 78

Naturam contagionis in sordida consistere putredine. 398

Naturae definitionem duplex. 12

Nausea quid. 280

quae eius causa. ibid.
quae causarum signa. ibid.
an in ventriculo, aut alibi sit orta. ibid.

Nigredinis linguae causa. 284

Nomen causae aequiuocum causae. 143

Notio communis, quam omnes de febrib. concipiunt. 12

O.

Occasus pleiadum. 229
Oculorum praeseruatio in variolis. 419

Odoramentum pro variolis. 420

Operatio propria non datur ab aliis cognata. 107

Opiniones veterum de humoribus, è quibus fiunt febres putridae. 138

Oppressio in febribus quid. 291
quae eius causa. ibid.

Oris foetor in febribus vnde fiat. 299

Ortus arcturi. 229

Ortus carbunculi pestilentis duplex. 303

Ortus pleiadum. 229

Oscitationes vnde fiant. 172

P.

Pabis mica. 335
Paroxysmorum differentia, in eo, quod magis & minus. 194

Paroxysmorum peruersio. ibid.

Paroxysmorum breuium ac facilium causa. 206. 207

Partes sensitiuae quae. 170

Partium solidarum colliquationis causa. 344
signa. 348

Pars vt dolore fiat particeps, quid requiratur. 182.

Pastilli Andronis. 335

Pastilli Pasionis. 334

Pastilli Polyidae. ibi.

Πάθημα quid. 38

Pathos quid. ibi.

Pestilentiae causa. 226

Pestilentiam fieri à solo aere & non etiam cibo & potu. ibid.

Pestilentiae veram causam esse aeris ambientis putredinem. 263

Pestilentialis constitutio quae. 238

Pestilentiae propriam essentiam non consistere in occulta proprietate. 263

Pestilentiae proximam & continentem causam esse putredinem aeris. 263

Pestilentiae futurae signa. 264

Pestilentia generationem duo requirere. 240
Pestilentia cur non omnes animantes aequaliter inuadat. 246
Pestilentiam semper continere contagionis semina. 232
Pestilentiam ex mala victus ratione non fieri. 247. *neq; morbos vulgares, sed dispersos.* ibid.
Pestilentiam omnem esse putridam quandam affectionem. 242
Pestilentiam omnem caecam & delitescentem esse causam. 244
Pestilens omnis affectio est morbus vulgaris. 222.
Pestilentialis caloris subiectum. 241
Pestis quid. 222. *non solum esse morbum communem, sed etiam vulgarem.* 234
Pestis fomes. 275
Pestis seminaria. 275.276
Peste laborantium pulsus. 268
Pestem omnem esse morbum communem, non contra. 228
Pestem non semper esse morbum acutissimum. ibid.
Pestem in omnibus temporibus anni posse inuadere hominem. 232
Pestem non fieri à caelo & syderibus. 255
Pestem aliquando sine putrefactione aeris posse consistere. 244
Pestilentialis constitutionis causam esse caelum. Et quomodo. 260
Pestilens febris quid secundum quosdam recentiores. 221.222. *quid secundum autorem ipsum.* 223. *omnem pestilentem febrem esse morbum communem non contra.* 222
Pestilens febris qualis sit morbus. 240
Pestilentes febres duorum esse generum. 241
Pestilens febris quomodo à diaria differat. 242 *quomodo ab ambiente aere fiat.* 242
Pestilentem febrem omnem fieri ex putredine. 250
Pestilentis febris signa pathognomonica. 267
Pestilens febris quomodo ab aliis omnibus contagiosis morbis differat. 277
Pestilentem febrem omnem esse cum putredine. 270
Pestilentium hecticarum signa. 271
Pestilentes morbos esse communes. 233. *ex quibus anni tempestatibus vulgares pestilentes morbi fiant.* 234
Pestilentes & vulgares quomodo differant. 235
Petechiae quomodo à variolis & morbillis differant. 279. *quae earum differentia ibi. quae proxima causa.* 281
Philosophiae partes duae. 1
Pituitae quatuor species. 211
Pituita putrefacta cur moueatur quotidie. 187
Planetas omnes esse bonos. 257
Plato quid per ignem intelligat. 28. *cur calidum innatum vocauerit ignem.* ibi.
Pleiadum ortus. 220. *occasus.* ibi.
Praeparatio lentium duplex. 441
Praeparatio succi scabiosae. 334
Praeseruatio aurium in variolis. 425
Praeseruatio articulorum in variolis. 423
Praeseruatio faucium & gutturis in variolis. 421.
Praeseruatio intestinorum in variolis. 422
Praeseruatio narium in variolis. 420
Praeseruatio oculorum in variolis. 419
Praeseruatio pulmonum in variolis. 421
Praeseruatio renum in variolis. 423
Praeternaturalia. 49
Principii ratio vniuersalis. 70
Principii signa. 83
Principium febrium materialium, quid. 78
Principii febrilis significationes. 69
Profluuium alui in febribus vnde fiat. 289
Profunditas somni in febribus vnde fiat. 294
Prognostica ardentis ad bonum. 308.309
Prognostica bubonis pestilentis. 310
Prognostica causi seu febris ardentis. 307
Prognostica quartanarum. 318
Prognostica quotidianarum. 311
Prognostica synochi putridae. 306.307
Prognostica tertianarum intermittentium. 310.
Pulmonum praeseruatio in variolis. 421
Pulsus indicat affectionem cordis. 44
Pulsus peste laborantium. 268
Purgantia medicamenta an & cur in carbunculo pestilentiali conueniant. 330. *Quando administranda.* 331
Putredo quid. 122.124 233
Putredinem duo continere. 188
Putredinis peculiaris conditio quae. ibid.
Putredinis latitudo & differentia. ibid.
Putredinem fieri non posse absq; calidi innati imbecillitate. 184
Putredo quid. ibid.
Putredinem omnem in humani corporis venis existentem fieri per pulsum & vrinas conspicuam. 358
Putridam febrem non omnem ex humorum putredine fieri. 250
Putrefactio aeris quid. 246
Putrida an omnia sint contagiosa. 274. *quid, vt omnia sint contagiosa, requiratur.* ibid.

Qua-

Q.

Qualitas vacuandi sanguinis in variolis & morbillis. 407
Quantitas quomodo possit esse causa determinatorum effectuum. 187
Quidditas febris quæ & causa contentiua. 20

R.

Rationis vocabulum satis commune. 5
Rancedo in febribus vnde fiat. 299
Refrigerantia an in carbunculo pestilenti conueniant. 330
Quando administranda. 331
Renum præseruatio in variolis. 425
Repellentia an in carbunculo pestilenti conueniant. 330
quando administranda. 331
Resolutionis nomen vnde dictum. 11
Rhabarbara. 414
Rigor quid secundum Galenum. 181
Rigor secundus in sanis & in ægrotantibus. ibid.
Rigor cur sit quadam refrigeratio. 182
quomodo à tremore differat. ibid.
quæ eius causa. ibid.
Rigor à quo humore fiat. 183
à qua causa rigores fiant maiores. ibi.
an rigores maiores fiant à virtute imbecille an à valida. ibi.
quomodo cum horrore & frigore conueniat. 182
Rigor qualis sit sensatio. ibi.
Rigorem nullum esse absq; dolore. ibi.
Rigoris causa. 170
Rigoris secunda causa positiua & priuatiua ib.
Rigor quomodo sit quadam refrigeratio secundum sensum caloris innati. 183
Rigorem nullum fieri posse absq; refrigeratione extremarum partium. 184
Rigore præsente cur extremæ partes refrigerentur. ibi.
Rigorem nullum fieri sine imbecillitate caloris & facultatum. ibi.
Rigores fieri in ambitu corporis. 171
Rigor cum febre & rigor sine febre. ibi.
Rigores internarum partium partium & quæ sint illæ partes internæ. 171
Rigores fieri ab humoribus putridis. 184
Rigoris à bile flaua & atra differentia. 204
Rigor quartanarum & tertianarum febrium quomodo differat. 215
Rigor an quotidianis febribus adueniat. 207

S.

Sanguinis nomine quid intelligendum. 141
Sanguinis narium fluor in febribus vnde fiat. 296.
Sanguinem in paruis venis posse putrefieri. 159
Sanguine in paruis venis putrefacto quæ fiat febris. 100
Sanguinem non facere febrem intermittentem. 194
Sanitas quid. 36 50
Sanitatis subiectum. 49
Sanitas cur in partibus corporis collocetur. 50
Sauonea pro variolis. 421
Scabiosæ succi præparatio. 332
Scabritiei linguæ causa. 282
causarum signa. ibid.
Scientiæ nomen latissime patere. 3
Scientiam omnem non esse habitum per demonstrationem acquisitum. 3
Scientias à fine specificari. 11
In scientijs non esse in vniuersalibus standum. ibid.
Scopus tractationis de febribus. 3
Sectio venæ an pueris variolis laborantibus conueniat. 410
Sectionis venæ liberata vtilitates. 409
Semen fœniculi. 420
Seminaria pestis. 275 276
Siccum in humano corpore dupliciter abundare. 283
Significationes principij febrilis. 69
Signa aeris putridi. 265
Signa aquæ putrefactæ. 267
Signa principij. 83
Signa augmenti. 84
Signa vigoris. ibid.
Signa declinationis. ibid.
Signa bubonum pestilentium quænam sint ad mortem. 318
Signa demonstratiua bubonis pestilentis. 319
Signa motus velocis & tardi in bubonibus pestilentibus. 317
Signa febris pestilentialis Ephemeræ. 269
Signa pestilentiæ futuræ. 264. 265. 266. 267.
Signa pathognomonica febris pestilentis. 267. 268.
Signa pestilentium bellicarum. 271
Signa excretionis futuræ per vrinas. 304
Signa futuri fluxus sanguinis ex naribus. 304.
Signa futuri fluxus ventris. 305
Signa fluxus ratione variolarum. 422
Signa futuri sudoris. 305
Signa vomitus futuri. 304
Signa speciei morborum. 301

Signa horæ mortis. 302
Signa morbillorum salubrium. 402
malorum. ibi.
Signa variolarum salubrium. ibi.
malorum. ibi.
Signa terræ putrefactæ. 266
Similitudo caloris innati & ignis. 27
Singultus quid. 289 *quæ eius causa.* ibi.
Sitis quid. 283. *quæ eius proxima sedes.* ibi.
causa. ibi.
Solem & hominem generare hominem. 260
Somni profunditas in febribus unde fiat. 294
Species morbi. 303
Speciei morborum signa. 301
Spiritus an & quomodo putrescant. 258
Spiritus nutrimentum duplex. 242
Spiritum & calorem innatum nunquam à se inuicem disiungi. 26
Status naturæ. 78
Stellas esse corpora diuina. 257
Stellas carere pernitie. 255
Sternutatio in febribus unde fiat. 298
Stomachi dolor in febribus unde fiat. 299
Styrax quomodo à lacca differat. 428
Subiectum actionum. 49
Subiectum causarum. ibi.
Subiectum sanitatis ac morbi. ibi.
Subiectum febris esse totum corpus & quomodo. 46
Subiectum caloris pestilentialis. 248
Substantiam humoris putrefacti in febribus intermittentib. non deferri actu ad superficiem corporis. 273
Substantia ignis. 27
Succi scabiosæ præparatio. 332
Sudoris futuri signa. 305
Sudorem commune esse symptoma tum continuarum febrium, tum intermittentium. 295.
Sydera omni carere pernicie. 255
Symptomatica febris quid. 162. *quot eius genera. ibi. causa. ibi. signa.* 163
Syncope quid. 290
Synochas esse periculosas. 199
Synochi putridæ prognostica. 306. 307

T.

Tabes quid. 120
Tamarindi. 414
Tardum quid. 97
Temperamentum quomodo sit animæ perfectum instrumentum. 25
Temperamentum esse accidens. 240
Temperamentum æstatis. 230
Autumni. 231
Hyemis. ibi.
Veris. 230
Templum Deæ Februe. 3
Tempus anni. 308
Temporum nostrorum calamitas. 2
Tempus conceptionis triplex. 375
Tempus morbi quid. 67
Cur dicatur ætas. ibid.
Temporis febris significatio. 66
Tempora variolarum. 397
Lethalium. 399
Terræ putrefactæ signa. 266
Tinctorum vena. 436
Tragacanthum ad quid in variolis proficiat. 429
Tremor quid & quomodo à rigore differat. 182
Tumorum gutturis potissima & præstantissima causa. 228
Tussis in febribus unde fiat. 298
quæ causarum signa. ibi.

V.

Variolæ quid. 277
Quæ earum signa. 279
Quomodo cum morbillis conueniant. ibid.
Et quomodo differant. ibid.
Quæ earum causa. ibi. 280
Variolæ quomodo fiant. 302. *Qualis sit febris, quæ eas antecedat.* ib. *variolarum causa cōmunis triplex* 367. *cur natus puer anno tertio aut septimo corrumpatur denuum variolis.* ibid. *vbi materia eius tamdiu lateat.* 369. *ex mulieribus variolis laborantib. cur paucæ euadant.* 372. *quomodo à lepra differant.* 375. *cur non etiam bruta incidant in variolas.* 381
Variolæ vnde sint dictæ. 357. *quid sint.* ibi. 358. *quæ earum materia* 359. *differentia.* ibi. *locus efferuescentiæ.* ibi. *locus pustularum.* ib. *finis.* ibid. *an necessario habeant adnexam febrem.* 360. *quando febris antecedat.* 362. *quando sequatur.* ibid.
Variolarum differentia. 393. *nullas variolas fieri ex sanguine* 394. *signa prædicentia variolarum euentum.* 395. 396. *an pueris laborantibus conueniat secare venam.* 410. *præseruatio oculorum.* 419. *narium.* 420
Variolæ cur magis accidant infantib. 382. *quæ earum propria causa* 389. *quæ causæ externæ* ibid. *variolarum lethalium tempora.* 399. *variolarum salubrium signa.* 402
Variolas non esse necessaria signa futuræ pestis. 267. *& quando sint.* ibi.
Variolis laborantibus an conueniat hordei decoctum. 442. *an vinum.* ibid.

Lactan-

Lactantium laborantiũ variolis cura. 442 *an conueniant clysteres.* 443. *qui pueri variolis maxime sint obnoxij.* 393
Venas nihil in sese continere, nisi solũ sanguinẽ reliquos vero humores excrementitias extra venas in proprijs quibusdam receptaculis recondi. 175
Venæ sectionis iteratæ vtilitas. 409
Vena sectio an pueris laborantib. variolis conueniat. 410
Vena sectio in carbunculo pestilentiali vbi & quando sit administranda. 326
Vena tinctorum. 436
Ventris dolor in febribus vnde fiat. 299
Ventris fluxus futuri signa. 305
Veris temperamentum. 230
Veritatis inueniendæ duplex instrumentum. 170.
Vesicantium vsus in curatione bubonum pestilentium & quæ sint circa eundem obseruanda. 318
Quæ eorum vesicantium materia. 319
Vesicantia, escharotica & caustica quomodo differant. 335
Quomodo conueniant. ibid.
Veterum opiniones de humoribus, à quib fiunt febres putridæ. 136
Viam omnem non esse methodum. 6
Via omnis habet ordinem. ibid.
Vigilia in febribus vnde fiant. 293
Vigoris signa. 84
Vinum an variolis laborantibus conueniat. 442.
Virtutem imbecillem multos habere gradus. 184.
Vitia definitionum. 222
Vnguentum pro variolis. 421
Vniuersalis morbus quomodo à communi differat. 223
Vocabulum rationis satis commune. 5
Vomitus quid. 288 *quæ eius causa.* ib. *quæ causarum signa.* ibi. *an in ventriculo aut alibi sit orta.* ibi.
Vomitus futuri signa. 304
Vrinas non in omnibus febribus putridis ostẽdere putredinem. 180
Vrinas in febribus semper esse spectandas & quomodo. 181
Vrinæ febre pestilente laborantium cur interdum sint sanis simillimæ. 269. 270. 271
Vtilitas tractationũ de febribus. 2
Vtilitates iteratæ venæ sectionis in variolis. 409.
Vxor autoris qua morte interierit. 292

FINIS.





